SAMUELIS ARTOPOEI ... COMMENTARIUS IN CHRISTOPHORI SCHRADERI ... TABULAS...

Samuel Artopoeus, Johann Christoph : von Bartenstein

Digitized by Google

5 chyl.

6 M
25–D

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 K
2

6–25. D. 44

Digitized by Google

VIII. D. 5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1. 8. 13.

Digitized by Google

SAMVELIS ARTOPOEI,
Argentinenſis ac Poëtæ Laureati,

COMMENTARIVS
IN
CHRISTOPHORI SCHRADERI,
Profeſſoris quondam Helmſtadienſis celeberrimi,

TABVLAS CHRONOLOGICAS,

quantum illæ
à primâ rerum origine
usque ad annum Chriſti MDCC.
perductæ atque continuatæ ſunt,
poſt mortem beati Auctoris in lucem editus
à
JOH. CHRISTOPHORO BARTENSTEIN,
Argentinenſi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

ARGENTORATI,

Typis & ſumptibus JOHANNIS BECKII, MDCCXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO,
DN. IOHANNI FRIDERICO HENRICO
S. R. I. Libero ac Nobili Domino
DE BECK,

S. P. D.

Joh. Chriſtophorus Bartenſtein, J. V. Ltus.

JVſſa defuncti heres exequor, dum Tuo, Perilluſtris Juvenis, *nomini hoſce in Schraderi Tabulas Commentarios conſecro. Conſcripti illi ſunt à Beato Avunculo meo, Viro cujus lau-*

Digitized by Google

des ideo nunc dicere ſuperſedeo, quòd Ille domeſtico teſtimonio meo minimè indigeat, apud Te præſertim, à quo coli, ut par eſt, Manes Ejus non ignoro. Non niſi ſuccinctas ad Schraderum notas ab initio Ille conjecerat in chartam, cùm ad hujus Auctoris ductum Hiſtoriam in Univerſitate patriâ privatim doceret. Rogatus inde à Perilluſtri Domino Parente Tuo, *ut viam Tibi immenſum diffuſiſſimi hujus ſtudii pelagus ingreſſuro præpararet, latius exponere ſingula, exactiusq; nonnulla commentari cœpit. Cumque novas ſubinde curas limando perficiendoque operi adhiberet, eò tandem labor excrevit, ut typis imprimi poſſet*

ju-

Digitized by Google

juſtæque molis volumen conficeret. Erat Beato Viro meris opus Tuis ſtudiis totum dicatum Tuo etiam nomine præfulgens edere in lucem; ſed pertinax valetudo, afflictæque ſub vitæ inprimis finem corporis vires, ut ipſe quæ cogitaverat exequeretur, non permiſerunt. Ergo hanc mihi Spartam condito teſtamento moriens demandavit, abſenti tunc, & pro tam charo capite crebras ad DEUM preces fundenti. Atque ita quidem præclaram ſatis nactus ſum occaſionem publicè (quod in votis mihi ſemper fuerat) Tibi & Perilluſtri Parenti Tuo *teſtandi obſequium meum: fuiſſet tamen hacce quævis alia mihi jucundior. Nam & dum*

hæc ſcribo, acerbius utique in mente meâ refricatur memoria Viri, cujus jacturam non Patria modò (cujus ille decus fuit) ſed & omnes illi ſentiunt, qui vel Patroni Muſarum vel alumni ſunt, nemo autem me magis, ſanguine Ipſi proximè, arctius tamen adhuc pectore junctus animoq;. Scilicet uti voluntati ſuperſtitis facere ſatis ſuave mihi nunquam non erat, ita defuncti mandata non niſi mæſtus exequor. Tibi quoque, Generoſiſſime Juvenis, *acceptius, credo, fuiſſet quod ex ipſius donantis accepiſſes manibus munus. Dixiſſet ille ſimul laudes Tuas eâ facundiâ, quam familiarem ipſi fuiſſe novimus, quâq; ille olim & flumina & hor-*

tos

Digitized by Google

tos & amores Heroasque ipſaque imò vates cecinerat Numina. At mihi, cui longâ licèt à Te locorum intercapedine ſejuncto fama tamen præclaræ animi corporisque Tui dotes ſumma cura excultæ innotuerunt, admirari illas quàm deprædicare facilius eſt. Quod unum poſſum, Deum precabor, ut reliquis quæ in Te contulit naturæ fortunæq; donis, vegetam valetudinem, vitam longævam, proſperrimosque rerum omnium ſucceſſus ſuperaddat. Fruere interim, Florentisſime Juvenis, *hocce Tuis ſtudiis unicè conſecrato egregii certè doctiq; Viri fœtu: adimple, imò ſupera Magni Parentis vota, ſpemque quam de Te in puerili jam*

ætate

Digitized by Google

ætate Tua, quotquot Te norant boni, conceperunt, gloriamq; à Majoribus partam Vir factus Ipſe novis auctam decoribus transmitte in poſteros. Ita quem ex præmaturo deſideratiſſimæ Conjugis fato cœpit mœrorem Perilluſtris Genitor Tuus, natum Illi ex Tuis incrementis gaudium abunde olim penſabit. Vale, ô eximium Stirpis Tuæ Nobilitatisque Saxonicæ decus, atq; affectum, quo Beatum Dominum Artopœum *proſecutus es, in Sororis filium propagare ne dedignare. Scribebam Vindobonæ, ipſis Calendis Septembribus, anno æræ Chriſtianæ M DCC XIV.*

Proœ-

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

TABVLÆ CHRONOLOGICÆ, quas præ manibus habemus, primum auctorem agnoſcunt B. CHRISTOPHORVM SCHRADERVM, olim in Academia Julia per quinque & quadraginta annos Profeſſorem eloquentiæ, poſtea etiam Cœnobii Mariebergenſis Præpoſitum, ac denique in principatu Wolffenbüttelano Scholarum Inſpectorem generalem; Virum cùm ex varia eruditione, tum ex fide in docendo & ſingulari diligentia longè Clariſſimum. Cujus rei non illi modò teſtes ſunt, quibus ex ore vivi pendere contigit; ſed & Scripta, quæ reliquit, interque ea vel ſolus *in Ariſtotelis Rhetorica Commentarius* accuratiſſimus, eam Viro laudem incorruptam etiam ad poſteritatem adſtruent. Non magnæ quidem molis eſt hoc opus *Tabularum Chronologicarum*, ſed quod complexu tamen ampliſſimo Vniverſalis Hiſtoriæ quaſi indicem exhibet, in quo conſignati ſaltem ſummi rerum eventus, & ad ſua tempora alligati, curam certè concinnantis requirebant & judicium non vulgare. Sanè cùm ſint ab aliis quoque in hoc genere editæ tabulæ ſynopticæ, vix tamen ullas majori cum applauſu exceptas, atque ad frequentiorem hiſtoriæ ſtudioſorum uſum adhibitas reperio, quàm has ipſas Auctoris

 noſtri:

Digitized by Google

noſtri: quas ille ſub certos titulos & rubricas ſingula referendo, aptiſſimè diſtinxit, atque ſic bono ordini, & per hunc memoriæ præ cæteris conſuluiſſe viſus eſt. Neque verò tantùm *Civilem Hiſtoriam* exhibere voluit, cujus capita ſub titulis diverſis gentium imperantium diſpoſuit, & quæ ad hos reduci non potuerunt, ſub ſpeciali titulo Variorum ἐκ παρενθήκης poſita adnexuit; ſed & *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ* propriam Sectionem in unaquaque Tabula attribuit: denique etiam *Virorum* doctrina præſertim *Illuſtrium* nomina ad eam, qua quiſque floruit, ætatem, vel ad annos cujuſque emortuales conſignando, *Hiſtoriæ Literariæ* inſervire ſtuduit. Atque hoc modo iſtas ipſe Tabulas à conditu mundi ad regimen uſque Leopoldi Aug. i. e. A. C. 1658. primitus perduxit; interpolatas poſtea, & ſubinde continuatas ab aliis ad finem ejus Seculi; an pari cum ſelectu, meum non eſt judicium. Non negaverim tamen, eſſe aliqua in his Tabulis, quæ tanti Viri diligentiam fugerint, non ejus interim momenti, ut earum pretio detrahant. Nam & omiſſa nonnulla ſunt, quæ non minus digna erant memorari, quàm alia pleraque. Huc referas, quod in Tabula ſtatim 2. jure memorari potuit *bellum quatuor Regum Orientalium cum quinq; Regibus Cananæis*; præſertim cum digniora in illo Seculo nondum ſuppetant, & primum illud bellum ſit in S. Literis memoratum, quod ad Abrahami quoque hiſtoriam & Lothi ſupplendam pertinet. Sed & *Romuli* mentionem aliquam ſeorſim fieri conveniebat: de quo quidem, quod T. Tatium in ſocietatem regni receperit, Tabula 5. indicat. Merebatur etiam in Tab. 7. ſub titulo *Romanorum Allienſe prælium* notari: item in Tab. 10. *Clades Craſſi à Parthis accepta*: & in ſequenti *Bellum cum Bruto & Caſſio*, item *cum Sexto Pompejo*, ſilentio præteriri non debuit. Nec non in propiorum Seculorum hiſtoria talia ſunt, quorum ſpecialem mentionem requiro. Certè ad finem Seculi XV. jure merito-

que

que memorandus erat *Philippus I. Hiſp. Rex.* Caroli V. pater, qui acceſſione monarchiæ Hiſpanicæ Auſtriacam potentiam auxit. *Bellum* quoque *ruſticanum* ad ann. 1525. & paulò poſt *Bellum Monaſterienſe contra fanaticos*, non indigna erant relatu, &c. præſertim cùm alia minoris momenti conſignata in iiſdem Tabulis videamus. Sunt interim quædam bis poſita; ut in Tab. 14. *Symmachus Bibliorum Interpres* ponitur, & rurſus Tab. 15. *Symmachus V. T. Græcè reddidit.* Sic in Tab. 21. *à Carolo Craſſo Normannis Sedes in Neuſtriæ conceſſæ* dicuntur; at Tab. 22. *à Carolo Simplice:* quod quidem diſſenſui Scriptorum circa hanc rem tribui poteſt. Debebat tamen auctor ſibi conſtare, nec eandem rem duplici modo proponere: niſi forte alterum eſt ab Interpolatore quodam. In Tab. verò 27. ſub Rebus Eccleſiæ ad annum Seculi 72. *Ingolſtadienſis Academia inſtituta* eod. loco bis mentio facta per incuriam. Et *Pax Olivenſis* anno 1661. ſub titulo Imperii & ſub tit. Variorum in Tab. 31. memoratur. Sunt & aliqua non ſuo loco reddita, qualia obſervavi iſta duo lemmata, Tab. 14. *Britannis permiſſu Regis publicè annuntiatur evangelium:* & Tab. 15. *Scotorum Rex Donaldus primus ſuſcepit Chriſtianam religionem:* quæ ſub titulo Variorum habentur, cùm ad res Eccleſiæ pertineant. Sed hæc levia ſunt, & facile correctionem admittunt: de quibus tamen hic obiter monere licuerit. Alia præſertim in numero annorum commiſſa nonnunquam ſphalmata, notabo in ipſo loco. Sequor autem Tabularum harum editionem eam, quæ in fol. procurata eſt, non quæ in 8va forma noviſſimè prodiit. Cæterùm ut in hiſtoria civili temporum poſt Chriſtum natum *Chronologus noſter* rebus Imperii Rom. conſignandis potiſſimam curam impendit, ac propterea ſingulos Imperatores, imò & Reges Italiæ nominatim recenſet; ita circa reliqua regna non idem ei viſum eſt; atque adeò in Tabb. his continuam Regum e.g. Franciæ, Hiſpaniæ &c. ſeriem fruſtra quæſi-

Digitized by Google

veris. Hos enim nonniſi inſigniores, aut occaſione memorabilis alicujus eventûs, aut propter connexionem cum rebus Imperii, ſeorſim nominat. Quibus quidem in lemmatibus exponendis ego nonnunquam proximos anteceſſores ſucceſſoreſve indicavi, longius intervallum aliunde ſupplendum relinquens. Harum autem Tabularum enarrationem aggreſſus, an operæ pretium fecerim, alii viderint. Et erit fortaſſe, qui me actum agere dicet, ſiquidem jam tùm ante me, *Joh. Dietericus à Gulich*, JC. & in Illuſtri Pædagogio Gœtingenſi Hiſtor. & Matheſ. Profeſſor, hunc laborem ſuſceperit, quem propterea laudat inprimis *Reimmannus in Hiſtor. Lit. Germ. nov. lib. 2. Sect. 3. Quæſt.* 160. *p.* 379. Scripſit enim ille *Analyſin Chronologico-Pragmatologicam, ſeu Illuſtrationem Tabularum Chronologicarum Chriſtoph. Schraderi:* in qua quidem non preſsè inſtitit veſtigiis à *Schradero* ſignatis, & ſæpe ea quæ in Tabulis reperit lemmata, vix verbo attingit; alia verò minus notabilia addit & immiſcet, præſertim in ultimorum ſeculorum hiſtoria: in antiquioribus verò & ad tempora μυθικὰ pertinentibus rebus poëticas fabulas frequenter pro hiſtoria ſupponit, nec verum à ficto ſatis curiosè ſeparat; rectius facturus ſaltem, ſi nonnunquam addidiſſet, *traditur, dicitur*. Tale illud eſt, cum de Dædalo narratis cæteris p. 101. eod. deinde tractu ſubjungit: *Inde fugam per aërem tentans, cera & pennis ſibi & filio alas fecit, & è Creta avolans Cumas delatus eſt.* An hic volatus Dædali à quoquam pro vera hiſtoria habetur? qualem tamen ipſe ex inſtituto ſuo tradere profitetur. Modò adjeciſſet mythologiam non improbabilem, quod ſcil. Dædalus nave aufugerit ex Creta, cui primus vela à ſe inventa addiderit. Sed ejuſmodi invenies plura alia. Etiam in S. hiſtoriâ apocrypha quædam interſerit, vulgatis opinionibus & traditionibus χλωσπέτοις plus æquo tribuens. Quo referre poſſis etiam illud in hiſtoria Auguſti Cæſaris *p.* 350. cùm de hoc Principe loquens ait:

Digitized by Google

ait: *Eo die, quo Salvator noſter natus eſt, edicto vetuit ſe Dominum vocari, Chriſtoq; aram primogeniti DEI extrui juſſit.* Nam prius illud extra dubium ponendum erat, quo anno quove die præciſe Chriſtus natus ſit, de quo adhuc μέγα ζήτημα eſt, quàm in eundem diem incidiſſe aſſereret, quæ de Auguſto prædicat. Deinde quo teſte firmabit illud alterum, quod idem Auguſtus Chriſto aram primogeniti DEI exſtrui juſſerit? niſi ad traditionem cujuſdam ex Scriptoribus Eccleſiaſticis ſequiorum temporum provocet. Quàm parum autem probabile hoc ſit, vel hinc intelligitur, quod Chriſtus imperante adhuc Auguſto vix pueritiam egerit, neque tùm adhuc ex miraculis editis huic Principi innotuiſſe potuit, quibus ad hanc venerationem ille permoveretur: niſi quis immediatam Cæſaris illuminationem velit ſtatuere. Præterea quid opus erat in hoc compendio, ſingulis Imperatoribus ſua ſymbola attribuere, i. e. ſententias ſemel forte per occaſionem ex ore eorum elapſas, quæ propterea Symbola illorum dici non merentur: e.g. *p.*350. extat: *Tiberius I. Claudius Nero pro Symbolo habuit illud*: *Boni paſtoris eſt* &c. & deinde, ubi reliqua de eo dixit, iterum: *Symbolum: melius tondere, quam deglubere.* in quam ſententiam Tiberius Præſidibus, onerandas tributo provincias ſuadentibus, reſcripſit, ap. *Sueton. cap.* 32. Ita Neroni tribuit Symbolum: *Artem quævis terra alit:* quod qua occaſione dixerit Nero, notat *Sueton. c.*40. Sanè multa alia horum Symbolorum loco de Cæſaribus his dici potuerunt. Neque illud placet, quòd ineptis verſiculis toties ſuam hiſtoriam farcit, quibus tamen plerumque neque ſenſus memorabilis neque acumen ineſt; cùm eſſent longè digniora memoratu, quibus illud ſpatium paginarum impleri potuiſſet. Præcipuum vero quod in hac Analyſi deſidero, hoc eſt, quod de Scriptoribus allegandis, & propria ſede cujuſque hiſtoriæ indicanda parum fuerit

Digitized by Google

ſolicitus; quod tamen inprimis illi fuit agendum, ſi uſibus hiſtoriæ Studioſorum ſcriptionem ſuam accommodare voluiſſet. Nunc nonniſi rarò Scriptorum auctoritate ſuas narrationes confirmat. Taceo, quod paſſim multa, quæ conjecturis tantùm nituntur, ita temere pro indubitatis ponit: quò præter alia multa pertinet & illud, quod *p.* 529. tàm aſſeveranter dicit, de prærogativa Archiepiſcopi Moguntini in eligendo Imperatore, unde illa originem traxerit. *Childerico,* inquit, *in Monachum tonſo* (Pipinus) *Francorum Rex à Bonifacio coronatus eſt. Quo ipſo Archiepiſcopus Moguntinus primas poſt in eligendo Imperatore obtinuit.* Hæc & plura ejuſmodi levi manu ſcripta, credulitatem Auctoris arguunt, & lectoris deſiderant. Licebat omittere talia, præſertim in tàm brevi compendio, quod & certioribus, & magis ad rem pertinentibus impleri potuit. Equidem non ideò hæc dixi, quod alienorum operum cenſor eſſe velim, in quo plurimi hodie ſibi laudem captare ſolent, aliis detrahenhendo. Odi iſtud nimis vulgare cacoëthes. Neque enim Ariſtarchus ipſe ſum, neque aliorum cenſuræ me eximo. Sed huic duntaxat fini allata hæc ſunt, ut oſtenderem, aliam à me methodum ſervatam eſſe: quod facile patebit conferentibus; fietque tunc, ut, cum duo idem fecerint, non idem eſſe dicant. Judicent deinde iidem, utrius methodus inſtituto convenientior ſit. Mihi ſic viſum eſt velificari deſideriis ſtudioſorum, quibus aliquod ſaltem inde viæ compendium fore, ad hiſtoriæ adyta penetrare cupientibus, non omnino deſpero. Quippe ſunt hæc mihi nata ſub manibus, cùm in collegio olim, quod vocant, privatiſſimo has Tabulas pro fundamento elegiſſem, ad tradendam hiſtoriam univerſalem: in eoque inſtituto juvandæ memoriæ, quantum tunc quidam temporis ratio patiebatur, quæ dicturus eram, obiter in chartam conjeciſſem. Dedi vero operam,

Digitized by Google

operam, ut brevi explicatione illuſtrando ſingula in hoc indice lemmata, quicquid cognitu neceſſarium videbatur, non præterirem; præciſis interim iis, quas vocant, circumſtantiis, quarum cognitio ad rei geſtæ ſummam intelligendam, aut ad hiſtoriæ connexionem, nihil magnopere confert. Alioqui enim infinitum hoc opus futurum erat, ſi quicquid de ſingulis hiſtoriarum monumenta ſuppeditant, ex illis plena manu depromere voluiſſem. De cætero ad ſedes hiſtoriæ, unde uberius hæc peterentur, & fontes ipſos remiſi; quos indicare præcipuum mihi ſtudium fuit. Quanquam non diffiteor, me ob anguſtiam ſupellectilis librariæ non potuiſſe omnes auctores, & quæ ad rem faciebant loca per me inſpicere atque evolvere; ſed aliorum fidei nonnunquam inniti neceſſe habuiſſe. Erunt ergo fortè quæ emendari, erunt quæ ſuppleri debeant: quod ſi ego non faciam, aliis à bibliotheca hiſtorica inſtructioribus præſtare facilius erit. Neque hoc mihi vitio vertetur, ſpero, quod verba ſæpius aliorum, quibus illi rem commodè & ſuccinctè complexi ſunt, ut in quæque incidi, conſultò retinui: id ſaltem in narratione hiſtorica, aliorum exemplo, mihi licere arbitratus. Placuit autem ordinem ſervare eum, ut poſt primam quidem Tabulam (quæ duos annorum millenarios complectitur, & in qua uberius explicanda aliquid mihi indulſi, ut ſterilitati rerum ſuccurrerem) deinceps quæ ad ſingula Secula, diverſis tamen ſub titulis, notantur, conjungerem; poſtea etiam cùm nonniſi unius Seculi res in una Tabula exhibentur, titulos omnes priorum 50. annorum ante excuterem, quàm ad alteram Seculi partem, in ipſis Tabulis ſubducta linea diſcretam, accederem. Quod eo conſilio feci, ne res temporibus propius connexæ nimio narrationis intervallo à ſe invicem dirimerentur. Id enim accidere neceſſe erat, ſi e.g. Perſica primùm integri

integri Seculi, deinde Græca, porrò Romana ejuſdem Seculi expoſuiſſem. Eadem ratio me movit, ut quæ ſub titulo *Variorum* habentur, præmitterem enarrationi *Virorum Illuſtrium*; quia hæc minus cohæret cum cæteris, quàm illa. Hiſtoriam autem Seculi XVII. quippe in plures Tabulas diviſam, retento Tabularum ordine ſectatus ſum. Cæterùm quam in reliquis mihi legem dixi, ut neceſſariâ duntaxat explicatione illuſtrarem ſingula lemmata, pleniorem ex auctoribus promendam relinquerem; eam etiam circa Viros à literis celebres ſervavi: quorum non omnia ſcripta, ſiqui pluribus inclaruerunt, ſed præcipua tantùm recenſui, & qua in parte excelluerint, indicaſſe contentus, cætera juxta cum vitæ illorum hiſtoria, peti juberem ex iis, quorum in his deſcribendis profeſſa opera fuit. Ita pro Græcis Scriptoribus potiſſimum Celeberr. *Fabricij Bibliothecam Græcam*; pro Hiſtoricis utriuſque linguæ, *Voſſij* de hoc argumento opus commendavi; de Eccleſiaſticis Scriptoribus *Bellarminum*, *Caveum* &c. conſuli juſſi; in quibuſdam, præſertim recentioribus, ad βιογράφους remiſi. Denique id egi, ut intra compendium quidem ſubſiſteret hæc qualiſcunque exegeſis; ad pleniorem tamen hiſtoriæ notitiam facem præferre poſſet, ac utrobique commodis ſtudioſæ Juventutis inſerviret. Hanc enim *ſi quid ego adjuto, curamve levaſſo*, ſatis erit præmii, & votum meum implevero.

Lectiones

Digitized by Google

COMMENTARIVS AD SCHRADERI TABVLAS CHRONOLOGICAS.

LEctiones hiſtoricas ad ductum *Tabb. Schradederianarum* auſpicantibus ſupervacuum eſſe videtur, pro more in laudes hiſtoriæ excurrere, ne actum agamus. Legantur quæ inter Veteres *Polybius initio libri I. Maximus Tyrius Serm. XII.* diſſerunt; inter recentiores, præter multos alios, *Bodinus Methodi Hiſtor. Proœm.* ubi de facilitate, oblectatione & utilitate Hiſtoriæ copioſè agit; nec non *Degoreus Whear in oratione auſpicali, Mantiſſæ* ejus *de Hiſtoricis Gent. partic.* adjuncta. Diviſio autem hiſtoriæ varia eſt; de qua vid. iterum *Bodinus Method. Hiſt. cap.* 1. *Rupertus Obſ. ad Synopſ. Beſoldi cap.* 1. *Jo. Buno Idea Vniverſæ Hiſtoriæ, Præf.* ubi de Hiſtoriæ conſtitutione agit. *Adamus Rechenbergius Prælect. Hiſt. Part.* 1. *cap.*2. Ad univerſalis autem hiſtoriæ facilitandam cognitionem & juvandam memoriam ſolent certæ quædam *Epochæ* conſtitui, aliter quidem ab aliis, pleræque tamen ad memorabiliores eventus alligatæ: de quibus præter *Petavium in Rat. Temp. Voſſius in Iſagoge Chronolog. Diſſert.*1. *Add. Rechenberg. Prælect. Hiſt. Part.* 1. *cap.*4. *p.*37. Nobis hìc ſufficiet illam tantùm *Varronis* partitionem notare, qui, ut refert *Cenſorinus de Die natali cap.* 21. tempus omne diſpeſcuit in ἄδηλον, μυθικὸν & ἱστορικὸν, quorum poſtremum in Olympiadum initio incipiat. Et revera tempus antediluvianum gentilibus & profanis Scriptoribus prorſus eſt ἄδηλον. qualem tamen hiſtoriæ antediluvianæ notitiam poſtdiluviani gentiles habuerint, oſtendit *Rupertus Obſerv. ad Synopſ. Beſoldi cap.* 1. *p.*7. *ſeqq.* Fabulæ autem innumeræ, quibus hiſtoria poſtdiluviana uſque ad Olympiadum initium (imò etiam aliquantò ulterius) inquinata fuit à veteribus, denominationi hujus temporis locum dederunt, ut μυθικὸν appellaretur. Primorum ergo Seculorum hiſtoria admodum ſterilis eſt, quippe de quibus ea tantum memorari poſſunt, quæ ſola Scriptura S. ſuppeditat; niſi quis *Joſephi* nonnulla & Judæorum traditiones παλαιοπαραδότως addere velit, ex quibus tamen nihil liquidum educere licebit. Propter hanc etiam ſterilitatem hiſtoriæ primi ævi factum eſt, ut Tabularum noſtrarum prima duos millenarios integros, ſecunda quinque ſecula, tertia quatuor, quarta tria, quinta duo com-

Digitized by Google

plecteretur; reliquæ unum duntaxat, uſque ad XXIX. Tabulam, & quæ ſequuntur, paucorum annorum hiſtoriam ſingulæ exhibentes.

Inſpiciamus jam ipſas Tabulas noſtras; in quibus cum ſignetur ſtatim in frontiſpicio ANNVS PRIMVS MVNDI ET ADAMI, præſupponi certum eſt, *Mundum non eſſe æternum.* Quod tamen non olim tantùm ſtatuerunt multi ex Philoſophis, inter quos Ariſtoteles quoque refertur, nec non Boji Japonenſium, & Gymnoſophiſtæ Indorum. De mundi æternitate, & ſententia circa hanc *Ariſtotelis, Procli,* &c. vid. *Voſſ. de Idolol. Gent. lib.*2. *cap.*38. *Morhoff. Polybiſt. Philoſ. lib.* 2. *Part.*2. *cap.*11. *n.* 6. *&* 7. ubi ſententiæ de exordio mundi, & Scriptores de hoc argumento recenſentur. Verùm etiam recentioribus temporibus non defuerunt, qui probare conati ſunt, mundum DEO eſſe coæternum. Id verò præter alias rationes (quas vide ap. *Philoponum* & *Proclum*, pleraſque ex Finiti atque Infiniti natura deſumtas) & auctoritatem Scripturæ S. irrefragabilem, etiam phyſicis argumentis confutari poteſt; inprimis illo à ſcopulis ſupra mare extantibus ſumto. &c. Vide *Gerh. Joh. Voſſium Diſſert. de Creatione Theſ.* 13. & filium *Iſ. Voſſium Diſſert. de Vera ætate Mundi cap.* 1.

Majus dubium illud eſt, cum quæritur, *quo anni tempore Mundus creatus ſit?* ſive quodnam anni tempus à condito mundo primum fuerit, in illo ſcil. climate, ubi primi homines habitarunt, i. e. zona temperata ſeptentrionali, in qua Paradiſum fuiſſe extra controverſiam eſt? Pro auctumno, & ejus quidem initio, quæ militant argumenta videntur eſſe ponderoſiora: & in hac etiam ſententia præter alios eſt *Petavius Rat. Temp. Part.*2. *lib.* 2. *cap.* 1. Pro Vere tamen ſentit *Voſſius*, quem vide in *Iſagoge Chronol. Diſput.*2. ubi quæ *cap* 2. afferuntur rationibus & conjecturis pro auctumno, etiam hæc addi debet, quæ ab anni Judæorum civilis primùm, poſtea verò (hoc ex conſtitutione Divina mutato) Sabbathici certè & Jubilæi anni initio deſumitur, quod incidit in principium menſis Tiſri: deinde quam ſuppeditat Feſtum Expiationis, quod vix eſt dubium, quin reſpondeat diei lapſus humani generis; cùm ſolum illud diverſo à cæteris feſtis ritu, per jejunia & afflictionem corporis celebrari juſſum ſit. Lapſum autem Adami ſtatim, certè non ſemeſtri toto elapſo demum ſequutum eſſe, prò confeſſo habetur.

De *Luce primigenia* quæ diſputantur, hic omittimus, petenda ex *Hottingeri* κλίσει ἑξαημέρῳ *lib.* 1. *c.*1. *Quæſt.* 38. Quæſtio *quando Angeli ſint creati*, & an ad hexäemeron κοσμουργίαν pertineant? ab antiquis pariter & recentioribus agitata eſt. Alii putarunt, Angelos cum hoc mundo productos; alii demùm poſt eorum lapſum hanc mundi machinam

nam conditam eſſe crediderunt. Græci Patres ferè in hanc ſententiam inclinant, & ante mundum conditos arbitrantur, & plerique ante *Auguſtinum* Latini. *Auguſtinus* dubitat, vel potius exiſtimat, nomine Lucis primo die à DEO productæ, Angelos ſignari. Suffragantur ei *Gregorius M. Cyrillus, Venerabilis Beda*, &c. Vid. plura de hac controverſia ap. *Voſſium de Idol. Gentil. lib.*1. *cap.*7. & *Hottinger.* Κλίσει ἑξαημέρῳ *lib.* 1. *cap.*1. *Quæſt.*17. qui ſubſcribit ſententiæ illorum, qui primo creationis die Angelos creatos eſſe volunt. Non improbabilis tamen etiam illa conjectura eſt, (cujus quidem non meminit *Hottingerus*) creatos eſſe Angelos ſecundo die, quo cœlum creatum eſt, ipſorum ſcil. habitaculum; ſicut nec ante conditam terram, quam DEVS homini habitandam dedit, Homo creatus fuit. Quæ conjectura firmatur eo, quod David *Pſalm.* 104. opus creationis celebrans, & ſecundùm ordinem, quo quæque creata ſunt, reliqua omnia recenſens, inter ſecundæ diei opera Angelorum mentionem facit, *verſu* 4. Et huic ſententiæ facilius accedent illi, qui Angelos motores orbium cœleſtium ſtatuunt, non deſtituti illi quidem ſuis argumentis. Et quid, ſi *Geneſ. c.* 2. *v.* 1. ubi dicitur: *Ita abſolutum eſt cœlum & terra, cum omni exercitu eorum*: per exercitum cœli intelligamus Angelos, qui ſæpe alias in S. Literis exercitus cœleſtes appellantur. Cur autem Moſes Angelorum creationem non diſertis verbis expreſſerit, ea quæſtio cùm non ſit hiſtorica, ad noſtrum inſtitutum nihil pertinet.

Fuit ergo ADAMVS primus homo, totiuſque humani generis communis parens, & unicus orbis monarcha. *Iſaaci Peireriĳ*, hominis Galli, commentum de *Præadamitis* jamdudum exploſum eſt, & ab ipſo auctore, ut ajunt, revocatum. Scripſerunt contra illius librum & dogma in eo traditum, præter alios *Henr. Vrſinus, Sam. Mareſius.* Vid. *Kortholt. Hiſt. Eccl. Sect. XVII. Reimmann. Hiſt. Lit. antediluv. p.*93. *ſeq. Neu in Acceſſion. ad Wheari Relect. Hiem. p.*28. ubi plures nominantur, qui contra hoc dogma ſcripſerunt. *Theophraſtus Paracelſus* paulò aliter, ſed & ipſe contra Scripturam, excogitaverat jam ante plures ſtirpes humanas, ſed ſimul cum Adamo à DEO conditas, à quibus homines aërii, aquatici, ignei monſtroſique provenerint. Sed nos miſſis his commentis veram hiſtoriam ſectamur: ad quam h. l. pertinet Sanctificatio Sabbathi, *Geneſ.* 2, 3. Inſtitutio conjugii, *Geneſ.* 2, 21. Lapſus Protoplaſtarum, maledictio & πρωτευαγγέλιον, *Geneſ.* 3, 15. Studia & ſacrificia primorum fratrum; Caini parricidium; (quod quidem etiam in Tab. noſtra memoratur) ejuſque vindicatio fugâ ſeu ſeceſſu evitata; Sethi poſteritas; Longævitas Patriarcharum; horum inventa; translatio Henochi; Seculi corruptio: quæ omnia *ſex primoribus capp. Geneſ.* comprehenduntur:

tur. Quæ verò ex *Joſepho* & externorum monumentis adjicere licet, pauca ſunt, nec æque certa.

Prima hominis habitatio *Paradiſus terreſtris* fuit. De cujus loco variæ ſunt Veterum recentiorumque ſententiæ. In Aſia fuiſſe circa Tigrim & Euphratem, nemo in dubium vocabit, niſi qui à S. Scripturæ auctoritate recedere ſuſtinuerit. Quinam vero ſint reliqui duo fluvii, qui Paradiſum alluerunt, *Gihon* & *Phiſon*, non perinde liquet. Probabilis maximè mihi videtur ſententia celeberrimi Epiſcopi Abrincenſis, *Petri Danielis Huetii*, qui in tractatu Gallica lingua ſcripto, *de Situ Paradiſi terreſtris*, illum ſtatuit ſitum fuiſſe juxta amnem, quem conjunctio Tigris & Euphratis efficiunt, qui hodie *Fluvius Arabum* dicitur, medio loco inter confluentes & diviſionem ejuſdem fluminis in duos alveos, antequam in mare Perſicum exoneratur. Argumenta, quibus hoc probat, ex ipſo libello petenda ſunt.

Quamdiu Protoplaſtæ in Statu innocentiæ manſerint, atque adeò in Paradiſo fuerint, tacente Scriptura definiri non poteſt. Qui conjecturis indulgent, decimo tertio à conditu mundi die lapſum eorum accidiſſe putant, id eſt, feria ſexta ſecundæ hebdomadis, quo nimirum die Chriſtus, alter Adamus, poſtea paſſus eſt, & quod per lapſum ipſorum deperditum erat, morte ſuâ reſtituit. Alias hac de re opiniones, & præſertim Thalmudiſtarum, vide ap. *Reimmann. Hiſtor. Liter. antedil. pag.* 5. Breve ſaltem id tempus fuiſſe, per-eſt-veriſimile. Atque hoc tempus, quod in Statu innocentiæ primi Parentes noſtri in Paradiſo egerunt, nonnulli putant indicari à Gentilibus per *Aureum Seculum*, quod Saturno regnante fuerit. Nam & Adamum illorum Saturnum eſſe, vix ambigi poteſt. quâ de re vid. *Gerh. Joh. Voſſius de Idol. Gentil.* qui & de aurea cæteriſque tribus ætatibus, quibus illæ temporibus reſpondeant, conſulendus in *Iſagoge Chronol. Diſſ.* 1. *cap.* 1. Probabilior tamen videtur ſententia *Bocharti*, qui aureo Seculo gentilium illam ætatem convenire exiſtimat, quâ ſub Noacho poſt diluvium feliciſſimè vixerunt homines, uſque ad Pelegi nativitatem, qui 100. ferè ſunt anni. Conf. *Diſſert. B. Parentis* mei, cui titulus: *Quæſtiones Hiſtoricæ miſcellæ, Quæſt.* 2.

Expulſi ergo ſunt Horto Protoplaſti, & cum DEVS *mikkedem Eden*, ut loquitur Moſes *Geneſ. cap.* 3. *v. ult.* i. e. ab Oriente Eden collocaverit Cherubim ad cuſtodiendum introitum horti, credibile eſt, eos ab illa parte emiſſos, in Indiam orientalem vel Chinam habitatum conceſſiſſe. Quanquam Cain quoque fugiens faciem Domini, in orientem ab Eden profectus eſſe dicitur, & regionem Nod incoluiſſe; quæ forte Septentrionalioribus Aſiæ partibus, ubi nunc Scythia Aſiatica vel

Cathaya,

Digitized by Google

Cathaya, reſpondet. De Adamo & poſteris ejus per Sethum, vide plura in *Heideggeri Hiſtoria Patriarcharum.*

Cœpit deinde multiplicari genus humanum, natis Adamo ex Eva liberis. Secundogenitus ex filiis Adami ABEL aut non fuit maritatus, cum occideretur, aut certè poſteritatem non habuit. Primogenitus verò CAIN agriculturam exercuit, (ſicuti frater ejus Abel pecuariam) & poſteritas Caini recenſetur *Gen. cap.* 4. *v* 17. *ſeqq.* Hic primus urbem condidit, quam ex nomine filii Hanoch vocavit. *Lamech* trinepos Caini, bigamiæ auctor, non confundendus eſt cum *Lamecho* altero, Noachi patre ex Sethitis. Lamechi Cainitæ ex altera uxore *Zilla* filius *Thubalcain* quin ſit gentilium *Vulcanus*, vix eſt dubium, tùm propter nominum ſimilitudinem, tùm quod fabrorum patriarcha in S. Literis dicitur *Gen. cap.* 4. *v.* 22. Artis autem fabrilis inventionem Vulcano tribuit *Diodor. Sic. lib.* 5. *c.* 47. *Jubal* verò Lamechi itidem filius ex altera uxore *Ada*, inventor muſicalium inſtrumentorum, putatur eſſe *Apollo.* Vid. *Voſſ. de Idolol. gentil. lib.* 2. *cap.* 16. Non eſt tamen dubitandum, quin artes inſigniores & maxime neceſſariæ jam ab ipſo Adamo inventæ, ab aliis verò poſtea expolitæ fuerint. Et *Gen. locum cit. R. Salomon Jarchi* ita interpretatur, quaſi Moſes dicat, pridem à Caino inventam æs ferrumque tractandi artem ſubinde magis à Thubalcaino fuiſſe excultam. At *Rabbi Manaſſe Ben-Iſrael de Fragilitate humana P.* 1. § 4. *n.* 4. ſtatuit, ab ipſo Adamo omnes artes, & nominatim ferrarias fuiſſe repertas. Vid. *J. C. Wagenſeil. Diſſert. de Re Monetar. vet. Rom. cap.* 2. *p.* 12. qui tamen diverſam ab iis ſententiam tuetur. Vtique tamen fabrili opere cudenda erant inſtrumenta ruſtica, quibus, ſi agrum colere vellent, carere non potuerunt Adamus & Cain, uterque agricola. Conf. *Bœcler. Exerc. in Flav. Joſephum Tom.* 1. *Diſſert. ejus p* 378. De Sethi verò columnis memoratis *Joſepho Antiq. lib.* 1. *cap.* 2. quibus inventa ſua inſcripſerint ipse & filii nepoteſque, quæ ſit ſententia *Phil. Melanchthonis* vid. in *Hiſt. Eccl. goth. lib. cap. & Sect.* 1. *p.* 10. Dicuntur autem illi potiſſimùm ſideralem ſcientiam & cœleſtium rerum cognitionem excogitaſſe. Add. *Heidegger. in Hiſtoria Patriarcharum.*

Cum in Tab. noſtra ponatur *Diſtinctio inter filios DEI & filios hominum orta*, apparet ſatis Autorem earum per filios DEI *Geneſ.* 6, 2. intelligere pios Sethitas, ex quibus conſtabat Eccleſia, & inter quos verus DEI cultus erat; per filios hominum autem impios Cainitas & idololatras: ſicut plerique Theologorum hodie illum locum explicant. Sunt tamen qui per filios DEI intelligunt potentes & Principes, ut Chaldæus paraphraſtes *Onkelos* interpretatur. Rabbini per filios DEI ipſos Angelos deſignari ſtatuunt, quorum ſententiam non *Joſephus* modò, verùm etiam

ex veteribus Eccleſiæ Doctoribus nonnulli amplectuntur. Vid. *Rupert. Obſ. ad Syn. Beſoldi cap. 2. p 20.* & *Hiſt. Eccl. Goth. p. 15.*

Sethi poſteros ipſæ Tabulæ noſtræ recenſent ex *Gen. cap. 5.* Non tamen illa genealogia ita eſt accipienda, quaſi nullos præterea liberos habuerint illi Patriarchæ, præter eos qui nominatim commemorantur à Moſe; quin potius credibile eſt, conjugia illorum fuiſſe fœcundiſſima. Inter eos Henoch, ſeptimus ab Adamo, in cælum translatus eſt vivus; de cujus translationis loco, ſtatu & reditu quæ nugantur Rabbini, ſuis auctoribus relinquimus. Præter *Lutherum in Geneſ.* & *Salian. in Annal. V. T.* videantur *Aug. Pfeifferi Diſſertationes duæ de Henocho*, item, *Joh. Druſij Commentar. de Henocho, Heidegger. Hiſtor. Patriarch. Part. 1. Exercit.* 8. & *D. Dorſchei Diſſert. de Prophetia Henochi*, in *Auctario Pentadecadis Diſſertationum Theologicarum* prima, ubi præter theologicum examen *Prophetiæ Henochi* à *Juda* Apoſtolo allegatæ, etiam alia, quæ ad hiſtoriam Henochi petinent, & de libro Henochi ψευδεπιγράφῳ judicium legere licet; de quo etiam *Morhoff. Polyh. Liter. lib. 1. c. 6. n. 17.* & *Mollerus in Hypomn. ad h. l. p. 387.* (ubi etiam de columnis Sethi) & *Reimmann. in Hiſtor. Liter. antediluv. p. 17.*

Ex horum igitur Patriarcharum antediluvianorum genealogia conficitur chronologia à mundo condito uſque ad diluvium. Collectis enim annis, quibus Patriarchæ illi antediluviani filios genuiſſe dicuntur, efficitur ſumma annorum 1056. quibus ſi addantur anni 600. Noachi, poſt quos diluvium cœpit, fiet numerus annorum 1656. Idque juxta conſenſum Codicum Hebræorum, qui nihil inter ſe variant: de quorum integritate, ſaltem quod ad hanc partem, nullas habemus idoneas cauſas dubitandi. Etſi igitur numeros alios habet Græca Bibliorum verſio *LXX. Interpretum*, & rurſum alios *Samaritani Codices*, & rurſum alios *Joſephus*, tamen diſſentientibus his omnibus conſenſus Hebrææ Scripturæ per omnes libros jure merito præferri debet. Et præterea computus iſte, qui ex numeris LXX. Interpretum colligitur, hoc laborat abſurdo, quod per illum Mathuſalem 14. annos ultra diluvium vixerit, qui tamen in arca non eſt ſervatus. Fuerunt tamen multi, qui LXX. Interpp. ſequi maluerunt, & inter recentiores inprimis *Iſaacus Voſſius* hanc ſententiam quaſi pro aris & focis pugnans defendit in *Diſſertatione de vera ætate mundi.*

Patriarcharum longævitas antediluvianorum inprimis, multis incredibilis viſa eſt, ac proinde à nonnullis menſes intellecti ſunt: quemadmodum & *Varro* Ægyptios eluſit, dicens, illos pro annis menſes habuiſſe, atque inde ortam fabulam, antiquos mille annos victitaſſe. Vid. *Voſſ. Iſag. Chronol. Diſſert. 3. cap. 2. p. 37. Plin. Hiſt.*

Digitized by Google

Nat. lib. 7. *c.* 48. Sed non eſt tamen, quod de ea dubitemus. De longævitate autem Patriarcharum aliorumque hominum legatur *Verulamius* in *Hiſtoria Vitæ & mortis*. *Heideggerus* in peculiari *Diſſert.* quæ habetur in ejus *Patriarcharum hiſtoria*; & *Henr. Meibomius* in ſingulari *epiſtola de Longævis*. Eſt etiam ante hoc decennium Helmſtadii edita *M. Joh. Balth. Elend Diſſertatio de annis Patriarcharum antediluvianis, & in ſpecie de anno Semi nati.*

Quod enim in Tab. noſtra ad A. M. 1558. notatur: SEM *naſcitur, & poſt eum fratres ejus duo, Cham & Japhet*; præſupponit Semi primogenituram: quam tamen alii in dubium vocant. Nam quod aliquoties hoc ordine memorantur in S. Literis tres Noachi filii, non evincit eos etiam hoc ordine natos eſſe: de quo inprimis ideò dubitare licet, quia *Geneſ. c.* 10. *v.* 21. Sem *frater Japheti majoris* dicitur, ſi quidem proba eſt verſio *B. Lutheri* & B. D. *Seb. Schmidii* Cui tamen occurrunt dicendo, vocem hebraicam *gadol* utroque modo accipi poſſe, ut vertatur: *frater Japheti majoris*, aut, *frater Japheti major*: & ipſi Judæorum magiſtri in diverſum abeunt in interpretatione hujus loci. Vid. *Voſſ. Iſag. Chron. Diſſert.* 5. *cap.* 1. *p.* 46. Et de ead. controverſia habita eſt in hac Vniverſitate *Diſputatio*, quam ſub præſidio B. Dn. D. *Seb. Schmidii* defendit Dn. M. *Joh. Frid. Fauſtius*.

Priuſquam tempora antediluviana relinquamus, non incongruum erit, ejus etiam quæſtionis mentionem facere, utrum monarchicæ dominationes jam ante diluvium fuerint: de quo meritò dubitari poteſt. Illuſtri *Pufendorffio Introduct. ad Hiſt. cap.* 1. §. 1. non videtur probabile, homines ante diluvium in ullam rempubl. coaluiſſe, quia alioqui non potuiſſet ἀταξία tam enormis & cacoethes tam grande oriri, ut à DEO univerſali pœna fuerit coërcendum, ſicuti nec poſt diluvium unquam amplius tale extitit. Alii tamen plerique contrarium defendunt, inducti potiſſimùm auctoritate profanorum ſcriptorum, Reges Nino longè antiquiores memorantium, quos proinde ante diluvium fuiſſe neceſſe ſit. Quòd verò *Rupertus Obſ. ad Synopſ. Beſoldi cap.* 1 *p. m.* 7. tàm aſſeveranter pronuntiat, fuiſſe ante diluvium potentiſſimas monarchias, & monarcharum illorum antediluvianorum continuam ſucceſſionem hodieque ſciri, quorum etiam nomina ex *Beroſo*, &, qui hunc exſcripſit, *Apollodoro* exhibet *cap* 2. *p. m.* 24. id mihi nondum perſuaſit ut credam; præſertim cùm fides gentilium ſcriptorum valde mihi ſuſpecta ſit, quippe circa illa tempora ἄδηλα mirè cæcutientium Firmior forte eſt illa conjectura, quod *Nephilim* illi ſive Gigantes, ut Vulgatus vertit, *Geneſ.* 6. 4. fuerint homines violenti, qui tyrannide alios oppreſſerint. Et proinde

inde probabile eſt, regna, ſiquæ fuerunt ante diluvium, potius apud Cainitas, & qui ad eorum mores inclinarunt, quàm inter pios, qui paterna & familiari quadam poteſtate ſuos gubernare malebant, invaluiſſe. De bellis quoque ante diluvium geſtis olim ſuas conjecturas propoſuit b. m. *Parens meus* in Diſſertatione, quæ *Quæſtiones Hiſtoricas Miſcellas* exhibet, *Quæſt.* 1. ex *Juſtini* potiſſimùm loco *lib.* 1. *cap.* 1. & *lib.* 2. *cap.* 3. collato cum indiciis nonnullis S. Literarum huc ducentibus.

Sequitur DILUVIUM, quod refert Auctor ad A. M. 1657. ſequutus in hoc, ut in aliis, *Scaligerum* & *Calviſium*: qui annus cùm incipiat ab auctumno anni 1656. parùm aut nihil differt ab aliorum calculo, ad 1656. referentium. Major differentia oritur ex diverſitate numerorum in genealogia Patrum antediluvianorum, ſecundùm *Codicem Hebræum, Samaritanum* & *Græcum*; de qua ſupra p. 14. dixi. Nam ſi Græcam *LXX. Interpp.* verſionem ſequimur, Diluvium demùm cœperit A. M. 2242. Si verò Samaritanos audimus, 1307. duntaxat anni ad diluvium effluxerint. Vid. *Gerh.. Joh. Voſſ. in Iſag. Chronol. Diſſert.* 4. quæ eſt *de Tempore Diluvij.* Fuit autem Diluvium hoc univerſale: quanqam ſunt qui univerſalitatem Diluvii contra Scripturas impugnare auſi ſunt, interque eos *Iſaacus Voſſius. De univerſalitate Diluvij* Tractatus Genevæ 1667. editus eſt cum libro *de origine animalium Abr. Mylij.* Pro eadem aſſerenda ſingularibus argumentis utitur *Nic. Steno, in Prodromo libri de Solido intra ſolidum naturaliter contento.* Vid. *Morhoff. Polyh. Tom.* 2. *lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 5. *n.* 3. & *cap.* 20. *n.* 5. Cæterùm ad hiſtoriam Diluvii, quæ legitur *Geneſ. capp.* 6. 7. 8. multa poſſent annotari, quæ partim reperias in *Hiſt. Eccl. Goth. lib.* 1. *cap.* 1. *Sect.* 2. Cauſa Diluvii peccata hominum, interque ea præcipuè libido, tyrannis, *Geneſ. c.* 6. *v.* 1. 4. incredulitas, 1. *Petr.* 3. *v.* 20. temulentia, *Luc.* 17. *v.* 27. an etiam idololatria, ſive cultus imaginum vel ſtatuarum? dubitatur.

Cur terra etiam vaſtitatem paſſa ſit, & animalia cætera exitium, rationem reddit *Ambroſ. lib.* 1. *de Nöe cap.* 14. Terram etiam ipſam non parum amiſiſſe ex fertilitate primæva, inductâ illâ univerſali aquarum ſalſugine, non videtur improbabile *Luthero Geneſ. cap* 7 *v.* 11. Sunt tamen qui contra putant, terram poſt diluvium fœcundiorem factam. Dubitant etiam nonnulli, an terra, quam calcamus, eadem ſit cum antediluviana. Vid. *Morhoff. Polyhiſt. Tom.* 2. *lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 21. *n.* 4.

Quæ materia arcæ? Lignum *Gopher*, quod abiegnum interpretatur Lutherus: alii putant cedrinum; *Bochartus in Geogr. S. lib.* 1. *cap.* 4. cupreſſum. Durabile ſaltem hoc lignum fuiſſe, nec tam citò putrefactioni obno-

Digitized by Google

obnoxium, conſtat ex eo, quod tam longo pòſt tempore reliquiæ ejus duraverint, nec tantum ad *Nicolaum Damaſcenum* & *Joſephum*, à quibus hoc confirmatur; ſed & ulteriùs ad Heraclii uſque Imper. tempora, circa A. C. 640. ut ex *Elmacino* Arabe refert *Rupert. Obſ. ad Syn. Beſ. cap.* 1. *p. m.* 15. quod eſt tempus prope 3000. annorum.

An etiam piſcium ſingulæ ſpecies in arca ſervatæ ſint? Ita volunt Rabbini, qui aquas Diluvii calidas, adeoque piſcibus internecinas fuiſſe tradunt. Alii rectius negant ex *Geneſ. c.* 6. *v.* 19. 20. Supereſt tamen dubitatio, quomodo aliquæ piſcium ſpecies, quæ in tam altis aquis vivere & alimenta ſua invenire modo ordinario non poſſunt, per totum illud diluvii tempus ſervatæ ſint? Quæritur etiam, quænam hic intelligantur munda animalia aut immunda, cùm lex Moſaica nondum lata fuerit? Item, utrum ex mundis ſeptem paria arcam ingreſſa ſint? quod multi putant; an verò ſeptem individua, tria nimirum paria, & maſculus unus? quem poſt diluvium Noachus immolaverit: quæ probabilior eſt ſententia. An etiam ſe multiplicaverint in ipſa arca?

Deſcriptio ſtructuræ (in qua perficienda centum annos conſumtos eſſe volunt) & magnitudo arcæ petenda ex *Gen.* 6. 14. Cum autem ſecundum hanc dimenſionem non ſatis capax illa videatur tot animalibus recipiendis, totam hanc narrationem Ethnici olim irriſerunt. Vnde ut huic difficultati occurrerent, nonnulli Eccleſiæ Doctores pro cubitis vulgaribus geometricos intelligi voluerunt, quorum unus 6. noſtris reſpondeat. Alii tamen non tot eſſe animantium ſpecies dicunt, quibus non ſuffecerit amplitudo arcæ, ex ζωογράφοις *Aldrovando, Geſnero, Buſtamantio* &c. quadrupedum non ultra 130. ſpecies, volatilium 150. reptilium, quæ non ex putredine naſcuntur, vix 40. numerantes. Sed de hac re in peculiari Diſſertatione non ante multos annos edita, ſcripſit doctiſſimus Gallus *Joh. Pelleterius.* De his verò pluribuſque ejusmodi quæſtionibus vid. *Auguſtinus de C. D. lib.* 15. *c.* 27. & ad illum *Commentar. Joh. Ludov. Vivis* & *Leonh. Coquei.*

Circa tempus anni, quo Diluvium cœperit, etiam variæ ſunt Interpretum ſententiæ, cùm illi, qui in vernum tempus mundi primordia rejiciunt, Majum menſem ejuſque ferè octavum diem principium diluvio aſſignent; qui verò annum mundi in auctumno inchoant, in ſecundum ejus menſem (quo diluvium cœpiſſe diſertè teſtatur Sacer Scriptor) i. e. Novembrem ejuſque diem circiter 28. Diluvii initium referunt, quod tempus pluviis tempeſtatibus non incongruum. Fuit etiam nonnemo, qui poſitionem ſiderum erecto cœli themate, ut illo tempore fuerit, comminiſci auſus eſt; cujus ta-

Digitized by Google

men vanitas facile intelligitur. De diſcrepantia 10. dierum in Codice Hebræo & Verſione τῶν LXX. vid. *Gerh. Job. Voſſius Iſag. Chronol. Differt.* 4. *c.*1.

Montes Ararat, in quibus quieviſſe dicitur arca *Geneſ.* 8. *v.* 4. à pleriſque putantur in Armenia eſſe, montes Gordiæi profanis ſcriptoribus dicti: quanquam *Lutherus* montem Indiæ Immaum probabilius huic quieti aſſignari putet. Communem tamen ſententiam egregiè *Bochartus in Phaleg lib.* 1. *c.* 3. defendit.

De tempore egreſſus Noachi ex arca iterum Chronologi differunt. Vid. *Voſſius Iſag. Chronol. Diſſ.* 4. *c.* 2. in eo tamen plerique conveniunt, quòd Noachus annum unum & dies decem in arca manſerit. Vid. *Calviſ. Chronol. cap.* 35.

Fuit igitur NOACHUS princeps orbis & ſecundus hominum parens. Et ſi credimus viris doctis, hic *Saturnus* alter eſt: nam & Nimrodus tertius putatur: de quo poſtea. Idem tamen Noachus gentilium *Janus* eſſe non abſurdè creditur, qui quòd duas facies habere diceretur, quibus πρόσω καὶ ὀπίσω videre poſſet, id inde eſſe, quod Noachus antediluviana & poſtdiluviana tempora, adeoque veterem & novum mundum viderit. Quanquam alii *Javanem* Noachi nepotem Janum eſſe dicunt. Et cùm Saturnus ad Janum in Italiam fugiſſe dicatur à Gentilibus, hoc non eſſe de nihilo, ſed Noachum i. e. Saturnum (quod nomen ſit ab hebraico *Satar, latuit*) veniſſe in illas partes ad Javanem, ibique latuiſſe, unde etiam nomen regioni *Latium* datum, exiſtimant. Vid. *Voſſ. de Idol. Gent. lib.* 1. *c.*18. *&* 19. *Cenſorin. de die Nat. cap.* 21. *Salian. ad ann.* 1656. *n.* 2. Etiam illam gentilium traditionem de tribus Saturni filiis, qui rerum univerſitatem inter ſe partiti ſint, cum tribus Noachi convenire, probabiliter oſtendit *Bochartus in Phaleg. lib.* 1. *cap* 1. *Chamum* nempe cum Jove, præcipuè Hammone illo Lybico, *Japhetum* cum Neptuno, *Semum* ob pietatem cæteris inviſum, cum Plutone.

Poſt egreſſum ex arca, cæſis á Noacho victimis in exſtructâ tum primùm arâ, precibusque factis, DEUS repetiit benedictionem, olim Protoplaſtis datam, & confirmavit Noacho & ſtirpi ejus dominium orbis, ſimulque promiſſum addidit, de non amplius immittendo terris diluvio, cujus rei ſignum conſtituit in Iride ſive arcu cœleſti. Hic quæri ſolet, utrum Iris tunc noviter creata ſit, ut arbitratur *Lutherus* & *Gerhardus*. Plerique tamen alii Interpretes, inter quos *Salianus* & *Voſſius de Idol. Gentil. lib.* 3. *cap* 13. ſignum tantùm in iride conſtitutum ſtatuunt, ne novam productionem poſt opus illud creationis hexaëmeron aſſerere cogantur. Quanquam mihi ne hoc

hoc quidem opus eſſe videtur; ſed cùm Iris, quæ figuratur in nubibus pluviis Soli oppoſitis & tùm maxime in guttas deſtillantibus, non ſit aliquid per ſe ſubſiſtens, potuit DEVS non mutata aut novata natura, id ſaltem caviſſe, ne ante hoc tempus talis diſpoſitio nubium ſoli oppoſitarum eſſet, ſaltem quæ in terris tum habitatis obſervaretur; ſed tunc primùm iris à ſolis radiis & à decidente pluvia colorata hominibus appareret: quod phænomenon nunc quidem non amplius infrequens eſt.

Propagatum ergo denuò eſt genus humanum per tres Noachi filios, quorum genealogia exhibetur *Geneſ. cap.*10. *&* 11. Circa genealogiam Semi, quæ *cap.*11. repetitur, non exiguus naſcitur ſcrupulus, qui chronologiam valde turbat, ex eo quod *Cainan*, quem Hebræus codex non habet, non ſolùm in Græca LXX. Interpretum verſione, ſed etiam *Luc. cap.*3. poſt Arphachſad inſeritur. Quem verò Auctor Tabb. noſtrarum, ſequutus nimirum hebraicum textum, omittit. Et præterea iterum in numeris annorum, unde tempus à diluvio ad Abrahamum colligitur, variant Codices Hebræus, Samaritanus & Græcus. Vid. *Gerhard. Jo. Voſſius in Iſag. Chronol. Diſſert.* 5. *cap.* 2. *&* 8. & *Iſaac. Voſſius de verâ ætate mundi cap.* 5. *&* 6. qui hic iterum Græcum textum tuetur.

A. M. 1723. HEBER *Semi pronepos natus ex Salah*, cujus poſteri uſque ad Abrahamum trinepotem in ora tabulæ ad dextram ſignantur, Hebrææ genti nomen dedit.

Noachidarum familiis diviſa eſt terra, cujus diviſionis diſertè fit mentio *Geneſ.* 10. *v.* 25. *Eber genuit duos filios: uni nomen erat Peleg, ideò quia ejus tempore terra diviſa fuit.* De modo verò diviſionis hujus, & quas ſinguli terræ partes ſortiti, quæve gentes ab hoc vel illo conditæ ſint, definire non poſſumus niſi probabiliter tantùm. Hoc ſatis conſtat Japheti poſteros magis verſus occidentem, Chami magis verſus meridiem, & Semi verſus orientem ſe dilataſſe. Vnde verò, aut qui, aut quomodo in Americam pervenerint primùm homines, de eo eruditis certaminibus olim diſputarunt inter ſe *Hugo Grotius* & *Joannes de Laët* Antverpienſis. Quibus add. *Georg. Hornius* & *Bochartus in Phaleg.* Recenſet breviter horum, ut & aliorum hac de re ſententias *Chriſtoph. Becmann. in Hiſt. Orbis Terr. lib.*1. *cap* 9. *Sect.*1. §.3. *p.*347. Scripſit alioqui de hoc argumento diviſionis gentium celebrem libellum *Ariamontanus* ſub titulo *Phaleg, ſive de primis gentium originibus.* Add. *Bochartus in Phaleg lib.*1. *Paul. Merula in Coſmographia, Rupertus ad Synopſin Beſoldi cap.*1. *p.*12. (ubi obiter notamus errorem, quod Aſcenas primogenitus Japheti dicitur, cujus tamen nepos non filius eſt) & *pag.* 17. & ex veteri-

bus *Joſephus lib. 1. Antiq. cap. 7.* Eſt etiamillud in quæſtione, utrum hæc diviſio orbis eadem ſit cum diſperſione gentium ab ædificatione turris Babylonicæ? quod plerique ſentiunt. Aliis tamen duplex placet diviſio: quarum prior divino inſtinctu à Noacho ipſo tempore nati Pelegi poſteris fuerit indicata; altera invitis & cunctantibus illis, immiſſa linguarum confuſione, effectui data: quam ſententiam tuetur b. m. *Parens meus Diſſert. 1. de Summ. Orb. Imperiis cap. 2.* § 2. & 3. Vid. etiam *Salianus ad A. M. 1757.* inprimis autem *Bochartus in Phaleg. lib. 1. cap. 10.* & *Dreſſer. Millen. 1. p. 81.*

Dicendum jam eſt de Structura turris Babelicæ, de qua Tab. noſtra his verbis: A. M. 1757. *Turris Babel circa hoc tempus creditur conſtructa.* Nimirum quia diviſio terrarum ad tempus nati Pelegi facta eſſe dicitur *Geneſ. 10. v. 25.* cujus nativitas incidit in ann. 101. poſt diluvium, ideoque Auctor, qui cum pleriſque per hanc diviſionem terrarum non aliam intelligit, quàm ipſam illam diſperſionem gentium ex confuſione linguarum ſequutam, ad hunc annum etiam turris Babelicæ ſtructuram referre neceſſe habuit, quanquam & ipſe addit: *creditur*: ut oſtendat, de hujus ſtructuræ tempore adhuc dubitari. Vid. *Athanaſij Kircheri liber de Turre Babel.* Poſſent circa hanc Turrim Babylonicam multa annotari, utpote Structores; Locus in quo exſtructa eſt; occaſio & finis ſtructuræ; magnitudo ipſius turris, &c. ſed malumus curioſos remittere ad *Bochartum*, qui de his prolixè agit in *Phaleg libro 1. a cap. 5. ad 14.* Conf. *Artopœi Diſput. 1. de Summ. Orbis Imp. cap. 2.* §. 2. *ſeq.* & *Ejuſd. Exercit. Hiſtor. de Rebus Babylonicis & Aſſyriacis, quarum S. Literæ & Herodotus pariter faciunt mentionem.* Hæc autem fuiſſe rudimenta *Babylonis*, urbis in Sacris profaniſque literis celebratiſſimæ, quæ diu Regum Sedes & gentium in oriente domina fuit, exiſtimandum eſt. Cæterum ex hiſtoriâ hujus ſtructuræ corruptâ nata eſt fabula de Gigantibus, qui montes montibus impoſuerint, ut cœlum oppugnarent. Ipſius autem turris & ſequutæ linguarum confuſionis etiam apud profanos barbaricoſque Sciptores aliqua fit mentio; inter quos eſt *Abydenus*, *Heſtiæus*, *Sibylla* ap. *Joſeph. Antiq. lib. 1. c. 5.* & *Euſeb. Præp. Evang. lib. 9. cap. 14 & 15.*

Diſplicuiſſe autem DEO hanc molitionem illorum hominum, exinde patet, quòd ipſorum conatus diſſipavit, immiſſa confuſione linguarum, quæ ſimul pœna fuiſſe cenſenda eſt. Fuerat enim eouſque una omnium lingua, nempe primæva hebraica, quam deinceps adhuc in domo Heberi conſervatam fuiſſe, communis eſt optimorum Interpp. ſententia: quanquam *Bochartus* notat *lib. 1. Phaleg cap. 15.* etiam hebræam puritatem variis dialectis admiſtis, non parum fuiſſe

fuiſſe turbatam. Hæc verò linguarum confuſio non talis fuit, ut nemo prorſus alium intelligeret, ſed ut certæ quædam familiæ unum idioma haberent, quod alii non perciperent diverſo ſermone utentes. De linguarum numero, quem nonnulli definiunt, levis eſt conjectura ex numero filiorum & nepotum Noachi deſumta: unde *Auguſtin. de C. D. lib. 16. c. 13. Epiphan. hæreſ. 39* aliique colligunt, 72. fuiſſe linguas hinc ortas. Alii verò notant, plures in Aſia ſola numerari poſſe linguarum non dialectos, ſed omnimodas differentias: qua de re *Bochartus c. l.* Sunt tamen viciſſim, qui ne quidem in toto terrarum orbe tot linguas matrices inveniunt. Vid. *Becmann. Hiſt. Orb. Terr. Cap. 9. Sect. 3. p. 382.* qui ſimul negat, homines eo ipſo novis linguis imbutos fuiſſe, quo linguâ hebraicâ per confuſionem Babylonicam exciderunt: ſed confuſionem illam Babylonicam conſtitiſſe putat tantùm in prioris linguæ generali oblivione, cui novæ deinde paulatim ſucceſſerint &c. In quam ſententiam etiam inclinat *Dn. D. Buddeus in Lex. Hiſtor. Univ. ſub voce Babylon*, ubi ait immiſsâ à DEO diſcordiâ inter ſtructores Turris, quæ conſilia illorum diſcuſſit, diſperſos fuiſſe, & ex ipſa diſperſione *tandem ſucceſſu temporis* diſcrimen linguarum ortum. Vide ſcripta, quæ indicat *Morhoff. Polyh. Liter. lib. 4. c. 3. n. 10.*

Sequitur ut de Nimrodo dicamus, de quo Tab. noſtra ad A. M. 1788. *Nimrod putatur cœpiſſe.* Hunc igitur Nimrodum, filium Cus, nepotem Chami, primum fuiſſe poſt diluvium, qui in cæteros dominationem cœptaverit, & cui proinde Imperiorum Principatus adſcribendus ſit, Chriſtiani plerique, S. Literarum ductum ſequuti, ſentiunt; licet Gentiles Nino hunc tribuant, & ex Chriſtianis Veteribus *Euſebius* quoque, *Jul. Africanum* ſequutus. De eo verba *Geneſ. cap. 10. v. 9.* clarè docent, quod Nimrodus hic primus poſt diluvium dominari in cæteros violenter & tyrannicè cœperit. Ut mirer, Celeberrimum *Bæclerum* dicere, non poſſe hoc ex iſtis verbis colligi, *Hiſtor. Univ. p. 238.* Credibile eſt autem, Nimrodum, vel eo duce alios, rebellaſſe proavo ipſius Noacho, quod etiam nomen ipſius indicare videtur, quod eſt à radice *marad*, rebellavit. Et hic eſt gentilium *Belus*, quod quidem ipſum appellativum nomen eſt multis commune. Nam *Baal* vel *Bel* ſignificat *Dominum*, quo nomine à ſuis κατ' ἐξοχὴν vocatus eſt Nimrod. Hic igitur primæ monarchiæ auctor fuit, non *Ninus* uti plerique ſtatuunt. De Nimrodo plura vid. apud *Bochart. in Canaan lib. 1. cap. 2.*

Quod verò in Tab. noſtra dicitur ad A. M. 1843. BELUS I. *Rex Aſſyriorum*, is verò jam non eſt Nimrod, ſed *Aſſur*; cùm Beli nomen, quippe quod dignitatem & characterem notat, huic quoque ſit tribu-

 tum:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tum: quanquam alii malunt Aſſurem ipſum Ninum dicere; ut *Bœclerus Hiſt. Vn. p.* 243. Vid. *Rupert. Obſ. ad Syn. Beſoldi cap.* 3 *p.* 33 & *Artopœi Diſſert. de Summ. Orb. Imp. I.* §. 7. Tab. quidem noſtra duos diſtinctos Reges facit, in qua poſt Belum NINVS *Beli filius Rex Aſſyriorum* ponitur; ſed veriſimilius eſt, eundem eſſe cum Belo, qui & Aſſur. Certè *Aſſur* (cujus quidem in Tab. noſtra ſub hoc nomine nulla fit mentio) *condidit Niniven & Calach & Rehoboth Ir, quæ eſt inter Calach & Reſſen*: ut habent verba *Geneſ.* 10, 11. *Ninive* autem ſeu Ninus, ut Græci vocant, quæ à Nino nomen accepit, ſive is Aſſur ſive ejus filius fuit, (nam & Cain ex nomine filii urbem quam condidit *Hanoch* vocavit) caput fuit Aſſyriaci Imperii, quod ab Aſſure denominatum quin ipſum conditorem habuerit, non eſt dubium. Magnitudinem urbis Ninive præter S. Scripturam *Jonæ cap.* 3. & 4. diligenter deſcribit *Diodor. Sic. Bibliotb. Hiſt. lib.* 2. *cap.* 3. & ex his aliiſque ejus hiſtoriam collegerunt *Schurtzfleiſchius* & *Artopœus* in peculiaribus *Diſſertationibus*. Videtur autem hæc arx belli conſtituta fuiſſe contra Nimrodum, & credibile eſt, ab ipſo Noacho excitatum Aſſurem, ut Semitas ab oppreſſione Nimrodi vindicaret; cujus etiam tyrannidem ſeu ipſo adhuc vivo ſeu poſt ejus mortem deſtruxerit. Et hoc eſt *initium primæ monarchiæ Aſſyriacæ*: de cujus ortu, amplitudine ac duratione vid. omnino *Artopœi Diſſert. I. de Summ. Orb. Imperiis.* Nini (à quo profani Scriptores hiſtoriæ initium ducunt, vid. *Bernegger. ad Juſtin.* 1, 1, 4.) res geſtas complexus eſt *Diod. Sic. lib.* 2. *cap.* 1. *ſeqq.* quanquam multa etiam fabuloſa in earum narratione contineri non negaverim, ut ſolet de rebus ex tam alta antiquitate repetitis. Illud certè quod *cap.* 5. de exercitu ejus narrat ex *Cteſia*, fuiſſe in eo 1700000. peditum & 210000. equitum & curruum falcatorum 10000. vix eſt credibile in eo mundi renati initio, vix 300. poſt diluvium annis. Conf. *Rupert. Obſ. ad Syn. Beſ. c.* 3.

ZOROASTRES *Bactrianorum Rex, hoſtis Nini.* A *Diodoro Sic. lib.* 2. *c.* 6. nominatur *Oxyartes.* Ei *Juſtinus* 1, 1, 9 tribuit inventionem artium magicarum, & quod mundi principia ſiderumque motus diligentiſſimè ſpectaverit. Vid. de hoc *Plin. H. N. lib.* 30. *c.* 1. *Auguſtinus de C. D.* 21, 14. ex recentioribus præter *L. Vivem* & *L. Coqueum ad Auguſtini d. l. Morhoffius Polyh Lit. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 9. Sunt autem variæ de hoc Zoroaſtre ſententiæ Scriptorum. Vide *Fabricium Bibl. Græc. lib.* 1. *c* 36. Scripſit item *Jo. Henr. Vrſinus Exercitationes de Zoroaſtre & Hermete.* Ejuſdem Zoroaſtris hiſtoriam illuſtravit etiam *Thomas Hyde*, Anglus in *Hiſtoria religionis veterum Perſarum*, Oxoniæ edita 1700. Vltimus hic dicitur, quem Ninus vicit, ſtatim poſt eam victoriam mortuus. Alii tamen

Ninum

Digitized by Google

Ninum ſagittæ ictu interiiſſe tradunt, dum deficientem à ſe urbem oppugnat, anno regni 52.

Poſt eum A. M. 1958. SEMIRAMIS *uxor Nini defuncto marito regnat*: cujus hiſtoriam prolixè exhibet *Diodor. Sic. lib. 2. cap.* 17. Hæc Babylonem condidiſſe dicitur, quod primum ejus opus fuerit. Sed, ut ſupra diximus, prima ejus urbis fundamenta à Nimrodo jacta. Rectius igitur amplificaſſe Babylonem creditur & exornaſſe (ſicut & horti penſilis ſtructura ei tribuitur) & muris cinxiſſe, qui ſingulari ſtructura memorabiles fuerint. Quanquam *Joſephus contra Appionem lib.* 1. ex *Beroſo* amplificationem urbis Babylonis & conſtructionem murorum non Semiramidi, ſed Nabuchodonoſoro adſcribendam aſſerit: qua de re ipſe Rex gloriatur *Dan.* 4, 27. Et exiſtimamus verum eſſe quod *Herodotus* dicit *lib.* 1. *cap.* 184. Babylonem à multis Aſſyriorum Regibus conditam eſſe paulatim. Sicut pleriſque magnis urbibus accidit. Nec Roma uno anno condita eſt. Vid. *Rupert. Obſ. ad Syn. Beſ. cap.* 3 *p.m.* 37. & quos ibi allegat auctores; quibus tamen addatur *Berneggerus Not. ad Juſtin.* 1, 2, 7. Cætera quæ ad hanc Reginam pertinent, ut ſexum mentita ſit, ut Æthiopiam ſuo adjecerit imperio, & in Indos expeditionem ſuſceperit; petenda ex *Diodoro*, item *Juſtino* 1, 2. *Plutarcho Amator. cap.* 10. *Ælian. Var. Hiſt. lib.* 7. *cap.* 1. & aliis, quos recenſet *Bœclerus Hiſt. Univ. p.* 245. Conf. quæ ex his collegit *Rupert. l. c.* ubi inprimis de ortu Semiramidis diſquirit, & an ſit eadem cum Venere. Item, tres fuiſſe Semiramides putat, cum *Voſſio Theol. Gentil.* 1, 23.

ÆGIALEUS I. *Rex Sicyonis.* in Tab. noſtra ponitur ad A. M. 1861. Hic eſt, à quo Peloponneſus dicta eſt *Ægialia.* Fuit autem Sicyon urbs Achajæ officinis omnium metallorum celebris. Hoc regnum Sicyonium antiquiſſimum, ſi credimus Græcis ſua mirantibus & extollentibus, duraſſe dicitur annos paulò minus 1000. Sed quoniam magna circa eam rem incertitudo eſt, & ipſum regnum anguſtis, ut videtur, finibus incluſum fuit, non eſt tanti, ut circa illius hiſtoriam magnopere laboremus: ideoque ad auctores remittere contenti ſumus, qui Regum horum (XXVI. numerant) catalogum contexunt; *Pauſaniam in Corinthiacis*; *Africanum* & *Euſebium*: quibus addi poteſt *Petavius in fine Operis Chronologici*; *Scaliger lib.* 2. *Canon. p.* 158.

TABULA II.

SUcceſſit Semiramidi in regno Aſſyriæ A. M. 2001. NINYAS, *Nini & Semiramidis filius.* Hic non imitatus matrem in bellandi ſtudio in fœminarum turba conſenuit, rarò à Viris viſus. *Juſtin. lib.* 1. *cap.* 2.

Digitized by Google

cap. 2. *Diodor Sic. lib.* 2. *cap.* 21. *Juſtinus* addit, quod *poſteri quoq; ejus, hoc exemplum ſequuti, reſponſa gentibus per internuntios dederint.* Id Perſarum quoque Reges fecerunt, partim ideò, ut voluptatibus liberius vacarent; partim ut major ex occulto veneratio eſſet.

Redimus ad HISTORIAM SACRAM, ubi cum ad A. M. 2024. *Abrahami egreſſus ex Vr Chaldæorum* ponitur, notandum, magnum eſſe circa chronologiam hanc diſſenſum; non quidem quod tempus profectionis ejus controverſum ſit, ſed ætatis, cum quæritur, fueritne Abrahamus primogenitus Tharæ annon? Si primogenitus fuit, natus eſt anno Tharæ patris 70. *Geneſ. c.* 11. *v.* 26. Sin minus, quod ex verbis Stephani *Act. c.* 7. *v.* 4. evincitur, 130. Tharæ anno natus fuerit, adeoque differentia eſt annorum 60. Huic ſententiæ favet *Salianus, Capellus, Gerh. Jo. Voſſius.* Communem tamen defendit *Calviſius Chron. c.* 36. Vid. de hac controverſia modo laudatus *Voſſius Iſag. Chronol. Diſſert.* 5. *cap.* 6. *ſeqq. Hiſt. Eccl. Goth. lib.* 1. *cap.* 1. *Sect.* 2. *fin. Bœcler. Hiſt. Vniv. p.* 260. Et ab hoc egreſſu Abrahami & migratione in terram Cananæam, Æra Judæorum incipit. De hac vero tota ætate, quæ eſt à diluvio uſque ad Abrahamum, operæ pretium eſt legere judicium *Bœcleri in Hiſt. Vniv. p.* 247. *ſeqq.* Abrahami hiſtoria ſupplenda eſt ex *Gen. c.* 12. *uſque ad* 25. Nec ſilentio hic præteriri debuit bellum quatuor Regum orientalium adverſus quinque Cananæos, de quo *Geneſ.* 14. Hoc primum eſt bellum, cujus in hiſtoria Sacra fit mentio. Quinam verò fuerint illi Reges, quanquam eorum nomina & regionum quibus imperarunt, à Moſe exprimuntur, tamen in tanta antiquitate & defectu aliorum Scriptorum, non eſt ſatis liquidum. Vid. *Hiſt. Eccl. Goth. lib.* 1. *cap.* 2. *Sect.* 1. *n.* 8. Præterea quæri hic poteſt, ſi tanta fuit potentia Regum Aſſyriorum, & tàm latè patens imperium, quale nobis deſcribunt profani Scriptores, undenam ergo prodierint 4. illi Reges, 5. alios, qui ab ipſis deſciverant, bello aggreſſi? Certè intra terminos, qui Imperio Aſſyriaco tribuuntur, fuiſſe regna illorum cenſenda ſunt. Vid. *Diſſert.* 1. *de Summ. Orb. Imp. cap.* 3. §. 25.

A. M. 2035. ISMAELIS *nativitas* ponitur. Ab hoc deſcendunt *Iſmaëlitæ* per 12. ejus filios propagati, quorum primogenitus *Nabajoth* regioni, quam poſteri ipſorum habitarunt, nomen dedit, ut *Nabathæa* diceretur. Joſeph. *Ant. lib.* 1. *c.* 12. Eſt autem Nabathæa pars Arabiæ ad Euphratem uſque. Iidem tamen etiam ab *Hagar Agareni* vocati, & à *Saraca* Arabiæ Vrbe, *Saraceni*; quanquam ipſi vana gloriatione nomen hoc à *Sara* deducere maluerunt. Iſmaelis progenies & fatum recenſetur *Geneſ. cap.* 25. *v.* 12.

A. M.

Digitized by Google

A. M. 2048. *Circumciſio inſtituitur.* De inſtituto fœdere Circumciſionis hiſtoria petenda eſt ex *Geneſ. cap.* 17. Cætera quæ ad hanc rem pertinent, Theologis excutienda relinquimus.

Interitus Sodomæ & Gomorræ deſcribitur *Geneſ. c.* 18. Quænam hujus cladis indicia & quaſi monumenta etiam deinceps ſupereſſe voluerit DEVS, teſtatur *Auctor libri Sapientiæ cap.* 10. *v.* 7. qui *Philo* eſſe creditur, & *Joſeph. lib.* 1. *Ant. c.* 11. ubi ſtatuam Salis, in quam Lothi uxor converſa, etiam ſuo tempore ſuperfuiſſe memorat. Lacum Aſphaltiten in ſedibus exciſarum urbium exortum, (quod non ita accipi debet, quaſi novus prorſus ibi lacus enatus, ſed tantum per ruinam earum urbium amplificatus ſit, vid. *Becmann. Hiſt. Orb. Terr. cap.* 3. *pag.* 96.) & arbores, quarum fructus aſpectu pulchri, cinere intus pleni ſunt (mala Sodomitica vocant) deſcribit idem *Joſephus lib.* 5. *de bello Jud. cap.* 5. & inter profanos Scriptores *Tacitus lib.* 5. *Hiſt. cap.* 6. & 7. & ex recentioribus *Joh. Jac. Amman. Itin. Part.* 2. *p.* 131.

A. M. 2049. Isaac *naſcitur Abrahamo centenario ex Sara nonagenaria.* Hoc tanquam ſingulare aliquid narratur. Quippe hæc utriuſque Parentis ætas jam tùm erat effœta. Vid. *Geneſ. c.* 18. *v.* 11. *ſeqq.* Nam ſicuti longævitas hominum decreverat poſt diluvium, ita ſecundum ejus decrementi menſuram etiam anni, quibus vigor manet, ad pauciores redacti erant. Noachus quingenteſimo ætatis anno cœpit generare; idque nihil ſingulare tunc fuit. Abrahamus cùm centenarius filium genuiſſet ex Sara nonagenaria, pro miraculo habitum eſt. Quanquam hic etiam poſt id tempus ex Cethura ſex filios ſuſcepit, durante pii Senis fœcunditate, ſingulariter à DEO conceſsâ, etiam in provectiorem ejus ſenectutem.

A. M. 2068. *Sara moritur, cùm vixiſſet annos* 127. Vtrum hæc Sara Abrahami uxor, ejuſdem etiam ſoror fuerit conſanguinea, alia ſc. matre, ſed eodem patre genita, ut nonnulli ex *Geneſ. c.* 12. *v.* 19. & *cap.* 20. *v.* 12. colligunt: an verò, ut alii volunt, illa verba de adoptione in familiam Tharæ poſt mortem Haranis ſint accipienda; atque ita vel filia vel privigna Haranis fuerit, nempe ea ipſa, quæ *Geneſ. cap.* 11. *v.* 29. *Iſca* dicitur, ea de re vid. *Luther. ad d. l.* qui ſententiam de privignâ cæteris præfert.

A. M. 2089. *Iſaac Rebeccam* 40. *annos natam duxit uxorem.* De his nuptiis ab Eliezero Damaſceno, Diſpenſatore Abrahami conciliatis, ſingularia repetenda ſunt ex *Geneſ. cap.* 24.

Inter Externa hujus Seculi in Tab. noſtrâ notatur: *Ægyptum jam inde ab Abrahami temporibus Reges ſuos habuiſſe ex S. literis & Manethone conſtat, Origo regni incerta.* Nempe *Geneſ. c.* 10. *v.* 15. Pharaonis

Digitized by Google

(ita enim jam tùm Ægypti Reges vocatos fuiſſe patet) & Principum ejus diſertè fit mentio, quibus Sara propter formam impensè placuerit. Ergo jam fuerunt Reges Ægypti. Quando verò cœperit illud regnum, utique incertum eſt. Saltem poſt diluvium exortum eſſe oportet. *Bæclerus Hiſt. Vniv. p.* 240. ſuſpicatur ad ipſa tempora ſtructuræ Turris Babylonicæ eſſe referendum hujus regni initium. Poſtquam enim de ea loquutus eſt, *circa idem tempus*, inquit, *orta videntur Arabum & Ægyptiorum regna; qua in Chronico Euſebij ſupra diluvium fabuloſâ vetuſtate collocantur.* Vid. *Petav. l. 9. c.* 15. De rebus Ægyptiorum antiquiſſimis agit *Diod. Sic. lib.* 1. *cap.* 14. Hic calculum Regum Ægyptiorum ita digeſſit, ut anni ejus Regni non diluvii modò tempora, ſed conditi orbis videantur excedere. Primum Ægyptiorum Regem *Manetho* vocat *Menin Thinnitin*, ut & *Diod. Sic. lib.* 1. *Herodot. in Euterpe*, & *Joſephus lib.* 8. *Ant. c.* 6. eumque urbis Memphis conditorem faciunt. De illa verò antiquiſſima Ægyptiorum hiſtoria vid. judicium *Herm. Conringij in Adverſar. Chronol. de Aſia & Ægypti antiquiſſ. dynaſtiis c.* 16. *& cap.* 17. ubi quantum fidei tribuendum ſit narrationibus *Manethonis* oſtendit. Conf. *Rupert. ad Syn. Beſ. cap.* 4. *p.m.* 130. qui Manethonem defendit, quod facit & *Voſſius*.

A. M. 2093. INACHVS *conditor regni Argivorum.* De hujus tamen regni primordiis non convenit Chronologis, & aliqui longè recentius illud eſſe volunt. De qua re diſputat *Petav. lib. 9. c.* 18. Ipſe Inachus regnaſſe dicitur annis 50. cujus hiſtoria multis fabulis permixta eſt. A Poëtis dicitur fluvius fuiſſe, cujus filia Jo à Jove vitiata, & in vaccam primùm, demum in Deam Iſidem mutata fuerit. *Ovid. Metam. lib.* 1, quam fabulam tamen *Voſſius de Idol. Gentil. lib.* 1. *c.* 14. hiſtoricè explicat. Cæterorum Regum Catalogus exhibetur à *Petavio in fin. Operis chronologici*, & *Scaligero lib.* 2. *Can. p.* 329. in quibus tamen magna eſt diſſenſio. Conf. *Vbbonis Emmij Vetus Græcia Tom. III. cap.* 5. ubi de Republ. Argivorum. Exhibetur illa à *Gronov. in Theſ. Ant. Gr. Vol. IV.*

Quæ ſub titulo SACRORVM ad ſeq. Seculum referuntur, & pauca ſunt, & explicatione parum indigent. A. M. 2100. JACOB & ESAV *naſcuntur Iſaaco ſexagenario ex Rebecca.* Fuerat ergo 20. annis ſterile ipſorum conjugium: precibus tamen Iſaaci impetratâ fœcunditate gemellos enixa eſt Rebecca: quæ cùm uteri moleſtias ſentiret, DEVM conſuluit, & ab eo de fato gemellorum edocta eſt. *Geneſ. cap.* 25. *v.* 22. Hic quidam notant, eam conſuluiſſe Patriarcham quendam, Semum videlicet & Heberum, qui tum adhuc vivebant, vel etiam Melchiſedecum. Vid. *Luther. in Gen. p.* 364. A Jacobo, qui poſtea *Iſrael* dictus,

gens

gens Iſraëlitica, & ab Eſauo, qui & *Edom*, Edomitarum ſeu Idumæorum gens denominata.

Cætera ex hiſtoria Moſaica repetenda ſunt. De *Abrahami morte Geneſ. cap. 25. v. 7. 8.* *Semi mors* in S. Literis non diſertè extat; ſed ætas ejus definitur *Gen. 11. v. 10. 11.* unde ſubducto calculo ad hæc tempora referri debere credidit Auctor. *Fuga Jacobi in Meſopotamiam*, & quæ eam ſequuta ſunt, narrantur *cap. 28. & ſeqq.*

Inter EXTERNA memoratur ad A. M. 2130. OGYGES *Bœotiæ Rex Eleuſinen in Attica aliasq; urbes condit.* Hæc auctoritate *Euſebii* & *Africani* nituntur; meminit & *Oroſius lib. 7.* Pauſanias tamen in Atticis ab Ogygis filio Eleuſine urbem ipſi cognominem conditam eſſe vult. Eleuſis autem, Atticæ urbs, à ſacris Cereris poſtea celebrata, quæ hinc Eleuſinia dicta ſunt. Vid. *Meurſius in Eleuſiniis, Volum. IV. Theſ. Gronov.*

PHORONEUS *Rex Argivorum filius Inachi.* Claris Græcorum Legiſlatoribus annumeratur. Sub eo enim Græciam Legum & judiciorum quibuſdam inſtitutis clariorem factam eſſe, teſtatur *Euſeb. in Chron. Auguſtin. de C. D. lib. 18. c. 3. Clemens Alex. Protrept. ad Gentes.* Ab hoc Phoroneo victi bello Telchines & Caryattæ ſeu Carpathii, deſertâ patriâ in Rhodum inſulam, prius Ophiuſſam dictam, habitatum conceſſerunt. *Pauſanias.*

Sequitur ad A. M. 2155. *Diluvium Ogygium*, ab Ogyge Rege Bœotio denominatum, quia ſub eo terras iſtas inundaſſe creditur. Quanquam *Strabo in Geogr. lib. 9.* non ſub Ogyge, ſed ſerius, id accidiſſe memorat, & ipſas Athenas & Eleuſinen eo diluvio extinctas. Ogygium verò dictum fuiſſe ab Ogygia, i. e. Bœotia, quam tum Cecrops ſub ditione habuerit. *Euſebius* tamen ſub Ogyge, ſed in Ægypto fuiſſe dicit. Adeò diverſa de hoc diluvio narrantur. Conf. *Oroſ. 1, 7.* & *Auguſtin. de C. D. lib. 18. c. 8.* add. *ad h. l. Commentar. Lud. Vivis ac Leonh. Coqui*, ubi variæ de tempore hujus diluvii ſententiæ recenſentur. Quanquam autem & hoc Diluvium, quod Ogygium, & illud quod Deucalioneum vocatur, & duobus cum dimidio Seculis ſerius ponitur, particularia fuiſſe dicantur, tamen viris doctis in mentem venit dubitare, an unquam talia fuerint: quinimò commenta hæc eſſe Græcorum, qui cum aliquid de univerſali diluvio inaudiviſſent, illud accidiſſe finxerint ſub Regibus ſuis antiquiſſimis, Ogyge & Deucalione. Vid. de hac re *Voſſ. Iſag. Chronol. Diſſert. 4. cap. 3* & *Artopœus in Diſſert.* cui tit. *Quæſtiones Hiſtor. Miſcellæ*: quibus hoc ipſum placet, non fuiſſe illa diverſa ab univerſali Diluvio.

Digitized by Google

Inter SACRA hujus Seculi refertur A.M. 2206. *Jacobi in Cananæam revertentis lucta cum Angelo*, i. e. Angelo increato, Filio DEI: *Gen.* 23,24. poſt quam ab ipſo nomen Iſraëlis accepit. Ad hanc hiſtoriam quæ dici poſſunt, pleraque ad Theologos pertinent. Vid. *Luther. in Geneſ. p.* 496. *Scaliger ad ann.* 2296. Add. *Joſeph. I. Ant. c.* 18. Allegoricam hujus luctæ explicationem vide ap. *Auguſtin. de C. D. lib.* 16. *c.* 39.

A.M. 2229. *Iſaac moritur, cùm vixiſſet annos* 180. & ſepultus eſt à filiis, Eſavo & Jacobo, in ſpelunca Heronæa, ut ipſe Jacobus dicit *Geneſ.* 49, 31. *Joſephus* Iſaaci ætati perperam 5. annos addit *Antiq. lib.* 1. *cap. ult.*

A. M. 2239. *Jacob fame urgente cum familia migrat in Ægyptum.* De hac fame & migratione Jacobi circumſtantiæ petendæ ſunt ex hiſtoria Moſaica. Quoad cætera, quæ ad hanc hiſtoriam notari poſſunt, adeundus *Lutherus in Comment.* & *Salian. in Annal V. T.* Ex ætate Jacobi, quam coram Pharaone profitetur, *Gen.* 47. *v.* 9. quæ tùm erat 130. annorum, collato dicto Apoſtoli ad *Gal.* 3, 17. ubi traditur legem latam [illegible]e 430. anno poſt promiſſionem Abrahæ factam, colligi ſolet chronologia annorum 215. qui ab ea promiſſione ad hoc tempus effluxerint. Vid. *Hiſt. Eccl. Goth. lib.* 1. *cap.* 2. *Sect.* 1. *p.* 73.

A.M. 2256. *Jacob moritur in Ægypto, cum vixiſſet annos* 147. De morte hujus Patriarchæ *Geneſ. c.* 49. Ætas indicatur *cap.* 47. *v.* 28.

Inter EXTERNA memoratur ad hoc Seculum *Apis III. Rex Argivorum,* de quo nihil invenio relatu dignum.

A. M. 2204. *Sparta conditur à Sparto Phoronei filio.* Hunc tamen Spartum *Stephanus de Urbibus* Phoronei fratrem, non filium, facit. *Sparta,* alias *Lacedæmon,* Peloponneſi urbs nobiliſſima, Athenarum æmula, aliquandiu Græciæ principatum tenuit, & vel pueris nota eſt. Præter hiſtoricos videndus de ea *Strabo in Geogr. lib.* 8. & *Stephanus de Urbibus*: ex recentioribus *Ubbo Emmius in Græcia Veteri,* & *Cellarius in Geographia antiqua.*

A.M. 2212. *Memphis in Ægypto conditur ab Api.* Alii tamen, ut ſupra dictum eſt, Menin Thinnitin, qui primus Ægypti Rex ſtatuitur, hujus urbis conditorem faciunt; *Diodorus Sic.* Uchoreum: quem vid. *lib.* 1. *cap.* 50. pluribus de conditu hujus urbis agentem. Et revera, ſicut pleraque horum temporum plena ſunt incertitudinis, ita hoc quoque. Nec mihi quidem videtur probabile, hoc ipſo tempore, quo Joſephus in Ægypto dominatum obtinuit, ſolo Pharaone minor, ſub alius auſpiciis tantam urbem conditam eſſe. Niſi forte hic Apis vel Joſephus, vel ipſe Rex Pharao fuit. Saltem ſi verum eſt, quod ex *Epiſtolis Principis Radzivilij* memorat *Becmannus Hiſt. Orb. Terr. Cap.* 6. *Sect.* 3

p. 296

Digitized by Google

p. 269. ſupereſſe adhuc Cairi Patriarchæ Joſephi palatium; urbs ipſa Memphis condita fuerit ante Joſephum, vel ipſum conditorem habuiſſe cenſenda eſt. Suſpicari igitur licet, Apim hunc non alium eſſe quàm Joſephum, quem ſub nomine Apis aut Serapis, & ſub ſymbolo Bovis poſtea cultum ab Ægyptiis fuiſſe, *Julius Maternus*, *Rufinus* (*Hiſt. Eccl.* 2, 23.) & *Suidas* voce Sarapis credidere: quod prolixè explicat & applicat *Voſſius Idolol. Gent. lib.* 1. *cap.* 29. *Memphis* autem caput olim Ægypti uſque ad conditam Alexandriam fuit, quam decantatiſſimæ illæ Pyramidum moles circa hanc urbem à diverſis Ægypti Regibus ſtructæ nobilitarunt. Hodie *Cairo* ibi ſita, quæ & nova Memphis dicitur, urbs inter ampliſſimas toto terrarum orbe.

A.M. 2238. Argus IV. *R. Argivorum.* Ei *tribuuntur anni LXX.*

Notatur dehinc inter Sacra Seculi ſequentis ad A. M. 2310. *Mors Joſephi* Patriarchæ, poſt expletos vitæ annos 110. Hiſtoria Joſephi, ſiqua alia, memorabilis, à Moſe diligenter pertexitur inde à *cap.* 37. *uſq; ad finem Geneſeos.* Quæ verò *Fl. Joſephus lib.* 2. *Ant. cap.* 2. in ea hiſtoria mutet aut depravet, examinanda ſibi ſumſit *Salianus.* Interpretationem ſomniorum, cujus ſpecimen dedit Joſephus, ad artes magicas retulerunt Gentiles, ſicut ex *Trogo Pompejo* refert *Juſtinus lib.* 36. *cap.* 2. primumque hunc *intelligentiam ſomniorum tradidiſſe* adjicit: cùm tamen ipſe Joſephus non vaniſſimæ arti, ſed divinæ revelationi unicè adſcribat hanc ſuam ſomniorum interpretationem. De Joſepho vid. etiam *Philo in Vita Politici, ſeu de Joſepho*; ubi primùm hiſtoriam ejus exponit, deinde ſubjungit allegoriam, cum applicatione ad virum politicum. *Bœcler. in Diſſert.* cui tit. *Philonis Joſephus.* De eodem Joſepho *Heidegger. in Hiſt. Patriarcharum Part.* 2. *Exerc.* 20. Cæterùm Joſephi hujus hiſtoriam nec Ethnici ignorarunt, ſicut ex *Artapano* & *Philone* oſtendit *Euſebius Præpar. Evang. cap.* 23. & 24. De mentione ejus apud *Juſtinum* modò diximus.

Jobum *ſingulare fortitudinis & patientiæ exemplum ad hoc ævum referunt nonnulli.* De tempore tamen quo vixit Jobus, non ſatis conſtat; & reliqua ejus hiſtoria, præter ea quæ in commentario S. literis inſerto habentur, valde obſcura eſt. Quidam arbitrantur, illum eſſe *Jobab*, qui inter Reges Idumæorum memoratur *Geneſ.* 36, 33. Alii aliter ſentiunt. Vid. *Petav. l.* 9. *c.* 20. Librum de Jobo an ipſe, an verò Moſes, an alius quidam magnus & divinus Scriptor literis mandaverit, dubium eſt. Judæi nonnulli parabolam putant eſſe, non hiſtoriam; qui tamen videntur refelli poſſe ex *Ezech.* 14, 14. & *Jacobi Ep. cap.* 5. *v.* 11 Mirum eſt, quod *Joſephus* nullam hujus Jobi mentionem faciat. Refert tamen è Gentilium monumentis luculentum de Jobo teſtimo-

nium *Euſebius 9, 25.* ex *Ariſtea* nimirum de Judæis commentario. Vid. etiam de eo *Auguſtin. de C. D. 18. 47.* & ad eum Commentatores *Vives* & *Coqueus*, quorum ille de genere Jobi diſputat, hic de ætate qua vixit. Addatur omnino *Spanhemius in Hiſtoria Jobi.*

A.M. 2370. AARON *naſcitur ex Amram nepote Levi.* De hac nativitate Aaronis colligi poteſt ex *Exod. 7, 7.* Hiſtoria Aaronis ſparſa eſt per libros Moſis, *Exod. 3. ſeq. Levit. c. 9. ſeq. Numer. c. 16. 17. 20 26.* Add. *Salian.* & *Torniell. in Annal. V. T.*

A.M. 2373. MOSES *naſcitur.* Hujus magni Viri nativitas cum memorabilibus circumſtantiis refertur *Exod. c. 2.* & ejus hiſtoria amplius deinde narratur ab ipſo, & per reliquos *Pentateuchi* libros continuatur. De tempore, quo Moſes natus, *Auguſtin. de Civ. DEI lib. 18. c. 8.* & Commentatores *Vives* & *Coqueus* ad h. l. prolixius agunt. Quæ præterea ad Moſis hiſtoriam obſervari poſſunt, petenda ex *Saliano* & *Torniello.* Conf. *Joſephus* & *Philo*, qui libros tres *de Vita Moſis* ſcripſit, ut & *Clemens Alexandrinus Stromat. 1.* Judæi quidem ejus hiſtoriam monſtroſis inſuper fabulis contaminant, quas referre non eſt operæ pretium. *[Pli]nius H. N. 30. 1.* Moſen inter magicæ artis auctores refert. Quæ præterea de Moſe in exterorum monumentis habentur, ſtudioſè collegit *H. Grotius de Verit. Relig. Chriſt. lib. 1. p. 211. ſeqq.* Vid. etiam *Huetius Demonſtr. Evang. Propoſ. 4.* & *Gilbertus Gaulminus de Vita & morte Moſis.*

Hoc Seculo inter EXTERNA memorantur *Reges Argivorum*, CRIASUS V. qui & *Priaſus* dictus, notante *Pauſania*: huic 54. annos tribuit *Euſebius.* PHORBAS VI. *Rex Argivorum* præfuiſſe dicitur annis 35. & poſt 10. annos Rhodum obtinuit, inſulamque à ſerpentibus, interfecto maximo dracone, liberavit, ut narrat *Diod. Sic lib. 5. Pauſanias lib. 2.* & *Hyginus lib. 2. Poetico-Aſtron. c. 14.* VII. Rex Argivorum TRIOPAS annis 46. de quo itidem *Diodor. lib. 5.*

OENOTRII *ex Arcadia patria ſua, in Italiam veniunt, poſt Aborigines dicti.* Vnde Italia poſtea *Oenotria* dicta, & apud *Virgil. 7. Æn. Oenotria tellus.* quanquam alii à vini feracitate ſic dictam volunt. Sed ipſe tamen *Virgil. lib. I. Æn. v. 536. Oenotrij coluere viri.* De *Oenotri* autem in Italiam adventu, (à quo dicti *Oenotrij*) & unde vocati ſint Aborigines, vid. *Dionyſ. Halic. Ant. Rom. lib. 1. princ.* ubi ſimul, quam incerta hæc omnia ſint, ex ipſa illius narratione colligi poteſt.

A.M. 2349. CECROPS I. *Rex Athenienſium*, Ægyptius fuit, & regnum Athenienſium condidiſſe dicitur. Quanquam *Pauſanias in Atticis* ante Cecropem ponit *Actæum*, cujus gener & ſucceſſor fuerit Cecrops. Hic cognomento Διφυὴς i. e. biformis dictus eſt, ſive quod abolita uxorum communione, apud barbaros eo tempore Græcos uſitata, conjugium

gium unius maris & fœminæ [blot]gibus conditis inſtituit; ſive quòd, Ægyptius cum eſſet, utramque linguam, Græcam & Ægyptiam loqueretur. Ab hoc Cecrope Attica appellari cœpit Cecropia, & Athenienſes Cecropidæ dicti. Fuit autem Civitas illa primùm ſub Regibus XVII. per annos 487. quorum ultimus *Codrus* fuit: deinde ſub Archontibus perpetuis XIII. per annos 386. poſtea ſub decennalibus; denique ſub Archontibus annuis. Plura de Cecrope habet *Strabo lib. 9. Euſebius* ex *Africano, Auguſtin. de* C. D. *lib.*18. *c.* 8. *&* 9. (ubi vide *Commentatores*) *Epiphanius Panarij princ.* & quos annotavit in *Animadverſionibus Euſebianis Scaliger.* Add. *Salian. t.* 2. *p.* 17. qui & *ſeq. pag.* cæterorum Regum Athenienſium Schema exhibet, & *Meurſ. de regno Attico.*

Nunc quæ ad ſequens Sec. referuntur SACRA repetimus, in quibus primo loco ad A. M. 2402. JOSVÆ *nativitas* ponitur. Hujus viri hiſtoria & res geſtæ præter ipſum *librum Joſuæ* petendæ ſunt ex *Joſephi lib.* 5. *Ant. cap.* 1. Quomodo Joſuæ res geſtas Herculi ſuo tribuerint Phœnices, oſtendit *Voſſ. Theol. Gentil. lib.*1. *c.*29. In annis, quibus principatum geſſerit Joſua, definiendis, variant auctores. *Joſephus* & eum ſequutus *Calviſius* 25. alii 17. vel 18. ei tribuunt. *Bœcler. Hiſt. Univ. p.*343. ſequutus *Petavium*, tantùm 14. aſſignat; alii 10. ſaltem; nemo infra 7. Vid. de hac re *G. J. Voſſius in Iſag. Chronol. Diſſ.* 8. *c.* 2. & *Salian. in ann.* 2600.

Sequitur ad ann. M. 2453. EXITUS ISRAELITARUM *ex Ægypto*, quæ hiſtoria tùm quod multis miraculis plena, tùm propter Epocham inde exortam, maximè memorabilis eſt; quanquam non ſine controverſia chronologica, mirè variantibus circa annos habitationis Iſraelitarum in Ægypto ſententiis: quas vide recenſitas & prolixè examinatas à ſupra laudato *Voſſio Iſag. Chronol. Diſſ.* 7. Hiſtoria egreſſus cum plagis Ægyptiorum antecedentibus, prolixè narratur ab *Exod. cap.* 7. *uſq; ad* 13. Conferri poteſt *liber Sapientiæ cap.* 16. *&* 17. ubi præter alia traditur, in tenebris illis Ægyptiis, non Soli, non igni cedentibus, horrenda Spectra apparuiſſe. In nocte illâ, quæ propter primogenitorum mortes Ægyptiis luctuoſa, Iſraëlitis verò læta fuit, omnia Ægyptiorum idola concidiſſe cum templis, traditur, & favet huic ſententiæ *Exod. c.* 12. *v.* 12. Calumniæ ſunt Gentilium, quod Iſraëlitæ ob lepram, aut aliam quandam tabem contagioſam, ex Ægypto ſint expulſi: uti tradunt *Diod. Sic. lib.* 1. *Tacitus lib.* 5. *Hiſt. c.* 3. *Juſtinus* 36, 2, 12. ex *Trogo Pompejo.* Longè aliud Davidi credimus *Pſalm.* 105. *v.* 37. dicenti: *Eduxit eos cum argento & auro, & non erat infirmus in tribubus eorum.* Quod in tanta hominum multitudine, quæ, computatis fœminis, infantibus, ſervis, ad tricies centena millia hominum adſcendere potuit, meritò

Digitized by Google

meritò admiramur. Quod *Oroſius lib.* I. *c.* 10. tradit, adhuc videri vel viſos eſſe ſuâ ætate tractus curruum & orbitas rotarum Pharaonis, non in littore ſolùm, ſed in ipſis aquis maris rubri ſeu ſinus Arabici, id in medio relinquimus; cætera circa hunc Exitum ſatis miraculoſa, quæ S. Literarum teſtimonio nituntur, credere contenti. Quis ille fuerit Rex Ægypti, qui in mari rubro ſubmerſus periit, quàm mirè varient ſententiæ, aliis hoc, aliis alio nomine illum deſignantibus, vide ap. *Rupert. Obſ. ad Syn. Beſ. cap.* 4. *p.m.* 131.

Hinc ad A. M. 2493. *Aaronis & Moſis mortem, ſucceſſionemq;* JOSVÆ memorat Tab. noſtra. Ubi tantùm circa mortem Moſis hoc notamus ſingulare, quod ab ipſo DEO ſepultum ſit corpus ejus in valle. Judæi verò non mortuum, ſed translatum à DEO Moſen volunt; quibus & nonnulli Eccleſiæ Doctores accedunt. Sed clarè de morte ejus loquitur Hiſtoria S. Corpus autem ejus nube quadam in vallem translatum eſſe (*Deuteron.* 34, 6. notatam) *Joſephus* tradit *lib.* 4. *fin.* Quæ de invento à Maronitis ſepulchro Moſis anno ſuperioris Seculi 55. emanavit fama, teſte *Dn. D. Buddeo in Lex. Hiſt. Univ. voce Moſes*, quanquam eruditos tùm commovit, parùm ſolidi videtur habuiſſe: de qua ſingularem librum ſcripſit Judæus quidam *Jechonias Ben Gad*, in quo aſſerit, non hujus Moſis id ſepulchrum eſſe, ſed alterius cujuſdam longè recentioris. De Joſua ſupra diximus: de quo præter *S. literas* & *Joſephum*, vid. *Maſius in Joſua.*

De initio Γεωργίας *& primæ hebdomadis annalis* (i. e. anni Sabbatici) *in Cananæa*, vid. quæ diſputat *Petavius lib.* 9. *cap.* 25. *&* 26. ubi ſimul de diviſione agrorum. Cæterùm de Republ. Hebræorum, quæ ſub Moſe cœpta, & à Joſua confirmata atque ad certum locum affixa, hinc per Judices uſque ad Reges & deinceps continuata fuit, vid. præter *Joſephum*, *Philonem Judæum*, *Sulpitium Severum* &c. *Salianum in Annal. Eccleſ.* etiam qui ex profeſſo de Republ. Hebræorum ſcripſerunt, *Carolus Sigonius*, *Menochius*, *Bonaventura*, *Cornel. Bertramus*, & *Petrus Cunæus*. item *Seldenus de J. N. & G. ſecundùm diſciplinam Hebræorum*, nec non *de Synedriis* eorum.

Inter EXTERNA ponitur hoc Seculo 2419. *Diluvium ſub Deucalione in Theſſalia*: de quo quid ſentiant eruditorum nonnulli, ſupra dictum eſt occaſione Diluvii Ogygii. Meminit Deucalionei Diluvii, & ad Amphyctionis tempora refert *Juſtin. ex Trogo Pompejo lib.* 2. *c.* 6. *v.* 10. ubi legimus, quòd ſuperſtites ex eo diluvio apud Deucalionem Theſſaliæ Regem, evecti ratibus, perfugium invenerint, unde ſit quòd ab eo genus hominum conditum dicatur. *Euſebius ad num. ſuum* 480. diluvium ſub Deucalione & incendium, quod ſub Phaëthonte factum eſt

eſt in Æthiopia, conjungit. At illud tamen incendium ſub Phaëthonte, niſi totum fabuloſum credimus, certè conflagrationi quinque urbium Cananæarum tribuendum eſt, ac proinde in longè antiquiora tempora incidit. Concinit tamen *Euſebio* hac in re *Oroſius lib.* 1. *c.* 10. qui in tempora exitus Iſraelitarum ex Ægypto refert. Sub Cecrope id accidiſſe ſcribit idem *Euſebius*; at *Varro* ſub Cranao Athenienſium Rege, referente *Auguſtino de C. D. lib.* 18. *c.* 10. ubi plura *Vives* & *Coquexus in commentar.* Deucalioneum verò diluvium quòd non diverſum ſit ab univerſali, inter alia evincitur eo, quòd non ſolum *Ovid. lib.* 1. *Metam.* illud univerſale facit, ſed & *Lucianus de Dea Syria*; qui & arcæ mentionem facit, in quam beſtiæ receptæ ſint à Deucalione, ut ſervarentur: & *Plutarchus* in tractatu, *Vtra animalia ſagaciora ſint?* etiam columbæ meminit, quam Deucalion emiſerit: ut dubitari vix poſſit, per hunc Deucalionem ipſum intelligi debere Noachum. Refer huc quæ ſupra dixi de Ogygio Diluvio.

Præterea in hoc Seculo nihil niſi Reges aliquos Troadis, Argivorum & Athenienſium memorat Tab. noſtra: in quorum enarratione paucis me defungi poſſe arbitror, ſi ad auctores, qui de his egerunt, remittam, cùm alioquin illorum res ſint fabuloſiſſimæ, nec dignæ ut diu illis immoremur.

A. M. 2432. Tevcer *primus in Troade regnaſſe* dicitur. Ipſe Teucer Cretenſis fuit, diſtinguendus à Teucro Telamonis filio, qui inter Duces Græcos bello Trojano inclaruit. Hic verò Teucer in minore Phrygia, quæ poſteà demum à nepote ejus Troë, Troadis nomen accepit, regnum conſtituit, à quo Teucri dicti, qui poſtea Trojani.

A. M. 2471. *Dardanus poſt Teucrum in Troade regnat*, gener Teucri; à quo iidem Trojani Dardanidæ dicti. Alii tamen hunc Dardanum, Jovis & Electræ filium ex Italia veniſſe in Troada ante Teucrum, & primum Trojani regni conditorem fuiſſe ſtatuunt. Multa de eo *Dionyſ. Halicarnaſſ. Antiquit. Rom. lib.* 1. *cap.* 61. Ex hoc *Dionyſio* & aliis pluribus Trojanorum Regum hiſtoriam collectam exhibet *Rupert. Obſerv. ad Syn. Beſ. cap.* 4. *p. m.* 65. *ſeq.* ubi de rebus Trojanis, quantum ſatis eſt, reperietur. Vtrum hic Dardanus idem ſit cum Dardano Mago, & eo quem myſteria Matris Deûm oſtendiſſe tradit *Diod. Sic. lib.* 5. diſquirit *Fabric. Biblioth. Græc. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 8.

Ponuntur deinde tres *Argivorum Reges* in hoc Seculo, A. M. 2443. Crotopvs octavus, quem ferunt regnaſſe annos 21. A. M. 2464. Sthenelvs IX. qui & *ultimus Inachidarum*; & A. M. 2475. Danavs, Beli filius, qui ex Ægypto veniens, *pulſo Gelanore*, Stheneli filio, regnavit Argis annos 50. Ab hoc Danao Danai dicti, qui pridem Pelaſgi. De hujus

Digitized by Google

Danai filiabus quæ fabulentur Poëtæ, notum eſt. Veriora de illis videtur narrare *Pauſanias in Corinthiacis & Laconicis*. Vnde horum Regum Argivorum hiſtoria petenda ſit, ſupra indicatum eſt.

Memorantur deinde ex ordine tres *Athenienſium Reges* ad A.M.2444. CRANAVS II. cui 9. annos tribuunt; A.M. 2453. AMPHYCTION III. Deucalionis & Pyrrhæ filius (*Pauſanias in Phocicis*) vel, ut alii, nepos (*Dionyſ. Halicarn. Ant. R. lib.* 4.) à quo commune illud Græciæ Concilium, *συνέδριον Ἀμφικτυονικὸν* denominatum eſt; qui &, ſi credimus *Juſtino* 2, 6, 9. primus Minervæ urbem ſacravit, & nomen civitati Athenas dedit. Vid. *Bœcleri Diſſ. Συνέδριον Ἀμφικτυονικὸν Tom. II. p.* 776. Ei ſucceſſit A.M. 2462. ERICHTHONIVS IV. qui currus primum inveniſſe fertur, (*Virgil.* 3. *Georg. v.* 113.) & Panathenæa inſtituiſſe. Sed horum hiſtoriæ recenſendæ, quæ quidem fabulis mixta eſt, nolo immorari. Vid. de his & ſeqq. uſque ad Codrum regibus *Jo. Meurſius* in tribus libris, quos *de Regno Attico* ſcripſit, & qui ex illis & aliorum monumentis excerpſit *Rupertus Obſerv. ad Syn. Beſ. cap.* 4. *p.m.* 100. *ſeqq.*

TABVLA III.

SVb ſequenti Seculo fit initium JVDICVM HEBRÆORVM: inter quos quidem & Joſuæ mortem eſt aliquot annorum interſtitium; (decem definit *Petavius lib.* 9. *c.* 33.) quo ſine præfectis erant Iſraëlitæ, & Ducatus tribui Judæ commiſſus, victuſque interim *Adonibeſec*. Primus Judicum A.M. 2510. OTHONIEL fuit, qui *populum à ſervitute Regis Meſopotamiæ Cuſan Riſathaim liberavit*: de quo *Jud. c.* 3. Hic iterum occurrit illud dubium, quod ſupra de 4. Regibus orientalibus contra 5. Cananæos bellum gerentibus loquentes movimus: nimirum ſi tanta fuit jam à primis temporibus Imperii Aſſyriaci potentia & amplitudo, qui fieri poſſit, ut intra illos ipſos terminos, qui ei Imperio ſtatuuntur, alii tàm potentes Reges fuerint, qui finitimas gentes, ſibi tributarias fecerint. Quanquam de hoc Cuſane nonnulli ſuſpicantur, ipſum eſſe Belochum Aſſyriæ monarcham; ſcil. nullo alio fundamento nixi, quàm eo, quod aliter conciliari non poſſit S. Hiſtoria cum profana, ſtante utriuſque veritate. Præfuit autem Othoniel *annis* 40. quanquam *Sulpicius Severus in Hiſt. Eccl.* 50. annos ei tribuat. Sed hos à morte Joſuæ numerandos eſſe ait *Sigonius Commentar. ad Sulp. Sev.* ex *Euſebio*. Numerus verò annorum præfecturæ ſingulis Judicibus additur in S. hiſtoria: quod ideò notandum, quia hinc chronologia uſque ad Saulem & regni Iſraëlitici initium contexitur. Id verò quomodo fieri debeat, vide in *Hiſt. Eccl. Goth. lib.*1. *cap.*2.

Sect.

Digitized by Google

Sect. 2. *p.* 130. Judices verò illi neque pleno neque hereditario jure, ſicut Reges, imperabant; ſed extraordinariis DEI juſſis aut populi conſenſu potentiam ordiebantur & temperabant; adeò ut hoc tempore non alius populi Iſraelitici Rex, quàm DEVS ipſe, fuiſſe dicatur. *Jud. c.* 8. *v.* 23. & 1. *Sam. c.* 8. *v.* 7. Aſſerit quidem *Carolus Sigonius Part.* 1. *cap.* 5. *de Rep. Hebr.* fuiſſe ariſtocraticum ſtatum in gente Iſrael temporibus Moſis, Joſuæ, Seniorum & Judicum; *Adr. Houtuynus*, JCtus Batavus, monarchicum; *Menochius de Rep. Hebr. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 5. ex monarchia & ariſtocratia mixtum: verius tamen loquuntur, qui theocraticum regimen ſtatuunt. Vid. *D. Rechenbergii Diſſert. de ficta Hebræorum ante Regem Saulem monarchia civili*; quam Lipſiæ ſub ejus auſpiciis defendit Dn. *Rhemius*, Argentinenſis. Conf. *Jo. Jac. Schudt*, Gymnaſii Mœno-Francofurtenſis Conrector, in *Prolegomenis Vitæ Jephthæ*.

A.M. 2551. EHVD, ſecundus Judex, *annis* 80. præeſt, *liberat populum à ſervitute Eglonis Regis Moabitarum*: de quo vide *Jud.* 3, 15. Cædes Eglonis Regis Moabitarum, quam ille, prætextu legationis & divinæ revelationis uſus, patravit, facinus eſt heroicum, nec imitandum.

In profana hiſtoria memoratur ad hujus Seculi initium PHOENIX & CADMVS, qui Agenoris filii fuerunt, & Thebis Ægyptiis profecti Tyrum & Sidonem obtinuiſſe dicuntur, unde à Phœnice regio illa Phœnice vel Phœnicia dicta. Ita quidem narrat *Bœcler. Hiſt. Vn. p.* 347. ex *Euſebio* & *Scaligeri in eum Animadverſionibus*. Diſſentit tamen circa Cadmum inprimis *Pauſanias in Bœoticis*, id eſt, *lib.* 9. ubi Cadmum non Ægyptium, ſed Tyrium facit. Sed horum temporum Græca hiſtoria tot fabulis involuta eſt, ut neſcias, quomodo ex illis latentem, ſi qua eſt, veritatem extrices. Quæ de Cadmo Poetæ memorant portentoſa, non ſunt hujus loci. Cæterùm quod in Tab. noſtrâ *Cadmus* etiam *literas intuliſſe in Græciam* dicitur, id credibilius, quàm quod alii earum inventorem faciunt. Vid. *Joſ. Scaliger in Diſſert. de Literis Jonicis*, inſerta *Animadverſionibus Euſebianis p.* 110. *ſeqq.* Item *Bochart. Geogr. S. Part.* 2. *lib.* 1. *c.* 20. De prima ſcribendi origine adeundus *Herm. Hugonis*, Jeſuitæ, ſingularis de hoc argumento tractatus; qui alibi etiam (in *Piis Deſideriis*) literas per poëticam figuram *nigras Cadmi puellas* vocat. Conf. *Camer. Oper. Subciſ. Cent.* 1. *c.* 70. *Tacit. XI. Ann. c.* 14. Certè *Curtius* de hac literarum vel inventione vel traditione, quæ Tyriis tribuitur, dubitanter loquitur *lib.* 4. *c.* 5. *v.* 19. cum de Tyriis loquens ait: *Si famæ libet credere, hæc gens literas prima aut docuit aut didicit*: ad quem locum vide *Commentar. Freinshemii*. Addatur ſupra nominatis *Poſtellus in Tractatu de Phœnicum literis. Angelus Politianus Miſcellan.* I, 29. *Morhoff. Polyh. Liter. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 9.

Digitized by Google

De *Lydorum, duce Tyrrheno, ex Aſia in Hetruriam migratione* multis agit *Dionyſ. Halicarn. Antiquit. Rom. lib.* I. *c.* 3. Hic TYRRHENVS filius Atyos, Regis Lydiæ fuit, ex Heraclidis, à quo colonia ducta in illam Italiæ partem, & populus Tyrrheni dicti, à Romanis Hetruſci vel Tuſci. *Strabo lib.* 5.

A. M. 2513. PANDION V. *Rex Athenarum,* primus hujus nominis fuit. Tribuuntur ei anni 40. Quæ de filiabus ejus, Philomela, quam Thraciæ Regi Tereo nuptum dedit, & Progne, traduntur, Poëtis relinquimus. Succeſſor ejus A.M. 2553. ERECHTHEVS VI. *R. Athen.* cujus filiam Orythiam Boreas Thrax rapuit, 50. annis præfuit. De quibus *Euſebius, Pauſanias, Meurſius.* Μουσικοὶ Poëtæ.

A. M. 2520. MINOS *regnat in Creta.* Dicitur hic ex Jove & Europa Agenoris natus, Judex fuiſſe ſeveriſſimus &, legislator celeberrimus, qui leges ſuas à Jove ſe accepiſſe gloriabatur, teſte *Dionyſ. Halicarn. Antiq. R. lib.* 2. *cap.* 7. ubi de Numæ congreſſu cum Nympha Egeria loquitur; & *Pauſan. in Laconicis*, ubi de Lycurgi legibus. De bello ejus cum Athenienſibus & cum Niſo, item de Minotauro, idem *Pauſanias in Atticis*, & *Plutarchus in Theſeo.* Add. *Diodor. Sic. lib.* 4. *c.* 79. *&* 81. *& lib.* 5. *cap.* 79. Periit Minos in Sicilia, ubi bellum gerebat cum Cocalo, Dædali fugitivi receptatore. Primus maritimam potentiam ſibi ſtabilivit: de quo *Bœclerus in Diſſert.* cui tit. *Minos maris Dominus.* Statuunt nonnulli duos Minoas Reges Cretæ. Certè qui ab auctore noſtro ad hæc tempora refertur, ſi chronologiæ ratio conſtet, non poteſt idem eſſe cum eo, qui Theſeo coævus fuit, quem Tab. noſtra ducentis ferè annis ſeriorem facit. Sed tamen hæc, quæ dixi, auctores promiſcuè de uno eodemque Minoë prædicant. Poëtarum de eo fabulæ multæ ſunt, nec ad hiſtoriam pertinent. Vide quid de horum temporum hiſtoria judicet laudatus modò *Plutarchus in Theſeo, princ.*

A. M. 2566. ABA XII. *R. Argivorum,* filius Beli, ſeu ſecundum alios Lyncei & Hypermneſtræ, 23. annos regnavit, & urbem in Phocide ex ſuo nomine dictam condidit, unde Abantidæ. *Pauſanias lib.* 2. *Euſeb. in Chron.*

XVTHVS *pater Achæi,* unde Achivi, idem & Jonis pater, unde Jonia dicta, Erechthei filiam Regis Athenienſis uxorem duxit: de quo vid. *Herodot. lib.* 7. *Strabo lib.* 8. *Pauſanias lib.* 7. qui inſcribitur *Achaica, princ.*

A.M. 2582. TROS *Erichthonij fil.* IV. *à Teucro, Trojani nominis auctor.* Non Trojani modò, ſed & Troës ab eo dicti, & regio Troas. Vid. *Rupert. ad Synopſ. Beſoldi p.* 68.

Digitized by Google

A. M. 2585. TANTALVS *Phrygiæ R. pater Pelopis.* Hujus Tantali genus, qui Tantalidæ dicti, monſtris & ſceleribus infame eſt apud Poëtas. De ipſo Tantalo quæ hi fabulentur, non vacat hic commemorare. Dicitur Jovis & Plutûs fuiſſe filius. *Pauſanias lib* 2. qui & de ejus ſaxo & doloribus *lib.* 10. Add. *Diodor. Sic. lib.*4. *c.*76.

A. M. 2600. PELOPS *in Græciam trajicit*, ab Ilo, ut ajunt, Trois filio ex Paphlagonia pulſus, & in urbem Peloponneſi, quæ deinceps ab eo hoc nomen accepit, Piſam venit, & Hippodamiæ nuptiis regnoque potitus eſt. In Pelopidis Mycenarum regnum uſque ad Heraclidarum reditum continuatum eſt. De Pelope *Pauſaniæ* paſſim. *Diodor. Sic. lib.* 4. *c.* 75. *ſeq.* Fabuloſa multa Poetæ.

In JVDICIBVS HEBRÆIS ſequitur ad A. M. 2631. DEBORA & BARAK *annis* 40. qui *liberant populum à jugo Jabin Regis Cananei.* Eorum hiſtoria extat *Jud. cap.* 4. De Jaëlis facinore, quo Siſſeram Jabini ducem in tabernaculo mariti ſui Heberi latitantem occidit, incuſſo capiti ejus clavo, idem judicium eſto, quod ſupra de Ehudi facto. Heber hic fuit ex poſteris Jethro.

A. M. 2671. GIDEON *annis* 40. *liberat populum à jugo Madianitico.* Hujus viri hiſtoria cum omnibus circumſtantiis petenda ex *Jud. cap.* 6. 7. 8. & *Joſeph. Antiquit. lib.* 5. *c.* 8.

Inter EXTERNA memoratur ad A. M. 2606. ACRISIVS *ult. R. Argivorum*, qui Abantis filius fuit. Vt hic cum Prœto fratre de regno contenderit, ut deinde à nepote Perſeo diſci jactu occiſus ſit, narrat *Pauſanias in Corinthiacis*, id eſt, *lib.* 2. De Perſeo, Jovis & Danaës filio, quæ narrantur magna & mira ab *Ovidio Metamorph. lib.* 4. & 5. aliiſque Poëtis, his auctoribus relinquimus & Mythologis.

Ponitur deinde ad A. M. 2625. JANVS I. *Rex Latij.* qui ſi Javan eſt Noachi filius, ut nonnulli non improbabiliter exiſtimant; aut ipſe Noachus, ut alii; longè antiquioribus temporibus convenit. Certè facies ejus duplex ad Noachum refertur. Bifrontem tamen alii dictum volunt ob prudentiam. Vid. *Plutarch. in Numa c.* 34 alii alias ejus rei rationes reddunt. Hic Saturnum fugientem excepiſſe dicitur, regnum ſuum cum eo partitus. Eodem ergo referendum eſt, quod poſtea in Tab. noſtra dicitur *Saturnus Latij Rex* fuiſſe. A Jano conditum eſt Janiculum. Vid. *Auguſtinus lib.* 7. *de C. D. cap.* 4. & *lib.* 4 *cap.* 11. & quæ ad hæc loca notarunt Commentatores, *Vives* & *Coquæus. Beroſus* & *Cato* eum *Noah* appellant, quod ſuffragatur opinioni, quod ſit idem cum Noah. *Goropius Becanus lib.* 4. *Antiquitatum* eum habet pro Japheto, à quo Europæi oriundi ſunt. Inter Deos poſtea relatus eſt, & celebre ejus templum Romæ fuit, quod in pace clauſum, belli tempo-

Digitized by Google

re aperiebatur. Plura de Jano *Macrobius Saturn. lib.* 1. *Ovid. Faſt. lib*, 1. &c.

A. M. 2631. ILUS *Trois filius, conditor Ilij.* Ilium fuit acropolis Trojana, quæ ab hoc conditore ſuo nomen accepit. *Diodor. Sic. lib.* 4. *c.* 77. De ipſo Ilo plura ex Tzetze & aliis habet *Rupertus ad Synopſ. Beſoldi p.m.* 68.

Sequuntur duo *Reges Mycenarum, Sthenelus Perſei* (de quo *Homerus Iliad.* 2.) alius à Sthenelo Capanei filio; & hujus filius *Euryſtheus.* Hic eſt Euryſtheus, qui decantatos illos labores, inſtinctu Junonis, Herculi Thebano imperaſſe dicitur. Vid. *Apollodorus in Biblioth. de origine Deorum.*

A. M. 2658. PICUS *in Latio Saturno ſuccedit.* De quo vid. *Dionyſ. Halicarn. lib.* 1. & *Aur. Victor. de Orig. Gentis Rom.* Pici hujus meminit *Virgil. Æn. lib.* 7. & *Ovid. lib.* 14. *Metamorph.*

Picus in Auſoniis proles Saturnia terris
Rex fuit utilium bello ſtudioſus equorum.

Vid. etiam *Auguſtin. de C. D. lib.* 18. *c.* 15. *& ad eum Commentatores.*

A. M. 2670. LAOMEDON *Ili fil. VI. Rex Trojæ ab Hercule occiſus.* De Laomedonte vide quæ habet *Rupert. ad Beſold. p. m.* 69. *Euſeb. n.* 768. De duplici ejus perjurio, quo Neptunum & Apollinem promiſsâ ob ſtructuram murorum mercede fraudavit; & quo Herculem in ſe irritavit pactos ob liberatam Heſionen equos ei tradere recuſans, ab eoque Troja capta occiſus eſt, vid. *Ovid. Metamorph. lib. XI. Fab.* 7. HERCULES autem hic, qui Laomedontem occidiſſe dicitur, (de quo *Diodor. Sic. lib.* 4. *c.* 32.) Thebanus fuit, ex Jove & Alcmena natus. Nam plures memorantur Hercules. *Cicero lib.* 3. *de natura Deor.* ſex, *Varro* uſque ad quadraginta quatuor recenſent. Confundunt tamen Græci, & pleraque omnia ad ſuum Herculem referunt: cujus cæteræ res geſtæ & decantatiſſimi labores meritò dubites, utrum ad hiſtoriam referri, an omnino inter fabulas rejici debeant. Certè *Diodorus Sic.* ubi de Hercule narrationem orditur, luculenta προθεραπείᾳ incertitudinem ejus excuſat, & inter alia hæc verba ſubjicit: *in fabuloſis narrationibus veritas non tetricè ad amuſſim examinanda eſt.* Vide ipſum de Hercule *lib.* 4. *cap.* 8. *uſq; ad* 41. add. *Herodot. in Euterpe, Plutarchus in Theſeo, Pauſanias, Arrian. de Exped. Alex. lib* 2. *p.m.* 125. *Coel. Rhodigin. Var. Lect. lib.* 6. *c.* 7. &c. Videntur autem Græci ſuarum rerum ſtudioſi amplificatores geſta Simſonis Hebræi ſuo Herculi attribuiſſe, quod oſtendit pluribus *Parens meus in Diſſert. de Cauſis corruptæ hiſtoriæ antiquæ* §. 3. & *Taubmannus Præfat. in Ceirin Virgilian.* quò forte etiam illud pertinet, quod

Tacitus

Digitized by Google

Tacitus II. A. c. 60. ait, Libyes dicere, antiquiſſimum Herculem natum apud ſe, eoſque qui pari virtute fuerint, in cognomentum ejus adſcitos. Inter recentiores, quæ ad Herculem pertinent, ſtudioſè collegit *Lil. Gregor. Gyraldus Syntagmate de Hercule,* in gratiam Herculis Eſtenſis Ducis ſcripto.

Memoratur deinde in Tab. noſtra ad A. M. 2678. ARGONAVTARVM *in Colchidem Expeditio.* Celeberrima hæc expeditio Duce Jaſone Theſſalo, & comitibus præcipuis Græciæ heroibus, qui ab Argo navi, qua uſi ſunt, Argonautæ dicti, ad aſportandum ex Colchide aureum vellus, inſtituta fuit. De qua videndus *Diodor. Sic. lib. 4. c. 41. ſeqq.* item *Apollodorus* & *Euſtathius ad Homeri Odyſſ. μ. Cicero lib 2. de Nat. Deor. Plin. lib. 7. c. 56. Orpheus* quoque Argonautarum expeditionem, cui ipſe interfuit, deſcripſit: id quod antiquiſſimum vulgò putatur è gentilibus monumentum. Argo Phœnicia lingua navem longam ſignificat. *Boecler. in Diſſert. Argo nova*: quæ eſt *Tomo II. p. 1057.* De ea Argonautarum expeditione Poëtæ paſſim, & ſingulari opere ex Græcis *Apollonius*, ex Latinis *Valerius Flaccus* ſcripſerunt, quorum carmina superſunt. Sed hæc ad hiſtoricam fidem parum aut nihil faciunt. Interpretatio hujus Expeditionis Argonauticæ & mythologia varia eſt, petenda ex *Palæphato, Voſſio de Idol. Gentil.* aliis.

ATREVS & THYESTES *Pelopis filij Mycenis regnant.* De his fratribus ac tragicis eorum caſibus & facinoribus plenæ ſunt Poëtarum fabulæ. Atreus hic pater Agamemnonis & Menelai, unde hi patronymicè *Atridæ* dicti, à quibuſdam diverſus eſſe cenſetur ab eo, qui apud *Dictyn Cretenſem cap. 1.* Minois filius dicitur, quem alii *Catreum* dicunt. Sed eſt tamen is ipſe Atreus Cretenſis, à quo Agamemnon & Menelaus, Pliſthenis quidem filii, Atridæ dicti ſunt, eò quod Atreus poſt mortem Pliſthenis illos à teneris educavit, ita ut alumni hi pro filiis ipſius haberentur: ut teſtatur idem *Dictys l. c.* nec non *Anonymus*, & *Euſtathius Homeri Interpres ad Iliad. B. v. 249.* Thyeſteæ epulæ notæ ſunt: de quibus, ut & de inceſtu Thyeſtæ cum fratris uxore, præter Poëtas, *Pauſanias in Eliacis.*

A.M. 2695. FAVNVS *Pico in Latio ſuccedit*, cujus caput Laurentum tunc erat. De hoc Fauno, qui & Fatuus dictus, & uxor Sororque ejus Fatua, vid. *Dionyſ. Halicarn. lib. 1. c. 3* qui quidem eum Martis filium fuiſſe dicit, quem alii Pici filium faciunt, (inter quos *Virgil. Æn. lib. 7.*) & Latini parentem: quanquam Latinum quoque non Fauni, ſed Herculis filium fuiſſe aſſerit *Dionyſ. Halicarn. lib. 1. c. 4.* Duos Faunos fuiſſe inter ſe diverſos *Manetho* teſtatur. Hic Faunus poſtea inter

Deos

Digitized by Google

Deos indigetes cultus fuit: & Fauni etiam vocati Dii Sylveſtres. Vid. *Auguſtin de C. D. lib.* 18. *c.* 15.

Sequenti Seculo inter JUDICES HEBRÆORUM notatur ad A. M. 2710. ABIMELECH *filius Gideonis*, qui *principatum* 70. *fratrum parricidio partum gerit annos tres*: de quo quæ dici poſſunt, vid. *Jud. cap.* 9. & *Joſeph:* 5, 9.

A. M. 2713. THOLA *annis* 21. & A. M. 2736. JAIR *annis* 22. de quibus *Jud. c.* 10. Quomodo 18. ſervitutis Ammoniticæ anni numerandi ſint, vid. *Salian. ad ann.* 2833.

Sequitur A. M. 2758. JEPHTHE, qui *liberat populum à ſervitute Ammonitica, Judex annis* 6. Legatur hiſtoria ejus *Judic. cap. XI.* & *Joſeph. Antiquit. lib* 5. *c.* 9. De voto Jephthæ ejuſque executione diverſimodè ſentiunt Interpretes veteres novique. Aliqui enim non immolatam eſſe dicunt filiam ejus, ſed tantùm de pudicitia ejus DEO conſecrata accipiunt: cui ſententiæ favere videntur verba *Jud. c. XI. v.* 37. ubi dicitur virginitatem ſuam deflevilſe; & quòd *v. ult.* dicitur, nunquam virum cognoviſſe ullum: quod non ſine cauſa additum eſſe credibile eſt. Vid. tamen *Salian. ad ann.* 2850. Speciatim hac de re egerunt *Capellus in Diatriba de Voto Jephthæ*: *Dannhauer. Diſſert. de Voto Jephthæ*: *Pfeiffer. in Dubiis Vexatis, p.* 346. *ſeqq.* & in peculiari Diſſert. quæ ſubjuncta eſt ipſius *Dubiis*, & alii, quos nominat *Joh. Jac Schudt*, Gymnaſ. Mœno-Franc. Conrector, *in Vita Jephthæ*, qui & ipſe hanc hiſtoriam diligenter examinavit, & ſententiam de immolatione filiæ Jephthæ prolixè refutavit inde *à cap.* 23. Interim hæc filia Jephthæ à Syris poſtea Numinis loco culta eſt, anniverſario ſolennique feſto, cujus origo apparet ex *Jud. cap. XI. v.* 39. & 40. Et putant Viri docti, Homerum ex hac hiſtoria occaſionem ſumſiſſe fabulæ de Iphigenia ſeu Iphianaſſa, quam pater Agamemnon mactare voluerit. De ſucceſſoribus Jephthæ, ABESSAN, ELON & ABDON, quorum ille 7. iſte 10. hic 8. annis præfuit, vid. *Jud. cap. XII. & Joſeph. l. c.*

Sequitur prodigioſæ virtutis heros A. M. 2789. SAMSON Judex *annis* 20. in quo viro propè omnia ſingularia fuerunt, repetenda ex *Jud. c.* 13 14. 15. 16. & *Joſeph. lib.* 5. *c.* 10. Hujus Samſonis annos 20. cum prioribus 20. annis præfecturæ Heli coincidere putat *Calviſius* & eum ſequutus *Micralius in Syntagm. Hiſt. Eccl.* aliique: ita ut Heli, penes quem etiam ſummum ſacerdotium fuit, 1. *Sam.* 1, 3. & 17. 18. Iſraëlitis quidem Judex præfuerit; Samſon tamen extraordinario quodam jure princeps & defenſor reipubl. haberetur. Conf. *Petavius.* Quod pleraque hujus Samſonis geſta Græci ſuo Herculi accommodaverint, ſupra à me monitum eſt.

Inter

Digitized by Google

Inter Externa hujus Seculi memorantur A.M. 2715. Priamus *Laomedontis filius, ultimus Rex Trojæ.* Nomen accepiſſe dicitur à πρίαμαι, *vendo*, eo quòd ab Hercule, Laomedontis patris ejus perjurium vindicante, captus & pretio dato redditus ſit. Hic Priamus, à Neoptolemo ſeu Pyrrho Achillis filio occiſus, ex hiſtoria belli Trojani vel pueris notus eſt. Progeniem ejus recenſet *Rupertus ad Synops. Beſ. p.m. 69. ſeq.*

A.M. 2716. Theseus *alter Athenarum conditor, Rex X.* Hujus Theſei res multæ & magnæ, quæ à *Pauſania* paſſim, & à *Diodoro Sic. lib. 4. c. 6. ſeqq.* tamen non aliunde uberius peti poſſunt, quàm ex *Plutarcho in ejus Vita. Meurſius* quoque eas ſingulari libro pertractavit: nobis non vacat hic repetere. Ipſe poſtea inter Heroas relatus eſt.

A.M. 2739. Latinus *Aboriginum Rex Fauno ſuccedit.* De eo videndus eſt inprimis *Dionyſ. Halicarn. lib. 1. cap. 5.* & *Virgil. lib. 7. Æn.* Aborigines autem qui & unde, idem Dionyſ. docebit. Hic eſt Latinus, cujus filiam Laviniam, Turno prius deſponſam, Æneas advena uxorem accepiſſe dicitur: unde bellum, quod deſcribit *Virgilius.* Ab hoc Latino Latinos populos dictos eſſe ait *Dionyſ. Halicarn. lib. 1. c. 2. princ.* Si tamen jam ante Latinum ei regioni nomen à Saturno inditum, quòd ibi latuerit, *Virgil. Æn. 8. v. 322.* inde potius facta denominatione incolas Latinos dictos eſſe crediderim.

A.M. 2753. Agamemnon *Rex Mycenarum, filius Atrei*, is eſt, cujus potiſſimùm auſpiciis bellum Trojanum geſtum eſſe dicitur; Rex Regum hinc appellatus, qui tamen parvæ partis Peloponneſi, in qua oppidum Mycenæ, Regulus fuit. Eum annis 17. regnaſſe tradunt. *Clemens Alexand. Stromat. 1.* De eo vid. *Homeri Ilias*, & cæteri belli Trojani Scriptores, prærerque eos Tragici quoque Poëtæ; *Si tamen ut teſtes fas eſt audire Poetas*, ut loquitur *Ovidius*; qui verba ſua non alligant hiſtorica fide. Periit poſt reditum à Troja, à Clytemneſtra uxore & Ægyſtho adultero interfectus.

Sequitur hinc ad A.M. 2767. Troia *capta & everſa.* De hoc bello & excidio Trojano ſcripſerunt *Dictys Cretenſis, Dares Phrygius, Homerus, Oroſius*, & quis non? Nam omnes Hiſtoricorum, Poetarum & Oratorum libri de eo pleni ſunt. Et ab hoc excidio Trojæ, tanquam ab eventu maximè memorabili, Epocham conſtituerunt Græci; de qua vide prolixè agentem *Petavium in Opere Chronol. lib. 9. c. 29.* Cauſam bello dedit raptus Helenæ, à Paride Priami filio ex Menelai thalamo abductæ. Exitus belli fuit, ut poſt decennium obſidionis, occiſo prius per Achillem Hectore, Priami Regis filio, & ipſo tandem Priamo manu Pyrrhi, qui Achillis filius fuit, ad aram obtruncato, Troja per inſidias, & equi duratei ſtrategema caperetur à Græcis, atque incendio penitus deleretur. Hæc ita geſta eſſe, cùm tanta Scriptorum multitu-

do teſtetur, quis crederet in dubium vocari poſſe? Repertus tamen eſt jam olim *Dio Chryſoſtomus Coccejanus*, qui prolixa oratione demonſtrare conatus eſt, Trojam non eſſe captam à Græcis: quam orationem in epitomen redegit *Laurentius Rhodomannus*. Vid. *Rupert. Obſ. ad Syn. Beſ. p. m.* 74. *ſeqq. Nevius* quoque *in Acceſſion. ad Wheari Relect. Hiem. p.* 33. non audet pronuntiare, utrum Excidii Trojani Epocha ſit hiſtorica, an verò quicquid de clade illa in Poëtarum inprimis ſcriptis legitur figmentis & fabulis accenſeri debeat. Adeo quod aliis pro fundamento ponitur in hiſtoria illorum temporum, vacillat & in ambiguis habetur.

ÆNEA *in Italiam prof.cto creduntur prima jacta fundamenta magnitudinis Romanæ.* Hæc fide potiſſimùm & auctoritate *Virgilij* nituntur, quem alii ſequuti ſunt. Ajunt enim Æneam exciſo Ilio cum reliquiis Trojanorum, poſt aliquem temporis tractum erroreſque, Laurentum in Italia appuliſſe, ibique Lavinium condidiſſe de uxoris nomine, quam ei Latinus Aboriginum Rex collocaverat. Hinc bellum in Latinum & Æneam ſurrexit, Rutulorum Rege Turno indignè ferente, pactam ſibi Laviniam alteri nuptum datam. Eo bello Latinus primùm, poſtea ex altera parte Turnus cecidit. ÆNEAS victor *Latino ſocero ſucceſſit*: ut habet Tab. noſtra, regnavitque in Latio annis tribus, cui *ſucceſſit Julus Aſcanius*, ſecundus Latinorum Rex, annis 38. regno potitus. Atque ita ex Trojæ cineribus fata paulatim imperaturam orbi gentem ſuſcitabant: ut loquitur *Bæclerus Hiſtor. Univ. p.* 360. Sunt tamen nonnulli, qui ab ipſo Ænea Romam conditam eſſe volunt, inter quos *Salluſt. Catil. cap.* 6. *princ.* Vid. *Plutarch. in Vita Romuli.* Non defuerunt interim, qui dubitarent, *an Æneas unquam fuerit in Italia*: de quo argumento *Diſſertationem* Gallico ſermone ſcripſit *Sam. Bochartus*, in qua demonſtrare conatur, falſa eſſe quæ de hoc Æneæ in Italiam adventu memorantur. Hanc Diſſertationem ex Gallica lingua Latinam fecit *Jo. Schefferus*. Adeò hoc quoque quod de Romæ conditu pro certiſſimo traditum eſt, non ſatis firmo nititur talo. Cæterùm de Æneæ in Italiam adventu rebuſque geſtis, nec non de genere ejus, prolixè agit *Dionyſ. Halic. lib.* 1. *cap.* 5. 6. & 7. ubi & de *Aſcanio* ejus filio, qui & *Julus* dictus, patrique ſucceſſit, & *condita ab eo Alba longa*: de quo Tab. noſtra.

Reſtat adhuc ut de ÆGISTHO *Thyeſtis filio*, & de *Agamemnonis filio* ORESTE, *Regibus Mycenarum* dicamus, qui ad hoc Seculum referuntur. Ægyſthus, Thyeſtis filius ille eſt, qui per abſentiam Agamemnonis ſubſeſſor thori ejus, Clytemneſtræ anſam dedit maritum ex bello Trojano reducem occidendi. Oreſtes verò cædem patris ulturus

matrem

Digitized by Google

matrem occidit, facto pius & ſceleratus eodem. Ob quod parricidium cùm in Areopago cauſam diceret, paribus extantibus calculis, adjecto à Minerva calculo albo abſolutus eſt. Sed furiis agitatus cùm, comite Pylade ſuo, vagaretur, tandem in Tauricam Cherſoneſum delatus, ubi ab Iphigenia ſorore in ipſo apparatu immolationis agnitus, rapto Dianæ ſimulacro, cum ipſa jam expiatus in Græciam rediit. Pyrrhum quoque Achillis filium interfeciſſe dicitur, & uxorem ejus Hermionem, ſibi prius deſponſatam, abduxiſſe: quâ de re paſſim apud Poëtas. Meminit & *Cicero de Amicitia*; *Vellejus Paterculus lib.* 1. *Pauſanias*.

HERCULIS AGON OLYMPICUS, diſtinguendus ab Olympiis ab Iphito inſtitutis, 442. pòſt annis: ut auctor eſt vetus Chronologus in *Clementis Alexand. Stromat.* 1. De Olympicis verò ludis ab Hercule inſtitutis vid. *Diod. Sic. lib.* 4. *c.* 14. *Cal. Rhodigin. Var. Lect.* 13, 17. *Alex. ab Alexandro Gen. Dier.* 5, 8.

De *Æneæ regno in Latio*, & *Aſcanij ſucceſſione*, item, de *Alba Longa* ab hoc condita, jam dictum ex *Dionyſ. Halicarn.* Alba Longa poſtmodum à Tullo Hoſtilio, quarto Rege Rom. ſolo æquata fuit, quod contra Romanos, coloniam ſuam, de principatu contendere auſa eſſet.

Excipit in SACRA HISTORIA Seculi ſeq. A. M. 2809. HELI *Sacerdos & Judex annis* 40. Horum annorum 20. priores cum annis principatus Simſonis conjungi à *Calviſio* & pleriſque aliis, ſupra monui. De ipſo Heli vid. 1. *Sam. c.* 1. *&* 2. *&* 7. *& Joſeph. lib.* 5. *cap. ult.*

A. M. 2849. SAMUEL *Propheta & Judex*, ante Reges & cum Saule in univerſum præfuit annis 40. nam quoad vixit, etiam ſub Saule præfecturam ſuam continuavit, uti diſertè dicitur 1. *Sam. c.* 7. *v.* 15. Ejus nativitas, educatio & vocatio ad munus propheticum, cum memorabilibus circumſtantiis deſcribitur 1. *Sam. cap.* 1. *&* 3. ſicut & cætera hujus Viri, inprimis victoria de Philiſtæis, & miniſterium ejus in conſtitutione Regis, per totum ferè librum pertexuntur, & apud *Joſeph. lib.* 6. *usq; ad cap,* 10. Adde *Sulpit. Severum H. E. lib.* 1. *cap.* 56. 59. 60. *Euſeb. Præp. Evang. lib.* 9. *c.* 4. Hic fuit ultimus Judicum & numerantur à Moſe uſque ad Samuelem anni 420. Quod poſtea in Tab. noſtra dicitur: *Samuel ſeptuagenarius* obit, id non adeò certum eſt, quod ætatem attinet. Nam ſi verum eſt, quod aliis videtur, natum eum eſſe anno poſt Samſonis initium proximo, & ſuſcepiſſe populi Judaici præfecturam poſt mortem Heli, cùm annum ageret 40. & in totum per 40. annos præfuiſſe, jam hinc conficiunt 80. propemodum anni ætatis ejus. Sed hæc res non eſt magni momenti.

Digitized by Google

Majoris eſt quod ſequitur, ad A. M. 2879. Savl Rex. Initivm regni in popvlo israel. Nam cùm haſtenus Θεοκρατία fuiſſet in eo populo, Judicibus non ordinario jure vel ſucceſſionis vel electionis præfecturam adminiſtrantibus, ſed vel ſingulari DEI juſſu, vel ſaltem inſtinctu, populive conſenſu extraordinario ad moderamen vocatis: unde Gideon *Judic.* 8. *v.* 23. publicè profitetur: *Non ego vobis dominabor, neq; filius meus dominabitur vobis, ſed Jehovah erit Dominus veſter*: & 1. *Sam. cap.* 8. *v.* 7. illis Regem poſcentibus, DEVS ad Samuelem, *Non Te*, inquit, *ſed me rejecerunt, ut non ſim amplius Rex ſuper eos.* Jam pertæſi hujus regiminis, & offenſi improbis moribus filiorum Samuelis, quos ille ſenio gravis ſuo loco Judices conſtituerat, Regem ferociter poſcere cœperunt. Quà re indignatus Samuel, & offenſus ipſe DEVS, tamen illis gratificaturus, poſtquam prius de Jure regio illos monuiſſet, ut plerique, ſive, ut alii explicant, de tyrannide nonnullorum Regum per Samuelem vaticinatus eſſet, (vid. hujus loci explicationem apud *Puſendorff de I. N. & G. lib.* 7. *c.* 6. *n.* 9.) Regem dedit ex tribu Benjamin Saulem: ſicut hæc narrantur 1. *Sam. c.* 8. De vocatione verò Saulis ad regnum *c.* 9. agitur: & quæ porrò de regimine ejus tradita ſunt, ac ut primò quidem auctoritatem ſibi rebus geſtis comparaverit, poſtea verò neglectis DEI mandatis, in gravem ejus iram incidens rejectus ſit, ſubſtituto in ejus locum Davide, & de invidia ejus in hunc, jam tùm heroici animi ſpecimina edentem, inſidiisque & perſecutionibus adverſus Davidem; uſque dum ipſe cum filio Jonathane in prælio adverſus Philiſtæos cæſus eſt, ea quidem repetenda ſunt ex *ſeqq. capp. iſtius libri* uſque ad finem. Not. Quòd qui ad Sacram hiſtoriam Epochas ſuas accommodant, hic tertiam ætatem finiunt; ceu facit *Becle rus*, qui hucuſque tantum hiſtoriam ſuam univerſalem perduxit. Cujus judicium de hac ætate mundi tertià, quæ à nato Abrahamo ad mortem Saulis pertingit, vide in fine annexum *p.* 369.

A. M. 2896. David *regnare cœpit in Hieruſalem.* Davidis regimen poſt ſublatum Saulem duplex fuit, primò in ſolam tribum Judæ; dein poſt biennium cæſo à ſuis Isboſto, filio Saulis, regni æmulo, in cæteras quoque tribus Iſraëliticas continuatum. Res ejus vel ſunt ante aditum regnum geſtæ, quò pertinet victoria de Goliatho, &c. quæ 1. *Samuelis libro* continentur; vel poſt Saulis mortem, de quibus *poſterior liber Samuelis* cum *prioribus* 2. *capitibus* 1. *Regum*, & partim etiam 1. *Chron. à cap.* 12. ad finem. De majoribus & progenie Davidis 1. *Chron. cap.* 2. *ſeq.* Conf. *Joſeph. Ant. lib.* 7. *per totum* Regnum ejus bellorum ferax, & multis victoriis inclytum fuit, finesque ejus, ſubactis

circà

Digitized by Google

circà gentibus aut tributariis factis, ampliſſimi ab ipſo redditi. Hanc felicitatem publicam calamitates domeſticæ interpolarunt, quas DEVS ob peccata ejus gravia im..iſit, ſed & reſipiſcentem ſubinde & deprecantem, priſtinæ felicitati reſtituit. Specialia de his omnibus ex ipſo S. Codice peti poſſunt: cui add. *Joſeph. lib. 6. c. 15. ſeqq.* Regnavit in univerſum annos 40. Hebrone ſc. annos 7. & Hieroſolymæ annos 33. *1. Reg. c. 2. v. 11.* & *1. Chron. c. 30. v. 27.*

EXTERNA hoc Seculo ita memorantur: A. M. 2820. SYLVIVS *Aſcanij fil. in Latio Albæ Rex.* Hunc alii Aſcanii fratrem faciunt ex utroque parente, alii conſanguineum tantùm. Conf. *Dionyſ. Halicarnaſſenſis lib. 1. c. 8. & Livius lib. 1. c. 3.* ex quibus etiam ſequentium Regum Albanorum catalogus repetendus eſt. Ab hoc Sylvio poſtea Sylvium cognomen manſit omnibus Albanis Regibus. *Livius & Dionyſius d. l.*

TISAMENVS & PENTHILVS *Oreſtis filij regnant Mycenis.* Hi expulſi ab Heraclidis, decimo quinto pòſt anno cepere ſedem circa inſulam Lesbon. Penthilo etiam duce colonia Græcorum primùm in Thraciam profecta, poſt ejus mortem in Aſiam trajecit, & Æolicæ coloniæ nomine poſtea innotuit, teſte *Strabone lib. 13.* De Æolica colonia etiam *Vellejus Paterc. lib. 1. c. 4.*

A. M. 2847. HERACLIDARVM *reditus in Peloponneſum, quo extinctum regnum Mycenæum, & exortum Laconicum.* Heraclidæ i. e. Herculis poſteri (de quibus *Diodorus lib. 4. c. 59. ſeqq.*) poſt Euryſtheum ab Hyllo cæſum, ſub Atreo deinde ejus ſucceſſore Peloponneſum occupaverant quidem, ſed peſte vexati in Atticam redierant. Nunc verò Peloponneſi imperium, unde à Pelopidis expulſi erant, recuperarunt; ducibus Temeno, Creſphonte & Ariſtodemo. Vid. *Vellejus lib. 1. c. 2. & Not. Lipſii ad h. l. Pauſanias in Laconicis & Corinthiacis; Thucydides lib. 1. Diodorus l. c. Herodotus lib. 6.* & quod ad temporis rationem attinet *Petavius lib. 9. c. 30.* Notandus enim hic Heraclidarum reditus ob conſtitutam ab eo æram.

CELTES, GALATES & ILLYRICVS *Polyphemo & Galatea nati populis à ſe dictis imperarunt.* Hæc quoque narratio inter apocryphas eſt referenda. *Celten* vel *Celtum*, unde *Celtæ*, Galliæ populus Belgis vicinus, alii Herculis filium faciunt, alii Polyphemi: & iidem patres diſcrepantibus ſententiis aſſignantur *Galatæ*; qui Galliæ nomen dediſſe fertur. Vid. *Diodorus lib. 5. c. 24.* Galatæ verò, qui & Gallogræci, Aſiæ minoris gens, non à Galate quodam, ſed à Gallis, qui duce Brenno illuc profecti ſedes ceperunt, dicti ſunt. Polyphemi & Galateæ nuptiæ, de quibus *Ovidius lib. 13. Metamorph.* inter fabuloſa ſunt.

Digitized by Google

A. M. 2881. Codrvs *ultimus Rex Athenienſ. in prælio cæditur.* De hujus glorioſâ pro patria morte obitâ (non quidem in prælio, ſed in caſtris hoſtium occiſi, quæ mutatâ veſte, ne agnoſceretur, ingreſſus erat) vid. *Juſtinus 2, 6, 19.* & ibi notati *à Berneggero in not. ſub lit. p.* quibus add. *Vellejus Paterculus lib. 1 c. 2.* Nominis hujus memoriæ tribuerunt Athenienſes, ut nullos deinceps Reges haberent, *Juſtinus 2, 7, 1.* Archontes Athenienſes, quorum primus *Medon* fuit, curioſè annotavit *Diodorus Sic.* Vid. & *Meurſius de Archontibus Athenienſium.*

Præterea in Tab. hac ad oram dexteriorem adſcripti ſunt, circa Seculum 27. & 28. à M. C. horum temporum Viri celebres.

Atlas, (quem *Diodorus Sic. 3. 60.* Saturni ex Cœlo fratrem, alii Promethei ex Japeto fratrem, *Hyginus* duos ex his natos diverſos Atlantes facit) Mauritaniæ Rex fuit, & exactam aſtrologiæ cognitionem habuiſſe, primuſque ſphæræ rationem manifeſtaſſe dicitur: unde nata fabula, quod mundum univerſum humeris ferat. *Diodorus Sic. d. l. Euſebius in Chronico & Præpar. Evang. 9, 17. Auguſtinus de C. D. 18, 8.* ubi vid. *Not. Vivis* & *Coquei.*

Orphevs Oeagri filius & patriâ Thrax fuit, eruditione ac melodiæ artiſque poeticæ ſcientiâ omnes poſt hominum memoriam antecellens: ut loquitur *Diodorus Sic. lib. 4. cap. 25.* qui eundem à Theologiæ & initiationum peritia commendat. Reliquias Theologiæ & Philoſophiæ Orphicæ collegit *Andr. Chriſtian. Eſchenbach,* P. P. Norimb. Plura de Orpheo *Diodorus Sic. d. l.* Ex recentioribus *Jo. Albert. Fabricius in Biblioth. Græca lib. 1. c. 18.* & *Morhoff. Polyh. Liter. lib. 7. c. 2. n. 4.* Interim Orpheus hic Thracius an unquam fuerit, dubitat *Voſſius de Idol. Gentil. lib. 3. c. 44. p. 482.* De *Hymnis,* qui ſuperſunt, Orpheo tributis, vid. quid judicet idem *Voſſius de Poëtis Græcis cap. 2. princ.*

Dædalvs, patriâ Athenienſis, in ſtatuis & ſimulacris efformandis mirus artifex fuit: unde poſtea per antonomaſian *Dædali* dicti *artifices,* & *Dædaleus* pro *artificioſus.* Hujus fuga imperveſtigabilis, quâ ex cuſtodia Minois elapſus eſt, fabulæ & mendacio Poëtarum locum dedit. A quibuſdam vela navium inveniſſe creditur; unde ipſius & filii Icari alæ & volatus, cùm navi velifera aufugerint. Plura de Dædalo *Diodorus Sic. lib. 4. c. 80. ſeq.* Eſt & *Jo. Andr. Schmidij,* Prof. Helmſtad. *Diſſertatio de Dædalo celebri mechanico.*

Linvs *Thebanus* (fuerunt enim præter hunc alii duo Lini) Poëſi & melodia excellens, quam omnium primus inter Græcos inveniſſe dicitur: (*Diodorus Sic. lib. 3. c. 67.*) Herculis præceptor fuit, quem literas & muſicam docuit; ſed ab eo ictu tabulæ, in qua literas pinxerat, capiti inpactæ occiſus. Aliquot ejus verſus reperiuntur apud *Stobæum in Eclog.* Vid. *Fabricij Bibl. Græc. lib. 1. c. 14. p. 95.*

Mvsævs

Digitized by Google

MUSÆUS Philoſophus & Ἐποποιὸς Athenienſis fuit, cui poëmation *de amoribus Herûs & Leandri* tribuitur. Vid. iterum *Voſſius de Poet. Græc. cap. 2. princ. Morhoff. Polyh. liter. lib. 7. cap. 2. n. 4.* & præſertim *Fabricij Biblioth. Græc. lib. 1. c. 16.*

AMPHION itidem Thebanus fuit, Muſicus excellentiſſimus, cujus cantu ſaxa admota eſſe dicuntur ad exſtruendos muros Thebanos: quam fabulam interpretatur *Horat. de Art. Poet. v. 394.* ſicut & Orphei fabulam de tractis cantu feris. Vid. *Strabo lib. 9. Plutarchus de Muſica cap. 2. Fabricij Bibl. Græc. lib. 1. cap. 2.*

SANCHONIATHON de rebus Phœnicum ſcripſit: cujus tamen operis nonniſi fragmenta aliqua apud Veteres allegata ſuperſunt. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. 1. c. 1.* & inprimis *Fabricij Bibl. Græc. lib. 1. cap. 28. p. 163.*

TABVLA IV.

A. M. 2919. DAVID *ob rebellem filium exul.* De domeſticis Davidis calamitatibus jam ſupra monuimus: quò pertinet inprimis ejus exilium Abſalonem fugientis: de quo *2. Sam. c. 15.*

A. M. 2929. SALOMON *annos* 40. Hujus ſapientiſſimi ſplendidiſſimique Regis hiſtoria petenda eſt ex 1. Reg. cap. 1. --- 12. Add. *Joſeph. Antiq. Jud. lib. 8. c. 1. & 2.* Sapientiâ & divitiis omnes gentium Principes ſuperavit, iiſque admirationi fuit. Ejus opus eſt ſtructura templi primi Hieroſolymitani: de qua, ut & de *Encæniis Templi* cum memorabilibus circumſtantiis legi poſſunt *I. libri Regum capita 6. 7. 8. 9.* & *2. Chron. à cap 5. uſq; ad* 10. Hîc propter chronologiam notari meretur, quod & in ipsâ S. Scripturâ adnotatum eſt, à liberatione Ægyptiacâ uſque ad ſtructuram templi Salomonei effluxiſſe annos 480. Acceſſit huic ſtructuræ ipſius quoque Regis domus ſeu palatium. Cætera hujus Regis ſunt 1. affinitas cum Rege Ægypti (quem *Seſacum* eſſe volunt: de quo ſub Roboamo) 2. Fœdus cum Hiramo Tyriorum Rege, & 3. navigatio in Ophir: de cujus navigationis termino vid. *Diſputatio Parentis mei.* 4. adventus in aulam ejus Reginæ Arabiæ Felicis, (quam *Nicaulam* vocatam volunt) ad cognoſcendam ejus Sapientiam gloriamque. (Cum hac Salomonem conſueviſſe nonnulli putant, colligentes hoc ex *1. Chron. c. 9. v. 12.* Certè ex ejus cum Salomone concubitu, & nato inde filio Davide, ſtirpem Regum ſuorum Abyſſini ortam jactant.) 5. polygamia ejus & ex conſuetudine cum exteris mulieribus ad idololatriam lapſus. 6. Adverſarii ipſius à DEO excitati, *Rezon* Syrus, *Hadad* Idumæus & *Jerobeam* Ephraëmita. Regnum

Digitized by Google

gnum ejus alioqui pacificum fuit, & verè dici poteſt, ſub hoc Rege res Iſraelitarum fuiſſe florentiſſimas. De reſipiſcentia ejus poſt gravia peccata nonnulli dubitant, etiam ex veteribus Eccleſiæ Doctoribus. Sed alii mitius judicant. *De Rege Salomone peccante* tractatum ſcripſit, per multa penſa diſputatum in Academia Baſileenſi *Joannes Zwingerus*, Doct. & Prof. Theol. ibidem. De mentione Salomonis apud gentiles quoque Scriptores *Menandrum* ſcil. & *Dium*, vid. *Joſeph. lib.* 8. *c.* 2. *poſt med.*

Sequitur DIVISIO REGNI ISRAELITICI, per quam X. Tribus abruptæ à tribu Judæ & Benjamin, domûs Davidicæ obedientiæ ſe ſubtraxerunt: poſtquam A.M. 2969. ROBOAM ſeu Rehabeam Salomonis fil. Juniorum ſententiam ſequutus, onerum levationem minaciter denegaſſet. Orta ſunt ergo duo ex uno regna, X. Tribubus Jeroboamum Ephraëmitam Regem adſciſcentibus, quas fruſtra armis ad obſequium reducere conatus eſt Rehabeamus, deterritus à Propheta ex juſſu divino. Mox aliam calamitatem expertus eſt, poſtquam ad idololatricos cultus & ipſe deſcivit Rehabeam. Quippe *Seſak Rex Ægypti*, cum innumerabilibus copiis veniens, *diripuit templum Hieroſolymitanum*. Hic *Siſacus*, ſi Joſepho credimus, idem eſt cum *Seſoſtri*, Ægypti Rege celeberrimo, cujus potentiam tantopere extollunt profani Scriptores, *Herodotus lib.* 2. *Strabo lib.* 1. *c.* 4. *&* 5. *Plinius lib.* 33. *cap.* 3. Ipſam hiſtoriam vide 1. *Reg. c.* 14. 2. *Paralip. c.* 18. *Joſeph. lib.* 8. *c.* 5. Rehabeami res petendæ ex 1. *Reg.* 12. 13. 14. *&* 2. *Paral.* 13. præter *Joſephum lib.* 8. *c.* 5.

A. M. 2986. ABIAM, hujus filius & in triennium ſucceſſor, regnum ſuum ſtabilivit victoriâ de Iſraëlitis partâ, quâ 500000. eorum cecidit. De quo 1. *Reg.* 15. & 2. *Paral.* 13. præter *Joſephum* 8. 5.

A. M. 2989. ASSA Rex pietate inſignis, niſi quod aras à collibus non removit, de cætero verum DEI cultum reſtauravit, Davidi ſuppar. Memorabilem & maximam omnium ab orbe condito victoriam reportavit de Æthiopum Rege *Sera*, quem cum millenis millibus militum & 300. curribus militaribus in Judæam irruentem internecione delevit. Ad extremum tamen diffidentiâ DEVM offendit, dum auro ſacro profanoque ex theſauris egeſto Regem Syriæ Benhadadum ſibi muneribus conciliat adverſus Baëſam Iſraelitarum Regem. Idem Medicis nimium confiſus, ex morbo pedum convaleſcere nequivit, anno regni 41. mortuus. Hic tamen Rex multis acceſſionibus ex Iſraëliticis tribubus regnum Judæ auxit. De eo 1. *Reg. c.* 15. *&* 16. & *Joſephus lib.* 8. *c.* 6. *&* 7.

Ex Regibus Tribuum X. JEROBOAM *Ephraëmita primus Rex Iſraël*, politicis rationibus inductus, idololatriæ populo ſuo auctor fuit, erectis

Digitized by Google

erectis in Dan & Bethel vitulis aureis. Vide de hac re diſſerentem *Cunæum de rep. Hebr. lib.* 1. *cap.* 15. Obiit anno regni 22. ſuccedente in paucos menſes filio NADAB, paternæ etiam malitiæ herede: quem BAESA *& omnem ſtirpem Jeroboami occidit*, ut comminationes divinæ ipſi Jeroboamo factæ implerentur. Quanquam Baeſa nihil illo melior ſimile excidium habuit expectandum ex prædictione Prophetæ Jehu. Mortuus ipſe, poſtquam annos 24. regnavit. De his amplius vid. 1. *Reg. cap.* 12. *& ſeqq. uſq. ad* 16. & 2. *Chron.* 11. *uſq.* 18. & *Joſeph. c. l.*

Inter EXTERNA quod ad A. M. 2907. *de* JONUM *coloniis in Aſiam migrantibus* notatur, *Euſebius in Chron.* ad hoc tempus refert. Conf. *Vellejus Paterculus lib.* 1. *c.* 4. qui etiam urbes enumerat, quas Græci illi coloni conſtituerunt, inter quas præcipua Epheſus. *Vellejum* tamen in eo reprehendit *Lipſius*, quod ducem hujus coloniæ Jonem facit, qui longe antiquior. Vid. *Not. ad h. l.* Addatur *Pauſanias in Achaicis.*

A. M. 2921. HIRAM *Rex Tyri fil. Abibali*, hinc memoratur, de quo præter S. hiſtoriam, vid. *Joſephus* 8, 2. cujus fide ex *Menandri annalibus Tyriorum* & *Dio*, alio ſcriptore Græco, Abibali filius dicitur. Fœderatus hic fuit Davidis & Salomonis.

De ALBA SYLVIO & CAPETO, *Regibus Albanis* vide ſupra in hoc laudatos *Livium lib.* 1. *cap.* 3. & *Dionyſium Halicarnaſſ. lib.* 1. *cap.* 8.

Redimus ad SACRA in ſeculo ſequente. Et de *Aſſa* quidem *victoriâ contra Zeram Æthiopem* jam diximus. Huic ſucceſſit in regno Judæ A. M. 3030. JOSAPHAT *fil. annos* 25. de quo 1. *Reg. c.* 22. & præcipuè 2. *Paralcip. capp.* 18. 19. 20. & *Joſephus lib.* 8. *cap.* 8. 9. 10. Hic Rex pietate longè eminuit, & zelo in reſtituendo vero DEI cultu, inſtruendoque populo & conſtituendis Judicibus. In eo tamen peccavit, quod nimio pacis ſtudio affinitates & fœdera contraxit cum impiis Samariæ Regibus, Ahabo & Ahaſia. Vid. 2. *Paral.* 18. *&* 20. Ejus victoria in Ammonitas, Idumæos & Syros incruenta memoratur 2. *Paral. c.* 20. & à *Joſepho lib.* 9. *cap.* 1.

A. M. 3052. JORAM *filius* ejus, patri diſſimilis, impietatem à matre imbibit, quæ erat Ahabi & Jezabelis filia. Ipſe regnum à cæde fratrum auſpicatus, peregrina ſacra & ceremonias introduxit; cladibus variis infelix. Nam Idumæi ab eo defecerunt, & Libna aliæque civitates obſequium exuerunt; Arabes quoque campeſtrem ejus regni partem populati, regiam diripuerunt, & uxoribus ejus captivis abductis, liberos occiderunt, præter minimum natu Ahaſiam vel Ochoziam. Has clades illi *Epiſtola Eliæ Prophetæ* jam ante denuntiaverat, 2. *Chron. cap.* 21. *v.* 12. Epiſtolam hanc alii ab Elia antequam in cœlum transferretur, ex præſcientiâ futurorum compoſitam, & nunc

Digitized by Google

ab Eliſæo miſſam; alii per miraculum ex beata illa manſione delatam; quidam etiam alterius cujuſdam Eliæ fuiſſe putant. Præfuit Joramus annos 8. & ſepulturam ignobilem habuit. De hoc Joramo (cui σύγχρονος & affinis fuit alter Joramus in regno Iſraëlis) vid. 1. *Reg. cap.* 8. 2. *Paral. c.* 21. & *Joſephus lib.* 9. *cap.* 2. & 3.

A. M. 3059. OCHOZIAS *filius* (ſeu Ahaſias) breve & vix annuum regnum habuit, quod arbitrio matris impiè adminiſtravit. Cum avunculo ſuo Joramo contra Hazaëlem Syriæ Regem profectus, infeliciter pugnavit, & dum iſtum vulneratum inviſit, à Jehu, familiam Jorami extirpante, ſimul occiſus eſt. 2. *Reg.* 9. 2. *Paraleip.* 21. *ſeq. Joſephus lib.* 9. *cap.* 4. & 5. Poſt ejus necem

A. M. 3060. ATHALIA, *mater Ochoziæ, filia Ahabi, regnum occupat.* Hæc ſtatim omnem regiam ſtirpem ſuſtulit; unicus tantùm filius Ochoziæ natu minimus Joas occultatus ab amita Joſabe, vim ejus effugit. Hic igitur

JOAS poſt annos 6. à Jojada ſummo ſacerdote productus, & Rex proclamatus eſt, occiſâ Athaliâ. Joæ, pueri etiamnum, nomine *Jojada* Pontifex rem Judaicam bene adminiſtravit, & religioni inprimis proſpexit. Templum quoque Hieroſolymitanum neglectum ferè hactenus, eſt reparatum anno regni Joæ 23. Poſt mortem verò Jojadæ à pietate deſcivit Joas, & clades ingentes à Syris paſſus, demùm à ſuis in lecto decumbens obtruncatus eſt, cum regnaſſet *annos* 40. Athaliæ & Joæ hiſtoria petenda ex 1. *Reg. c.* 11. & 12. 2. *Chron. cap.* 23. & 24. & *Joſephus lib.* 9. *c.* 7.

Recolligamus jam *Reges Iſraëlis*, quorum cum Regibus Judæ συγχρονισμὸν ipſæ Tabb. oſtendunt.

A. M. 3014. ELA *fil.* Baaſæ, primus in hoc ſeculo notatur: poſt annum & aliquot menſes à Samri, Equitum Magiſtro, inter epulas necatus, ſimul Baëſæ omnis familia extincta fuit. Ipſum ZAMRI poſt 7. dies AMRI, ab exercitu Rex electus, Thirzæ in regia obſeſſum ad deſperationem compulit, ut ſe ſuoſque unà cum palatio combureret. Et adverſus Amri quoque à parte populi THIBNI electus, prævalente tamen Amri ſine æmulo *ſolus* adhuc regnum 6. annos obtinuit. *Samariam* à ſe conditam, regni ſedem conſtituit: unde etiam circumjecta regio nomen accepit. De his vid. 1. *Reg.* 15. & 16. & *Joſephus lib.* 8. *cap.* 7.

A. M. 3026. ACHAB *fil. maritus Jezabelis Sidoniæ*, impietate inſignis, qua omnes anteceſſores ſuos ſuperavit, in gratiam ejus Jezabelis, Baaliticum cultum publicè introduxit, cæteraque egit ad peſſundandam religionem, ita ſe gerens, ut venditus & mancipatus ad mala

perpe-

Digitized by Google

perpetranda videretur. Ejus hiſtoria prolixè narratur *à 1. Reg. c. 16 v. 29. uſq. ad cap. 22. v. 40.* Cæſus eſt in bello contra Syros, cùm regnaiſſet annos 22.

ELIAS *Propheta prodire cœpit*, Thiſbita, qui ſe furoribus Ahabi & Jezabelis publicè oppoſuit. Ejus fides, miracula, prophetiæ & vivi in cælum translatio, cum ſtupore legentium memorantur *1. Reg. 17. & ſeqq.* & *2. Reg. 1. &c.* Conf. *Syracid. c. 48. v. 1. ſeqq. Auguſtin. de C. D. lib. 20. cap. 29.* Huic *in cælum rapto ſucceſſit Eliſæus diſcipulus*, ut paulò poſt memoratur,

A. M. 3046. OCHOZIAS *filius* Ahabi, qui ſequitur in ſerie Regum Iſraeliticorum, diſtinguendus eſt ab Ochozia, qui non diu pòſt in Juda imperavit. Hic Achabo patri ſimilis impietate, per breve admodùm tempus regno Iſraelitico præfuit, paucis poſt patrem menſibus ex gravi lapſu mortuus. Vid. *2. Reg. 1.* & *Joſeph. lib. 9. c. 1.*

A. M. 3048. JORAM *frater Ochoziæ* regnum ad ſe devolutum ſuſcepit; qui cætera patri non diſſimilis, Baaliticum tamen cultum, ſublatis columnis, quæ in honorem idoli Samariæ erectæ erant, imminuit. Bellum geſſit contra Moabitas auxiliis Joſaphati & Regis Idumæi, in quo precibus Eliſæi aqua impetrata, & victoria prædicta eſt. Cum deinde obſidio Samariæ & fames, & prodigioſa urbis liberatio nihilo meliorem reddidiſſet Joramum, divinæ vindictæ in domum Achabi decretæ executor fuit Jehu, á quo Joram & Jezabel mater interfecti, & omnis ſtirps exciſa eſt, poſtquam Joramus regnaſſet annis 12. Vid. *2. Reg. à cap. 3. uſq. ad 10. & Joſeph. lib. 9. c. 1. & 2.*

A. M. 3060. JEHU poſtquam *excidit domum Achab*, templum quoque Baalis deſtruxit, & in cloacam publicam convertit, occiſis ſimul omnibus idoli illius ſacrificulis, quos ſpecie devotionis congregaverat. Hactenus quidem rectè! Sed cùm in cultu vitulorum adhuc hæreret, & DEUM tædere cœpiſſet populi Iſraelitici, ut notanter dicitur *2. Reg. c. 10. v. 32.* plurimis cladibus ab Hazaële Syriæ Rege affectus, & regione Transjordanenſi ſpoliatus obiit inglorius, cùm regnaſſet annos 28. *2. Reg. 9. & 10. 2. Paral. 22. Joſeph. 9, 7.*

A. M. 3088. JOACHAS *filius*, & ipſe vitulini cultus retinens, iiſdem quibus pater pœnis ſubjectus fuit, ita afflictus ab Hazäelo Syro, ut ex aliquot centenis millibus ſubditorum 50. tantùm equites & 10000. peditum cum curribus 10. ad militiam idoneos & paratos haberet. Deceſſit, cùm regnaſſet annos 17. *2. Reg. 13.*

In Hiſtoria EXTERNA memoratur hoc Seculo *Ithobaal Rex Sidonis & Tyri pater Jezabelis*: de quo mentio fit *1. Reg. 16, 31. & apud Joſeph. 8, 7.*

BENHADAD *Rex Damaſci* itidem ex S. tantùm hiſtoria notus eſt. Et videtur *Hadad* fuiſſe non proprium nomen Regum Damaſci, ſed commune; ut *Benhadad* ſit filius Hadad, i. e. princeps regius Damaſcenus. Hinc Hadad-Ezer Syrus, quem David vicit; & Benhadad alius, Hazaëlis filius Rex Damaſci: de quo infra. Sed hic Benhadad eſt is, quem Aſſa Rex Judæ muneribus datis ſibi ſocium adſcivit adverſus Baëſam Iſraëlitam. 1. *Reg.* 16. & qui ſub Ahabo Samariam obſedit, & poſtea bis victus prælio, Ahabi miſericordiâ ſalvus evaſit. Vid. 1. *Reg. c.* 20.

CAPETVS II. &, qui ad finem hujus ſeculi ponitur, AVENTINVS, *Albæ Reges in Latio*, repetendi ſunt ex *Liv. lib.* 1. *c.* 3. & *Dionyſ. Halicarn. lib.* 1. *c.* 8.

PYGMALION *Rex Tyri & Sidonis* ex *Juſtino* notus eſt *lib.* 18. *c.* 4. & ex *Virgil. lib.* 4. *Æn.* Didonis ſive Eliſſæ frater fuit, quem illa fugiens cum opibus, quibus inhiabat, in Africam venit, ibique Carthaginis fundamenta poſuit, quâ de re paulò poſt. Add. ad illuſtrandam hanc *P. Fabri Semeſtria lib.* 3. *cap.* 2. *&* 13.

HAZAELIS *Regis Damaſceni* hiſtoria iterum quærenda eſt in S. literis 1. *Reg. c.* 11. *v.* 32. *& cap.* 12. *v.* 17. *& cap.* 13. *v.* 3 *&* 22.

LYCVRGVS *floret Spartæ.* Hic fuit celeberrimus Spartanorum legiſlator, cujus vita extat in *Plutarchi Parallelis majoribus.* De eo videndus *Herodotus lib.* 1. *c.* 65. *Strabo lib.* 10. *Pauſanias in Laconicis.* item *Juſtinus lib.* 3. *cap.* 2. *&* 3. De legibus ejus ſpeciatim *Xenophon de Republ. Lacedæm.* & *Strabo lib.* 8. *&* 10. Adde his ex recentioribus *Jo. Albert. Fabricium in Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 14. *pag.* 522.

A. M. 3067. CARTHAGO *à Didone conditur.* DIDO hæc alias *Eliſſa* vocata, quomodo fratrem ſuum Pygmalionem fugiens, Tyro profecta, Carthaginem in Africa condiderit, (intellige arcem tantùm, quæ *Byrſa* vocata eſt: nam reliqua urbs poſtea adjecta eſt) vid. apud *Juſtin. lib.* 18. *cap.* 4. *&* 5. & quos ad *capitis* 5. *v.* 9. auctores annotavit *Berneggerus.* De conditu tamen Carthaginis & conditore diverſæ ſunt ſententiæ. Vid. *Buddei Lex. Hiſt. Vniv. ſub voce Carthago.* De ſitu, amplitudine, magnificentia & portu Carthaginis, *Vbbo Emmius in Græcia Vet. Tom.* 3. *cap. ult.*

A. M. 3077. SARDANAPALVS *ultimus Rex Aſſyriorum à Nino deſcendentium perit. Regnum invadit Arbaces Mediæ præfectus.* Notum eſt, quod de luxu & mollitie hujus Regis traditur. De morte verò Sardanapali (qui, ſecundùm *Euſeb. in Chron.* etiam *Tonoſconcoleros* dictus) vulgaris eſt narratio, quod à rebellante Mediæ præfecto oppugnatus & victus, in regiam ſe receperit, & exſtructâ accenſâque pyrâ & ſe & divitias

divitias ſuas in incendium miſerit. *Juſtin.* 1, 3. Vide & cæteros annotatos à *Berneggero ad hoc caput Juſtini.* Add. *Rupert. Obſervat. ad Synopſ. Beſoldi cap.* 3. *p. m.* 48. (ubi tamen quod dicit, *Berneggerum* docere, *Sardanapallum* ſcribendum eſſe per duplex l. non videtur legiſſe totam illam notam. Ait enim *Berneggerus*, ſibi hoc non videri, cùm nomen hoc ſit purum putum Aſſyriacum.) *Clitarchus* tamen apud *Athenæum* 12. 7. tradit, eum ſenio obiiſſe. Arbaces deinde ſive Arbactus imperium ad Medos tranſtulit. Vid. *Artopæi Diſſert. I. de Summis Orbis Imperiis cap.* 4. ubi de duratione Imperii Aſſyriaci variæ ſententiæ expenduntur. Cùm verò Auctor noſter Sardanapalum ultimum Regem Aſſyriorum *à Nino deſcendentium* dicit, videtur eorum ſententiam ſequi, qui non omninò deſiiſſe tunc cum Sardanapalo Aſſyriacum imperium volunt: ſicut & in ſeqq. alios Aſſyriorum Reges nominat. Sed horum temporum hiſtoria admodum eſt intricata. Vid. *Diſſert. II. de Summ. Orb. Imp.* §. 1. & 2. *Rechenbergius in Prælect. Hiſt. Part.* 2. *cap.* 4. §. 4. tres inſignes monarchiæ Aſſyriacæ periodos ſtatuit, quarum hæc prima ſit uſque ad interitum Sardanapali. Sed & ipſe addit, res hujus Imperii in alta nocte ſepultas eſſe.

Ad ſequens Seculum progredientibus inter SACRA in ſerie *Juda Regum* occurrit ad A. M. 3106. AMASIAS *filius Joa*, qui exemplo patris laudabilia imperii primordia habuit. Idem ſuſcepto contra Idumæos, qui ante 60. circiter annos defecerant, bello, eorum 10000. occidit, totidem de præruptâ rupe præcipites dedit: centum millia Iſraëlitarum mercede conducta, monitu Prophetæ domum dimiſit, neglectâ pecuniâ in ſtipendium datâ. Delectatus deinde idolis devictorum à ſe Idumæorum in ſtultiſſimam ſuperſtitionem incidit & Prophetam rectè monentem conviciis excepit. Joæ deinde Iſraelitarum Regi non neceſſarium bellum intulit: à quo victus & captus Hieroſolymam deductus eſt; victor theſauros regiæ ac templi abſtulit, filios Amaziæ obſides abduxit, & partem muri Hieroſolymitani 400. cubitorum longitudine (*Joſephus* malè 300.) deſtruxit. Huic cladi ſuæ cum 15. annos ſuperfuiſſet Amazia, ſuorum conjuratione oppreſſus eſt poſt 29. annos regiminis. 2. *Reg.* 14. 2. *Paral.* 25. *Joſeph. lib.* 9. *c.* 9. & 10.

A. M. 3138. ASARIAS, *qui & Vſias fil.* ejus *annos* 52. præfuit. Hic quamdiu DEO fidelis fuit, proſperos habuit ſucceſſus, inter quos referenda eſt expugnatio validiſſimarum civitatum Gath, Azod & Jamniæ; coloniarum in Palæſtinas ſatrapias deductio; operum magnificentia; exercitûs numerus his temporibus ingens, bellatorum nempe, 307500. ſub ducibus 2600. proventuum denique regiorum

ſeu

ſeu Oeconomicæ rei felicitas. His autem ſucceſſibus arrogantior factus, jam ſenior ſacerdotium quoque uſurpare voluit, immiſsâ ſubitò lepra punitus. Per reliquum ergo vitæ tempus ſeorſim habitavit, regni adminiſtratione Jothamo filio commiſsâ. 2. *Reg.* 15. 2. *Paral.* 26. *Joſeph. lib.* 9. *c.* 11. qui plura circa hiſtoriam punitionis ejus miracula cumulat.

Notantur deinde Prophetæ, qui per hæc tempora floruerunt. HOSEAS quidem, AMOS, JESAIAS & MICHA quâ ætate vaticinati ſint, ipſi indicant in ſuis prophetiis. JOEL autem ſicut & OBADIA, qui hic non nominatur, ex traditione veterum ad hæc tempora referuntur. JESAIAS, qui inter majores quos vocant Prophetas primum meritò locum obtinet, propter illuſtria vaticinia de Chriſto, Evangeliſta V. T. dici ſolet. Eum Judæi tradunt Amaziæ Regis ex fratre nepotem fuiſſe: & idem, ſi *Hieronymo* credimus, Manaſſis Regis Socer fuit; cujus tamen juſſu poſtea ſerrâ diſſectus perierit. Horum Prophetarum opera hodie inter Scripturas canonicas extant. Vid. *Luther. in Præf.* & *Heideggeri Enchirid. Biblic.*

A.M. 3190. JOTHAM *fil.* Uſiæ, inter pios Reges referendus, bello quoque contra Ammonitas felix fuit, & operibus quibuſdam magnificus. Tolerabat tamen non Excelſa tantùm, verùm etiam, quod ex Prophetarum ſcriptis colligi poteſt, multa populi peccata. Regnavit in Judæa annos 16. 2. *Reg.* 15, 32. & 2. *Chron.* 27. *Joſephus* 9, 11.

Inter *Reges Iſraëlis* hoc Seculo fuit A. M. 3103. JOAS *fil.* Joachæ, diſtinguendus à Joa Ahaſiæ filio, Rege Judæ, cujus ultimum triennium cum hujus regimine coincidit. Victorioſus hic Rex tribus præliis Benhadadum, filium Hazaëlis, Regem Syriæ fregit, juxta vaticinium Eliſæi, & magnam partem regionis à parente amiſſæ recuperavit. De victoria ejus contra Amaziam Regem Judæ jam dictum: cui ille non diu ſuperfuit, mortuus cùm regnaſſet annos 16. De eo 2. *Reg.* 13. & 14. *Joſephus* 9, 10.

ELISÆUS, Propheta, cujus obitus hic ponitur ad A.M. 3113. vir mirabilis, & magni Eliæ haud minor diſcipulus fuit. Quæ geſſerit ſparſim memorantur à 2. *Reg. cap.* 2. *ad* 13. *incluſ.* Vocatio ejus ad munus propheticum jam 1. *Reg. c.* 19. *v.* 19. Hiſtoria geſtorum ejus compendio refertur in *Hiſt. Eccleſ. Goth. lib.* 1. *c.* 2. *Sect.* 3. *p.* 241. *ſeq.* Add. *Eccleſiaſtic. cap.* 48. *v.* 13. *Joſephus lib.* 8. & 9.

A.M. 3121. JEROBOAM II. *filius* Joæ, etſi non melior majoribus ſuis, benignitate tamen DEI multis victoriis inclytus fuit. Non enim tantùm ſua à Syris defendit, ſed & ademtam illis Damaſcum & Ematham, olim Davidi & Salomoni tributarias urbes, imperio populi Iſraeli-

Digitized by Google

Iſraëlitici denuò ſubjecit: qui ſucceſſus ei prædicti fuerant à Jona, Amithai filio, Propheta. Deceſſit, cùm regnaſſet annos 41. (*Joſephus* 40. tantùm ponit.) Vid. 2. *Reg.* 14, 23. & *Joſephus* 9, 11.

De JONA *Propheta* dicendum, qui hoc tempore adhuc vixit. Ejus hiſtoriam in ipſius Prophetico opere deſcriptam legere eſt. Conf. *Joſephus lib.* 9. *c.* 15. qui tamen aliqua dubiæ veritatis addit, quale illud eſt, quòd in Pontum Euxinum eum evomuerit balæna, &c. Fuiſſe autem hunc Jonam filium Viduæ Sareptanæ, ab Elia reſuſcitatum, traditio eſt ſine fundamento. Hebræus enim fuit Jonas, non Sidonius. Majoris momenti & altioris indaginis eſt, quod quæritur, quiſnam fuerit ille Rex Ninives, cui Jonas pœnitentiam prædicavit. Sardanapalum fuiſſe, vulgaris eſt ſententia, & tempora congruere videntur. Sed pœnitentia, ad minas divinas per Jonam acta, non quadrat in hunc Regem, ſi quidem talis fuit, qualem Hiſtorici deſcribunt. Vid. *Artopæi Diſp. I. de Summis Orbis Imperiis cap.* 4. *fin.* Conf. *Diſp. II.* §. 2. Vid. etiam de Jona *Heideggeri Enchirid. Biblic. p.* 212. *ſeqq.* & *Lipenij Periplus thalaſſicus Jonæ.*

A. M. 3175. ZACHARIAS Jeroboami fil. infans adhuc, cùm pater moreretur, aut poſthumus fuiſſe creditur, quippe qui non ante 38. Uſiæ annum ad regnum pervenit. (Circa annos autem regni tàm Iſraëliticorum, quàm Judæ Regum, nata nonnunquam dubia, quæ chronologiam turbant, ſubinde ſuis locis notantur in *Hiſt. Eccl. Goth.* ex *Calviſio* aliiſque Chronologis: quod ſemel hic monere volui.) Zacharias poſt menſes 6. aditi regni, à Sallum ſpectante populo, obtruncatus, & cum eo Jehu poſteritas regni poſſeſſione dejecta eſt, poſt quartam generationem, ut DEVS prædixerat. SALLVM, quem *Joſephus* vocat *Seleſmum*, viciſſim à Menahem ſublatus eſt, poſt menſtruam regni deguſtationem potius quàm poſſeſſionem. MENAHEM *annos* 10. crudeliter & avarè dominatus (quod patet ex ſævitia in Tapſenſes cives imperium detrectantes, & ex tributo in capita ſubditorum indicto, quo Phulem Aſſyriorum Regem ſibi conciliabat, ad tyrannidis ſuæ ſtabilimentum) deceſſit, relicto regni & morum hærede filio PECAIAH, (*Joſepho* Phaceia) qui poſt biennium interfectus eſt à Pecah, Remaliæ filio, Magiſtro Equitum, ſociis ſceleris primariis Galaaditarum viris. De his omnibus vid. 2. *Reg.* 15. & *Joſeph.* 9, 11.

A. M. 3190. PECAH igitur regnavit *annos* 20. Sub hoc Rege pars regni Iſraëlitici ſubacta eſt à Theglatpelaſſare Aſſyriorum Rege, & duæ tribus cum dimidiâ regionem transjordanenſem incolentes, & è Galilæa tribus Naphthali in ſervitutem abductæ, inque provincias quaſdam Mediæ diſperſæ ſunt, 2. *Reg.* 15. *v.* 29. 1. *Paral.* 6. *v.* 26. Add.

2. *Reg.*

2. *Reg.* 17, 6. Pecah poſtquam multa mala & ipſe paſſus, & popularibus ſuis Iſraelitis, inprimiſque Judæis (quos ingenti prælio vicit, cæſis 120000.) intulit, ab Hoſea filio Ela oppreſſus occiditur. 2. *Reg.* 15, 29. 2. *Chron.* 28, 6. Add. *Joſephus libr.* 9 *c.* 13.

Inter EXTERNA hujus Seculi ad A. M. 3107. memoratur BENHADAD, *fil. Hazaëlis, Rex Damaſci*: de quo jam diximus ſub Joa Rege Iſraëlitico. Vid. 2. *Reg.* 13, 24.

De PROCA SYLVIO, &, qui paulò poſt notatur, AMVLIO *Regibus Albanis in Latio*, quæ dici poſſunt, repetantur ex *Livio lib.* 1. *cap.* 3. & *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 1. *c.* 8.

A. M. 3137. CARANVS *Heraclida Argis Macedoniam petit, ibiq; regnum auſpicatur.* De hoc Carano, qui regni Macedonici conditor dicitur, & à quo decimus ſeptimus Alexander M. fuit, vid. *Velleius Paterc. lib.* 1. *cap.* 6. *Juſtinus lib.* 7. *c.* 1. & ex recentioribus *Rupertus Obſerv. ad Synopſ. Beſold. cap.* 8. *Reinerus Reineccius de Familiis Regum Macedon.*

ARBACES *Medorum Rex.* Hunc *Vellejus Paterc.* 1, 6. Pharnacem vocat; *Juſtinus* Arbactum *lib.* 1. *cap.* 3. *v.* 2. ad quem locum vide annotatos à *Berneggero* auctores, ex quibus præter ipſum *Juſtinum*, hujus regis hiſtoria petenda.

BELESVS *Babyloniorum ſeu Aſſyriorum Rex* ex ſolo *Diodoro Siculo* notus eſt, qui tamen *Beleſin* vocat, & præfectum tantùm Babyloniorum ſub Sardanapalo primùm, poſtea ab Arbace confirmatum, dicit. Nonnulli eundem cum Phullo Aſſyriorum Rege faciunt; quos ex ætate utriuſque diverſà falſitatis arguit *Rupertus Obſerv. ad Synopſ. Beſold. c.* 3 *p.* 52. Alii etiam cum Tiglathpileſare confundunt. Sed profanorum ſcriptorum narratio de horum temporum rebus Aſſyriacis meris tenebris involuta eſt, niſi in quantum aliquid lucis affundunt S. Literæ, nunquam diſcutiendis. Operæ pretium eſt hac de re videre Beati Parentis mei *Diſſertationem II. de Summis Orbis Imperiis* §. 2. & 3. Hucuſque tempus μυθικὸν duraſſe dicunt: ſequitur ἱςορικὸν, ex diviſione *Varronis* apud *Cenſorinum de die natali.* Namque in hoc tempus refertur, quod hic notat Tab. noſtra ad

A. M. 3174. OLYMPIADVM *initium*: de quo quidem magna eſt incertitudo, & inter Chronologos ſententiarum diſcrepantia, aliis citiùs, aliis ſeriùs id ponendum eſſe cenſentibus. De Herculis agone Olympico ſupra diximus, qui quatuor cum dimidio ferè ſeculis antiquior eſt. Hunc agonem ſeu ludicrum Olympicorum certamen Iphitus per hæc tempora inſtauravit Rex Elidis. Vid. *Vellejus Paterc. lib.* 1. *cap.* 8. *Strabo Geogr. lib.* 8. *Pauſanias in Eliacis.* Celebre hoc ludicrum & mercatus, totius Græciæ Conventu celebratus fuit quinto quo-

que

Digitized by Google

que anno ſeu poſt quatuor annos expletos. Hinc *Epocha* Græcorum *Olympiaca* ducitur: quanquam ante *Diodorum Sic.* ex ſuperſtitibus Scriptoribus nemo per Olympiadas computaſſe annos legitur. Vid. *Artopœi Diſſert. de incertitudine notationis temporum per Olympiadas*: ubi plura ad hanc Epocham pertinentia; & oſtenditur, quòd Olympiadum initia debitò recentiora conſtituta ſint; quòd interpolata earum ſeries; quòd auctoritas incerta; quòd ſera obſervatio; quòd alligatio ſuſpecta; quòd denique ipſorum Chronologorum in ſupputandis iis multiplex diſſenſus ſit. De *Epochâ* hinc *Olympiadicâ* vide pluribus diſputantes magnos Chronologos, *Scaligerum de Emend. Temp. lib.* 1. *Petavium Rat. Temp. & in Doctr. Temp. Part.* 2. *lib.* 1. *c.* 14. *&* 17. *& lib.* 3. *c.* 1. Item *Strauch. in Breviar. Chronol. Parte Speciali cap.* 16. *Quæſt.* 3. 4. *ſeqq. Neu. in Acceſſion ad Wheari Relect. Hiem. p.* 28 *&c.*

Phul *Rex Aſſyriæ floret.* Hujus mentio fit 2. *Reg. c.* 15. *v.* 19. Terras ad X. Tribus regni Iſraelitici pertinentes invaſit cum exercitu: mox acceptâ grandi pecuniâ receſſit ad ſua. *Parens meus* ſuſpicatur hunc Phul ipſum eſſe Sardanapalum; cujus ſuſpicionis fundamenta vid. in Ejus *Diſſert. II. de Summ. Orb. Imp.* §. 2. Subjungemus ſtatim

Theglath-Phalassarem *Regem Aſſyriæ*: qui 2. *Chron. c.* 28. *v.* 20. vocatur *Thiglath-Pilneſer.* Hic expeditione ſuſceptâ contra Regem Iſrael Pecah, & captis quibuſdam ejus urbibus, Tranſ-Jordanenſes Iſraelitas, & in Galilæa tribum Naphthali traduxit in Aſſyriam. 2. *Reg.* 15, 29. Advocatus deinde in auxilium ab Achaſe Jothami fil. Rege Judæ, quem Rezin Syriæ Rex & Pecah Rex Samariæ graviter oppugnabant, ei ſuccurrit. Muneribus enim Achaſi, & ſpontanea deditione in ſubjectionem paſſus ſe evocari Rex Aſſyrius, Damaſcum obſeſſam expugnavit, translatis Damaſcenis in Kir, adeoque totum illud, quod inde à Salomonis ætate latiſſimum cis Euphratem fuit, Damaſcenum imperium deſtruxit. 2 *Reg.* 16. *v.* 7. *ſeqq.*

A. M. 3189 Numitor *avus Romuli Rex Albæ* ultimus fuit. nam poſt ejus obitum deficiente ſtirpe Regia, Albani annuos magiſtratus creaverunt, quos Dictatores appellabant, teſte *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 5. *c.* 83. Quomodo præreptum ſibi ab Amulio fratre regnum, hoc per nepotes ex filia Romulum & Remum cæſo, occupaverit, & cætera ad hunc Regem pertinentia vide apud Eund. *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 1. *c.* 9. *&* 10. *Livium lib.* 1. *c.* 5. *Juſtinum* 43, 2. *Plutarchum in Romulo.*

Ephori Lacedæmoniorum *inſtituti*, ad hoc tempus referuntur ab *Euſebio in Chron.* Erant autem Ephori magiſtratus apud Lacedæmonios, in id inſtituti, ut Regum poteſtatem circumſcriberent, ferè ut Tribuni plebis in republ. Romanâ ad refringendam Senatûs poten-

Digitized by Google

tiam. Conſtituit eos primùm Theopompus Rex Spartanorum. Et licebat cuivis Ephoro Regem ipſum in vincula publica conjicere. *Cornel. Nep. in Pauſania cap.* 3. *v.* 5. vid. *Plutarchus in Lycurgo c.* 13. *Suidas voce Ephorus. Sigonius de Temporibus Lacedæmoniorum.*

A. M. 3195. ALCMÆON *ultimus Archon perpetuus Athenis. Sequuntur decennales, quorum primus* CHAROPS. Memorat præter alios *Vellejus lib.* 1. *c.* 8. *Meurſius libris* 4. *de Archontibus Athenienſium* cæterorum etiam nomina curiosè collegit.

A. M. 3197. ROMA CONDITA VI. *Olympiadis anno* 3. *ſecundùm Varronem.* De condita urbe Roma, quæ olim terrarum Dea gentiumque futura erat, quanquam hiſtoria tàm celebris eſt, tamen in circumſtantia temporis & conditorum, mira incertitudo deprehenditur. Vide varias de utroque ſententias prolixè exhibentem *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 1. *cap* 9. & 10. & *Plutarchum in Romulo.* Quoad cæteras circumſtantias in hiſtoria de conditu Romæ, remittimus ad *Livium lib.* 1. *c.* 8. *Florum lib.* 1. *c.* 1. & quos ibi annotavit *Camers.* De *Varronis* autem in tempore conditæ Vrbis Romæ diſcrepantia à *Virgilio,* vid. *Artopæi Diſſert. de Incertitud. notationis Temporum per Olymp.* §. 9. Addatur *Neu in Acceſſ. ad Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *p.* 30. Hinc Epocha ab Vrbe Condita: de quâ conſulendi Chronologi.

Reſtant in Tab. noſtra ad oram adſcripti HOMERVS & HESIODVS, Græci Poëtæ antiquiſſimi & celeberrimi, quorum ille ad finem Seculi trigeſimi à M. C. refertur, hic ad Seculum 32. Statuitur tamen à nonnullis Heſiodus antiquior Homero, ab aliis coævus. Sed de ætate illorum, qua vixerunt, & olim & noſtris temporibus diſputatum eſt. Vid. *Voſſius de Poëtis Græcis, c.* 2. De Homero etiam *Vellejus lib.* 1. *c.* 5. & ad eum *Not. Lipſii.* De utroque *Artopæus De Incertitud. notationis Temp. per Olymp.* §. 5. Opera horum Poëtarum & olim in pretio fuerunt, & nunc ſunt. Plura de Homero *Ludolphus Küſterus in Hiſtoria Critica Homer. D. Buddeus in Lex. H. V. Append. & ibi notati. Joh. Alb. Fabricius in Biblioth. Græc. lib.* 2. *capitibus* 6. *priorib.* & de Heſiodo *Idem ibidem cap.* 7. *ſeq.* & *Morhoff. Polyh. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 2. & 3.

TABVLA V.

IN ſerie REGVM JVDÆ ſequitur A. M. 3106. ACHAZ, homo ſummè impius, qui etiam filios ſuos in honorem idolorum igne combuſſit, variaque præterea ſuperſtitionis genera introduxit. Variis dehinc, ut meritus, cladibus affectus, à Syris primùm captus & Damaſcum abductus eſt; inde verò rurſus dimiſſus, ingenti prælio victus

victus eſt á Pecah Rege (de quo ſupra ſub Pecah) qui deinde junctis cum Rezin Rege Syriæ copiis Hieroſolymam obſedit: quæ obſidio Hieroſolymæ notatur etiam ſeorſim in Tab. noſtra. Et Achaz quidem DEI auxilio liberatus eſt; ſed ejus tamen promiſſionibus non confiſus, *Thiglathphilaſſarem Regem Aſſyriorum in auxilium vocavit* contra Syros & Iſraëlitas; qui tamen & ipſe cum exercitu Hieroſolymis appropinquans, hoſti quàm ſocio ſimilior, ſacros profanoſque ei theſauros extorſit. Ab Idumæis inſuper & Palæſtinis vexatus, cùm nihilo tot calamitatibus melior factus, tandem etiam verum DEI cultum, clauſo templo, palàm ſuſtuliſſet, mortuus eſt, expletis regni annis 16. vid. 2. *Reg.* 16. 2. *Paral.* 28. *Jeſajæ cap.* 7. ubi inprimis hiſtoria obſidionis Hieroſolymæ.

A.M. 3222. Ezechias *fil. Rex, qui pietate parem non habuit, confregit ſerpentem æneum Moſis, ob cultum ejus idololatricum.* Hoc enim potiſſimùm de eo ſpeciatim memorat Tab. noſtra. Hic aliàs Hiskias dictus, peſſimi Patris optimus filius, primo ſtatim anno & menſe cultum divinum reſtituit. Specialia vide 2. *Paral. c.* 29. De ſublato ab ipſo ſerpente æneo 2. *Reg.* 18. Hic Hiskias cùm nonniſi 11. aut 12. annis junior Achaze fuerit, ut colligere eſt ex 2. *Paral.* 28. *v.* 1. & *c.* 29. *v.* 1. dubium hinc oritur, quomodo ejus filius potuerit eſſe, ut tamen diſertè dicitur *d. l.* & *Matth. cap.* 1. *v.* 9. Hinc nonnulli filium adoptivum Achazi putant, non naturalem; malunt tamen alii ad miraculum referre, quod præter naturam à patre duodecenni genitus fuerit. Philiſtæos multis cladibus affecit, & tributa Aſſyriis negare auſus eſt. Anno regni ejus 14. terribilis illa contra Syriam, Palæſtinam & Ægyptum expeditio ſuſcepta eſt à Sennacheribo, quem nonnulli eundem eſſe putant cum Sargone, de quo *Eſai. c.* 20. *v.* 1. & Salmanaſſaris filium faciunt; quod tamen incertum. Et tunc *Jeruſalem ab exercitu Sennacheribi obſeſſa & liberata eſt divinitus.* quippe cæſis miniſterio Angeli una nocte 185000. hominum in exercitu ejus. Quæ expeditio & clades Superbi Regis cum memorabilibus circumſtantiis prolixè narratur 2. *Reg. c.* 18. *v.* 13. *& c.* 19. 2. *Chron. c.* 32. *Jeſajæ c.* 36. *& ſeq.* Meminit ejuſdem expeditionis & cladis ex profanis etiam *Herodotus lib.* 2. & *Strabo lib.* 1. *&* 15. Quæ verò *Herodotus* de Sethone Rege Ægypti, quem S. Scriptura *So* nominat, & de clade Sennacheribi ad Peluſium accepta, muribus arcus & ſcuta Aſſyriorum corrodentibus, refert, ea quin ad Hiskiam Regem pertineant potiùs, & ſequutam poſt ejus preces cladem Sennacheribi Hieroſolyma obſidentis, non videtur dubium; Ægyptiis, à quibus hæc accepit Herodotus, ita pervertentibus, & ad ſuam gloriam trahentibus: quanquam *Joſephus lib.* 10 *c.* 1. & ex eo *Zonaras Annal.*

nal. lib. 1. duplicem Sennacheribi cladem faciunt, diverſis ejus exercitibus immiſſam. Vid. *Artopœi Diſſert. II. de Summus Orbis Imperiis* §. 6. *Thirbaca* Rex Æthiopum qui Sennacheribo obviam progreſſus eſt, à *Joſepho* Tharſice, à *Strabone lib.* 15. *p.m.* 472. Thearcon appellatur, qui de ejus ingenti potentia incredibilia narrat. Huic cladi Aſſyriacæ varia addunt Rabbini prodigia. Vid. *Hiſtor. Eccl. Goth.* 1, 2, 3. *p.* 268. Memorabilis eſt hujus Regis Hiskiæ morbus, & precibus ejus impetrata prolongatio vitæ in 15. annos, & promiſſio hæc miraculo confirmata: circa quod quæri ſolet, utrùm umbra tantùm, an verò Sol regreſſus ſit? Plerique omnes Eccleſ. DD. ipſum diem 10. horis ſolito longiorem fuiſſe exiſtimant. Vid. *Auguſtinus lib.* 21. *de C. D. c.* 8. & *Not. Coquei ad h. l.* Hanc hiſtoriam etiam Sacerdotum Perſarum monumentis eſſe proditam, tradit *Dionyſius Areopagita Epiſt.* 7. *ad Polycarpum.* Circa legationem *Merodachi Baladan*, Regis Babylonii, quæri ſolet, quis fuerit hic Merodach? Mardocempadum *Ptolemai* eſſe aſſerit *Joſ. Scaliger*, & eum ſequuti alii. Certè ex hac hiſtoria colligi poteſt, Babylonium regnum eo tempore ſeparatum fuiſſe ab Aſſyrio Lapſus Hiskiæ ex oſtentatione opum ſuarum, & comminatio Jeſaiæ, & reliqua hujus Regis hiſtoria colligatur ex *Regum & Chronicorum libris poſterioribus*, & *Jeſajæ capitibus ſupra notatis.* Add. *Eccleſiaſt. cap.* 48. *v.* 19. *Joſephus lib.* 10. *c.* 1. *ſqq.*

Sub REGIBUS ISRAEL notatur ad A. M. 3206. *Obſidio Hieroſolymæ per Pecah & Rezin Syriæ Regem.* de qua paulò ante diximus. *Obed Propheta* eſt is, de quo 2. *Paral. c.* 28. *v* 9. memoratur, quòd ejus ſuaſu Iſraëlitæ captivos ex Judæis dimiſerint. Sequitur

A. M. 3220. HOSEA *Rex ult.* Iſraëlitarum: qui quomodo ad regnum pervenerit, dictum ſupra in hiſtoria Pecah. Ejus regni duplex initium faciunt nonnulli. Anno hujus nono Salmanaſſar Rex Aſſyriæ deficienti à ſe Hoſeæ, & in clientelam Ægyptiacam concedenti, cum exercitu ſupervenit; & poſt biennii obſidionem captâ cum Rege ſuo Samariâ, populum omnem Iſraëliticum in miſerrimam ſervitutem abduxit: id quod ſeorſim Tab. noſtra memorat. Regiones, in quas abducti ſunt, nominat S. Scriptura, inter quas quod *Calach* ſit Colchis oſtendit *Parens meus Diſſert. II. de Summis Orbis Imperiis* §. 5. Cæterarum loca ſatis accuratè notaſſe videtur *Füllerus Miſcell. S. lib.* 2. *cap.* 5. Atque ſic fuit FINIS REGNI ISRAELITICI, de cujus durationis tempore variè diſcrepant Chronologi. Plerique annos 255. numerant. Sed *Joſephus lib.* 9. *c.* 14. tantùm 240. menſes 7. dies 7. vid. *Salian. ad ann.* 3314. *n.* 6. ubi aliorum quoque errorum Joſephum accuſat. Memorabile eſt, quod ex XIX. Regibus Iſraëlis X. cruentâ morte occubuerunt.

Poni-

Digitized by Google

Ponitur dehinc in Tab. noſtrâ NAHUM *Propheta.* Ad hæc enim tempora referunt *Hieronymus* & alii. *Joſephus lib. 9. c. 11.* paulò priùs, nempe ſub Jothamo Rege Judæ ponit. *Lutherus* quoque in Præfatione hunc Prophetam antiquiorem facit.

TOBIAS *in Media floret* hoc tempore, ut Tab. noſtra aſſignat. Hujus tamen Tobiæ hiſtoria dubio non caret, quæ exhibetur in apocrypho *Tobiæ libro.* Drama eſſe, non hiſtoria, à multis nec immeritò putatur. Vid. *Lutheri Præfat.* Ipſe Tobias fuiſſe dicitur ex tribu Naphthali, *cap. 1. v. 1.* & abductus inter captivos cum uxore & liberis in urbem Niniven, *cap. 1. v. 11.* quanquam hæc tribus jam tùm à Theglatpalaſſare abducta fuit. Hæc non cohærent: niſi dicamus, manſiſſe aliquas tribus hujus reliquias, quas Salmanaſſer demum abduxerit.

A. M. 3251. MANASSES *filius peſſimus optimi Parentis* (Hiskiæ) *Jeſaiam Prophetam ſerrâ ligneâ diſſecuit.* Hic Manaſſes Rex Judæ etiam gentium illarum ſcelera ſuperavit, quas DEVS è regione Palæſtinâ deleverat. Sed ab exercitu Regis Babylonii (qui etiam Aſſyrius vocatur) captus, & Babylone in vincula conjectus ſcelerum ſuorum immanitatem calidis ad DEVM precibus ſuſis deploravit. Extat *Oratio Manaſſis* in S. Codice *inter apocrypha.* Annum capti Manaſſis, ut & nomen Regis Babylonii, Scriptura tacet: de quo multa diſputatio. Liberatus ergo ex captivitate, inſigni divinæ miſericordiæ exemplo, & reſtitutus in regnum, fructus veræ pœnitentiæ egit, & idolis repurgando civitatem, & verum DEI cultum reſtituendo. Modus reſtitutionis ejus, & quamdiu captivus fuerit, itidem tacente Scripturâ non liquet. Ipſe obiit, cùm inter omnes gentis ſuæ Reges diutiſſime regnaſſet, annos nimirum 55. Vid. *2. Reg. c. 21. 2. Paral. c. 33.* & *Joſephus lib. 10. c. 4.* Quod de *Jeſaiæ Prophetæ ſupplicio*, quem hoc tempore centenarium ſenem fuiſſe oportet, Tab. noſtra memorat, id non tàm ex S. Scriptura conſtat, quàm unanimi conſenſu veterum traditur.

Huc refertur in Tab. noſtra HOLOFERNES *ab Juditha occiſus.* Hujus cædis narratio petenda ex *libro Judith.* Sed hic iterum anxiè laborarunt Interpretes, dum ad hiſtoricam & canonicam veritatem narrationes has apocryphas reducere ſatagunt. Nam nec de tempore convenit, nec de Rege illo Nabuchodonoſore, cujus in hac narratione fit mentio. Et aliter *Euſebius* & *Auguſtinus de C. D. lib. 18. c. 26.* aliter verò *Bellarminus lib. 1. de Verbo DEI cap. 12.* nec non *Junius* ac *Tremellius*, & inprimis *Salianus ad ann 3344 & 3346.* has difficultates expedire conantur. Vid. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. cap. 2. Sect. 3. p. 273.* Nos malumus cum *Luthero* totam hanc de Juditha narrationem pro pia quadam fabula habere. Videatur de hoc argumento *Meletema hiſtoricum, quo* diſqui-

diſquiritur, utrum narratio de Judith & Holoferne hiſtoria ſit, an epopœia? quod in hac Vniverſitate loco diſputationis olim propoſuit *Parens meus*, qui drama eſſe exiſtimat; at *D. Bernhardus de Montfaucon*, celeberrimus Gallus, in libro, cui titulum fecit: *La veritable hiſtoire de Judith*, contra ſentit.

Tranſimus jam ad hiſtoriam profanam, in qua GRÆCA primo loco occurrunt. BELLVM MESSENIVM I. ſicut & II. quod poſtea notat, ex *Pauſania lib.* 4. qui *Meſſenia* continet, repetendum eſt. Vid. & *Juſtinus lib.* 3. *cap.* 4. *ſeq.* & ibi annotati à *Berneggero* auctores. Et hinc initium diſcordiarum civilium in Græcia fuit; quæ ſubinde recrudeſcentibus bellis inteſtinis, debilitatiſque per hæc civitatium viribus, denique ad opprimendam Græciæ libertatem inſidiantes ex propinquo Macedonas invitarunt.

De EPHORIS *primis in Republ. Spartana creatis*, jam ad præcedentem Tabulam dictum eſt, ubi hoc itidem notatum.

A. M. 3211. SYRACVSÆ *condita ab Archia Corinthio.* De qua re vid. *Strabo lib.* 6. *p. m.* 181. & 186. Addantur quæ de conditu Syracuſarum, aliiſque hujus Vrbis nobiliſſimæ memorabilibus ſcitu digna collegit ex Veterum monumentis, *Cluverus in Sicilia antiqua*, præſertim *lib.* 1. *c.* 12.

De CORCYRA *condita à Corinthiis*, quæ Inſula prius *Scherea* dicta, hodie *Corfu*, vide iterum *Strabonem lib.* 6. *p. m.* 186. quo teſte idem Archias Corinthius ad eam colonos miſit.

A. M. 3220. TARENTVM *conditur à Spartanis.* De hujus civitatis in Magna Græcia ſeu parte Italiæ inferiore, hodie *Taranto* dictæ, origine, vide memorabilem hiſtoriam apud *Strabonem lib.* 6. *p. m.* 139. *Pauſaniam in Phocicis, Servium ad Virgil. Æn.* 3. *v.* 551. *Juſtinum lib.* 3. *c.* 5. alioſque. Item *Freinſhemij Not. ad Flor.* 1, 18, 2. Coloni à Spartanis huc miſſi, *Parthenia* dicti, ex illegitimo omnes thoro nati.

A. M. 3221. *Poſt* ERYXIAM *ult. novennalem Archontes novem viri annui Athenis creantur.* Vid. *Vellejus Paterc. lib.* 1. *c.* 8. Addatur *Meurſius de Archont. Athenienſ. Rupert. Obſ. ad Synopſ. Beſold. p.* 111 *fin.*

A. M. 3224. BELLVM MESSENIVM II. *duce Ariſtomene Heroë fortiſſimo, cujus cor exſectum inventum fuit piloſum.* Bellum Meſſenium II. & Ariſtomenis, qui Meſſenius autor fuit deficiendi à Lacedæmoniis, fortia geſta prolixè deſcribuntur à *Pauſania in Meſſeniis* h. e. *lib.* 4. *Finitum eſt* hoc bellum, *expugnatá à Spartanis Irá*: ut paulò poſt Tab. noſtra notat. Illud de corde Ariſtomenis piloſo invento, quod memorat *Plinius lib. XI. c.* 37. *med.* eſt additamentum interpolatoris, nec in primis editionibus harum Tabb. extat: cujuſmodi multa ſunt in iiſdem plerum-

rumque non magni momenti. Vti paulò ante ſub Hiskia, cujus nudum nomen appoſitum erat, de ſublato æneo ſerpente adjectum eſt; & ſub Manaſſe, de ſupplicio Jeſaiæ.

Archilochus *Poëta floret.* Is Jambici carminis inventor fuit, & verſibus ſuis Lycamben ad laqueum adegiſſe dicitur. Plura de eo lege apud *Voſſium de Poëtis Græc. cap. 3. p. 14.* & *Joh. Albert. Fabricium in Bibliotb. Græc. lib. 2. c. 15. n. 16.*

A.M. 3230. Cypselus *Corinthi dominatur.* De hoc Cypſelo, qui Corinthiorum oppreſsâ libertate, dominationem ibi conſtituit, & de arca, in qua, cùm naſceretur, occultatus fuit, vid. Pauſan. in *Corinthiacis & in Eliacis.* Ab eo poſteri, Corinthiorum tyranni, *Cypſelidæ* dicti.

A.M. 3231. Zaleucus *legislator Locrenſis in Italia.* De celebri hoc Locrenſium legislatore vid. *Diodorus Sic. lib. 12. cap. 20. Cicero lib. 2. de Legibus. Stobæus Serm. 42. Ælianus Var. Hiſt. lib. 2. c. 37. & lib. 13. c. 24. Valerius Max. lib. 1. cap. 2. Exempl. Ext. 4. Strabo lib. 6. p.m. 179.* Nota eſt ejus lex in adulteros, contra quam cùm filius ipſius peccaſſet, ipſe partem pœnæ ſuſtinuit. Plura de Zaleuco vid. *in Fabricij Biblioth. Græc. lib. 2. c. 14.*

Nunc ad Romana pergendum eſt, quæ hinc ſub ſingulari titulo memorari incipiunt. Et ſub eo etiam Romulum ſeorſim, nominari par erat, Romanæ urbis, ut plerique credunt, conditorem & primum Regem. Ejus hiſtoria, & *de recepto in Societatem regni T. Tatio*, Sabinorum Rege, videatur apud *Flor. lib. 1. c. 1.* & eos omnes autores, quos ad Florum diligenter annotavit *Camers.* Nam ad hos in poſterum, quod ad Rom. hiſtoriam, remittam, ne nominare toties cogar, qui illic collecti ſunt. Horum autem agmen ducunt *Dionyſ. Halicarnaſſ.* uſque ad Decemviros, & *Livius.* Eſt inter *Diſſertationes Bœclerianas*, una, cui titulus: *Roma ſub ſeptem Regibus*; *Tom. 2. p. 466.* in qua omnium 7. Regum Rom. hiſtoria, ex collata *Livij* & *Dionyſii* narratione, per compendium proponitur. Romulus obiit ſeu periit anno regni 38.

A.V. 40. Numa Pompilius *R. II.* qui regnum Rom. bello & militaribus inſtitutis firmatum à Romulo, pacis artibus legibuſque & ſacris ſtabilivit. Videantur iterum præter ipſum *Florum* ii, quos *Camers* adſcripſit, inter quos hic eminet *Plutarchus*, qui, ut Romuli, ita hujus quoque Regis vitam ſcripſit: ex quo hoc etiam deſumtum eſt, quod de *nummis primùm apud Romanos imaginibus notatis*, Tab. noſtra indicat. Et quidem Numam ex ferro atque ære primum ſignaſſe pecuniam, *Tranquillus apud Suidam* auctor eſt. *Euſebius* verò *in Chronico* tradit, ſcorteos tantùm & ligneos aſſes à Numa datos populo pro congiario.

giario. *Plinius* autem Servio Tullio, ſexto Rom. Regi, hoc tribuit, quod primus ſignaverit æs, cùm ante rudi uterentur Romæ. Signatum autem fuiſſe nota pecudum: unde pecunia appellata. Vide ipſum *lib.* 18. *c.* 3. *& lib.* 33. *c.* 3. Conf. *Wagenſeil. in Diſſert. de Re Monetali Vet. Rom. c.* 5.

A. V. 83. TULLUS HOSTILIUS *Rex* III. Vir militaris fuit, & rem Rom. valdè auxit. Albanos, principem antehac populum, gravi bello victos tandem fregit: in quo bello tergeminis fratribus Curiatiis & Horatiis utriuſque urbis fata commiſſa ſunt. Memorabilis inter eos certaminis eventus fuit. Ipſe Tullus cum regia conflagravit, cùm præfuiſſet annos 32. *Flor. lib.* 1. *c* 3. &c.

Sub titulo VARIORUM ad hoc Seculum memorantur primò Babylonii & Aſſyriaci Reges. NABONASSAR *Rex Babylonis.* Ejus crebra fit mentio apud *Ptolemaeum Alexandrinum lib.* 4. *Almag. c.* 8. Sub hoc Babylonii à Medis deficientes in libertatem ſeſe vindicaſſe dicuntur; regnante apud Medos Artica, apud Aſſyrios Thiglath-phileſſare. Vid. *Rupert. Obſ. ad Synopſ. Beſold. c.* 3. *p m.* 54. Hæc igitur altera eſt Babyloniorum dynaſtia, cujus auctor Nabonaſſar fuit. Succeſſores ejus *Ptolemæus in Canone* & ex eo *Rupertus* recenſet *l. c.* Diverſos enim tunc Reges habuiſſe videntur Aſſyrii, Babylonii & Medi. Ab hoc Rege denominata eſt æra Nabonaſſaris, quæ occurrit apud *Cenſorinum*, nec non in *Tabulis Ptolemaicis, Alfonſinis* & *Prutenicis* de qua Chronologi, *Scaliger de Emend. Temp. lib.* 5. *c.* 51. *ſeqq. Petav. de Doctr. Temp. lib.* 9. *cap.* 51. *ſeqq. lib.* 10, *cap.* 7. &c.

SALMANASSAR *Rex Aſſyriæ* is eſt, qui panolethrian regno Iſraëlitico attulit, de quo in hiſtoria Hoſeæ Regis Iſraëlitici diximus. Geſta ejus petenda ex 2. *Reg. c.* 17. Videtur autem ad hunc quoque Regem pertinere, quod *Hoſeæ c.* 10. *v* 14. memoratur, quòd in expugnatione Betharbeel matres cum liberis perdiderit, licet à Propheta non *Salmanaſſar*, ſed *Salman* appelletur hujus crudelitatis auctor. Utrum verò hic Salmanaſſar, qui X. Tribus abduxit, idem etiam eorum loco alios colonos in terras Iſraeliticas miſerit, dubitare licet. *Aſſarhadinum* hoc feciſſe apparet ex *Eſdræ* 4, 2. qui poſt Sennacheribum demùm Aſſyriis imperavit: unde etiam factum, ut in terris iſtis diu à cultu hominum vacuis, leonum multitudo invaleſceret, quæ poſtea novos incolas infeſtavit. Accedit huc, quod Babel ſub Rege Salmanaſſare nondum Aſſyriacæ ditionis fuerit, ex qua tamen Rex Aſſyrius dicitur adduxiſſe novos incolas. 2. *Reg. c.* 17. *v.* 24.

MERODACH *fil. Baladan Rex Babyl.* De hujus legatione ad Hiſkiam dictum, cum hujus hiſtoria repeteretur, & notatum, cum *Mardocem-*

Digitized by Google

docempadum Ptolemæi videri: aliis tamen pro *Nabonaſſare* habetur: de quo ſupra. Vid. de eo 2. *Reg.* 20, 12.

Sennacheribus *R. Aſſyriæ.* De quo itidem jam dictum ſub Hiſkia, deque ejus expeditionibus. Is poſt infelicem obſidionis Hieroſolymitanæ eventum, Niniven reverſus, à filiis ſuis Adramelech & Sarezer, dum Diis ſuis in templo ſupplicat, occiſus. 2. *Reg. c.*19. *v.*37.

Assarhaddon *fil. Rex Aſſyriorum,* memoratur *l. c.* ſine mentione geſtorum ejus. Hunc ſimul etiam Babyloniis imperaſſe, triplici argumento evincit *Parens meus* in *Diſſert. II. de Summis Orbis Imperiis.* §.7. quod tamen *Rupertus* negat, diverſos faciens Aſſarhaddinum Babylonium, & Aſſarhaddonem Aſſyrium, *Obſervat. ad Synops. Beſcld. cap.*3. *p.*55. *ſeq.* qui non videtur ſatis conſideraſſe S. hiſtoriam, inprimis *Esdræ c.*4. Neque ſatisfacit, quod ex legatione Merodachi ad Hiskiam in contrarium adfert argumentum. Nam ſi diſtinguantur tempora, facilè conciliabitur Scriptura. Vid. omnino ſuprà allegata *Diſſertatio.*

Gyges *occiſo Candaule Heraclida Rex Lydiæ.* Regni Regumque Lydiæ hiſtoriam breviter exhibet *Rupertus p. m.* 118. *ſeqq.* De Gyge verò, quomodo Candaulem ſuſtulerit, thoro ſimul & throno ejus potitus, poſtquam uxoris ille ſuæ pulchritudinem non contentus verbis prædicaſſe, nudam etiam ei conſpiciendam præbuerat, hiſtoria prolixè narratur ab *Herodoto lib.*1. *cap.* 8. *ſeqq.* Add. *Plutarch. in Sympoſ.* 1. *Quæſt.*5. & *Juſtin.* 1, 7, 14. De annulo Gygis *Cicero de Offic. lib.* 3. *cap.* 32.

Notatur heic etiam, quòd hinc fiat *initium hiſtoriæ Herodoti.* Eſt autem *Herodotus* inter profanos hiſtoricos, quorum opera ſuperſunt, antiquiſſimus, & pater hiſtoriarum appellatus. Vid. *Cic.* 3. *de Legibus.* Ejus tamen hiſtoria fabuloſis narrationibus plena eſſe à multis arguitur: ab aliis verò defenditur. Scripſit *Henr. Stephanus Apologiam pro Herodoto,* quam editioni ejus præmiſit. Etiam *Herm. Conringius in Schediaſmat. de antiquiſſ. Aſiæ & Ægypti Regibus* fidem ei adſtruit, quam viciſſim demit *Cteſiæ.* Conf. etiam *Artopæi Diſſert. de Reb. Babylonicis & Aſſyriacis, quarum S. Literæ & Herodotus pariter faciunt mentionem, in Præf.* Vid. pluribus de Herodoto *Voſſius de Hiſt. Græc. lib.* 1. *cap.* 3. & *Jo. Albertus Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 20. Deſinit hiſtoria Herodoti in pugnâ ad Platæas & ad Mycalen: quæ incidere in annum Xerxis octavum.

Deioces *Rex Mediæ.* Hunc & *Arteum* vel *Arſaum* vocatum eſſe dicit *Rupertus p.* 57. Debilitato jam Aſſyriorum robore Deioces hic, juſtitiæ & prudentiæ fama apud liberam Medorum gentem principatum initio, tandem etiam regnum ſibi comparavit, & Ecbatanis clariſſi-

riſſimâ in Medis urbe conditâ, novi imperii auctor 53. annos viguit. Ita *Herodotus lib.* 1. Conf. *Joſeph. Ant. lib.* 9. *c.* 11. *& lib.* 10. *c* 3. *Euſeb. in Chron.* Aliter verò narrat *Diodorus Sic.* apud quem etiam diſſenſus Scriptorum circa hanc rem notatur, *lib.* 2. *c.*32.

TYRTÆUS *Poeta Elegiacus*; fuit dux Spartanorum, contemtûs cauſa miſſus ab Athenienſibus, à quibus ducem petere juſſi Spartani ex reſponſo oraculi. Is tamen, ut *Horatius in Epiſt. ad Piſones* loquitur, mares animos in martia bella verſibus exacuit, & victoriam Spartanis peperit. Vid. *Juſtin. lib.* 3. *c.* 5. & quos ibi ſub lit. f. auctores notat *Berneggerus*. Add. *Voſſ. de Poët. Græc. cap.* 3. *p.* 15.

PSAMMETICHUS *Rex Ægypti*. Poſt Sethonem Ægyptii ſibi præfecerant 12. Reges pari poteſtate, inter quos fuit hic Pſammetichus, qui ope Jonum Carumque, qui ex Aſia pulſi in Ægyptum profugerant, collegas undecim, à quibus injuriâ affectus fuerat, armis aggreſſus ſubegit, totiuſque Ægypti potitus eſt annos 54. Hiſtoria ejus prolixè deſcribitur ab *Herodoto lib.* 2. Adde *Diodorum lib.* 1. *cap.* 66. *ſeq.*

PHRAORTES *Rex Mediæ*, quem *Rupert. c.* 3. *p.m.* 57. iterum eundem cum *Arſine* Diodori facit: at *Diodorus* ſua ex Cteſia hauſit. Hic Phraortes non contentus Mediæ terminis, Perſas & Aſiam ſubegit. Sed cùm ad oppugnandos Aſſyrios, qui Ninum incolebant, veniſſet, in ea expeditione cum pleraque exercitûs parte periit, poſtquam regnaſſet annos 22.

In Seculo ſequenti, enarrabimus primò REGES JUDÆ, qui ſuperſunt, uſque ad deſtructionem regni. A. M. 3306. AMMON *fil.* Manaſſis, juvenilia patris opera imitatus, pœnitentiam verò ejus non eſt ſequutus. Anno regni ſecundo ſublatus eſt ab aulicis, qui tamen mox perduellionis ſuæ pœnas dederunt. De hoc Rege vid. 2. *Reg.* 21, 19. & 2. *Paral.* 33, 21. & *Joſeph. lib.* 10. *cap.* 4 *fin. Euſebius* perperam Ammoni 12. annos tribuit, ex ſeptuaginta Interpretum verſione, ut notant *Georg. Syncellus* & *Scaliger.*

A. M. 3308. JOSIAS *fil.* Ammonis, 8. annorum puer ad regnum evectus, Rex ſine exemplo pius, jam ante 3. ſecula à divino vate nominatim prædictus erat 1. *Reg* 13. *v.* 2. Hujus in religionis negotio Zelus, in reformandis abuſibus diligentia, in puniendis idololatris & ſceleratis ſeveritas, quâ non ſuum tantum regnum, ſed & regni quondam Iſraëlitici loca vicina repurgavit, prolixè deſcribitur 2. *Reg. c.* 22. *&* 23. 2. *Paral. c.* 34. *&* 35. Summum & omnibus omnium titulis majus eſt elogium, quod ei tribuitur 2. *Reg. c.* 23. *v.* 25. *Similis non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum omni corde ſuo, & in*

totâ

Digitized by Google

totâ animâ ſuâ, & in univerſa virtute ſuâ, juxta omnem legem Moyſis, neq; poſt eum ſurrexit ſimilis illi. Addatur *Syracid. c. 49. v. 1.* Hic tantâ virtute & pietate Heros, cùm regnaſſet annos 31. infeliciter occubuit in expeditione contra Pharaonem Necho, Regem Ægypti, exercitum per Judææ finem in Aſſyrios ducentem. *2. Paral. c. 35. v. 20.* deflectus ab univerſo populo & vatibus, præſertim Jeremia. Add. *Joſephus lib. 10. c. 5. & 6.*

A.M. 3320. JEREMIAS *cœpit docere* anno 13. Joſiæ Regis, nec deſtitit monere, objurgare, & comminationes divinas pœnaſque imminentes populo ſuo indicare uſque ad ipſum regni gentiſque excidium. Quas propterea paſſus ſit injurias, ipſe narrat Prophetiæ ſuæ *cap. 26.*

SOPHONIAS *σύγχρονος Jeremiæ*, quando vaticinari cœperit, ipſe indicat *cap. 1. v. 1.* nempe temporibus Joſiæ Regis.

A. M. 3339. JOACHAS filius patri Joſiæ minimè ſimilis, poſt trimeſtre imperium à Rege Pharaone Necho regno exutus, & captivus in Ægyptum miſſus eſt. Idem Necho regnum Judaicum auro & argento plurimo multatum, in alterum Joſiæ filium Eliakimum, nihilo meliorem fratre tranſtulit, cui ipſe nomen JOJAKIM dedit. Vid. *2. Reg. c. 23. v. 31. ſeqq. 2. Chron. c. 36. v. 1. Joſeph. lib. 10. c. 6.* Sed & hic, cum non reſipiſceret, ad minas & objurgationes Vriæ & Jeremiæ Prophetarum (vid. *Jerem. c. 26. & 36.*) à Nebucadnezare victore Pharaonis Necho Ægyptii, ad tributa pendonda primùm adactus, dein poſt aliquot annos deficiens, miſſis à Nebucadnezare ingentibus copiis, captaque Hieroſolymâ, catenis oneratus, & Babylonem abductus eſt, eumque eo multi ſtemmatis regii, & inter eos DANIEL, ejuſque ſocii, Hanania, Miſael & Azaria, ſicut ipſe *Daniel cap. 1.* prophetiæ ſuæ narrat, unde etiam reliqua ejus hiſtoria petenda eſt. De Jojakimo vid. *2. Reg. 23, 36. & cap. 24. 2. Paral. 36, 5. Joſeph. lib. 10. c. 6. fin. & c. 7.* Hic Rex inſepultus abjectus eſt, ſi impletum eſt vaticinium *Jeremiæ 36, 30.* de quo dubitare non licet. Quomodo verò id acciderit nuſquam legimus. In Jojakimi deinde locum ſuffectus

A. M. 3350. JECHONIAS *fil. poſt m. 3. abducitur Babyl. cum* 20000. *captivis, in quibus* EZECHIEL. Hic Rex cùm auctoritatem Jeremiæ ſequutus, ſe Babyloniis ultrò dedidiſſet, à Nebucadnezare vitâ quidem donatus, ſed ipſe tamen cum matre & uxoribus Babylonem captivus abductus fuit. Optimates ſimul & præcipuum militiæ & reipubl. robur abductum, ad octodecim virorum millia (ut ex *2. Reg. 24. v. 14. ſeqq.* colligitur. Noſter 20000. ponit: at *Joſephus lib. 10. c. 9.* tantùm 10832.) ut novæ rebellioni anſa præcideretur. De abducto

 ſimul

Digitized by Google

ſimul Hezechiele nihil diſertè dicitur in S. Hiſtoria. Sed Babylone inter captivos fuiſſe, ipſe indicat *Prophetiæ ſuæ cap.* 1. & ante ultimam translationem regnique Judaici excidium jam Babylone fuiſſe colligitur ex ea prophetia, qua Zidekiæ adhuc futuram cladem denuntiat *cap.* 17. ubi ſimul prioris translationis jam factæ ſub Jechonia mentionem facit *v.* 13. *&* 14.

Initium CAPTIVITATIS BABYLONICÆ hinc ponit Auctor noſter cum pleriſque, qui terminum à quo conſtituunt ab hac primâ tranſlatione Iechoniæ & nobiliſſimæ partis populi: alii tamen malunt à combuſto templo initium ducere 70. annorum captivitatis. Nimirum hic magna deprehenditur à Chronologis difficultas: cui expediendæ varia excogitarunt remedia, ut hunc annorum numerum inveniant uſque ad Cyrum majorem. Hinc & Nebucadnezaris anni non uno modo computari ſolent. Aliquando enim initium ejus collocatur in anno 4. Jojakimi, quo, vivo patre Nabopolaſſare, in Syriam ad gentes illas debellandas miſſus eſt. Ab aliis verò poſt mortem patris in anno Jojakimi 8. Rurſus ab aliis ducto initio ab eo anno, quo ſubacta Ægyptus eſt. Vid. *Salian. ad ann.* 3453. *& Calviſ. in ann.* 3346. *&* 3349. De Jechonia vid. 2. *Reg.* 24, 8. *ſeqq. &* 2. *Paral.* 36, 9. *& Joſeph.* 10, 8 *&* 9.

ZEDEKIAS Jechoniæ *patruus ſuccedit*, ut quidem dicitur 2. *Reg. cap.* 24. *v.* 17. Sed 2. *Paral. c.* 36. *v.* 12. frater ejus vocatur; viceſimus ſecundus & ultimus Regum Judæ. Is à Babyloniorum Rege reliquiis populi præfectus eſt, *Mathanias* ante regnum vocatus. Neque hic anteceſſoribus ſuis melior, cum legatis primùm vicinarum gentium deliberavit de jugo Babyloniorum excutiendo; & quanquam anno regni ſui quarto Babylonem profectus fidem regni renovavit, tandem neglectis Jeremiæ & Ezechielis Prophetarum monitis apertè deſcivit. Hinc ſequutum eſt illud, quod in Tab. noſtra notatur; ut *Hieroſolyma à Nebucadnezare occuparetur, Zedekias excæcatus Babylonem duceretur, & deleretur templum.* Anno enim Zedekiæ nono, menſe 10. die 10. Nebucadnezar validiſſimo cum exercitu, ex omnibus regnis ſuis collecto, Hieroſolymam obſidere cœpit, & quanquam feriò ad deditionem hortaretur Jeremias, obſtinati tamen Rex & Proceres, & promiſſione Ægyptiaci auxilii deluſi, ad tolerandam obſidionem animum obfirmarunt. Et quanquam Rex Ægyptius cum exercitu ſuppetias laturus adventaret, & Nebucadnezar ad breve tempus obſidionem ſolviſſet, poſt victos tamen Ægyptios ad eandem majore cum impetu rediit, & non ab hoſtibus tantùm, ſed etiam peſte & fame afflictam civitatem, adeò ut matres non abſtinerent liberorum ſuorum corporibus,

(Thren.

Digitized by Google

(*Thren. c.* 4. *v.* 10.) poſt 18. menſium obſidionem cepit. Zedekias in fuga deprehenſus, ad Nebucadnezarem (qui tum in Riblath, civitate Hemath, obſidionis eventum expectans commorabatur) abductus eſt, qui judicii aliquâ formâ ſervatâ, filios in conſpectu ejus occidi, ipſum verò excæcari & Babylonem duci juſſit. Menſe ſequenti à *Nebuſaradane*, Babylonici exercitus præfecto, incenſa urbs & templum, murique à fundamentis deſtructi, vaſa pretioſiſſima aſportata, puberes abrepti, præter paucos ex ultimâ plebe, quibus Gedalia quidam præpoſitus, cùm & ipſe ab Iſmaële regio Juvene occiſus eſſet, in Ægyptum fugerunt. Deleta eſt Hieroſolyma, exuſtumque templum toto orbe pulcherrimum poſt annos 427. quàm à Salomone fuerat conditum. Et hîc ſimul eſt Finis Regni Judæ. De his omnibus vid. *2. Reg. 25. 2. Paral. 36.38. &c.* & inprimis *Threni.* Cauſas theologicas, quæ regno Judaico exitium maturaverunt, recenſet Auctor *Chronicorum lib. 2. c. 36. v. 13. 14. 15. 16.* politicæ verò cauſæ deſtructionis hujus regni ſunt hinc Babyloniorum in propinquo increſcens potentia (quod quidem etiam divino conſilio factum cenſeri debet, ut deinde iis pro flagello uteretur in cæteros) inde verò Judæorum eos ſuſpectantium perverſa conſilia; nimia in ſuis viribus partim, præſertim in ſocietate Ægyptiaca fiducia, &, poſtquam ſemel in clientelam Babyloniorum & Aſſyriorum concedere coacti ſunt, crebra perjuria & defectiones, quibus hi tandem fatigati, malefidæ genti totique regno panolethriam attulerunt.

Jechonias anno 37. captivitatis Babylonicæ è carcere eductus, & in honore habitus ab Evilmerolacho. Extat hoc *2. Reg. c. 25. v. 27. & Jerem. c. 52. v. 31.* De Evilmerodacho poſtea dicemus ſub titulo Variorum.

Inter Græca hujus Seculi memoratur A. M. 3338. Periander *Cypſeli fil. cœpit apud Corinthios*, intellige dominari. Fuit enim Rex ſeu tyrannus Corinthiorum, & ſimul etiam Philoſophus, inter 7. Sapientes connumeratus. Vitam ejus exhibet *Diog. Laërtius lib. 1.* Aliqua de eo narrat & *Herodotus lib. 1. 3. & 5.* & *Pauſan. in Attic. & Corinth.* Vid. & *Fabricius in Bibl. Græc. lib. 2. c. 23. §. 15. p. 779.*

A. M. 3339. Draco *Ἄρχων leges fert Athenienſibus.* De Draconis legibus vid. *Plutarch. in Solone c. 25.* quæ ſeveriſſimæ fuerunt: quippe omnibus delictis capitalem pœnam ſtatuit. Vnde dictum, *Draconis leges non atramento, ſed ſanguine ſcriptas eſſe.* Meminit *Pauſanias in Eliacis* legis Draconis, quâ pœnam homicidii etiam in inanimata extendit, ut ſi ædificium collapſum hominem oppreſſerit. Idem *in Bœoticis* alterius ejus legis mentionem facit, qua cædem adulteri impunitam eſſe voluit. Vid. *Fabric. Biblioth. Græc. lib. 2. c. 14. p. 526.*

Digitized by Google

ALCMAN *Lyricus floret.* Fuit ille Lacedæmonius & lingua ſcripſit Dorica. Meminit ejus monumenti & carminum *Pauſanias in Laconicis.* Vid. de eo *Voſſius de Poetis Græc. cap.* 3. *p.* 13. & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *cap.* 15. *p.* 543.

ARION *muſicus* is eſt, qui Delphino inſidens ad Tænaron evectus eſſe dicitur: cujus totam hiſtoriam ſeu fabulam prolixius legere eſt apud *Herodotum lib.* 1. Fuiſſe fertur citharœdus excellentiſſimus, unde *Virgilius in Ecloga VIII.* eum Orpheo componens, cum muſicum excellentiſſimum vellet dicere, ait: *Orpheus in ſylvis, inter Delphinas Arion.* Vid. de Arione *Voſſius de Poetis Græcis. c.* 3. *v.* 16.

EPIMENIDES *Cretenſis* Philoſophus fuit, cujus vitam exhibet *Diog. Laërtius lib.* 1. Somnus ejus in proverbium abiit. Nam à patre in paſcua miſſus, 57. annos continuos dormiviſſe dicitur, teſte *Laertio. Pauſanias in Atticis* 40. ait. Sed æquè verum unum eſſe puto, ac alterum. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 4. *c.* 1. & *de Poetis Græcis c.* 3. *p.* 17. & *Fabricius Bibliothec. Græc. lib.* 1. *cap.* 6. *p.* 36.

PHERECYDES *Syrus* Philoſophus & Pythagoræ præceptor fuit. Hic eclipſes ad periodos lunæ primus inveniſſe dicitur, teſte *Tzetze Chil.* 2. *Hiſt.* 55. Ejus vitam vitæ Epimenidis ſtatim ſubjungit *Laërtius.* Vid. & *Fabricii Bibl. Græc. lib.* 2. *c.* 23. *p.* 779.

ALCÆUS Poëta Lyricus fuit, à quo Alcaicum carminis genus, *Horatio* frequens, denominatur, qui Horatius hunc Poetam ſæpius laudat. Vid. de eo *Voſſius de Poet. Græc. c.* 3. *p.* 17. & *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 15. & *Morhoff. Polyh. Tom* 1. *lib.* 7. *c.* 2. *n.* 12. *p.* 254. Meminit ejus & *Herodotus lib.* 5.

SAPPHO poëtria fuit, cujus patria Lesbos. De ejus amoribus multa Poëtæ. Vid. de hac *Voſſ. de Poetis Græc. c.* 3. *p.* 17. & *Fabricii Bibl. Græc. lib.* 2. *c.* 15. *p.* 563. *Morhoff. l. c.*

SOLON *Archon Athenienſis, novis legibus rempubl. conſtituit.* Hujus celeberrimi Athenienſium legislatoris, & inter 7. Sapientes ferè Principis, vitam prolixè deſcripſerunt ex veteribus *Plutarchus* & *Laertius.* Add. *Herodot. lib.* 1. *c.* 29. & *lib.* 2. *c.* 177. *Juſtin. lib.* 2. *c.* 7. Ex recentioribus Vitam ejus ſcripſit *Meurſius.* Vid. & *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 14. *p.* 526.

De PERIANDRO dictum ſupra, unde ſit petenda ejus hiſtoria.

A.M. 3352. PHALARIS *tyrannus Agrigentinus,* ſævitia potiſſimùm ad poſteros nomen propagavit, quam adjuturus Perillus, fabricator ænei tauri, opus ſuum ipſe imbuit. *Plin. Hiſt. Nat. lib.* 7. *c.* 49. & *lib.* 34. *c.* 8. *Suidas in Phalaris. Oroſius lib.* 1. *c.* 20. *Ovid.* 3. *Triſt. eleg.* 11. *Sil. Ital. lib.* 14. *v.* 452. Extat *de ætate Phalaridis* liber *Dodwelli.* Vid. *Fabricii*

Digitized by Google

cii Biblioth. Græc. lib. 2. *c.* 10. ubi de *Epiſtolis*, quæ ad Phalaridem referuntur.

A. M. 3353. Pisistratvs *tyrannidem invadit Athenis.* Vid. de hoc *Juſtin. lib.* 2. *c.* 8. & quos *Berneggerus ſub. lit. c.* annotavit auctores.

Æsopvs *necatur a Delphis.* Hic ex Phrygia fabulator vel pueris notus eſt. Ejus vita à *Maximo Planude* conſcripta, in qua hic quoque vitæ ejus exitus memoratur, cùm Delphi eum de rupe præcipitem dederunt. Fabulæ ejus ſuperſtites in manibus & ore omnium verſantur. Eas tanti habuit *B. Lutherus*, ut poſt S. Biblia proximum huic libro locum aſſignaret. Plura de Æſopo ejuſque fabulis vide in *Joh. Alberti Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 9. *p.* 388.

Stesichorvs *Poëta* à nonnullis pro *Heſiodi* filio habitus, Doricâ dialecto poëmata conſcripſit libris 28. De hoc vid. *Voſſ. de Poëtis Græc. c.* 3. *p.* 16. & *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 15. *p.* 569.

Ad Romana pergendum. A. V. C. 115. Ancvs Martivs *Rex IV.* cœpit. Hic Numæ Pompilii ex filia nepos, æquitate & religione avo ſimilis, & bellica virtute Tullo fuit. Ab eo domiti bello Latini, Fidenates, Vejentes & Sabini. Aventinus mons & Janiculum urbi additum. Jus feciale Romæ introductum. &c. Vide geſta ejus apud *Florum lib.* 1. *c.* 4. & ibi notatos auctores in editione *Camertis* & *Freinshemii.* Deceſſit Ancus anno regni 24.

A. V. 139. Tarqvinivs Priscvs *Rex V.* Græcum ingenium Italicis artibus miſcuit. Ejus præcipua opera, auctus numero Senatus, cui 100. Patres addidit, *minorum gentium* appellatos: & ex Thuſciæ populis à ſe victis, decora & inſignia regni translata, quibus poſtea imperii majeſtas eminuit. De his & cæteris hujus Regis geſtis vid. iterum *Flor,* 1, 5. &c. Occiſus eſt ab Anci filiis, cum 38. annos regnaſſet.

A. V. 177. Servivs Tvllivs *R. VI.* poſtquam ſingulari fato ad imperium pervenit, bello cum Hetruſcis victor, collem deinde Quirinalem, Viminalem & Eſquilinum urbi addidit. Cenſum inſtituit. Reperta civium Rom. 84000. Periit anno regni 45. inſtigante filiâ Tulliâ á genero Tarquinio Superbo occiſus. *Flor.* 1, 6. &c. Quod Tab. noſtra ſupra Numæ tribuit ex *Plutarcho*, id Servio Tullio Regi tribuitur à *Plinio lib.* 33. *c.* 3. *& lib.* 18. *c.* 3. quod primus æs ſignaverit nota pecudum. Notavimus ſupra p. 63.

Sub titulo Variorvm hujus Seculi continentur Reges Mediæ, Babylonis, Ægypti, Perſiæ, Macedoniæ. Primus memoratur Cyaxares *Mediæ* Rex, quem *Rupert. Obſerv. ad Syn. Beſ. c.* 3. *p.* 57. eundem facit cum Euſebii Aſtibaro, qui in ordine ſucceſſionis convenit cum Artibarna

tibarna *Diodori lib.* 2. *c.* 34. Aſtyagis pater ab aliis dicitur; ſed *Xenophon in Cyropædia* ejus filium vocat. Vid. *Diſſert. III de Summis Orbis Imperiis* §. 9. Hic adverſus Aſſyrios expeditione ſuſcepta, Ninum circumſidebat. Sed Scytharum innumerabili multitudine Mediam invadente, revocatus ad defendenda ſua victuſque, tùm quidem ab incepto deſiſtere coactus eſt; & Scythæ Aſiam obtinuerunt per annos 28. Sed ad extrêmum vino inebriatos Scythas aggreſſi Medi pleroſque trucidant, & Aſiæ imperio denuò potiti, reſtaurato in Aſſyrios bello, Ninum capiunt & exſcindunt, & Aſſyriaco Imperio finem imponunt. Sicuti hæc amplius narrantur ab *Herodoto lib.* 1. Conf. tamen *Diodorus Sic. lib.* 2. *cap.* 32. *ſeq.* (qui quidem Cyaxaris ſub hoc nomine non meminit) & *Euſeb. in Chron.* ubi miram diverſitatem tùm in chronologia, tùm in nominibus Regum Medorum deprehendere licet. Vid. *Diſſ. II. de Summis Orbis Imperiis*, §. 9. & *Diſſ. III.* Quod verò de Nino repetita obſidione captâ à Cyaxare *Herodotus* ſcribit, non ſatis certum eſt. Nec deſunt argumenta, quibus à Cyro majore demum, vel ſeriùs etiam ſub Dario Hiſtaſpide aut Xerxe captam Niniven, & omninò deſtructum regnum Aſſyriacum colligitur. Vid. *Diſſ. II. de Summis Orb. Imperiis*, §. 3. & *Diſſ. IV.* §. 4.

NABOPOLASSAR R. *Babyl.* pater Nabuchodonoſoris fuit. Pharaonem Necho Regem Ægypti magno prælio vicit ad Euphratem, & Tyrum obſidere cœpit. Vid. *Joſeph.* ex fragmento *Beroſi lib.* 1. *contra Appionem*, & *Antiq. Jud. lib.* 10. *c.* 11. *Ptolem. in Canon.*

NECAO *fil. Rex Ægypti*, filius nempe Pſammetichi, proximè nominati Regis Ægyptii. In S. Scriptura *Pharao Necho* vocatur, ab *Herodoto Necus*: apud quem præter alia etiam hoc de eo narratur, quod foſſam ex Nilo in mare rubrum deducere cœperit, ſed non abſolverit: de eâdem foſsâ vid. *Diodorus lib.* 1. *c.* 33. Hic eſt ille Pharao Necho, qui, cùm contra Regem Aſſyriorum ad Euphratem contenderet, in tranſitu per fines Judææ Joſiam cum exercitu occurrentem vicit, & poſtea in reditu à prælio cum Aſſyriis, Joachazum Regem, Joſiæ filium, captum in Ægyptum abduxit, ſubſtituto fratre Jojakimo, & grandi pecuniâ regnum Judaicum emunxit. 2. *Reg.* 23, 29. *ſeqq.* 2. *Chron.* 35, 20. & 36. *v.* 1. *ſeqq.* Eâdem expeditione Philiſtæos quoque oppreſſit, ſi de eo intelligendum vaticinium *Jerem.* 47, 1. De prælio cum Joſia intelligenda ſunt etiam illa *Herodoti*, quanquam alia nomina ſubjicientis: *Terreſtri acie congreſſus* (Necus) *cum Syris*, (ita Judæos vocat) *in Magdolo* (S. Scriptura *Megiddo* appellat) *victoria potitus eſt, & poſt prælium Cadyti, magna Syriæ urbe.* Hæc Cadytis *Herodoti* videtur eſſe Hieroſolyma.

ALYATTES

ALYATTES *Rex Lydiæ, pater Crœſi.* De hoc videndus *Herodotus lib.*1. ubi bellum ejus cum Mileſiis memorat. De annis regni ejus & Chronologia vid. *Rupert. c.* 4. *p.m.* 126.

NEBUCADNEZAR *Rex Babyl. cadit Necao Regem Ægypti ad Euphratem.* Prælium commiſſum eſt ad Carchemis. 1. *Paral.* 35, 20. De ipſo Nebucadnezare, magno Rege, quæ S. Hiſtoria prædicat, nota ſunt, & ex parte jam dicta. Hic enim eſt, qui Jechoniam Regem Judæ captivum abduxit, qui Hieroſolyma expugnavit deſtruxitque templum, Zedekiam Regem captivum excæcavit, populum omnem in Babylonicam ſervitutem abduxit. De ejus verò ingenti potentiâ, præter S. hiſtoriam & Prophetarum oracula paſſim, etiam *Joſephus lib.* 10. *c.* 11. ex *Beroſo, Megaſthene, Diocle, Philoſtrato, & lib.* 1. *contra Appionem*, mira narrat. In profanis tamen Scriptoribus ſuperſtitibus nuſquam ſub hoc nomine comparet Nebucadnezar. Meritò ergo mirum videri poteſt, ſi Regis tantâ potentiâ inſtructi, quanta non alius fuit, nullus unquam externorum Scriptorum mentionem fecerit. Quamobrem, quia etiam cætera convenire videbantur, venit in mentem b. m. *Parenti meo*, Nebucadnezarem eundem eſſe cum Xerxe: quod Ille, ſacram profanamque hiſtoriam diligenter conferendo, prolixè demonſtrare conatus eſt in *Diatribe hiſtorica de Xerxe Nebucadnezare & Cyro minore, liberatore Judæorum*: qui eadem etiam argumenta, ſed ſine exegeſi proponit *Diſſ. IV. de Summis Orbis Imperiis* §. 5. *ſeqq.* unde porrò reliqua, quæ ad hujus Regis hiſtoriam pertinent, peti poſſunt. Hac autem ſtante hypotheſi Nabopolaſſar, de quo ſupra, Darius Hyſtaſpides dicendus, & reliqua ſeries hiſtoriæ horum & confinium temporum longè aliter ordinanda fuerit. Sententiæ hujus planè novæ (cujus refutationem minari nonnemo dicebatur, ſed, quantum ego ſcio, hactenus non præſtitit) rationes ex ipſis modò allegatis *Diſſertationibus* petendæ ſunt. Plures enim ſunt, quàm ut hoc loco ſigillatim à me recitari poſſint, & aliquas tantum afferre incongruum foret & inſufficiens. Satis habui indicaſſe, ut, cui placet, legat & judicet. De cætero Tabularum noſtrarum ductum ſequar, vulgatæ ſententiæ inhærentium.

PSAMMIS *Rex Ægypti* filius Nechi fuit, & in regno ſucceſſor, teſte *Herodoto lib.* 6. qui 6. tantùm annos regnaſſe dicit. Huic iterum ſucceſſit APRIES, à *Jeremia cap.* 24. vocatus *Pharao Haphra*: qui Zedekiæ, Socio Regi, auxilio venit, *Jeremia c.* 37. *v.* 5. ſed fruſtra. Hunc fortunatiſſimum antehac Regem à Cyrenæis, quibus bellum intulerat, victum eſſe memorat *Herodotus lib.* 1. & 4. quâ clade acceptâ Ægyptii quoque ab eo deſciſcentes, *Amaſin* ſibi Regem fecerint: a quo

K prælio

prælio victus Apries, captuſque & tandem Ægyptiis traditus & ſtrangulatus ſit. *Joſephus* verò à Nebucadnezare victum, regnoque exutum eſſe tradit.

Ponitur hîc ASTYAGES *ult. Rex Mediæ.* De hoc, ut ſomnii interpretatione territus, nepotis, ſibi tum adhuc naſcituri, inſidias evitare fruſtra laboraverit, & ab eodem (Cyrus is fuit) regno dejectus ſit ope Harpagi, prolixè narrat *Herodotus lib.* 1. *c.* 107. *ſeqq.* Add. *Juſtinus lib.* 1. *c.* 4. *Valerius Maximus lib.* 1. *c.* 7. *Ælianus Var. Hiſt. lib.* 12. *c.* 42.

AMASIS *occiſo Aprie cœpit in Ægypto.* De hoc paulò ante dictum, ubi de Aprie, ex *Herodoto lib.* 1. unde etiam cætera hujus Regis petenda. Add. *Diodorus Sic. lib.* 1. *c.* 95. Fuit hic Rex ſapientiæ & juſtitiæ famâ celebris. Specimina aliqua apud prædictos auctores, & *Diogenem Laërtium.*

EVILMERODACH *fil.* (Nebucadnezaris ſcil.) *Rex Babylonis.* Hic Jechoniæ captivitatem miſeratus, qui olim deditione facta regni & urbis Hieroſolymæ Babyloniorum ſe fidei permiſerat, ſummis eum honoribus affecit, & aliis imperii ſui Regibus præpoſuit, 2. *Reg.* 25, 27. *Jerem.* 52, 31. Hunc ajunt tantùm biennio regnaſſe, à Nigliſſoore, ſororis ſuæ marito, occiſum. *Joſephus* tamen ei tribuit 18. regni annos, *Sulpitius Severus Hiſt. Eccl. lib.* 2. duodecim. Vid. *Joſephus lib.* 1. *contra Appionem,* & *lib.* 10. *Antiq. c.* 12. & *Euſebius Præpar. Evang. lib.* 9. *c. ult.* qui ex *Beroſo, Megaſthene* & *Alexandro Polyhiſtore* fragmenta adducunt. *Parens meus* ex ſua hypotheſi de Xerxe Nebucadnezare, hunc Evilmerodachum tantùm Proregem fuiſſe exiſtimat per id tempus, quo Nebucadnezar inſaniebat. Vid. *Diſſert. IV. de Summis Orbis Imperiis* §. 7. *p.* 15. & *Ejuſdem Diſſertat. de Furore Nebucadnezaris.* § 4. *p.* 9.

NIRIGLISSOOR *gener Nebucadnezaris, Rex Babyl.* qui *Joſepho* vocatur *Nigliſar,* cæſo Evilmerodacho affine regnavit annos 4. ſi *Beroſo* & *Megaſtheni* credimus. *Joſephus lib.* 1. *contra Appionem* & *lib.* 10. *Antiq. c.* 12. ex *Beroſo,* & *Alexander Polyhiſtor apud Euſeb. Præpar. Evang. lib.* 9. *cap.* 4.

CYRUS *cœpit in Perſia.* Hic vulgò ab omnibus Monarchiæ Perſicæ conditor prædicatur. Vt natus ſit Cyrus, ut educatus, ut ab avo Aſtyage agnitus, ut denique ipſum prælio victum regno exuerit, finemque impoſuerit imperio Medorum, translatâ ad Perſas rerum ſummâ; cæteraque ejus geſta, inter quæ præcipuum eſt bellum cum Crœſo, ditiſſimo Lydiæ Rege; regnumque ejus monarchiæ Perſicæ adjectum; omnia prolixè exequitur *Herodotus lib.* 1. Suſcepta deinde in Scythas expeditione, primò quidem victor, poſtea fraude Reginæ Tomyris in inſidias perductus cum omni exercitu 200000. periit. Memorat *Herodotus lib.* 1. *Juſtinus lib.* 1. *cap.* 4. *ſeqq.* in hic quoque ſit

ſit *Cores* ille, ut in S. Scriptura vocatur, qui Judæos ex captivitate liberavit, nemo antehac dubitavit. Cyrum tamen Minorem eum eſſe, non hunc Majorem, in ſingulari Diſſertatione probare conatus eſt *Parens meus*, cujus argumenta illic legi & examinari poſſunt. De Cyro vid. etiam *Rupert. Obſerv. ad Synopſ. Beſold. cap. 5. p. m. 152. ſeqq.* ubi de ejus genere, nomine & geſtis.

LABOROSOARCHODOS, *Danieli Belſazer R. Bab. m. 9. Huic trucidato ſuccedit Nabonidus, Danieli Darius Medus.* Ita quidem habet Tab. noſtra. Laboroſoarchodos, aliis Laboroſordachus, ineptiſſimus imperio habitus, unde ejus nomine pater ejus Nigliſar eidem per quadriennium præfuit, quo extincto ipſe poſt ſeptimeſtre (Tabula noſtra habet 9. m.) regimen ab aulicis oppreſſus periit: ut placet *Beroſo* & *Megaſtheni apud Joſephum.* Sed hæc magnâ incertitudine laborant, inprimis illud, quod Laboroſoarchodos idem ſit cum Belſazare Danielis: quod ſi eſt, plura ad ejus hiſtoriam pertinentia peti debent ex *Dan. cap. 5.* Belſazarem tamen ſucceſſorem Laboroſordachi facit *Joſephus*, & 17. annos regnaſſe dicit: donec nempe poſt apparitionem illam Scripturæ in pariete factam, captâ eadem nocte Babylone, & ipſe in poteſtatem ſeu Cyri ſeu Darii Medi venerit. Alii enim à Cyro Babylonem captam eſſe dicunt, *Joſephus* à Dario Medo, auxilio Cyri cognati ſui. Vide ipſum *lib. 10. c. 12.* Interim quod Laboroſordachum attinet, quicunque is eſt, eum vel non eſſe Belſazarem Danielis, vel non tantùm 9. menſes regnaſſe perſuaſus ſum ex eo, quod tertius Belſazaris annus diſertè notatur à *Daniele cap. 3. v. 1.* Potius in Xerxem II. conveniunt, quæ de Belſazare narrantur; ut deinde ſucceſſor ejus *Darius Medus* ſit idem cum Dario Notho. Vid. *Diſſert. IV. de Summis Orbis Imperiis* §. 9. Quæ ſit *Ruperti* de Belſazare & Dario Medo ſententia, vide in *Obſerv. ad Synopſ. Beſold. c. 4. p. 61. ſeqq.* qui tamen & ipſe Laboroſordachum eundem cum Belſazare, & Nabuchodonoſoris ex Nitoride filia nepotem eſſe cenſet; Nabonidum verò *Beroſi* eſſe Darium Medum; ſequutus in hoc *Ptolemæi Canonem*, ex *Beroſo* vetere & *Megaſthene* hæc ita explicantis, & chronologiam ſecundùm hæc ordinantis, quæ circa hæc tempora valde intricata eſt. Vid. *Calviſ. Chronol. c. 31. Scaliger ad num. Euſebianum* 2431. Aliter *Salianus in ann. 3516. n 57.*

AMYNTAS *Macedoniæ Rex.* De hoc Amynta primo hujus nominis Rege Macedoniæ, & ut legatorum Perſicorum à Megabyzo miſſorum laſciviam puniverit filius ejus Alexander, vid. *Herodot. lib. 5.* & *Juſtinus 7, 2, 13. ſeq.* & ad hunc verſum *Not. Berneggeri,* ubi de diſſenſu circa ſucceſſionem Regum Macedonicorum. Conf. *Rupert. c. 8. p. 175.*

ASTYAGES *Mediæ regno & vita exuitur à Cyro.* Dictum jam ſupra de Aſtyage, quem tamen regno quidem, ſed non vita exutum à Cyro, præter alios *Juſtinus ex Trogo Pompejo* tradit *lib.* 1. *c.* 6. *v.* 17.

Notatur denique FINIS REGNI MEDORVM, hic ſtatuendus ſecundùm vulgarem ſententiam, quâ Medorum Imperium cum Aſtyage finitum perhibetur: id quod falſum eſſe, & continuatum Imperium Medicum etiam à Cyro ejuſque ſucceſſoribus, oſtendit *Parens meus in Diſſert. III. de Summu Orbis Imperiu* §. 6. Add. *Diſſert. IV. princ.*

TABVLA VI.

IN hac Tab. ſub tit. PERSICORVM Cyri geſta quædam adhuc memorantur, de quibus partim jam diximus.

A.M. 3409. CYRVS *Nabonidum vincit.* NABONIDVS autem, ſi, ſecundùm auctorem noſtrum, eſt Darius Medus Danielis, quem cognatum & fœderatum Cyri fuiſſe tradit *Joſephus,* cujus etiam ope Babylonem ceperit, quomodo nunc repente hoſtis factus eſt? Sed nimirum victum à Cyro Nabonidum dicunt illi, qui Nabonidum eundem cum Belſazare Danielis ſtatuunt. *Herodotus* bellum, in quo Babylonem cepit Cyrus, contra Aſſyrios fuiſſe dicit, & durante obſidione vias omnes in Mediam ducentes probè ab eo munitas, ne Medi negotia ſua cum Aſſyriis cognoſcerent. Atque idem Herodotus non nominat Regem Nabonidum. Hæc igitur ſi quis poteſt, expediat, atque ad liquidum deducat, & erit mihi magnus Apollo.

A.M. 3411. BABYLON *capitur à Cyro*; poſt diuturnam nimirum obſidionem, & multo labore conſumto: ut fusè narrat *Herodotus lib.* 1. Quanquam, ut ſupra notavi, *Joſephus lib.* 10. *Antiq. c.* 12. non à Cyro, ſed ejus auxiliis à Dario Medo captam eſſe Babylonem dicit.

A.M. 3419. *Cyrus ſolvit* CAPTIVITATEM BABYLONICAM JVDÆORVM. Edictum Cyri & cætera ad hanc hiſtoriam pertinentia vid. *Eſdr. cap.* 1. *ſeq.* De nova ſententia ſolutæ à Cyro Minore captivitatis Babylonicæ ſupra monui: quam ſingulari Diſſertatione defendit Auctor ejus, *Artopœus.* Per hoc tamen edictum Cyri ſolutâ captivitate Babylonicâ non niſi duæ Tribus in patriam reverterunt, X. reliquæ, quæ ante in captivitatem fuerant abductæ, emigrare rurſus abnuentes, ultra Euphratem manſerunt, ut ſcribit *Joſephus Antiq.* 9, 5. Quod autem de republ. quam adhuc teneant X. illæ tribus Iſraëlitarum olim captivæ, propè fluvium, quem ipſi Sambationem vocant, tradit *R. Benjamin Tudelenſis,* id inter ſomnia Judaica referendum eſt.

Cyrus

Digitized by Google

Cyrus à TOMYRI *Scytharum regina occiditur.* De bello hoc Cyri contra Scythas ſeu Maſſagetas, item clade exercitus & morte Cyri, præter *Herodot. lib.* 1. *c.* 207. & *Juſtin. lib.* 1. *c.* 8. vid. etiam *Frontin. Strategem. lib.* 2. *c.* 5. *Jornandes in Get. c.* 10. *Oroſius lib.* 2. *c.* 7. *Valer. Max.* 9, 10.

A. M. 3421. CAMBYSES *Cyro patri ſuccedit.* De Cambyſe & ejus bello contra Ægyptios, quod hic notatur iis verbis: *Cambyſes Ægyptum invadit*: prolixè *Herodotus lib.* 2. *&* 3 Per id bellum templa Deorum omnia in Ægypto diruit. Ipſe deinde gladio ſuâ ſponte evaginato in femore graviter vulneratus, occubuit. Brevius idem narrat *Juſtinus.* 1, 9.

A. M. 3428. MAGI *menſes VII.* ſcil. imperium Perſarum obtinent. Horum nomina erant *Cometes* & *Oropaſtes.* Cometes Oropaſten fratrem ſuum, occiſo *Mergide* (*Herodotus* Smerdin vocat) fratre Cambyſis, ad quem regnum pertinebat, pro eo ſuppoſuit, quia ei perſimilis erat. Poſt ſeptimum menſem fraus detecta ſagacitate *Oſtanis* per filiam ſuam, quæ inter regias pellices erat. Ea juſſa aures Regis contrectare, cùm nullas inveniſſet, Magi occiſi, & in vacuum thronum evectus

A. M. 3429. DARIVS HYSTASPIDES. Hic unus ex VII. Principibus conjuratis contra Magos, quomodo auſpicio equi ad Imperium Perſarum evectus ſit, narrat prolixè *Herodotus lib.* 3. *c.* 84. *ſeqq.* Add. *Juſtin.* 1, 10. Darius ex hoc per annos fere 36. imperavit: atque interim A. M. 3436. *Babylonem rebellem per Zopyrum recepit*: de quo *Juſtin. ibid. ex Herodoto*; qui pluribus hoc exequitur *lib.* 3. *c.* 153. *ſeqq.* Meminit & *Plutarch. Apophth. Regum c.* 4. & *Frontin. lib.* 3. *Strateg. c.* 3. Quæ porrò hic notatur *Darij in Scythiam expeditio infelix* prolixè deſcribitur ab eodem *Herodoto l.* 4. Add. *Juſtin. lib.* 2 *c.* 5. *Corn. Nep. Miltiad. c.* 3. *Oroſ.* 2, 8. *Plutarch. Apophth. Reg. c.* 17.

MEGABAZVS *Thraciam & Macedoniam Darij imperio ſubjicit.* Nam ab hoc jam tempore Perſarum per Aſiam latiſſimè diffuſa potentia, in Europam quoque arma transferre cœpit, Græciæ poſt id maximè incubitura. Quod de Megabazi expeditione hic memoratur, petendum prolixius ex *Herodoto lib.* 5. (qui pro Megabazo *Megabyzum* vocat) & *Juſtino* 7, 3. Neuter tamen ſubactam tunc Macedoniam dicit, ſed miſſos ad ſubigendam eam exercitus. *Bubares* enim dux Perſarum, nuptias filiæ Amyntæ Regis bello præferens, pacem Macedoniæ præſtitit. Sed à *Mardonio* poſtea ſubacta eſt Thracia & Macedonia, teſte *Herod. l. b.* 6. *poſt princ.* Meminit hujus expeditionis etiam Alexander apud *Curtium* 4, 1, 10. inter cauſas belli in Perſas hanc interſerens. Nos, dilatis interim reliquis Darii geſtis, in partem alteram Seculi incidentibus, (nam hæc Tabula jam unum duntaxat Seculum com-

Digitized by Google

plectitur, cujus priori parte enarratâ, ad alteram demum progredi placet)ad GRÆCA hujus Seculi accedimus, quæ quidem pauló poſt magnam cum Perſicis rebus connexionem habebunt.

PISISTRATUS *denuò ab exilio redit Athenas, & dominatum ſibi firmat.* De Piſiſtrato jam ſuprà dictum. De ejus reditu in urbem Athenas & reſtauratâ dominatione vid. *Herodot. lib.* 1. Meminit ejus & *Ariſtoteles lib.* 5. *Polit. c.* 12. Mortuo deinde *ſucceſſit Hippias filius*: de quo iterum *Herodotus lib.* 5. & 6. *Thucyd. Bell. Pelopon. lib.* 6. *Juſtinus lib.* 2. *c.* 9.

POLYCRATES *Samiorum tyrannus diu ſatis felix interficitur.* De hoc Polycrate, ejuſque prodigioſâ fortunâ, de annulo ejus, ad interpolandam aliquâ jacturâ felicitatem in mare conjecto atque recepto, denique de exitu ejus, ab Oronte Satrapâ Perſico cruci affixi, videndus *Herodotus lib.* 3. *Cic. lib.* 3 *de fin. Strabo lib.* 14. *Val. Max. lib.* 6. *c.* 9. *ext.* 5. *Plin. Hiſt. Nat. lib.* 37. *c.* 1.

HIPPARCHUS *Piſiſtrati fil. ab Harmodio & Ariſtogitone cæditur.* Hoc Harmodii & Ariſtogitonis pulcherrimum, ut tunc habebatur, facinus miris laudibus extollunt Græci. Legitur hiſtoria prolixè deſcripta apud *Thucyd. lib.* 6. Meminit & *Valer. Max. lib.* 2. *c.* 10. *ext.* 1. *Plin. H. N.* 34, 8.

BELLUM *inter Athenienſes & Æginetas* memoratur ab *Herodoto* partim *lib.* 5. partim 6. & *Thucyd. lib.* 1.

MILESII & JONES *à Perſis deficiunt.* MILETUS erat urbs Jonum primaria, teſte *Herodoto lib.* 1. JONES Athenienſium coloni: ut ſupra dictum ad *Tab.* 4. *Tit. Extern.* ſed à Dario Hyſtaſpide ſubjugati, Athenienſium auxiliis in libertatem ſe vindicare conabantur: at tunc quidem infelici exitu. Vid. *Herodot. lib.* 5.

Inter ROMANA hujus Seculi occurrit ad A. V. 221. TARQUINIUS *Superbus, Rex ult.* Hujus Regis geſta, & ut cæſo Servio regnum invaſerit; ut ſuperbè atque avarè in ſuos cives dominatus ſit; ut in Latinos bellum gerens præter cæteras urbes, Gabios dolo filii Sexti expugnaverit; ut denique libido filii & illatum Lucretiæ ſtuprum abrogando Regibus imperio occaſionem dederit, breviter quidem *Florus lib.* 1. *cap.* 7. prolixè verò cumque memorabilibus circumſtantiis narrat *Livius lib.* 1. *fin.* & 2. *princ. Dionyſ. Halic. lib.* 4. Addantur cæteri, quos ad Florum annotavit *Camers.*

A. V. 245. REGIFUGIUM, inquit *Feſtus*, Sacrum dicebant, quo die Rex Tarquinius fugerit è Roma. Id verò feſtum à Romanis bis quotannis celebratum, nempe 7. Cal. Martias & 11. Cal. Julias, teſte *Ovidio lib.* 2. & 5. *Faſt.* Pulſus autem regno fuit Tarquinius 7. Calendas Martias i. e. 23. Februarii. Et hinc *Creati primi Conſules* L. JUNIUS

BRUTUS

Digitized by Google

BRVTVS & P. VALERIVS POPLICOLA. Bruto quidem primò in conſulatu collega datus *L. Tarquinius*, qui ſimul expellendorum Regum auctor fuerat: ſed propter ſolum nomen vel genus regium non conſulatu modò, ſed etiam urbe expulſus eſt, ſubſtituto in ejus locum P. Valerio Poplicola; cujus vita apud *Plutarch. in Parall. maj.* De his vide iterum prolixè agentem *Livium lib. 2. inde ab initio. Dionyſ. lib. 4. & 5.* & præter ipſum *Florum lib. 1. c. 9.* quos ibi annotavit *Camers.* Quæ Conſulum poteſtas fuerit, & qualis hæc mutatio Reip. Rom. iidem Romanarum rerum Scriptores docebunt, & qui de magiſtratibus Rom. ſcripſerunt. *Inde* ÆRA CONSVLVM. Cœperunt enim deinceps Romani Conſulibus, qui ſingulis annis bini fuerunt, annos notare, nullo numero, ſed ſolo nomine Conſulum adſcripto, ita: *Coſſ. his vel iſtis* &c. unde formula: Sine die & ſine Conſule ſcribere, i. e. non addito anno & anni die: & eleganter apud *Claudian. in Eutropium lib. 1. v. 10.* Eunuchus Conſul *titulum effœminat anni.* Hinc *Faſti Conſulares* à multis ſcripti Veterum recentiorumque: de quibus vid. *Onuphr. Panvin. Præf. Commentariorum in Faſtos.*

PORSENNA *Cluſinorum Regulus Tarquinios reducere conatur.* Hiſtoria hæc, in quam *Horatij Coclitis*, *Mutij Scævolæ* & *Clæliæ* virginis facinora concurrunt, iterum petenda ex *Flori lib. 1. c. 10.* & notatis ibi Scriptoribus.

Inter VARIA hujus dimidii Seculi hæc notantur: CROESVS *à Cyro vincitur.* Hujus opulentiſſimi Regis hiſtoria non aliunde uberius peti poteſt, quàm ex *Herodoto lib. 1.* ubi colloquium ejus cum Solone, legatio ad oraculum, & reſponſum hujus ambiguum de belli exitu; item de filiis ejus ſingularia; de bello denique ipſo adverſus Cyrum, & ut ab hoc captus Crœſus rogoque impoſitus, ter inclamato nomine Solonis liberatus ſit; prolixè deſcribuntur. Add. *Juſtin. lib. 1. cap. 7. Valer. Max. 5, 4. ext. 6. Gell. Noct. Attic. 5, 9. Plutarch. in Solone.* Et hic fuit FINIS REGNI LYDORVM: de quo & Regum in eo ſucceſſionibus vid. quæ collegit *Rupert. in Obſerv. ad Synopſ. Beſold. c. 4. p. 118. ſeqq.*

AMASIS *Rex Ægypti obit.* Dictum jam de hoc Rege eſt ad ſuperius Seculum; & conſulendus *Herodotus lib. 2. ſub. fin.* de morte verò ejus *lib. 3.* ubi regnaſſe dicitur annos 44. Cadaver ejus conditum quidem ab Ægyptiis, poſtea verò à Cambyſe R. Perſ. verberibus cæſum & igne crematum fuit, præter morem & Perſarum & Ægyptiorum; teſte eodem *Herodoto.*

PSAMMENITVM *Sextum jam menſem regnantem evertit Cambyſes.* Hoc quoque ex *Herodoto* deſumtum *lib. 3.* in quibuſdam tamen editionibus

Digitized by Google

bus non menſes, ſed anni 6. ponuntur. Captâ Memphi regiâ, Pſammenitus quoque à Cambyſe captus fuit: quo tempore etiam illud accidit, quo Pſammenitus oſtendit, domeſtica mala lachrymis eſſe majora. Nota eſt hiſtoria, & prolixius narrata *ibidem.* Ipſe tamen Pſammenitus vivus ſervatus eſt à Cambyſe.

ALEXANDER *Amyntæ fil. Rex Maced.* Hic eſt, cujus egregiam indolem prædicat *Juſtinus* 7, 2, 13. & factum ejus legatorum Perſicorum laſciviam punientis *ſeq. cap.* narrat. Regnum ſuum partim virtute, partim liberalitate Perſarum multum ampliavit. Idem *cap.* 4. *princ.*

Progredimur ad VIROS ILLUSTRES, (nam hunc titulum poſt Varia enarrare placet ex idoneâ ratione) inter quos hoc tempore floruit THEOGNIS Megarenſis, Poëta γνωμολόγος, qui quidem ex Euſebii auctoritate ad hoc tempus refertur. Sententiæ ejus adhuc ſuperſunt. Vid. de eo *Voſſ. de Poëtis Græc. c.* 4. *p.* 21. & *Fabric. Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 11.

THALES *obit.* Hic Thales Mileſius (fuit enim etiam Thales Cretenſis hoc antiquior) Philoſophus ex VII. Græciæ Sapientibus unus fuit. Ejus aliqua memorantur apud *Herodotum, lib.* 1. Meminit & *Plutarch. in Solone,* & *Valer. Max.* 4, 1. *ext.* 7. Vitam verò ejus exhibet *Diog. Laërt. lib.* 1. Vid. etiam *Fabric. Biblioth. Græc. lib.* 1. *cap.* 35. *p.* 238.

ANAXIMANDER *obit,* & ipſe Mileſius fuit, cujus dogmata vid. apud *Diog. Laërt. lib.* 2. *princ.* Add. *Fabric. Biblioth. Græc. lib.* 2. *cap.* 23. *p.* 773.

HIPPONAX Poëta fuit, de quo *Plin. H. N. lib.* 35. *c.* 5. *Euſebius in Chron.* antiquiorem facit, ſed minus rectè. De eo *Fabricius Biblioth. Græc.* 2, 15. *p.* 556.

PYTHAGORAS *floret,* Samius Philoſophus celeberrimus, Italicæ Philoſophiæ auctor: cujus vita prolixè habetur deſcripta apud *Diog. Laërt. lib.* 8. *princ.* Crebra etiam ejus Viri mentio cùm apud alios tùm præſertim apud *Ciceronem de Finib. & in Tuſcul. Quæſt.* Vid. quæ de eo habet *Valer. Max. lib.* 8. *c.* 8. *ext.* 2. Plura verò de Pythagora, ejusque ætate & ſcriptis &c. *Fabric. Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 12. *& Morhoff. in Polyh. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n,* 13.

XENOPHANES *Colophonius,* Poëta fuit & Philoſophus, auctor Sectæ Eleaticæ: cujus vita apud *Diog. Laërt. lib.* 9. Vid. *Voſſ. de Poëtis Græc. cap.* 4 *p.* 21. *Fabric. Biblioth. Græc.* 2, 23. *p.* 757.

SIMONIDES *Ceus, Lyricus.* De hujus carminibus, Apophthegmatibus &c. paſſim apud Veteres Scriptores fit mentio. *Valer. Max. lib.* 1. *c.* 8. *Suidas in voce Simonides. Ælian. Var. Hiſt.* 9, 1. &c. De eod. vid. iterum *Voſſ. de Poëtis Græc. cap.* 4. *p.* 20. & inprimis *Fabric. Biblioth. Græc.* 2, 15. *p.* 565.

PHOCY-

Digitized by Google

PHOCYLIDES Poëta fuit, de quo *Voſſius de Poëtis Græc. cap.* 4. *p.* 22. qui tamen dicit, eum, cujus carmen adhuc ſupereſt, cum Theognidis ſententiis plerumque editum, non eſſe hujus ætatis, ſed alium. Add. *Morhoſſius Polyh. liter. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 14. *p.* 356. & *Fabricius Bibliotb. Græc. lib.* 2. *c.* 11 *p.* 436.

ANACREON Teius Poëta fuit Lyricus, à quo genus carminis Anacreonticum. Edita ſunt ejus carmina inter IX. Lyricos, & converſa in Latinum ab *Henr. Stephano.* pleraque amatoria aut ſaltem mollia. De ejus ætate, qua vixit, vid. *Voſſius de Poëtis Græc. cap.* 4. *p.* 22. Plura *Morhoſſius Polyh. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 11. *Fabric. Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 15. *p.* 554.

ANAXIMENES *naſcitur.* Hic Philoſophus fuit, de quo *Diog. Laërt. lib.* 2. ſtatim poſt Anaximandrum, cujus auditor fuit. *Fabricius Biblioth. Græc.* 2, 23. *p.* 773. *Plinius* 2, 76. *Auguſtinus de* C. D. 8, 2.

EPICHARMUS *Pythagoræ auditor,* Phyſicus Philoſophus & comicus veteris comœdiæ fuit, de quo *Diog. Laërtius lib.* 8. qui ejus etiam meminit in *Vitâ Platonis.* Vid. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 13. *p.* 490. ubi in Catalogo Pythagoricorum recenſetur; & *lib. eod. cap.* 19. *p.* 645.

PINDARUS *naſcitur.* Fuit ille Thebanus patriâ, Poëta inter 9. Lyricos vel præcipuus, cujus carmina etiamnum leguntur. Vid. de eo *Voſſius de Poëtis Græc. c.* 5. *p* 29. *Morhoſſius Polyh. Liter. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 10. & præſertim *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 15.

HERACLITUS *Epheſius,* inter Philoſophos eſt is, qui flendo hominum ſtultitiam contemplatus eſt. Vitam ejus & dogmata habes apud *Diog. Laertium lib.* 9. *princ.* Inter Poëtas quoque ejus meminit *Voſſius cap.* 4. *p.* 25. Sed pluribus *Fabricius Biblioth. Græc lib.* 2. *c.* 23. *p* 760.

ZENO *Eleates* Philoſophus itidem fuit, diſtinguendus à Zenone Cittieo, Stoicæ Sectæ Patriarchâ, & cæteris hujus nominis; nam 8. fuiſſe Diogenes Laërtius docet: qui hujus quoque Vitam exhibet lib. 9. *Fabricius Biblioth. Græc.* 2, 23. *p.* 772.

Redimus ad PERSICA in alterâ parte Tabulæ & Seculi hujus, quibus per hæc tempora maximam partem innexa ſunt GRÆCA: ideoque junctim hæc enarrabimus. SARDES *ab Jonibus & Athenienſibus captæ incenduntur.* Res uti geſta eſt, extat apud *Herodotum lib.* 5. *Jonum* deinde *claſſis à Perſis diſſipatur, omneſque eorum urbes ſubiguntur. Herodotus lib.* 6. *princ.* Meminit & *Juſtinus* 2, 5, 12. Urbes autem Jonum erant 12. quarum nomina recenſet *Herodotus lib.* 1 *poſt med.* DARIUS *claſſem DC. triremium mittit in Græciam*; ſub duce Mardonio, ut habet *Herodotus lib.* 6. *poſt princ. Cornelius Nepos in Miltiad. c.* 4. quingentarum navium claſſem, & Datin & Artaphernen illi præfectos fuiſſe di-

Digitized by Google

cit. Sequuta eſt PVGNA MARATHONIA: qua Athenienſes duce Miltiade decemplicem numerum Perſarum ſub duce eorum Dati profligarunt, ad Marathonem Atticæ urbem. Celebratur inter particularia hujus pugnæ illud *Cynægiri* militis Athenienſis factum, qui fugientium Perſarum navem primùm dextrâ, dein ſiniſtrâ, & utrâque amputatâ manu, ad extremum morſu tenuerit. Ipſam pugnam Marathoniam *Plutarchus* à 300. auctoribus deſcriptam affirmat. Inter ſuperſtitum monumenta memoratur ab *Herodoto lib. 6. Pauſania lib. 1. Corn. Nepote in Miltiad. cap. 5. Juſtino lib. 2. c. 9. Gellio Noct. Attic. lib. 17. c. 21.* &c.

A. M. 3465. XERXES *ſolus defuncto patre.* Quippe jam tùm Dario vivo ſucceſſioni deſtinatus, & propter maternæ originis dignitatem (mater enim ejus Atoſſa Cyri filia fuit) Artabazani, licet majori natu (quem *Juſtinus* 2, 10, 2. Artemenem vocat) prælatus. *Herodotus lib. 7. c. 2.*

A. M. 3470. *Tranſitus Xerxis in Europam.* Poſtquam ſecundo regni anno Ægyptum domuerat, quæ à patre ejus defecerat, hanc in Europam expeditionem ſuſcepit Xerxes. Hæc eſt illa horribilis expeditio, in Græcorum monumentis tantopere decantata: cujus ſi omnes circumſtantias enarrare vellem, longa mora eſſet. Inter memorabilia ejus exercitus immenſa multitudo, navium numerus inauditus, mare pontibus ſtratum, perfoſſus Athos mons, inundata pedeſtribus copiis Græcia, adverſus eas in Thermopylarum anguſtiis Leonidæ cum 300. Spartanis fortitudo, Athenienſis urbis excidium, Græcorum & præſertim Themiſtoclis conſilia, jactura claſſis Perſicæ ad Magneſiam, prælium ad Artemiſium, & Perſarum clades maxima in pugnâ Salaminiâ, denique Xerxis ex Europâ turpis fuga. Quæ omnia vide prolixè expoſita ab *Herodoto lib. 7. & 8. Plutarcho in Vita Themiſtoclis, Cornel. Nepote in Ejuſdem Vitâ, Cteſia in Perſicis, Juſtino lib. 2. c. 10. Diod. Siculo lib. 11.* qui hinc iterum incipit, cùm præcedentes 5. libri amiſſi ſint. *Oroſio lib. 2. c. 10.*

PVGNA SALAMINIA, ut prædixi, ad hoc quoque bellum pertinet, quæ navalis fuit, victoribus Græcis. Ejus ergo ſingularia ex iiſdem, quos nominavi, auctoribus petenda ſunt. MARDONIVS autem *ad Plataas à Pauſania & Ariſtide victus eſt & occiſus,* poſt Xerxis turpem è Græciâ fugam: quippe eum cum reliquiis copiarum in Græciâ reliquerat. Etiam hoc prælium memoratur ab *Herodoto lib. 4. med. Diodoro Siculo* 11, 31. *Plutarcho in Ariſtide & Pauſania. Strabone lib. 9. Pauſania in Laconicis & Bœoticis. Juſtino lib. 2. c.* 14. qui Mardonium non occiſum eſſe in prælio ſcribit, ſed effugiſſe; ſecutus in hoc *Cteſiam*: nam cæteri omnes occiſum dicunt. *Perſarum clades ad Mycalen die eodem* accepta,

cepta iterum ab *Herodoto* & *Diodoro*, præcipuis auctoribus, tradita eſt: quibus [illegible] *Juſtinus l. c.* Prælium hoc ad Mycalen navale fuit: circa quod memorabilis famæ velocitas obſervanda, cùm paucas intra horas ex Bœotiâ in Aſiam, ſtantibus ex adverſo claſſibus, nuntius venit de clade Mardonii: quanquam *Diodorus lib.* 11. *c.* 35. hoc ſtrategema fuiſſe Leotychidæ dicit, ut hunc rumorem ſpargeret. Vid. *ad Juſtini* 2, 14, 9. *nota Berneggeri.*

Themistocles *exul Argos & pòſt ad Perſas abit.* Magnum hunc virum nihil aliud civibus ſuis Athenienſibus inviſum reddidit, ut exilio eum multarent, quàm virtus, & meritorum gloriæque magnitudo: unde de eo *Corn. Nepos*: *Tamen non effugit civium ſuorum invidiam: namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, teſtarum ſuffragiis è civitate ejectus, Argos habitatum conceſſit.* Sequutum eſt deinde transfugium ejus ad Regem Perſarum; cui quidem etiam ſubjugationem patriæ promiſit: in quo an excuſari poſſit, meritò dubites. Vid. *Cornel. Nepos* & *Plutarchus in ejus Vita*: quibus addatur *Thucydides lib.* 1. quem ſequitur *Cornel. Nepos* in eo, quod non ad Xerxem, ſed ad Artaxerxem filium veniſſe Themiſtoclem ait.

Cimon *Miltiadis filius cædit Perſas ad Eurymedontem fluvium*, terra marique ſcil. ut ſtrenuus athleta uno die duplicem victoriam nactus, ut loquitur *Plutarchus in vita Cimonis cap.* 27. poſtquam utramque memoravit. Add. *Thucydides* 1, 16, 14. & *Diodorus lib.* 11. *c.* 61. De Cimone plura *Cornel. Nepos in Vita*: *Valer. Maximus* 5, 3.

Antequam res Perſicas ſub Xerxe relinquamus, repetendum adhuc illud eſt, quod Tab. noſtra notat: Hester *Xerxi è Græcia reverſo adducitur.* Hoc ita temerè pronunciatur ſecundùm eorum ſententiam, qui Xerxem eundem cum Ahaſvero faciunt: cujus ſententiæ defenſor eſt *Scaliger*, quem ſequitur *Calviſius in ann.* 3466. *Helvicus*, aliique, cum Auctore noſtro. *Joſephus* tamen Judæus Artaxerxem Longimanum Eſtheræ maritum facit; alii alium. De qua diverſitate ſententiarum vid. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib.* 1. *cap.* 3. *Sect.* 1. *p.* 319. *ſeq.* Conf. *Artopœus Diſſert. V. de Summis Orbis Imperiis*, §. 9. *ſeqq.* ubi ſuam quoque ſententiam profert, quâ Hyſtaſpem filium Xerxis, Artaxerxis Longimani fratrem, pro Ahaſvero habet.

A. M. 3486. Artaxerxes Μακρόχειρ, ſeu Longimanus, ſucceſſit patri Xerxi, ultus mortem patris, quem Artabanus occiderat, & ſe ſimul ab ejus inſidiis vindicavit: quâ de re vid. *Diodorus lib.* 11. *c.* 69. & *Cteſias in Excerpt Perſ. cap.* 29. *ſeq.* Ipſe à pulchritudine & virtute bellica commendatus à *Cornel. Nepote* XXI, 4. Ægyptios, qui creato Rege Inaro, & auxiliis Athenienſium freti, denuo deſciverant, per Achæme-

Digitized by Google

nem patruum rurſus ſubigit. *Diodor. Sic. lib. 11. c. 71. 74. 75. & 77.* Add. *Rupert. Obſerv. ad Synopſ. Beſold. c. 6. p. 155. ſeqq.*

BELLUM MESSENIUM III. *cum Lacedæmoniis* ſcil. geſtum. De hoc bello præter *Pauſaniam* & *Strabonem* vid. inprimis *Diodorus lib. 11. c. 64. & lib. 15. c. 66. & Juſtinus lib. 3. c. 6.*

PAUSANIAS *proditionis damnatus fame necatur.* Hic Spartanorum Dux quomodo cum Xerxe contra patriam conſilia inierit, ut ſibi pro ducatu regnum Græciæ compararet, & deprehenſus has pœnas dederit, ut Spartæ in templo Minervæ, Chalciœco dicto, incluſus fame periret, ad cujus introitum obſtruendum in primis lapidem attulerit mater ejus, videatur *Cornel. Nepos in Vita*; *Juſtinus 2, 15, 14.* & qui ibi à *Berneggero* citantur Auctores.

GRÆCIA *ab externo metu liberata, ad domeſtica bella paulatim arma convertit.* Sumta ſunt hæc verba ex *Juſtino 3, 2, 1.* Ducibus nimirum Lacedæmoniis & Athenienſibus in duas diviſa partes Græcia, ex æmulatione principatûs in bella civilia, & ex bellis civilibus denique in ſervitutem prolapſa eſt. Seriem rerum ſequentia docebunt.

Nobis nunc ad ROMANA tranſeundum eſt: in quibus occurrit ad A. V. 256. PRIMUS DICTATOR *Titus Lartius Flavus.* Hic à *Dionyſ. Halicarnaſſeo* T. Largius vocatur, à *Livio* verò Lartius. Quo anno tamen creatus ſit primus Dictator Romæ, non conſtat, ut idem *Livius* fatetur *lib. 2. c. 18.* ex quo hæc hiſtoria petenda, & ex *Dionyſio Halicarn. lib. 5. ſub fin.* ubi quid ſit Dictator etiam exponitur. Add. *Polybius lib. 3.* & *Lipſius de Magnit. Rom. c. 17. Onuphrius Panvinius Comment. in Faſtos lib. 1. p. 70. ſeqq.*

A. V. 260. PRIMI TRIBUNI PLEBIS, quinque numero creati, C. Licinius, L. Albinus, qui tres alios ſibi adſciverunt; factumque id poſt primam ſeceſſionem plebis, quæ non aliter in gratiam redire voluit cum Senatu, niſi hoc modo illis caveretur. Erant enim hi magiſtratus plebis ſacroſancti, qui plebi auxilium ferrent contra Conſules. Vide *Livium lib. 2. c. 3.* & cæteros, quos Camers annotavit ad *Flori lib. 1. c. 23.* De tribunitia poteſtate vide *Onuphrium Panvinium Comment. in Faſtos lib. 1. p. 74. ſeqq. Hottomannum de magiſtrat. Rom.* & alios de hoc argumento.

A. V. 264. C. MARTIUS CORIOLANUS *in exilium actus,* ideò nimirum, quia plebem Rom. ad colendos agros adigere volebat. Hiſtoria petatur ex *Livio lib. 2. c. 35. Dionyſ. Halicarnaſſeo lib. 7. & 8.* & *Plutarcho in Vita Coriolani,* aliiſque, quos *Camers* notat ad *Flor. lib. 1. c. 22.*

A. V. 268. LEX AGRARIA *à Sp. Caſſio promulgata.* Erat hic Sp. Caſſius Conſul, collegâ Proculo Virginio, & ob eam legem latam de

Digitized by Google

de agris in populum dividendis, regni affectati accuſatus, ab ipſo Patre ſuo occiſus eſt. Vide hiſtoriam apud *Livium* 2, 41. &c. & quos *Camers* ad *Flor. lib.* 1. *c.* 29. annotavit auctores.

A.V. 270. Bellvm Veiens *diuturnum, cui Æqui, Volſci, Hetruſci, ſe miſcuerunt.* Bellum quidem hoc contra Veientes geſtum, & deinde pauliſper dilatum, dum cæteri frangerentur, acrius recruduit, non ante finitum, donec Veji urbs toto decennio obſeſſa, denique capta fuit. Deſcribit illud *Livius lib.* 4. *&* 5. *Auguſtinus de* C. D. *lib.*2. *c.*17. & *lib* 3. *c.*17. *Florus* breviter *lib.* 1. *c.* 12.

A.V. 277. CCCVI. *Fabÿ periere ad Cremeram.* Hæc nimirum gens Fabiorum t[illegible] Romæ potens ſola ſibi depoſcebat belli adverſus Veientes & Etruſc[illegible] gerendi gloriam; ſed infelici eventu, cæſis ad Cremeram eorum 306. unico domi relicto puero, qui gentem poſtea propagavit. Quanquàm *Dionyſ. Halicarnaſſ.* de tota hac narratione addubitat, certè de unico puero ex omni ſtirpe Fabiorum domi relicto, non credit. Vide ipſum *lib.* 9. *c.* 5. ubi diverſimodè rem exponit. Adde alios, quos ad *Flori lib.* 1. *c.* 12. notat *Camers.* De hac Fabiæ gentis clade elegans eſt Auſonii Diſtichon:

Vna dies Fabios ad bellum miſerat omnes,
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

A. V. 297. Decem Tribvni Pl. *primùm creantur.* De hoc Tribunorum pl. numero aucto, & quâ occaſione id factum ſit, vid. *Livius lib.* 3. *c.* 30. *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 10. *c.* 7.

Notatur hic *Trecenteſimus Vrbis annus,* quo tempore *Legati in Græciam miſſi cognoſcendarum legum causâ*; nempe ut inde ſelectu facto leges ſcriberentur, quibus in perpetuum uteretur civitas Romana. Hinc ergo *Leges XII. Tabularum* concinnatæ; potiſſimum ex Legibus Solonis, aliarumque Græciæ Civitatum inſtitutis, moribus & Juribus. Deſcribit hæc ſatis curioſè *Dionyſius Halicarn. lib.* 10. *prope fin.* qui etiam in notatione temporis accuratus eſt, nec non *Livius lib.* 3. *c.* 31. *ſeqq.* Ex recentioribus hiſtoriam Legum XII. Tabb. accuratiſſimam nobis dedit *Jac. Gothofredus, JCtus in Præf. libri cui tit. Fontes quatuor Juris Civilis.* Et ob hoc ipſum

Decemviri creati, ſcil. legibus ferendis; quibus Decemviris, omnibus aliis magiſtratibus ſublatis, ſine provocatione poteſtas conceſſa. Sed abuſi illi hac poteſtate ad ſervitutem populo Rom. intentandam effecerunt, ut brevis hæc mutatio Reipubl. eſſet, & Decemviratus citò abrogaretur. Memorabilis hæc hiſtoria prolixè legitur deſcripta à *Livio lib.* 3. *à cap.* 31. multis deinceps capp. & *Dionyſ. Halicarnaſſ.*

Digitized by Google

naſſ. ſub finem libri 10. *& libro* 11. Alios complures auctores, qui de his rebus ſcripſerunt, vide notatos à *Camerre* ad *Flor. lib.* 1 *c.* 24.

Sub titulo VARIORVM occurrit: GELO *Rex Syracuſanus cœpit.* Hic eſt ille Gelon, qui Carthaginenſes, Siciliam eodem tempore quo Perſæ Græciam, invadentes ex condicto, ad Himeram ingenti prælio cecidit, & Siciliam liberavit. Prælium hoc, quod eodem die commiſſum eſſe dicitur, quo Leonidas & 300. ſub eo Spartani ad Thermopylas pugnarunt, deſcribitur à *Diodoro Siculo lib.* 11. *c.* 20. *ſeqq.* De eodem Gelone ut regno Siciliæ potitus ſit, & de legatione Græcorum ad ipſum miſſa, belloque ejus cum Carthaginenſibus, vid. *Herodotus lib.* 7. *poſt med.*

HIERO *Syracuſis ſuccedit fratri Geloni.* Hic Hiero, primus hujus nominis Rex Syracuſanus (nam fuit & alter Pyrrhi coævus, de quo *Juſtinus* 23, 4, 2.) Catanenſem coloniam duxit. Cætera ejus geſta vid. apud *Diodorum lib.* 11. *cap.* 48. 49. *&* 53.

SYRACVSANI, *Thraſybulo Hieronis ſucceſſore expulſo, ſe in libertatem aſſerunt*: poſtquam ſcil. ille per annum non amplius improbiſſimè dominatus erat. *Diodorus Sicul.* 11, 67. *ſeqq.* Syracuſæ dehinc popularis imperii ſtatum per annos 60. conſervarunt.

PERDICCAS *Rex Macedoniæ*, Secundus, certè non primus hoc nomine hic cenſendus eſt Rex Macedoniæ. Quanquam nec frater Philippi, patris Alexandri, eſſe poteſt, à quo ſcil. toto Seculo diſtat. Sed mirè variant auctores in ſucceſſionibus Regum Macedoniæ. Vid. *Ropert. in Obſerv. ad Synopſ. Beſold. c.* 8. Conf. *Reiner. Reineccius de Famil. Regum Macedoniæ.*

Reſtant VIRI ILLVSTRES, qui ad hanc alteram partem Seculi referuntur: quorum primus nominatur CHOERILVS. Fuerunt autem plures uno hoc nomine Poëtæ. Hic non poteſt intelligi ille Chœrilus, Alexandri M. Poëta, de quo *Horatius* 2. *Epiſt.* 1. *v.* 233. & *in Epiſt. ad Piſones v.* 357. Nam is plus ſeculo ſerior. De quo *Acron* ſcribit, ita conveniſſe inter ipſum & Alexandrum, ut quoties bonum ederet verſum, acciperet philippicum; quoties malum, colaphum. Sed Poëta toties malos edidit verſus, ut colaphis perierit. Potius is videtur in hæc tempora congruere bonus Poëta, quem *Voſſius de Poëtis Græcis cap.* 4. *p.* 22. Chœrillum vocat, & tragicum Poëtam fuiſſe dicit, & circa 64. Olympiadem floruiſſe: de quo & *Fabricius in Biblioth. Græc. c.* 15. *p.* 641. Cæteri enim ſerius vixerunt: de quibus idem *Voſſius d. l. cap.* 5. *p.* 28.

SOPHOCLES *naſcitur.* Hic tragicus iterum Poëta eſt præcipui nominis; cujus ex plurimis ſuperſunt 7. adhuc tragœdiæ, & hodie-

que

que in pretio ſunt; magni habitæ etiam à Veteribus. Vid. *Voſſius de Poetis Græc. cap.* 4. *fin. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 6. & *Fabric. Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 17.

MILTIADES Dux Athenienſium notiſſimus ex *Cornelio Nepote*, qui vitam ejus exhibet. Adde cæteros rerum Græcarum per hæc tempora ſcriptores. Gloriæ ejus præcipua pars eſt, victoria Marathonia; de quâ ſupra.

EVRIPIDES, Poëta tragicus; quem Poëtarum τραγικώτατον eſſe dixit *Ariſtoteles de Arte Poëtica*. Tragœdiæ ejus, ex quibus 19. ſuperſunt, in φιλελλήνων manibus verſantur. Vitam ejus exhibet *Diogenes Laërtius*. Vid. iterum de eo *Voſſius de Poëtis Græc. cap.* 5. *p.* 28. & *cap.* 6. *p.* 35. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 7. & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 18.

CIMON, Miltiadis filius, & ipſe Dux Athenienſium, perinde ut pater, geminâ victoriâ uno die ad Eurymedontem fluvium, & iterum in Cypro, de Perſis partâ, nobilitatus: de quo plura *Corn. Nepos* & *Plutarchus*, qui vitam ejus ſcripſerunt.

THEMISTOCLES verò Neoclis fil. Athenienſis, præter laudes bellicas & Salaminiæ victoriæ gloriam, etiam fatorum varietate inclaruit: de quo jam tùm ſupra diximus. Hujus quoque vitam exhibent *Cornel. Nepos* & *Plutarchus*. De eodem videri poſſit *Diſſertatio* inter *Bœclerianas*, cui titulus: *Themiſtocles*, ſeu *Idea magni Civis*.

ÆSCHYLVS, Poëta tragicus, multas ſcripſit tragœdias, ſed ex quibus 7. duntaxat hodie leguntur. De eo vid. *Voſſius de Poët. Græc. cap.* 5. *p.* 29, *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 5. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 16.

DEMOCRITVS Abderites, Phyſicus Philoſophus fuit, auctor philoſophiæ de atomis & vacuo: is qui ridendo ſtultitiam hominum reprehendere ſolitus. *Juvenal. Sat.* 10. *v.* 33. *ſeqq. Senec. de Tranquill. Vitæ.* hinc *Gelaſinus* cognominatus, teſte *Suida*. De eo tradunt nonnulli, quod ſe ipſum oculorum uſu privaverit, ut eò liberius meditationibus vacaret. Quod tamen vix fidem inveniet apud cordatos. Vitam ejus & ſententias exponit *Diogenes Laërtius lib.* 9. De eodem & ſcriptis, (quorum quidem nullum ſupereſt) *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 23. *p.* 762. *ſeqq.* de philoſophiâ ejus *Morhoffius Polyhiſt. Philoſ. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 4. *ſeqq.*

SOCRATES naſcitur. Celeberrimus hic Philoſophus Athenienſis fuit, cujus dogmata tàm præclara fuere, & vita tam ſancta, ut *Eraſmus Roterodamus*, admiratione ejus captus, alicubi (in *Colloquiis*) ſcribere non vereatur ſe vix ſibi temperare, quin exclamet: O Sancte Socrates, ora pro nobis! De Socrate hoc, ejuſque vita & philoſophia,

nec

Digitized by Google

nec non damnatione & exitu ampliſſima dicendi materia eſſet; ſed nos inſtituti noſtri memores, remittimus potius ad eos qui hoc ex profeſſo egerunt. *Diogenes Laertius lib.* 2. vitam ejus tradit. Plura de eo petantur ex Scriptis Platonis, diſcipuli ejus, item ex *Xenophontis Memorabilibus Socratis*, & *Apologia pro Socrate*; aliiſque paſſim. Ex recentioribus *Vitam Socratis* Gallicâ linguâ ſcripſit *Joh. Lud. Balzacius*, Gallus doctiſſimus. Videatur etiam *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 23. *p.* 782. ubi inprimis de ſcriptis ejus; & *Morhoffius Polyhiſt. philoſ. lib.* 1. *c.* 3.

CRATINUS Athenienſis, veteris comœdiæ Poeta fuit, homo admodùm vinoſus, ut teſtatur *Suidas* & ejus *Interpretes*. Meminit ejus & *Horatius* 1. *Sat.* 4. & 1. *Epiſt.* 19. Vid. *Voſſius de Poëtis Græc. c.* 5. *p.* 30. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 22. *p.* 717.

BACCHYLIDES Ceus, Lyricus fuit, Pindari æmulus. Ejus Carminum nonniſi particulæ ab allegantibus auctoribus in hunc diem ſervatæ ſunt. De eodem vid. *Voſſius de Poëtis Græc. cap.* 5. *p.* 31. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 12. *p.* 355. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 15. *p.* 551.

TABULA VII.

REdimus ad PERSICA in ſeculo ſequenti, ubi memoratur ad A. M. 3526.

DARIUS NOTHUS *filius* & ſucceſſor Artaxerxis Longimani, Nothus dictus, quod ex pellice natus eſſet: quanquam *Parens meus* aliter ſentit, & quod ex *Eſthere* Judaicâ ipſum genuiſſet pater Hyſtaſpes Xerxis filius, ita dictum exiſtimat. Vid. *Diſſert. V. de Summis Orbis Imperiis* §. 9. *ſeqq.* Omittitur autem in Tab. noſtra in ſerie Regum Perſ. XERXES II. (de quo præter alios *Diodorus lib.* 12. *c.* 71.) à SOGDIANO per crapulam occiſus; cujus paucorum menſium imperium fuit. Adverſus Sogdianum advocatus è Bactrianis OCHUS, qui Darium ſe dici voluit, illum captum ſupplicio affecit. Et hic eſt Darius Nothus, qui deinceps imperavit.

Edictum Cyri de inſtaurando templo Hieroſolymitano renovatur à Dario. Hoc ita pronuntiatur ex ſententia *Joſ. Scaligeri*, quem præter *Calviſium*, *Helvicum* &c. etiam noſter Auctor ſequutus eſt. Alii tamen non hunc Darium Nothum eſſe ſtatuunt, qui edictum de inſtaurando templo Hieroſ. renovaverit, de quo *Eſdr. cap.* 4. *v. ult.* & *Haggai cap* 1. *v.* 1. *Zachar. cap.* 1. *v.* 1. ſed Darium Hyſtaſpidem. Videantur pro utraque ſententia quæ adduci poſſunt rationes, prolixè expoſitæ in *Hiſt. Eccleſ. Gothan. lib.* 1. *c.* 3. *Sect.* 1. *p.* 31. *ſeq.* *Parens meus*, ſecundum hypotheſin

ſuam

Digitized by Google

ſuam de Cyro minore, liberatore populi Iſraëlitici, alium rurſus Darium, qui hoc edictum renovaverit, fuiſſe cenſet, nempe Artaxerxis Mnemonis filium, quem pater conſortem imperii fecerat, cuique pars illa imperii Perſici regenda ceſſerat. Vid. *Diſſert. V. de Summis Orbis Imperiis* §. 19. *p.* 20.

Initium Hebdomadum Danielis. Hoc quoque quo anno ſtatuendum ſit, inter Interpretes non convenit. Vid. iterum *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. l. c. p.* 317. *ſeq.* Apparet autem etiam hic Noſtrum ſequi ſententiam *Scaligeri*, qui in Darii Nothi anno ſecundo harum hebdomadum annalium initium ponit.

A. M. 3532. Encænia Templi, anno ſexto Darii celebrata memorantur *Eſdr. cap.* 6. *v.* 15. *ſeq.* quanquam *Joſephus Antiq. lib.* 11. *c.* 4. ad annum 9. Darii refert; quâ auctoritate, non conſtat.

A. M. 3538. *Ægyptus à Perſicis deficit, duce Amyrthæo.* Hæc defectio Ægyptiorum ad hoc tempus refertur ab *Euſebio in Chron.* qui etiam reliquorum deinceps Ægypti Regum nomina recenſet, uſque ad Nectanebum II. quo in Æthiopiam expulſo, Artaxerxes Ochus Ægyptum rurſus in ſervitutem redegit.

A. M. 3539. *Fœdus initum inter Spartanos & Perſas*, ſcil. adverſus Athenienſes, quibuscum bellum gerebant Spartani: de quo, cùm ad Græca pervenietur, dicemus. De hoc fœdere ſub Dario Notho inito videndus *Thucydides lib.* 8.

A. M. 3545. Artaxerxes *Μνήμων filius* Darii Nothi, ante regnum ſuſceptum *Arſaces* dictus. Hujus regis res *Plutarchus* integro libro expoſuit. Et cùm ille magna pars belli Peloponneſiaci fuerit, per duces ſuos Artabazum & Tiſſaphernem, nunc Spartanis, nunc Athenienſibus auxilia ſubmittens, ex illius belli Scriptoribus partim ejus hiſtoria petenda: inprimis verò conſulendi, qui bellum ejus cum fratre Cyro ſcripſerunt; quod notatur in Tab. noſtra his verbis:

A. M. 3549. Cyri *ἀνάβασις contra fratrem Artaxerxem.* Quòd hic Cyrus 1. voluntate patris legitimus ſucceſſor fuerit, non frater ejus Artaxerxes, licèt hic eſſet natu major; 2. quòd non ille fratri inſidias ſtruxerit, ſed frater illum circumvenerit; 3. quòd ab hoc Cyro, patre adhuc vivente, Babylon capta fuerit: demonſtrare conatus eſt Parens meus in *Diſſert. V. de Summis Orbis Imperiis* §. 15. *ſeqq.* qui eundem etiam liberatorem populi Iſraëlitici facit. Quod ἀνάβασιν Cyri attinet, ſeu expeditionem ejus adverſus fratrem Artaxerxem, eam præter *Plutarchum in Vita Artaxerxis*, deſcribit proprius Scriptor *Xenophon* libris VII. qui dux Græcorum auxiliarium Cyro miſſorum fuit. Breviter *Diodorus Sicul. lib.* 14. *c.* 20. *Juſtinus lib.* 5. *c.* 11. *Oroſius lib.* 2. *c.* 18. Add. *Cteſias* de

Digitized by Google

hoc bello narratio *apud Photium.* Cauſam bello fraterno dedit controverſia de ſucceſſione regni: in auxilio Cyri X. millia Græcorum fuere: eventus belli, ut Cyrus in ipſo prælio occideretur, regnumque ſolus occuparet Artaxerxes: denique memorabilis eſt receptus Græcorum auxiliarium, per tot hoſtiles gentes in patriam reverſorum.

GRÆCA: CIMON *Perſas in Cypro terra mariq; vincit, & ad pacem faciendam adigit Artaxerxem.* De hac Athenienſium victoria videndus *Diodorus lib.* 12. *c.* 3. & de factâ dehinc pace *cap. ſeq. Plutarchus in Vitâ* obiter tantùm, *Cornel. Nepos* hoc memorat *in Vitâ c.* 3. Cyprum cum XX. navibus Imperator miſſus, (Cimon) cùm ejus majorem partem Inſulæ deviciſſet, in morbum implicitus, in oppido Citio eſt mortuus.

Athenienſes in Italiam ad Thurium inſtaurandum colonos mittunt, in quibus HERODOTUS. *Thurium* oppidum in ea parte Italiæ, quæ magna Græcia dicta, in Lucania, in ſinu Tarentino ſitum fuit. Quod *Herodotus* in illis colonis fuiſſe dicitur, id fit ad indicandam hujus nobiliſſimi Hiſtorici ætatem, qui etiam hinc Thurius à nonnullis appellatur, cum tamen patria Halicarnaſſenſis ſit. *Strabo Geogr. lib.* 14. De hoc hiſtoriarum parente jam aliqua diximus, ad eum locum Tabulæ V. ubi *Hiſtoria Herodoti initium* notatur. Plura peti poſſunt ex *Voſſio de Hiſtoricis Græcis lib.* 1. *c.* 3. *per tot.* & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 20. & *Degorei Wheari Relectionibus Hiem. Part.* 1. *Sect.* 8. & ad eum *Acceſſionibus J. C. Neuÿ p.* 96.

BELLI PELOPONNESIACI *initium.* Hoc decantatiſſimum bellum, quo Græcia, ducibus hinc Athenienſibus, inde Lacedæmoniis in ſua viſcera graſſata eſt, variâ fortunâ geſtum fuit. Ad extremum tamen Athenienſium fractæ opes, inprimis clade Siculâ, libertatis etiam ruinam traxerunt. Hujus belli proprius Scriptor eſt *Thucydides*, qui octo libris ejus belli (cui ipſe ab initio interfuit) viginti annos complexus fuit; quanquam altius orſus à bello Corinthiaco, tamen 27. annorum hiſtoriam ſcripſit, etiamſi belli Peloponneſiaci 7. extremi anni in eo deficiant. De eodem videndi *Plutarchus in Pericle*, & *Diodorus lib.* 12. *à cap.* 38.

Induciæ in 50. *annos inter Athenienſes & Spartanos initæ, poſt* 8. *annos diſſolvuntur.* Decennio jam bellatum erat inter duas æmulas civitates, cùm hæ induciæ factæ ſunt: de quibus *Thucydid. lib.* 5. *c.* 4. & *Diodorus lib.* 12. *c.* 74. Inducias has tantùm 6. annos ſervatas ait *Juſtinus* 3, 7, 13. decem menſibus amplius *Thucydides* 5, 5, 15. ad quem locum *Baro Enenkelius* notat, ſcribendum fortaſſe 7. annos & 10. menſes, quia ſub finem anni decimi hujus belli factæ, & anno 18. ut ipſe *Thucydides* ſcribit, ruptæ ſunt iſtæ induciæ.

Athenien-

Athenienſes ab Egeſtanis exciti, claſſem contra Syracuſanos mittunt, Ducibus Alcibiade, Nicia, Lamacho. Hoc bellum ſuſceptum, & per biennium cupidius quàm felicius geſtum ab Athenienſibus, & magnis cladibus penſatum, ipſis denique exitiale fuit. Fax hujus belli fuit Alcibiades, magnopere diſſuadente Niciâ. Vid. *Plutarchus in Alcibiade c.* 29. *ſeq.* & *Thucydides lib.* 6. ubi utriuſque Ducis orationes. Id bellum multa memorabilia habuit: cujus ab Athenienſibus ſuſcepti cauſas narrat *Diodorus Sic. fin. libri* 12. & ipſum bellum *libro ſeq.* 13. prolixè exequitur. Add. *Plutarch. in Alcibiade à cap.* 29. & *in Niciâ à cap.* 25. *Thucydides lib.* 6. *Juſtinus lib.* 4. *c.* 4. *Corn. Nepos in Alcibiade c.* 3.

Athenienſium clades ad Syracuſas, vel ad Epipolas, prolixè deſcribitur ab allegatis modò auctoribus, *Diodoro lib.* 13. *à cap.* 13. *Plutarcho in Nicia capitibus extremis,* & *Thucydide lib.* 7. breviter à *Juſtino* 4, 5.

Athenæ capiuntur à Lyſandro. Athenienſes, quorum attritæ cladibus Siculis vires erant, ob immoderatam imperii cupiditatem omnibus exoſi, conſpirante adverſus eos universâ Græciâ, & ipſo adeò Perſarum Rege Dario in partes concedente, tantam belli molem ſuſtinere amplius non potuerunt. Quanquam enim interim duabus victoriis reportatis operâ Alcibiadis, Lacedæmonios ad pacem petendam adegiſſent, eâ tamen non datâ, ab his, Perſarum ope inſtructis, viciſſim victi, & capitali clade affecti ad Ægospotamos, deficientibus ad Lacedæmonios civitatibus ipſorum tributariis, nihil reliqui habebant jam præter ipſam urbem. In hoc ſtatu ſuperveniens Lyſander Dux Lacedæmoniorum obſeſſos fame ad deditionem duriſſimis conditionibus faciendam adegit, XXX. Rectoribus impoſitis, qui deinde tyranni evaſerunt. Et hic fuit

FINIS BELLI PELOPONNESIACI, quod in 27. annos tractum eſt. De hac Athenienſis civitatis calamitate videndus *Diodorus Sic. lib.* 13. *c.* 107. *Plutarchus in Lyſandro c.* 25. *ſeqq. Xenophon Hiſt. Græc. lib.* 2. *Juſtinus lib.* 5. *c.* 8.

XXX. TYRANNI *Athenis à Thraſybulo ejiciuntur.* De his XXX. Tyrannis præter cæteros ſupra citatos, vid. *Diodorus Sic. lib.* 14. *princ.* De ejectis verò illis per Thraſybulum, conſulendus præter hos *Corn. Nepos in Thraſybulo.*

Tranſimus ad ROMANA, ubi ad A. V. 309. notantur ROGATIONES CANVLEIÆ *de Connubio Patritiorum & Conſulatu cum plebe communicando.* Poſtquam ſemel magiſtratus ſuos nacta eſt plebs Rom. Tribunos plebis, qui ſibi contra patritios adeſſent, alia ſubinde ex aliis petere cœpit, quibus ſe à contemtu vindicaret, & nimium Patritiorum faſtum deprimeret. Itaque Canuleius Tribunus pl. rogationem tulit, ut plebeji cum patritiis matrimoniis jungerentur. Alte-

Digitized by Google

ram verò rogationem de communicando cum plebe Conſulatu, non Canuleius, ſed C. Licinius Stilo & L. Soſtius Tribuni pl. tulerunt poſtea, honorum & magiſtratuum conſortium, quamvis invito Senatui extorquentes. *Florus* 1, 26. & inprimis *Livius ſub fin. libri* 6. De Canuleia rogatione narrat rem fusè idem *Livius initio libri* 4. ubi orationes pro & contra habitæ pulcherrimæ. Meminit & *Auguſtinus de* C. D. *lib*.3. *c*.17. ubi plura ad eum *Camers*.

PRIMI TRIBVNI MILITARES CONSVLARI POTESTATE. Particularia hujus hiſtoriæ iterum petenda ex *Livij lib*. 4. *c*. 6. *ſeq*. Fuerunt autem primi Tribuni militum conſulari poteſtate tres, A. Sempronius Atratinus, L. Attilius, T. Cæcilius, tum creati, omnes patritii: cùm tamen promiſcuè ex Patribus & plebe creandos eſſe conveniſſet. Sed ea plebis modeſtia fuit, ut contenta eſſet, quòd ratio habita plebeiorum fuiſſet. Inter Reipubl. Rom. mutationes hæc quoque referenda.

A.V. 311. SP. MELII SEDITIO *opprimitur*. Hic Sp. Melius eques Romanus frumentum populo ſua impenſa largitus eſt: & ob id factum conciliatâ ſibi plebe, regnum affectare creditus, à C. Servilio Ahala, Magiſtro Equitum, juſſu Quinctii Cincinnati Dictatoris, interfectus eſt. Vid. *Livius lib*. 4. *c*. 13. *ſeqq*. *Valer. Maximus* 6, 3, 1. & *Cicero pro Domo cap*. 38. addunt, etiam domum hujus Melii dirutam, ejuſque aream Æquimelii nomen hinc traxiſſe. Meminit hujus ſeditionis Melianæ etiam *Auguſtinus de* C. D. *lib*. 3. *c*. 17.

A.V. 316. VEIENTES *à Romanis deficiunt auctore Larte Tolumnio*. Hæc quoque ex *Livio* 4, 17. ſicut & ejus belli reliqua *in ſeqq*. memorantur.

Et A V. 330. *Induciæ* 20. *annorum datæ Veientibus*, apud *Eund. lib*. 4. *cap*. 35.

A.V. 336. *De* QVÆSTORIBVS *promiſcuè ex Patribus & plebe creandis plebi conceſſum*. Vid. *Livius lib*. 4. *c*. 54.

A.V. 351. VEJI *à Romanis obſidentur*. Hæc obſidio in decennium tracta, pluribus memoratur à *Livio fin. lib*. 4. *&* *initio* 5. Tunc primùm Romani ſub pellibus hiemarunt.

Inter VARIA in priore hac parte Tabulæ nihil aliud memoratur quàm 2. Reges: ARCHELAVS *Rex Macedoniæ defuncto Perdicca*. Sumtus autem hic ordo Regum Macedoniæ eſt ex *Fragmento Dexippi*, quod *Scaliger* in *Euſebium Græcum* retulit *p*. 47. Archelaus hic eſt ille Rex Macedoniæ, qui Euripidem Poëtam magnâ gratiâ proſecutus eſt.

DIONYSIVS *tyrannidem invadit Syracuſis, eamque tenet annis* 38. Fuerat hic Dionyſius à Syracuſanis contra Carthaginenſes Imperator electus, eaque dein occaſione uſus, tyrannidem in ea civitate arripuit: quod

Digitized by Google

quod quomodo factum ſit, legi poteſt apud *Diodorum Siculum lib.* 13. *cap.* 91. *ſeqq.* qui etiam *ſequenti libro* reliqua ejus geſta prolixè commemorat. Et hic eſt Dionyſius Senior.

Inter VIROS CELEBRES I. memoratur: CIMON *in Cypro obit.* De hoc Viro jam in præcedentibus ſatis dictum. Obitus ejus refertur à *Diodoro* 12, 3. *Plutarcho in Vita c.* 39. *Corn. Nepote in Vita c.* 3.

EMPEDOCLES Agrigentinus, Phyſicus Philoſophus fuit, Pythagoræ diſcipulus, qui fertur, ut divinitatem, quam affectabat, ſibi adſtrueret, in crateras Ætnæ montis inſiliiſſe, ſed ejectâ vi flammarum æreâ ſoleâ proditus eſſe. Vitam ejus legimus apud *Diog. Laërtium lib.* 8. Vid. de eo etiam *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib.* 4. *c.* 3. & *de Poëtis Græc. cap.* 7. *p.* 33. Plura de eodem *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 13. *p.* 465. ubi de Scriptis ejus.

PROTAGORAS Abderites, ex bajulo Democriti auditor, Σοφία dictus & Λόγος. Hujus quoque Philoſophi vita eſt apud *Diog. Laërtium lib.* 9. Add. *Fabricius in Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 23. *p.* 780.

MELISSVS *Parmenidis auditor*, phyſicus fuit Philoſophus, & Dux Samiorum in bello cum Athenienſibus, ut eſt apud *Plutarchum in Vita Themiſtoclis.* De hoc itidem *Diog. Laërtius lib.* 9. ut & de *Parmenide*, phyſico Poëta: de quo & *Voſſius de Poëtis Græc. cap.* 6. *p.* 35. De utroque *Fabricius Biblioth. Græc.* 2, 23.

L. QVINCTIVS CINCINNATVS *Dictator.* Hic eſt ille, qui ab aratro ad Dictaturam vocatus, obſeſſa ac penè jam capta M. Minucii Coſ. caſtra egregiâ virtute ſervavit. Videantur ejus laudes apud *Florum lib.* 1. *c.* 11. De hoc eleganter Claudianus de IV. Conſ. Honorii: *Sordida Serranus flexit Dictator aratra. Luſtratæ lictore caſæ, faſceſq; ſalignis Poſtibus affixi, collectæ Conſule meſſes, Et ſulcata diu trabeato rura colono*: ad quem locum vid. *Commentar. Barthii.* Plura verò de eo *Livius lib.* 4.

ISOCRATES *naſcitur.* Hic Orator Athenienſis celeberrimus fuit, cujus opera hodie ſuperſunt. Nativitatem ejus *Suidas* ad Olymp. 86. refert. Vixit annos 98. vel 99. teſte *Quintiliano lib.* 3. *c.* 1. *p.* 144. & *Luciano in Macrobiis.* Vita Iſocratis eſt apud *Plutarchum in Vitis X. Rhetorum.* Plura de Iſocrate *Fabricius in Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 26. *p.* 848. & *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 6. *c.* 2. *n.* 6.

GORGIAS Leontinus, Orator fuit & Sophiſta celeberrimus, Scepticorum princeps, Empedoclis diſcipulus, centum & novem annos vixit, teſte *Quintiliano* 3, 1. *p.* 143. ſeu centum octo, ſecundùm *Lucianum in Macrobiis.* Ejus auditor fuit Iſocrates, teſte *Plutarcho*, qui paſſim hujus meminit. Inprimis autem de eo vid. *Diodorus Sic. lib.* 12. *c.* 53. &

Digitized by Google

ex recentioribus *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 26. *p.* 857. Hic primus auſus eſt in conventu poſcere quæſtionem; i. e. jubere dicere, quâ de re quis vellet audire, teſte *Cicerone lib.* 3. *de Orat. & initio lib.* 2. *de Finib.* ac *Valer. Maximo* 8, 15. *ext.* 2. Quanti ſit æſtimata ejus eloquentia, documento eſt, quòd dies quibus orationes habuit, ἑορταὶ, & ipſæ ejus orationes λαμπάδες dicebantur. *Voſſius Orat. Inſtit. lib.* 5. *c.* 5. *p.* 818. Addatur *Plato in Gorgia.*

PRODICUS, Ceus, Philoſophus fuit, qui libros prælegens ſibi quæſtum faciebat, teſte *Diogene Laërtio in Vitâ Pythagoræ.* Meminit ejus & *Xenophon in Memorab. lib.* 2. ubi fabulam de bivio Herculis adducit ex libro ejus, quem *de Hercule* ſcripſit. Videantur plura de Prodico in *Fabricij Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 23. *p.* 795.

HIPPOCRATES Cous, Medicorum veterum facilè princeps, ex Operibus ſuis ſuperſtitibus notus eſt, & medicorum filiis commendatus. Vitam ejus deſcripſit *Soranus.* De eodem prolixè agit *Fabricius in Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 24.

THUCYDIDES Olori filius, hiſtoricus laudatiſſimus, de quo laudatus modò Fabricius ſeq. capite prolixè agit. Scripſiſſe eum 8. libros *de Bello Peloponneſiaco*, adhuc ſuperſtites, ſupra indicavimus; quos poſt alios Latinè convertit, & notis illuſtravit *Baro Enenckelius.* In eundem *Matthiæ Berneggeri* Lectiones MSCtas aſſervabat in ſuis ſcriniis Illuſtr. *Obrechtus*, dignas ſanè, quæ publici Juris fierent: quod procuraturus erat idem Vir magnus, niſi fata ejus conſilium intercepiſſent. Vid. de Thucydide etiam *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 1. *c.* 4. *Wheari Relectiones Hiem. Part.* 1. *Sect.* 9. *p.* 97. *ſeq.*

PERICLES *obit.* Pericles Athenienſis idem & Dux belli fortiſſimus, & Orator vehementiſſimus fuit, qui fulgurare & fulminare dictus eſt, cùm perorabat. *Plin.* 1. *Epiſt.* 20. Vitam ejus exhibet *Plutarchus in Parall. maj.* & paſſim celebratur à Veteribus, *Cicerone lib.* 3. *de Orat. Valer. Maximo lib.* 8. *c.* 9, Res ejus in bello geſtas etiam *Thucydides* tradit, & cæteri qui illorum temporum hiſtoriam ſcripſerunt.

PLATO *naſcitur.* Philoſophus hic celeberrimus Ariſtonis filius fuit, Divinus vulgò cognominatur, propter excellentiam doctrinæ. Quæ de tanto viro dici poſſunt, multa ſunt, ſed ea noſtrum inſtitutum non patitur ſingillatim commemorari. Remittimus potius ad *Diog. Laërtium*, qui Vitam Platonis ſatis prolixè conſignavit *lib.* 3. unde etiam ejus dogmata peti poſſunt; maximè verò ex operibus ipſius, quæ ſuperſunt. Inter gentiles hic piè philoſophatus eſt, & atheis maximè adverſatus. Multos Patrum primæ Eccleſiæ ſectatores habuit, & ante omnes *Origenem.* Pluribus de Platone agit *Fabricius Biblioth. Græc.*

Digitized by Google

Græc. lib. 3. c. 1. cui add. *Morhoffius Polyhiſt. Philoſoph. lib. 1. cap. 7.* ubi præſertim de Philoſophiâ Platonicâ, ejuſque Scriptoribus. Eſt etiam editioni Operum ejus à *Marſilio Ficino* præmiſſa Vita Platonis. &c.

HAGGÆUS & ZACHARIAS *vaticinari incipiunt*, Vet. Teſt. Prophetæ. Quod chronologiam attinet, huc referuntur ex hypotheſi eorum, quibus placet, Darium Nothum renovaſſe edictum de inſtaurando templo Hieroſolymitano. Nam uterque Propheta principio vaticiniorum ſuorum ſecundum annum Darii profitentur ſuarum revelationum exordium fuiſſe. Qui verò per hunc, Darium Hyſtaſpidem intelligunt, illis antiquiores fuerint hi Prophetæ neceſſe eſt. Vid. *Heideggerus Enchirid. Biblic. lib. 1. cap. 33.*

LYSIAS Orator fuit Athenienſis nobiliſſimus, cujus vitam vid. apud *Plutarchum in Vitis X. Rhetorum.* Plura de eo, & præſertim ſcriptis ejus *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 2. cap. 26. p. 840. ſeqq.* & *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 6. c. 2. n. 4.*

ALCIBIADES *abſens ſacrilegij damnatus*: nempe poſtquam Athenis diſceſſerat, in bellum Siculum iturus. Ipſe dein poſt damnationem ſe contulit ad Lacedæmonios. Vid. *Cornel. Nepos in Vitâ Alcib. c. 4.* & *Plutarchus in Vita c. 39.* Rediit tamen poſtea rurſus in caſtra Athenienſium non invitis civibus; & rebus præclarè geſtis, in urbem quoque, cum ingenti omnium lætitia ſolenniſſimè exceptus: de quo *Alcibiadis glorioſo in patriam reditu* idem *Cornel. Nepos cap. 6. Juſtinus lib. 5. cap. 4.*

SOPHOCLES & EVRIPIDES *obeunt*. Hi duo principes Poëtarum tragicorum jam memorati ſunt ad ſuperiorem Tabulam. De morte eorum ideo, credo, ſpeciatim fit mentio, quia uterque ſingulari fato occubuerunt. Nam *Sophocles* jam 88. annorum ſenex, palmam è fabulâ adeptus, præ lætitiâ obiiſſe traditur; *Euripides* verò apud Archelaum Regem Maced. canum laniatu periiſſe. Quanquam ſunt, qui Penthei fato, à mulieribus diſcerptum ajunt. De Sophocle quod dixi, memorat *Gellius Noct. Attic. 15, 20.* & *Suidas*: de utroque *Valerius Maximus lib. 9. cap. 12.*

MALACHIAS, Prophetarum ante Chriſtum natum ultimus, à Judæis pro Eſdra habetur: quod tamen incertum. Neque etiam tempus, quo vaticinatus eſt, adeò certò definiri poteſt. Vid. *Præfat. Lutheri* in hunc Prophetam. *Heidegger. in Enchiridio Biblico p. 368.*

EVCLIDES Megarenſis (Philoſophus diſtinguendus à Mathematico hujus nominis, qui ſerius floruit) Sectæ Megaricæ auctor fuit, Socratis auditor. De ardore ejus audiendi Socratem, cum vitæ etiam periculo, vid. *Gellius Noct. Attic. 6, 10. Fabricius Biblioth. Græc. lib. 2. c. 23. p. 791.*

Digitized by Google

Xenophon Grylli filius Athenienſis, Philoſophus & Hiſtoricus celeberrimus, nec non Dux belli prudentiſſimus fuit: de quo quæ dici poſſunt, cùm ſint longè plurima, malo repeti ex *Diog. Laërtio lib. 2.* ubi vitam ejus tradit, & *Voſſio de Hiſtor. Græcis lib. 1. c. 5.* Opera ejus ſuperſunt hodie: *De Inſtitutione Cyri lib. 8.* Ἀνάβασις Κύρου *ſeu de Expeditione Cyri adverſus fratrem Artaxerxem libri 7. Hiſtoriarum Græcarum libri 7. De Ageſilao Rege liber. De Lacedæmoniorum Republ. De Athenienſium Republ. Socratica defenſio ad Judices. Memorabilium Socratis libri 4. & quintus,* qui *Oeconomicus* inſcribitur. *Convivium. Hiero, ſeu de Regno. Ratio redituum ſeu de proventibus. De re equeſtri. De Magiſterio Equitum. De Venatione. Epiſtolarum fragmenta.* De Xenophontis Vita, ætate, ſcriptis &c. prolixè *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 3. c. 4.* Etiam vitæ ejus deſcriptionem, ex diverſis auctoribus collectam, editioni ejus Operum ſuperſtitum præfixit *Jo. Leunclavius.* De ejus laude & ſcriptis etiam *Whear in Relect. Hiem. Part. 1. Sect. 10. & Neuius in Acceſſ. p. 100.*

Ctesias *Cnidius* hiſtoricus fuit, cujus hiſtoriæ excerpta nobis conſervavit *Photius.* Is tamen in hiſtoria ſcribenda à pleriſque vanitatis arguitur. Videndus de eo iterum *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib. 1. cap. 5. p. 22. Fabricius Biblioth. Græc. lib. 2. c. 25. p. 830. Neuius in Acceſſion. ad Wheari Relect. Hiem. p. 93. ſeq.* ubi fides hiſtorica *Herodoti* & *Cteſiæ* inter ſe conferuntur.

In altera parte Seculi inter Persica occurrit: Esra *permiſſu Regis Hieroſolymam proficiſcitur.* Hiſtoria ipſa legi poteſt in ipſius *Eſræ* commentario *cap. 7.* neque quicquam habet dubii: ſed quod circumſtantiam temporis attinet, res nondum ad liquidum deducta eſt; dum adhuc ambigitur, quis ſit ille Artaſaſtha, ſub cujus regno hanc profectionem ſuſcepiſſe dicitur Eſra. Auctor noſter, ut aliâs, ita hic quoque, in chronologia ſequitur *Scaligerum* & *Calviſium*, qui ad annum Mundi 3551. hanc profectionem referunt, ſub regno Artaxerxis Mnemonis. Sed alii ad annum Artaxerxis Longimani ſeptimum ponunt. Vid. *Hiſtoria Eccleſ. Gothana lib. 1. c. 3. Sect. 1. p. 324.*

A. M. 3564. Nehemias *Hieroſolymam profectus, mœnia urbis inſtaurat.* Secundùm eundem calculum huic tempori congruit. Alii 60. annis prius, Artaxerxis Longimani viceſimo hoc factum eſſe ſtatuunt. Res ipſa certa ex *Nehem. cap. 1. & 2.*

Artaxerxes *bello Ægyptios invadit.* Eſt hic Artaxerxes Mnemon: Ægyptiorum tunc Rex erat Nectanebus: Perſarum Duces Pharnabazus & Iphicrates Athenienſis. Ægyptiis Spartani opitulati ſunt, claſſe miſſâ ſub Duce Ageſilao. Belli exitus hic fuit, ut Perſæ re infectâ diſcederent. Sicut hoc amplius narratur à *Diodoro Sic. lib. 15. c. 41. ſeqq.* Meminit & hujus belli *Corn. Nepos in Iphicrate cap. 2. & Ageſilao c. 8.*

A. M.

A. M. 3589. ARTAXERXES OCHVS, minimus natu inter filios Mnemonis legitimos, in imperio Perſico ſucceſſit. Hic omnium Regum crudeliſſimus fuit, & ſtatim initio imperii totam regiam cognationem è medio ſuſtulit, ne quis eſſet, qui jus aliquod in imperium prætendere poſſet. Ægyptios per Duces ſuos bello aggreſſus, Perſicæ dominationi rurſus ſubjecit. Cum verò in ſua crudelitate perſeveraret, undecimo imperii anno à Bagoa eunucho circumventus inſidiis, necatuſque, &, ut ferunt, felibus devorandus objectus eſt, atque oſſa ejus quædam converſa in manubria gladiorum. Vid. *Diodorus Sic. lib.* 16. *c.* 40. *ſeqq. & lib.* 17. *c.* 5. *Ælianus Var. Hiſtor. lib.* 2. *c.*17. & *lib.* 6. *cap.* 8.

Inter Græca deinde notatur: AGESILAVS *Spartanus, Dux belli in Aſiam mittitur,* ſcil. contra Perſas. Hanc expeditionem deſcribit *Xenophon Hiſtor. Græc. lib.* 3. *& in Orat. de Ageſilao, princ. Corn. Nepos in Ageſil. cap.* 2 *ſeqq. Plutarch. in Ageſil. c.* 8 *ſeqq. Juſtinus* 6, 2.

SPARTANI AD LEVCTRA A THEBANIS, *plures à paucioribus,* VINCVNTVR, DVCE EPAMINONDA. Nobiliſſima hæc victoria Leuctrica (quam Epaminondas ἄπαις ſuam filiam eſſe dicebat) deſcribitur à *Diodoro Sic. lib.* 15. *c.* 55. *Xenophonte lib.* 6. *Plutarcho in Pelopida cap.* 40. Meminit & *Corn. Nepos in Epaminonda, in Pelopida & in Ageſilao.*

PRÆLIVM AD MANTINEAM *cum Lacedæmoniis & Arcadibus, in quo occubuit victor* EPAMINONDAS: quo quidem opes Spartanorum ita concuſſit, ut in Leuctris ſuperati cùm de Mantinea bellum ſuſcepiſſent, acieque contendiſſent, funditus conciderent, Græciæque principatum amitterent: ut loquitur *Diodorus Sic. lib.* 15. *c.* 88. deſcribitur ab hoc, & à cæteris ſupra nominatis, *Cornel. Nepote* & *Plutarcho in Vita Epaminondæ*; *Juſtino lib.* 6. *c.* 7. & ad *v.* 9. notatis à *Berneggero* auctoribus: quibus add. *Valer. Maximus lib.* 1. *cap* 2. De Epaminonda quoque, clariſſimo Thebanorum Duce, extat *Diſſertatio Bœcleriana, Tom.* 2. *p.* 443. ubi de ejus genere, diſciplinis, moribus, rebus geſtis, quæ in Veterum monumentis inveniri potuerunt, ordine exponuntur.

TEMPLVM EPHESINVM *ab Heroſtrato incenditur.* Dianæ hoc templum fuit pulcherrimum, & inter 7. mundi miracula connumeratum. Incenſor ejus Heroſtratus ſceleris memoriâ ſibi famam parare, & ad poſteros propagare ſtuduit. Crematum verò eſt eâdem nocte, quâ Alexander natus eſt; unde vatum præſagia. Vid. *Freinshemii Supplementa Curtiana lib.* 1. *c.* 1. *v.* 24. & in margine annotati Scriptores: *Strabo Geograph. lib.* 4. *&c.*

BELLVM SACRVM ET NOVENNALE *inter Phocenſes & Bœotios cœpit.* Hoc bellum ſacrum (ita vocatum, quòd Philippus præſertim videri volebat,

bat, in ultionem ſacrilegii à Phocenſibus commiſſi, id ſuſcepiſſe, vid. *Juſtinus* 8, 2, 3.) ſeu Phocicum, in annum nonum duravit. *Pauſanias in Phocicis & Bœoticis* decennium duraſſe ſcribit. Videatur præter hunc *Diodorus Sic.* 16, 23. *Juſtinus lib.* 8. *Georg. Gemiſtus lib.* 1. Huic bello interveniens Philippus Maced. Rex, quippe a Thebanis Theſſaliſque dux electus, ſervitutis Græciæ fundamenta poſuit.

Inter ROMANA memorantur ad A. V. 360. VEII *capti à Dictatore M. Furio Camillo.* De bello hoc Vejente jam ante dictum, quod inter graviſſima Romanos diu exercuit. Expugnatio urbis, poſt decennalem obſidionem per cuniculos facta, deſcribitur à *Livio* 5, 20. *ſeq. Floro* 1, 12. Meminit & *Auguſtinus de C. D. lib.* 3. *c.* 17.

A. V. 362. FALISCI *Camillo ſe dedunt*, poſtquam nimirum Camillus Ludimagiſtrum urbis obſeſſæ proditorem, cum his quos adduxerat pueris, vinctum ipſis ultrò remiſerat. Videatur hiſtoria apud *Livium lib.* 5. *c.* 27. *Florum* 1, 12. *Plutarchum in Vitâ Camilli c.* 27. *Valer. Maximum* 5, 6. *Victorem de Vir. Illuſtr. c.* 23.

A.V. 366. ROMA CAPITVR A GALLIS præter Capitolium, quod anſeres ſervarunt. Præceſſit expugnationem urbis clades Romanorum ad Alliam, quam deſcribit *Livius lib.* 5. *c.* 37. & 38. Dies, quo commiſſum eſt prælium, Allienſis dictus, & à Romanis inter atros & nefaſtos relatus eſt. Circa hoc bellum Gallicum multa occurrunt memorabilia, quæ peti debent ex *Floro* 1, 13. iiſque auctoribus, quos annotavit *Camers*: quibus tamen addi poteſt *Diodorus Siculus lib.* 14. *c.* 114. *ſeqq.*

A. V. 371. M. MANLIVS *è ſaxo Tarpeio dejicitur.* Hic Manlius Capitolii vindex, quinquennio tamen pòſt, quia pleroſque debitorum liberaverat, altius ſe & incivilius efferens ab illâ, quam contra Gallos defenderat, arce dejectus eſt; ut breviter rem narrat *Florus* 1, 26, 8. ad quem locum vide notatos à *Camerte* auctores alios, unde hæc hiſtoria petenda.

A. V. 380. *Ἀναρχία Romæ quinq; annorum, ob legem tribunitiam de altero COS. ex plebe deſignando.* De hac ἀναρχία, qua durante nulli Curules Magiſtratus creati ſunt per quinquennium, ejuſque cauſis & auctoribus, vid. *Livius lib.* 6. *c.* 34. & 35.

A. V. 390. *Primus è plebè COS. L. Sextius.* Quibus contentionibus hoc ambiverit plebs & obtinuerit denique, fuſius narratur à *Livio lib.* 6. *c.* 36. *ſeq.* (Sed de hac re jam ſupra dictum ad ann. 309. ubi de rogationibus Canuleiis) & ſic ſimul impoſitus eſt *finis creandorum Tribunorum militarium conſulari poteſtate*, poſt 80. annos, quibus hic magiſtratus Romæ fuit.

A. V.

Digitized by Google

A. V. 394. M. CURTIUS *in voraginem ſe præcipitat pro republ.* nempe ad ſedandam peſtilentiam, oraculi reſponſum ita interpretatus. Memoratur hæc hiſtoria à *Livio lib. 7. c. 6.* & *Valer. Maximo 5, 6, 2. ext.* Locum Romæ adhuc oſtentant advenis.

A. V. 400. *Primus è plebe Dictator* C. MARTIUS RUTILIUS. Vid. *Liv. lib. 7. cap. 17. & 22.* Qui deinde ſine auctoritate Patrum, populi juſſu de Faliſcis triumphavit.

Ad VARIA accedimus, qui titulus hæc habet: EVAGORAS *cœpit in Cypro.* Hic poſtquam Inſulam Phœnicibus eripuiſſet, regnavit in Cypro primus, & Athenienſium ſocius adverſus Lacedæmonios fuit, qui ei etiam ſtatuam juxta Jovis ſimulacrum erexerunt. Bellum illi fuit cum Artaxerxe Mnemone Rege Perſarum, in quo ſocium habuit Acorim Regem Ægypti, alioſque Perſis infeſtos. Finis belli is fuit, ut Evagoras tandem ad extrema redactus, tributi penſionem paciſceretur, & reliquas Cypri urbes Perſis relinquens, ſolum Salaminis regnum obtineret. Occiſus eſt denique à Nicocle eunucho. Vid. *Diodorus Siculus lib. 15. c. 2. & cap. 7. ſeq. Xenophon Hiſtor. Græc. lib. 2. Ariſtoteles Politic. lib. 2. c. 10.*

NECTANEBUS *Rex Ægypti cœpit.* Hic eſt Nectanebus, cum quo Artaxerxes Mnemon Rex Perſarum ducibus Pharnabazo & Iphicrate bellum geſſit, diſſidio ducum irritum. *Diodorus Siculus 15, 41. ſeqq.* Sed ſucceſſor ejus Artaxerxes Ochus, tandem eo victo, Ægyptum rurſus ſub jugum Perſarum redegit, quæ paucis pòſt annis in Alexandri ditionem venit. Ipſe Rex victus in Æthiopiam confugit. *Diodorus Siculus 16, 40. ſeqq.*

DIONYSIUS *moritur, ſuccedit* DIONYSIUS JUNIOR in regno Syracuſano. De morte Dionyſii Senioris & ſucceſſione Junioris, vid. *Diodorus Siculus lib. 15. cap. 73. Juſtinus lib. 20. c. 5. v. ult.* ad quem vid. annotata à *Berneggero.* De Dionyſio juniore ejuſque hiſtoria idem *Juſtinus lib. ſeq. 21. Diodorus Siculus 6, 5. Plutarchus & Cornelius Nepos in Dione.*

PHILIPPUS *Amyntæ fil. Rex Macedoniæ.* Hic Philippus 24. annis Macedonum Rex fuit, & minimis ab initio adjumentis uſus, regnum ſuum omnium in Europâ maximum effecit: ut loquitur *Diodorus Siculus lib. 16. cap. 1.* quo capite hujus Regis res per compendium refert, per totum deinceps librum eas uberius expoſiturus. Vid. de hoc Rege etiam *Juſtinus lib. 7. c. 5. ſeqq.* & *lib. 8.* cujus *cap. 8.* mors ejus & elogia comprehenduntur. Nonnulla de eo in ſequenti Tabula notata enarrabuntur.

Digitized by Google

DION *Syracuſis potitur*, expulſo nimirum Dionyſio Juniore, qui tamen poſt cædem Dionis reſtitutus eſt, paulò poſt denuo exul futurus. Rem, ut geſta eſt, totamque hiſtoriam Dionis hujus petere licet ex *Corn. Nepote* & *Plutarcho in Vita Dionis*, & *Diodoro Siculo 16, 16.*

Inter VIROS CELEBRES hoc primum lemma occurrit: SOCRATES *bibit cicutam*. Socratem hunc Philoſophum, de quo ſupra jam dictum, Athenienſes, quòd Deos ipſorum contemneret, capitis damnaverunt, mox ſe ipſos erroris, quòd tanti pretii virum abſumtum fruſtra deſiderarent. Igitur accuſatores ejus Anytum & Melitum, ne dictâ quidem causâ, mortuo inferias mittunt. Vid. *Diodorus Siculus lib.* 14. *c.* 38. Add. *Xenophon Apolog. pro Socrate & Memorabil. lib.* 4. *fin.* & *Diogen. Laërtius in Vita.* Ex recentioribus *Joh. Lud. Balzac de Vita Socratis*, quam Gallicè ſcripſit, & omnia, quæ ad illuſtrandam Socratis hiſtoriam ex veterum monumentis conquirere potuit, huc congeſſit. *Morhoffius Polyhiſt. Tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 3.

ARISTOPHANES *floret*. Hic Poëta Comicus fuit facetiſſimus, cujus comœdiæ XI. adhuc leguntur: cæteræ perierunt. Socratem fœdè convitiis proſcidit in comœdia, cui titulum fecit, *Nubes*. Vid. de eo *Voſſius de Poëtis Græcis cap.* 6. *p.* 34. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 21. *toto*, & *Morhoff. Polyhiſt. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 8.

ANTIPHON *Rhamnuſius* fuit Athenienſis, pago Rhamnuſius, celebre inter oratores Atticos ejus temporis nomen. Hic primus oratoriæ artis præcepta ſcripto tradidit, teſte *Quintiliano lib.* 3. *c.* 1. primus etiam Athenis λόγυς δικανικὸς, ſeu orationes, quibus cives cauſas ſuas in judicio defenderent, ſcripſiſſe dicitur. Orationes ejus hodie XVI. extant, ex plurimis reliquæ. De eo copiosè *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 26. *p.* 833. *ſeqq.*

ARISTOTELES *naſcitur*. Hic Philoſophorum coryphæus notior eſt, quàm ut multa de eo dici neceſſe ſit. Magnus præceptor magnum habuit diſcipulum, Alexandrum Macedonem. Scripta ejus non Veteribus tantùm, ſed proximis etiam ſeculis, tanti habita, ut qui contra Ariſtotelis dogmata hiſcere auderet, penè pro hæretico haberetur. Scripſit *Fortunius Licetus* librum de *Pietate Ariſtotelis* adverſus Deum & homines, in quo totus in laudes Ariſtotelis effunditur, cui vel æternam ſalutem pollicetur. Vita ejus eſt apud *Diog. Laërtium lib.* 5. Eſt etiam *Vita Ariſtotelis* ſcripta auctore *Ammonio*, quam cum copioſis & eruditis Scholiis edidit *Petrus Johannes Nunneſius*, qui liber ad accuratius noſcendam hiſtoriam Ariſtotelis facit. Editus eſt Lugduni Bat. 1621. in 8. De Ariſtotele vid. etiam *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 6.

AGATHON

Digitized by Google

AGATHON. Duo fuere per hæc tempora coævi hujus nominis Poëtæ, comicus alter, alter tragicus. Vid. *Voſſius de Poëtis Græc. c. 7. p. 50.* & *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 2. c. 19. p. 633.* & *cap. 22. p. 701.*

AGESILAVS *Rex Spartanorum obit.* De celebri hoc Spartanorum Rege jam aliquid per occaſionem dictum eſt. Obitus ejus refertur à *Cornel. Nepote* & *Plutarcho in ejus Vita,* unde cætera quoque hujus viri petenda, nec non ex *Xenophonte* in laudibus Ageſilai. Vid. etiam inter *Diſſertationes. Bœcler.* ea, cui titulus: *Ageſilaus, Tom. 2. p. 423. ſeqq.* ubi de fortunâ, virtute & meritis, rebuſque geſtis Ageſilai, quantum ſatis eſt.

DEMOCRITVS *obit.* De hujus Philoſophi morte, ut de reliqua ejus hiſtoria, videndus *Diog. Laertius in Vita lib. 9.* & de Philoſophiâ ejus, in phyſicis præſertim, magni olim habitâ, *Morhoffius Polyhiſt. Philoſ. lib. 2. c. 7. n. 4.*

XENOPHON *obit Corinthi.* Etiam de hoc Viro jam diximus. Mortem ejus, qui & cætera, memorat. *Diog. Laërtius in Vita,* quæ eſt *libro 2.*

THEOPOMPVS *Chius,* Hiſtoricus fuit nobiliſſimus, qui paſſim laudatur à Veteribus, *Cicerone de Orat. Diodoro Siculo, Dionyſ. Halicarnaſſ.* &c. ipſius verò ſcripta non ſuperſunt. De eo multis agit *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib. 1. c. 7.*

EPHORVS CVMÆVS. Hic quoque hiſtoricus fuit, ab aliis ſæpe citatus. Ipſius verò ſcripta perierunt. De quo iterum videndus *Voſſius ibid. p. 35. ſeq.*

TABVLA VIII.

IN hac Tab. MACEDONICA prius relegemus, uſque ad ea tempora, quibus Perſica & Macedonica inter ſe connexa ſunt; quæ deinde junctim explicabimus. Inter Macedonica Philippi quædam geſta notantur:

PHILIPPVS OLYNTHVM *dolo capit.* Erat OLYNTHVS urbs antiqua & nobilis in Thracia; quam Philippus etiam excidit penitus, quanquam non vi captam, ſed traditam ſibi à proditoribus. Cauſam rei & ſeriem narrat *Diodorus Siculus 16, 54. Juſtinus 8, 3, 10.* Add. *Demoſthen. in Olynthiacis, & Libanij argumenta.*

PHILIPPVS *Græcorum conſenſu territus* BYZANTIVM *oppugnare deſiſtit.* De hac irrita obſidione Byzantii vid. *Diodorus Siculus lib. 16. c. 77. & 78.* & *Juſtinus lib. 9. c. 1. Demoſthenis* quoque *Oratio Philippica 4.* huc pertinet, qua ad opem Byzantiis ferendam Athenienſes hortatur. De *fœdere,* vel pace potius, *cum Athenienſibus inita,* ſed non diu duratura, idem *Diodorus 16, 78.*

Digitized by Google

Philippus Athenienſes vincit ad Chæroneam. Hoc prælium Chæronenſe, in quo victis Athenienſibus omnis libertas Græciæ concidit, deſcripſerunt multi. Vid. *Juſtinus lib. 9. cap. 3.* ad quem cæteros auctores adnotavit *Berneggerus.*

Inter PERSICA memoratur ad A.M. 3612. ARSES *penult. Rex Perſarum*, qui ab aliis Arſames aut Arſaces vocatur, minimus natu filiorum Ochi, cæteris cum patre cæſis, à Bagoa imperio admotus fuit. Sed cùm ultionem meditaretur paternæ fraternæque cædis, ab eodem, conſiliis ſuis detectis, quarto regni anno interfectus eſt. *Diodorus Siculus 17, 5.*

A.M. 3614. DARIVS CODOMANNVS *ult. Rex Perſarum.* De hoc, ut ad regnum pervenerit beneficio ejuſdem Bagoæ eunuchi, & quo merito eo dignus ſit habitus, vid. *Diodorus Siculus l.c.* Hic jam ante occiſum Philippum Macedonem ad regni culmen evectus, futurum inde bellum, quod Philippus in Aſiam transferre meditabatur, ut in Macedoniam averteret, ſtudioſè contendebat. Sed poſtquam ille vivere deſiit, metu ſolutus, juventutem Alexandri non magni faciendam exiſtimavit. *Diodorus 17, 7.* Cætera hujus Regis in ſequentibus memorabuntur.

Dicendus prius ALEXANDER M. qui *cœpit in Macedonia.* Hujus Regis, propter res geſtas Magni cognomen adepti, hiſtoria tàm ampla eſt, ut, ſi ſingula conſectari vellemus, plurimum in hoc temporis conſumendum eſſet; quanquam non adeò diuturnum ejus regimen fuit, quod, cùm ſuſcepiſſet adoleſcens 20. annorum, intra decimum tertium annum finivit. Interim res ejus etiam pueris notæ ſunt, & Scriptores *Plutarchus in Vita, & de fortuna & virtute Alexandri, Curtius, Arrianus, Diodorus Sicul. lib. 17. à cap. 7. ad fin. Juſtinus lib. 11. & 12. alij*: quos partim amiſſos, partim ſuperſtites longo catalogo recenſet *Freinshem. Comment. Curt. cap. 5.* & *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 3. c. 8. p. 207.* Geſta ejus primùm in Europâ ex his Scriptoribus petenda ſunt, præter Curtium, cujus duo priores libri amiſſi, reliqui Aſiaticam expeditionem complectuntur, quam, poſtquam Corinthi totius Græciæ Imperator conſtitutus eſt, ſuſcepit. Prima in ea

A. M. 3616. *Clades Perſarum ad Granicum* amnem (in campis Adraſtiis) quam cladem deſcribunt *Diodorus Sicul. lib. 17. c. 19. Plutarch. Vit. cap. 25. Juſtinus 11, 6. Arrianus lib. 1.* & ex his *Freinshem. Supplement. Curt. lib. 2. c. 5. ſeq.*

A. M. 3617. *Clades altera ad Iſſum* memoratur à *Diodoro lib. 17. c. 32. ſeqq. Curtio 3, 11. Arriano lib. 2. Plutarcho 33. Juſtino 11, 9.*

Alexander

Digitized by Google

Alexander TYRUM *capit.* Memorabilis ejus urbis obſidio, & ſequuta expugnatio pluribus deſcribitur à *Diodoro Sic.* 17, 40. *ſeqq. Plutarcho cap.* 41. *Curtio*, 4, 2. *ſeqq. Arriano lib.* 2. *Juſtino* 11, 10.

HIEROSOLYMIS *ſacrificat Alexander.* Hanc hiſtoriam laudati hactenus auctores non habent, ſed petenda ea eſt ex *Joſephi Antiq. Judaic. lib.* 11. *c. ult.* ubi memoratur, quod poſt expugnatam Gazam, Alexander infeſtus Hieroſolymam contenderit, poſtquam Jaddus Pontifex Tyrum obſidenti obſequium negaſſet, fidem Dario juratam obtendens. At Judæis DEO ſuo ſupplicantibus, juſſum in ſomnis Pontificem portas Alexandro aperire, obviiſque Macedonas infulis excipere. Igitur occurſu Pontificis ſacerdotali habitu induti, adeò percuſſum Alexandri animum fuiſſe, ut nomen DEI, cydari inſcriptum, venerabundus adoraret, profeſſus eum hac ſpecie in ſomnis ſibi oblatum in Macedonia, Aſiæ imperium promittentem. Ideoque ingreſſum in urbem, maxima DEO vero ſacrificia feciſſe, & Judæos ſuis permiſiſſe legibus.

ALEXANDRIAM *condit,* & hanc coloniam Macedonum, caput eſſe Ægypti jubet, ut loquitur *Juſtinus* 11, 11, 13. quam prærogativam antehac Memphis habuerat. Fuit etiam Alexandria poſtea Lagidarum regia: & hodieque emporium nobiliſſimum, quò ex omnibus orbis partibus naves confluunt. Numerantur quidem 9. urbes hoc nomine, omnes ab Alexandro conditæ: ſed hæc prærogativam præ omnibus obtinuit. De qua vid. *Curtius* 4, 8. *Diodorus* 17, 52. *Plutarchus c.* 45. *Arrianus lib.* 3. *princ.*

A.M. 3620. *Clades ultima ad* ARBELA vel ad Gaugamela. Hujus quoque deſcriptionem petere licet ex iiſdem Scriptoribus, *Curtio* quidem *lib.* 4. *c.* 15. *ſeq. Diodoro Siculo* 17, 59. *Arriano lib.* 3. *Plutarcho c.* 59. *Juſtino* 11, 14. Hoc prælio victor Alexander Perſarum opes penitus fregit, & Darius ſuorum perfidiam expertus, à Beſſo Bactrianorum Satrapa & Nabarzane cæteriſque conjuratis in fuga vinctus primùm, mox occiſus, Perſicorum Regum ſeriem finivit. Et hinc ſequutus eſt

Occaſus Perſici Imperii & INITIUM MONARCHIÆ ALEXANDRI M. Hæc eſt illa *Monarchia*, quæ *tertia & Græca* dicitur; cujus initium ſumendum ab anno ſexto Alexandri: quanquam de initio æræ Calippeæ, quam libri Maccabæorum obſervant, aliter ſentit *Calviſius Iſagog. Chronolog. cap.* 5. Vid. *Diſſertat. VI. de Summis Orbis Imperiis* §. 2.

A.M. 3627. ALEXANDER *obit, cujus Imperium poſt civiles ducum diſſenſiones tandem in IV. regna diſtractum.* De morte Alexandri, utrùm veneno & per inſidias Antipatri filiorumque ejus procurata ſit, an verò intemperantiâ crapulæ interierit, diverſimode diſputatur. Quidam in medio relinquunt, ut *Arrianus* & *Plutarchus.* Sed *Trogus* ejuſque Epitomator

mator *Juſtinus* aſſeveranter dicit, inſidias fuiſſe, quarum infamiam ſucceſſorum potentia oppreſſerit, cùm cauſam morbi intemperiem ebrietatis diſſeminarent. Nec diſſentit *Curtius lib.* 10 *cap. ult.* Et hoc quidem longè eſt probabilius. De civilibus Ducum poſt mortem ejus diſſenſionibus, quas ipſe moriens jam prævideràt, conſulendus *Diodorus Siculus lib.* 18. & *Juſtinus lib.* 13. & 14. Initium earum diſſenſionum etiam *Curtius* memorat *lib.* 10. Facta quidem fuit diviſio provinciarum, quam accuratè notat *Freinshemius ad Curtii lib.* 10. *c.* 10. *v.* 1. Sed cum nullus ferè ſuâ portione contentus eſſet, atque alienis inhiantes, propriam augere potentiam ſinguli ſtuderent, per bella civilia ſubinde deglutitis minoribus, quatuor tandem magna ex unâ Alexandri Monarchiâ exorta ſunt: Regnum ſcilicet *Ægypti.* 2. *Syriæ & Babylonis,* 3. *Aſiæ.* 4. *Macedoniæ.* Non eſt tamen hoc ita intelligendum, quaſi hæc quatuor regna omnes fines imperii Alexandri poſt diviſionem complexa ſint. Nam nequid dicam de *Indis* aliiſque remotioribus gentibus, quæ poſt exceſſum Alexandri rurſus ſui juris factæ ſunt, *Parthicum regnum* paulò pôſt exortum, in magnam potentiam excrevit. Serius quidem *Armenium,* ſed tamen extitit. In ſolâ ASIA citeriore, cujus imperium primus ſibi firmavit Antigonus, ſucceſſore unico Demetrio Poliorcete, qui à Seleuco captus eſt, quot ſubinde minora regna enâta ſunt? *Bythinicum, Pergamenum, Ponticum, Paphlagoniæ, Joniæ, Cappadociæ, Ciliciæ,* &c. donec tandem omnia Romanæ potentiæ ceſſerunt: quorum tamen plerique recentiores hiſtoriarum conditores nullam ferè rationem habent. Quod arguit etiam *Cellarius Hiſtor. Antiq. Præfat.* qui deinde in *Tabulis Synopticis* eorum Regum ſeriem proponit. MACEDONIÆ *regnum* (poſt ſublatum Aridæum ex ſtirpe Alexandri, quæ intra 13. annos tota extincta fuit) ſibi vindicavit Caſſander, in eoque poſtremus fuit Perſeus, à L. Æmilio Paulo in triumpho ductus. SYRIÆ *regnum* Seleucus Nicator occupavit, continuatum in ſucceſſoribus, uſque dum Pompejus M. Syriam in provinciæ formam redegit. ÆGYPTI *regnum* diutiſſimè duravit, à Ptolomæo Lagi cœptum, & in Cleopatrâ, quam bello Actiaco Octavius Auguſtus ſuperavit, extinctum. Hæc de ortu atque interitu horum regnorum per compendium dicta, ad juvandam memoriam, quam ſpecialior horum Regum hiſtoria valdè turbat. Singulos in his regnis Reges accuratè & dilucidè ex ſuis Scriptoribus recenſet *Rupertus in Obſervat. ad Synopſ. Beſoldi cap.* 10. Syriæ; *cap.* 11. Ægyptios; *cap.* 12. Aſiæ; & *cap.* 13. Macedoniæ Reges. quod facit etiam *Cellarius in Hiſtor. Antiq. lib.* 3. & *in Tab. Synopticis.* In eorundem recenſione Tabularum noſtrarum veſtigia ſequuti, initium facimus à MACEDONIA, in quâ

ARIDÆVS

Digitized by Google

ARIDÆUS *Alexandro fratri ſuccedit, cui* PERDICCAS *curator datur.* Erat enim ex eodem patre Philippo, ſed Philynna Theſſala ſaltatrice natus, & cùm alius nemo adultus adeſſet ex ſtirpe Alexandri, in regnum evectus eſt, quanquam propter mentis debilitatem tanto oneri impar, ita ut curatore opus haberet. Poſt adeptum regnum *Philippus* dictus, & ſeptimo regni anno juſſu Olympiadis occiſus eſt. Vid. *Rupert. c.* 13. *p m.* 246. & qui ibi citantur auctores.

Succeſſit CASSANDER *Antipatri fil.* ejus ſcil. Antipatri, qui Alexandro in expeditione Perſicâ occupato, Macedoniæ Præfecturam geſſit. Hic Alexandri M. ſtirpem prorſus extinxit. *Rupert. ibid.* & quos ille nominat Scriptores.

Athenas capit. Jam ante ab Antipatro, patre Caſſandri, Athenæ captæ erant, bello Lamiaco: quâ de re *Diodorus lib.* 18. *c.* 18. Caſſander quidem poſtea per Nicanorem Munychiam & Piræum præſidio occupavit. *Diodorus* 18, 64. Et mirum, quod inter geſta Caſſandri hoc unum potiſſimùm memorant Tabb. noſtræ.

Macedoniâ potitur, occisâ nimirum Olympiade, quæ inſignia regni hactenus poſſidebat, etiam vivo adhuc Aridæo. *Juſtinus* 14, 6.

Redimus ad regnum ÆGYPTI, quod PTOLEMÆUS LAGI *fil.* primus hoc nomine Rex obtinuit, cujus deinceps ſucceſſores omnes Ptolemæi dicti, & cognominibus tantùm diſtincti ſunt. De hoc iterum videndus *Rupertus cap.* 11. *p.* 212. *ſeqq.* & laudati ibi Scriptores. Petenda ergo ex his Regis hujus hiſtoria & geſta multa, quorum unum tantùm hoc notatur in Tab. noſtra.

Capit & affligit Hieroſolymam, quam Judæi ob Sabbathi religionem non defenderant. *Joſephus Antiq. Judaic. lib.* 12. *c.* 1. Et poſt id tempus quoque, per colliſiones bellorum inter Syriæ Ægyptique Reges, media inter utroſque Judæa ejuſque caput Hieroſolyma multis cladibus afflicta eſt, & utrinque vapulavit: quod maximam partem Maccabæorum libri docent.

SYRIÆ & BABYLONIS Regnum occupavit SELEUCUS NICATOR, ita cognominatus à numero victoriarum 23. quibus ille imperium ſuum mirum in modum auxit. Vid. *Rupertus c.* 10. *p.* 85. *ſeq.* & citati ibi auctores.

ASIÆ regno ANTIGONUS *cæſo Eumene potitur.* De Eumene, qui & ipſe unus inter duces Alexandro ſuperſtites fuit, vir fortior quàm felicior, & de ejus fato, vid. præter alios *Corn. Nepos in Ejus Vita.* Hic ab Antigono captus, & fame per triduum maceratus, denique à cuſtodibus jugulatus fuit. Hinc Aſiam occupavit Antigonus, par deinde fatum habiturus. Hujus Antigoni res geſtæ, quæ multæ magnæ-

Digitized by Google

que ſunt, petendæ ex Scriptoribus, quos commendat *Rupertus cap. 11. p. 239.* In Tab. noſtra memoratur hoc tantùm.

Dominatu Caſſandri liberat Athenas per filium Poliorceten. Hoc nemo uberius ſcripſit, quàm *Plutarchus in Vitâ Demetrii cap. 9 ſeq.* Demetrius hic *Poliorcetes* cognominatus eſt propter multarum urbium expugnationem; cujus res exequitur *Plutarchus.*

Antigonus à Seleuco occiditur, Demetrius fugit. Conſpiraverant nempe in eum omnes reliqui Reges, & in unum copias ſuas conduxerant. Antigono deinde cæſo in acie, & Demetrio per fugam elapſo, ipſi regnum ejus, quaſi corpus diſſectum, inter ſe partiti ſunt. Vid. *Juſtinus* 15, 4, 22. *Plutarchus in Demetrio c. 35. Pauſanias in Atticis.*

A. M. 3645. *Hoc anno omnes Alexandri ſucceſſores regium ſibi nomen & inſignia ſumunt.* Nam hactenus, quanquam regias opes habebant, præfectorum tamen titulo contenti fuerant: non auſi regia inſignia ſumere, dum aliquis ex ſtirpe Alexandri ſupereſſet. Legatur hac de re *Juſtinus* 15, 2, 10. *& Not. Berneggeri.*

Dilatâ nunc paulisper Græcæ Monarchiæ hiſtoriâ, ad ROMANA hujus dimidii Seculi tranſitum facimus: in quibus occurrit ad

A. V. 413. BELLUM SAMNITICUM *ob Campanos.* Nam hi oppugnantium ſe Samnitium viribus impares, in Romanam clientelam conceſſerunt, ut in illis præſidium invenirent. Vid. hiſtoria apud *Livium lib. 7. cap. 29. ſeqq.* ubi elegantiſſima oratio Legatorum Campanorum in Senatu habita. Cætera ejus belli ſubnectuntur *lib. 8. cap 38. & lib. 9.* Brevius res narratur apud *Florum* 1, 16. Refertur initium ejus hic ad A. V. C. 413. quod tamen *Oroſius* 1, 3. ad annum 409. refert.

A. V. 416. *Bellum Latinum ob poſtulatam conſulatûs & Senatûs communicationem.* Petierant enim Latini, ut, ſi pacem habere vellent Romani, alterum ex Latinis Conſulem facerent. Quod ubi abnuerunt Romani, bellum ortum: in quo memorabile, quòd alter Conſulum Manlius filium ſuum, quod contra imperium, quamvis proſperè, pugnaſſet, ſecuri percuſſit: unde Manliana imperia in proverbium abierunt. Alter P. Decius Mus ſe pro exercitu devovit, & concitato equo, cum in medios hoſtes ſe immiſiſſet, interfectus, morte ſuâ Romanis victoriam paravit. Victi Latini in deditionem venerunt. Lege *Livium lib. 8. inde à cap. 4. Florum* 1, 14. & cæteros ad hunc à *Camerte* notatos Scriptores.

A. V. 434 *Pactio Caudina.* Hæc eſt illa famoſa pactio ſeu Sponſio, Romano nomini ignominioſa, atque à Senatu irrita habita. Nam cùm fervente bello Samnitico T. Veturius & Sp. Poſtumius COSS. apud Caudinas Furcas deducto in locum iniquum exercitu, nullam ſpem evadendi

Digitized by Google

evadendi haberent, fœdere cum Samnitibus facto, & 600. Rom. equitibus obſidibus datis, ita exercitum abduxerunt, ut omnes ſub jugum mitterentur: iidemque, auctore Sp. Poſtumio COS. qui in Senatu ſuaſerat, ut eorum deditione, quorum culpa tam deforme fœdus initum erat, publica fides liberaretur, cum duobus Tribunis pl. & omnibus, qui fœdus ſpoponderant, dediti Samnitibus, non ſunt recepti. Fusè narrat *Livius lib. 9. princ.* Add. qui ad *Flor. 1, 16, 9.* notantur. *Oroſio* auctore geſta hæc ſunt A. V. C. 426. ſecus ac Noſter 434. Quid de jure ſentiendum, & an ea Sponſio populum Rom. obligaverit, vid. *Grotius de J.B. & P. 2, 15, 16. & 3, 22, 7.* & *Puffendorff. de J. N. & G. 8, 9, 12.*

A. V. 442. *XXX. millia Samnitium cæduntur ad Maleventum.* Romanorum eo tempore dux Papirius Curſor fuit, quem cum Alexandro M. comparat *Livius* in excurſu *lib. 9. c. 18.* Hiſtoria hujus cladis Samnitium, poſt quam 7000. eorum ad vindictam ſuæ ignominiæ Romani ſub jugum miſerunt, deſcribitur à *Livio lib. 9. c. 14.*

A. V. 445. *Bellum Hetruſcum cœpit.* XII. erant Hetruriæ populi, qui in Romanos conjurarunt. In eo bello, cùm P. Decio & Q. Fabio Maximo Romanis ducibus pugnaretur, Romanuſque exercitus in maximo eſſet diſcrimine, P. Decius, ſequutus exemplum Patris, devovit ſe pro exercitu, & morte ſuâ victoriam ejus pugnæ populo Romano dedit. De hoc bello vide *Florum 1, 17.* & laudatos ibi in Not. Auctores.

Inter VARIA memoratur adhuc: NECTANEBUS *Rex Ægypti fugit è regno: Ægyptus tota redit ad Perſas.* Dictum jam ſupra: & factum hoc eſt ſub Artaxerxe Ocho, cujus armis coactus Nectanebus in Æthiopiam fugit cum theſauris: *Diodorus Siculus, 16. 40.*

DIONYSIUS *tyrannus Corinthi exul.* Semel jam exul fuerat, cum à Dione expulſus, Locros in Italia ſe recepit. Reſtitutus tamen à morte Dionis, tyrannidem receperat. Nunc autem iterum à conſpirantibus civibus ſuis in arce obſeſſus, depoſito imperio, profugit, & pro ſceptro ferulam capeſſens, ludimagiſtrum egit, ibidemque mortuus eſt. Vid. hac de re *Juſtinus 21, 5.* & *Not. Bernegg.ri.* Hinc ortum proverbium: *Dionyſius Corinthi.* quæ verba Spartani Philippo Macedoni reſcripſerunt. Vid. *Eraſmus in Adagiis.*

Templum in monte Garizim ſtruitur, à Samaritanis nempe, templo Hieroſolymitano æmulum: quod ut ſibi liceret exſtruere, ab Alexandro M. impetraverat Saneballatus, poſtquam ad eum à Dario deſciverat; & ei Manaſſem generum ſuum præfecit, infenſum Judæis ob ademtum ſibi ſacerdotium. In eo templo deinceps Samaritani cœperunt ſacrificare. Vid. *Joſephus lib. 11. Antiq. c. ult. Cellarius in Collectaneis*

Digitized by Google

Hiſtoria Samaritana: item *in Notitia Orbis antiqui lib.* 3. *c.* 13. Ad radices hujus montis Garizim propè Samariam, Jacobi fons eſt, de quo mulieris Samaritanæ cum Chriſto colloquium.

AGATHOCLES *Syracuſis cœpit.* De hoc Agathocle ut à minimis initiis ad eam potentiam evectus ſit, ut Siciliæ & parti Africæ dominaretur, & cætera ad ejus hiſtoriam pertinentia, vid. apud *Diodorum Sicul. lib.* 19. & 20. *Juſtinum lib.* 22. De eo elegans eſt *Auſonij Epigramma* 8.

Agathocles bellum transfert in Africam; Syracuſanâ ſcilicet urbe à Carthaginenſibus obſeſſâ, & rebus domi deſperatis, in Africam trajecto exercitu, Pœnos aliquoties victos ad ſua tuenda reverti coëgit. *Diodorus Sicul.* 20, 5. *ſeqq. Juſtinus* 22, 4.

Inter VIROS CELEBRES in ſumma Tab. memoratur ÆSCHINES. Fuerunt autem 8. hoc nomine, ut *Laërtius* teſtatur. Sed inter eos hi duo celebriores, *Philoſophus Æſchines*, Socratis ſectator perpetuus, cujus vitam ſcripſit *Diog. Laërtius lib.* 2. & de quo *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 23. *p.* 785. & paulò hoc junior, *Orator Æſchines*, quem temporis ratio evincit hunc eſſe, qui in Tabula noſtra notatur: fuit enim Demoſthenis æqualis & adverſarius quoque in republ. contra quem extant Demoſthenis orationes. Æſchinis verò orationes tres duntaxat hodie ſuperſunt. Vita ejus eſt apud *Plutarchum in Vitis X. Rhetorum.* Plura vid. *in Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 26. *p.* 782. *Morhoffius Polyhiſt. Lit. lib.* 6. *c.* 2. *n.* 8.

MENANDER *Comicus naſcitur.* Hic fuit celebratiſſimi nominis Poëta Comicus, ex quo multa in ſuas comœdias tranſtulit *Terentius*. Ex ipſius Comœdiis nihil ſupereſt, niſi fragmenta aliqua & verſus, quos *Stobæus* aliique ſervarunt. Vid. de eo *Voſſius de Poëtis Græc. c.* 8. *p.* 57. *Fabricius in Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 22. *p.* 730. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 9. Comparatio Menandri & Ariſtophanis eſt apud *Plutarchum*.

EUCLIDES. Hic eſt Mathematicus ille celeberrimus, qui Ptolemæi Lagi temporibus docuit Alexandriæ. Ejus in pretio ſunt hodieque 15. *libri Elementorum Geometricorum*, aliaque opuſcula, quæ recenſet *Geſnerus in Bibl.* Add. *Voſſius de Scientiis Mathematicis cap.* 32. §. 11. *Fabricius in Bibliothec. Græc. lib.* 3. *c.* 14. *Morhoffius Polyhiſt. Tom.* 2. *lib.* 2. *n.* 6. *p.* 502.

DIOGENES *Cynicus obit.* Hic in collegio Philoſophorum morio, ſatis cognitus, patriâ Synopenſis fuit, Antiſthenis diſcipulus. Cynicus dictus ab impudentiâ caninâ. Vita ejus pluribus deſcripta eſt à *Diogene Laërtio lib.* 6. & paſſim apud alios ejus fit mentio. Vid. etiam *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 14. *p.* 362.

ARISTO-

Digitized by Google

Aristoteles & Demosthenes *decedunt*. De Ariſtotele jam dictum: Sed de morte ejus hoc reſtat monendum, quod traditur à nonnullis, Ariſtotelem ſe tandem in Euripum conjeciſſe, ut exploraret cauſam fluxûs & refluxûs maris. Item, quòd moriturus exclamaverit: ô Ens Entium, miſerere mei? Sed hæ narrationes ſunt apocryphæ. Certè *Laërtius in Vita ejus* nihil tale habet. Alii aconito hauſto deceſſiſſe eum tradunt. *Fabricius lib. 3. c. 6. p. 109. Biblioth. Græc.*

Demosthenes celeberrimus orator & ſuo tempore magna pars Reipubl. Athenienſium fuit. De eo multa quidem etiam Græcæ horum temporum hiſtoriæ Scriptores, ſed inprimis videndus *Plutarchus*, qui vitam ejus exhibet in *Parallelis majoribus*, ubi eum cum Cicerone comparat; & rurſus *in Vitis X. Rhetorum*. Adde *Lucianum, Libanium, Suidam*. De morte ejus *Plutarchus cap.* 41. quam veneno ſumto acceleravit, Antipatro Macedoniæ Regi ab Athenienſibus tradendus. Vid. plura apud *Fabricium Biblioth. Græc. lib. 2. c. 26. p. 864. ſeqq. Morhoff. Polyhiſt. Literar. lib. 6. c. 2. n. 8.*

Theophrastus, nobilis diſcipulus, cujus vitam & in ea ſcriptorum catalogum prolixum exhibet *Laërtius lib. 5.* Ex ſcriptis tamen parùm ad nos pervenit. Ejus *Characteres morum* elegantiſſimus libellus eſt. Vid. *Morhoffii Polyhiſtor. Tom. 2. lib. 1. c. 9. n. 2.* Plura de Theophraſto *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 3. c. 9.* ubi de ſcriptis ejus ſuperſtitibus & amiſſis.

Xenocrates *obit*. Hic Xenocrates Chalcedonius, Platonis diſcipulus fuit. Etiam in republ. ſuas partes habuit, bis ab Athenienſibus legatus miſſus ad Philippum & Antipatrum Reges Macedoniæ. Plura de eo vid. apud *Diogenem Laërtium in Vita lib. 4. Fabricium Biblioth. Græc. lib. 3. c. 3. p. 67.* & quos ibi citat auctores.

Simmias *Rhodius* Poëta fuit, cujus duo poëmatia ſuperſunt, *Ovum & Securis, Theocrito* annecti ſolita. Ea *Salmaſius* commentariolo illuſtravit. Vid. *Voſſius de Poëtis Græcis c. 8. p. 49. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 7. c. 2. p. 16.*

Nunc in altera parte Tabulæ Macedonica & Græca repetemus, in iis enarrandis ſeriem temporis obſervaturi.

Demetrius *Athenis iterum potitur*. Nam Demetrius hic Poliorcetes jam ante, patre Antigono adhuc vivo, illam urbem occupaverat. In hac ultima obſidione, Athenienſes fame ad deditionem adegit, quæ tanta fuit, ut præter multa alia, quæ tum evenerunt duriſſima, pater & filius de mortuo mure, qui forte de tecto deciderat, dimicaverint. *Plutarchus in Demetrio cap. 43. ſeq.*

CASSANDER *Rex obit, poſt quem de regno variè certatur. Succeſſio tandem ſtetit in Demetrii poſteris.* Succeſſit quidem Caſſandro fil. Philippus, ſed continuò poſt mortuus. Diviſo dehinc inter Antipatrum & Alexandrum fratres regno, Alexander Antipatrum, matris parricidam, bello perſecuturus à Demetrio auxilia petit; qui interfecto Alexandro, ipſe *Macedoniam & Græciam occupavit.* Antipater à Lyſimacho Socero interfectus, cumque eo ſtirps Caſſandri extincta pœnas partim cæde, partim ſupplicio, partim parricidio luit; ut benè notat *Juſtinus* 16, 2, 5. quem vid. & *præced. cap.* & *Plutarchum in Demetrio cap.* 46. *ſeqq.* Add. *Rupertus cap.* 13. *p.* 247. *ſeqq.*

Pellit Pyrrhum Theſſaliam invadentem idem Demetrius. Vid. *Plutarchus in Demetrio c.* 55. *ſeqq.* & *in Vitâ Pyrrhi c.* 13.

Macedonia Demetrio eripitur à Pyrrho, & huic à Lyſimacho. Vid. iterum *Plutarchus in Pyrrho cap.* 20. *ſeqq. Juſtinus* 16, 2.

SELEUCUS *capto Demetrio Rex etiam Aſiæ. Demetrius victus à Regibus tradit ſe Seleuco, & anno poſt tertio moritur.* Hæc inter ſe cohærent, adeoque non ſunt ſeparanda. Conſpiraverunt adverſus Demetrium, invidia potentiæ ejus, qui jam Græciam & Macedoniam cum Aſia obtinebat, Ptolemæus Ægypti, Seleucus Syriæ & Babyloniæ, Lyſimachus Thraciæ, Pyrrhus Epiri Reges. A tot exercitibus circumventus Demetrius, Seleuco ſe dedidit; à quo per triennium in peninſulâ Syriæ liberaliter habitus, obiit. Videatur hiſtoria apud *Plutarchum in Demetrio cap.* 60. *ſeqq.* & *Juſtinum* 16, 2. Et ſic Aſiæ regnum extinctum, vel potius cum Syriæ regno coadunatum, penes Seleucidas fuit. Niſi quod Reges Pergameni (quorum genealogiam exhibet *Strabo lib.* 13.) provincias ejus complures occupaverunt, & uſque ad Attalum III. qui populum Rom. hæredem inſtituit, magnæ Aſiæ minoris parti imperaverunt. Vid. *Rupertus ad Synopſ. Beſoldi c.* 12. *p* 240. *ſeqq* Exorta ſunt & alia in Aſiâ regna Bithyniæ, Ponti, Cappadociæ, &c. de quibus *Cellarius in Hiſtor. Antiq. lib.* 3. Sed Demetrii Poliorcetæ poſteritas uſque ad Perſeum, à Romanis victum, Macedoniam obtinuit.

Extremum prælium inter Duces Alexandri M. Seleucum & Lyſimachum, in quo hic occumbit. De hoc prælio *Juſtinus lib.* 17. *c.* 1. & *Appianus in Syriacis prope fin.* Hic enim *Appianus* Romana tantùm per Syriam geſta profeſſus ſcribere, in fine tamen ſubnectit epitomen rerum poſt Alexandri mortem in eâ geſtarum, uſque ad Romana bella.

SELEUCUS *Ptolemæi Cerauni, fratris Philadelphi, inſidiis oppreſſus, regnum Macedoniæ, quod Lyſimacho eripuerat, cum vitâ amittit*: ſeptuaginta tres natus annos, ut *Appianus*; ſeptuaginta ſeptem, ut *Juſtinus* 17, 1 10. tradit, ſeptimo poſt victum Lyſimachum menſe. Ordinem cædis narrat

Digitized by Google

rat *Appianus in Syriacis prope fin.* & *Juſtinus* 17, 2, 4. Conf. *Rupertus c.* 10. *p.* 186. Nemo poſt Alexandrum M. plus terrarum in Aſiâ poſſedit, quàm Seleucus, quippe à Phrygia uſque ad Indum flumen omnia imperio ſuo complexus.

In ÆGYPTO

PTOLEMÆVS PHILADELPHVS *cœpit vivo patre*, Ptolemæo Sotere, qui nimirum biennio ante obitum regnum huic filio ceſſit, excluſo majore natu filio, Ptolemæo Ceranno, ob violentiam & præcipitem audaciam hoc cognomen adepto: qui cæſo Seleuco, Macedoniæ regno potitus eſt. *Juſtinus* 16, 2, 7. Hujus Ptolemæi Philadelphi præcipuum opus fuit collectio bibliothecæ Alexandrinæ. *Joſephus lib.* 12. *Antiquit. Judaic. cap.* 2. Cognomen Philadelphi ei datum eſt, quòd ſororem Arſinoen in matrimonio haberet. Sub eo.

S. Scriptura in Græcam Linguam vertitur à LXX. Interpp. Hiſtoria hæc verſionis Bibliorum à multis quidem traditur, ſed non eodem ab omnibus modo. Memorat hanc inter gentiles *Ariſteas Hiſtor. lib.* 20. (qui fuit inter Satellites Ptolemæi Philadelphi: cujuſque *hiſtoriam LXX. Interpp.* noviſſimè anno 1705. Amſtelodami in 4º imprimi fecit, addita à ſe prolixa Diſſertatione, *Antonius de Dale*) ex Judæis *Ariſtobulus apud Euſebium Præparat. Evangel. lib.* 13. *Joſephus Antiq.* 12, 2. *Philo lib.* 2. *de Vitâ Moſis* : ex Chriſtianis plurimi, *Juſtinus Martyr. Paræneſ. ad Græcos p.* 13. & *Apolog. lib.* 2. *p.* 72. *Irenæus lib.* 3. *adverſus Hæreſ. c.* 25. *Tertullianus Apologet. c.* 18. *Clemens Alexandrinus Stromatum* 1. *Origenes Epiſt. ad Afric.* 12. *Euſeb. Præpar. Evang.* 8, 1. *Hieronymus Præf. ad Paralip. &c. Auguſtinus de C. D.* 18, 43. *Chryſoſtomus Orat. contra Judaizantes*; *Epiphanius de Ponder. & Menſur. c.* 9. *ſeqq.* Res hæc eſt: Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex, ſuaſu Demetrii Phalerei, quem tunc bibliothecæ, quam prorſus incomparabilem ſtruebat, præfecerat, cupidine aſſerendorum ſibi divinorum oraculorum tactus, ab Eleazaro, ejus temporis ſummo Judæorum Pontifice, LXXII. Viros Hebrææ Græcæque linguæ peritos Hieroſolymis impetravit, à quibus ſuſceptus labor ille verſionis Bibliorum, & perfectus ſpatio 72. dierum eo eſt ſucceſſu, ut omnium calculis mirè approbata translatio, ab illo tempore & in Synagogis legi publicè cœperit, & aperta cœtuum confeſſione ſacroſancta etiam haberetur. Traditio verò de cellulis ſingulorum, & verſionibus ſeparatorum per omnia tamen congruentibus, ex *Juſtino Martyre* & qui eum ſequuntur, pro fabula meritò habetur. Majoris momenti quæſtio illa eſt, utrum ea, quam nos habemus, ſit genuina LXX. Senum verſio, an interpolata ab aliis. Videantur de his *Prolegomena* editioni Bibliorum

ex

Digitized by Google

ex verſione τῶν LXX. Lipſienſi præmiſſa, anno 1697. ubi tota hæc hiſtoria accuratè examinatur. Add. *Hiſtoria Eccleſ. Gothana lib. 1. c. 3. Sect. 2. p. 346. Iſaacus Voſſius de Translat. LXX. Interpp. Cellarii Diſſertatio de LXX. Interpp. Fabricii Biblioth. Græc. lib. 3. cap. 12.*

Inter MACEDONIÆ Reges

ANTIGONVS II. *Gonatas, Demetrii Poliorcetæ fil.* Hic quidem non immediatè poſt patrem Demetrium Macedoniæ Rex fuit, ſed intermedio tempore Pyrrhus, Lyſimachus, Ptolemæus Ceraunus, Meliagrus, Soſthenes, regnum illud, licet ſinguli non diu, obtinuerunt, ut ex *Porphyrio* docet *Rupertus p. 248. ſeqq.* Ipſe Antigonus ad 83. annos vixit, 44. regnavit; ſi eidem *Porphyrio* credimus.

Gallogræcis debellatis Athenas capit. De Gallorum in Græciam & Macedoniam adventu ſub duce Brenno, præter alios videndus *Juſtinus lib.* 24. qui poſtmodum à Bithyniæ Rege in auxilium vocati, regnum cum eo partà victorià, diviſerunt, eamque regionem Gallogræciam cognominaverunt. *Juſtinus* 25, 2, 11. Eadem Galatia & incolæ Galatæ dicti, ad quos eſt *Epiſtola Pauli.* De victorià Antigoni adverſus Gallos hos, quibus victis Athenienſes aggreſſus eſt, videatur idem *Juſtinus lib. 25. cap. 2.*

In regno SYRIÆ & ASIÆ

ANTIOCHVS *σωτὴρ Seleuco patri ſuccedit*: de quo *Rupertus p. 186.*

ANTIOCHVS Θεὸς, ejus ſucceſſor, cognomentum hoc accepit ex adulatione Mileſiorum, quos à tyranno Timarcho liberavit. *Rupertus ibidem.*

PARTHI *duce* ARSACE *à Syro-Macedonibus deficiunt.* Factum hoc ſub Seleuco Callinico, ſecundum *Juſtinum*; ſecundùm alios, ſub Antiocho Θεῷ. Et ab eo tempore hi Parthi in tantam potentiam excrevere, ut inter illos & Romanos orbis diviſus diceretur. *Juſtinus* 41, 1. De defectione illorum à Macedonibus, & de ipſo Arſace, conditore regni Parthici, videatur idem *Juſtinus* 41, 4. & *nota ſub lit. g. in edit. Berneggeri.* ubi inprimis locus integer ex *Georgii Monachi Chronico* adſcriptus eſt de ortu regni Parthici. Conf. *Rupertus Obſervat. ad Synopſin Beſoldi cap. 13. p.m. 252. ſeqq.* Ab hoc Arſace omnes deinde Reges *Arſacidæ* dicti (*Juſtinus* 41, 5, 6.) ſed ſuis tamen ſinguli privatis nominibus diſtincti. Duravit regnum Parthicum uſque ad tempora Alexandri Severi Imp. ſub quo, victo Artabano IV. Rege, regnum Perſis cedere coacti ſunt.

Inter

Digitized by Google

Inter Romana notatum hoc eſt ad A. V. 464. *Debellatur tandem cum Samnitibus, & fœdus renovatur.* De hoc belli Samnitici fine vide *Epitomen libri* 11. *Liv.* Nam ab hoc libro tota Decas librorum Livianorum deficit: quorum loco interim ſervient *Supplementa Freinshemii.*

A. V. 472. *Belli Tarentini initium cum* Pyrrho *Rege.* Pyrrhus hic Epirota idem eſt, quem cum Seleuco & Lyſimacho adverſus Demetrium Poliorceten conſpiraſſe, eumque regno Macedoniæ exuiſſe, ſupra diximus, quod tamen ipſi viciſſim ereptum eſt à Lyſimacho. Deinde in Italiam tranſiit, evocatus in auxilium contra Romanos; quibus hinc bellum grave, & quo non ante majus habuerunt, conflatum eſt. Victor quidem primo prælio Pyrrhus, mox victus eſt, & pace factâ cum Romanis, in Græciam rediit. Deſcribitur hoc bellum à *Floro* 1, 18. cui addantur reliqui, à *Camerte* annotati auctores, & inprimis *Plutarchus in Vitâ Pyrrhi.* In eo bello Curii Fabriciique generoſa pectora ſe prodiderunt: & Appii Cæci oratio pacem diſſuadentis; item Cyneæ legati à Pyrrho glorioſum de Senatu Rom. judicium, memoratu digna ſunt. Et per hujus belli victoriam Romani fortiſſimas gentes, opulentiſſimas urbes uberrimaſque regiones in ditionem redegerunt. *Florus d. l.*

A. V. 482. Dedito Tarento *bellum finitur*, quod proinde duravit decennio. Vide *Eoſdem.*

A. V. 490. Bellvm Pvnicvm I. *cœpit.* Occaſio belli hujus Sicilia, in eaque fœderata civitas Meſſana, de Pœnorum impotentiâ queſta, vel, ut *Epitome Liv. libri* 16. habet, quod Mamertinis contra Carthaginenſes & Hieronem Syracuſanorum Regem auxilium ferendum cenſuit Senatus. Eo bello primùm Romani mari dimicaverunt. Memorabilis præter cætera M. Attilii Reguli in eo bello clades & captivitas, & in eam ad certum ſupplicium reditus, poſtquam pacem & commutationem captivorum diſſuaſerat Romanis. Vid. de his & cæteris hujus belli memorabilibus *Flor.* 2, 2. & notati ad eum auctores, ex quibus in unum collegit *Freinshemius in Supplement. Liv. lib.* 16. 17. 18. 19.

Inter Varia: *Athenæ dejecto Demetrii præſidio libertatem recuperant.* Factum hoc eſt, poſtquam Demetrius à Pyrrho Macedoniâ ejectus, & deinde à Regibus victus eſt: de quâ re dictum ſupra.

Galli *templum Delphicum ſpoliant. In Aſiam trajiciunt.* Galli duce Brenno, cujus ſupra mentio injecta, cum ingenti multitudine in Macedoniam Græciamque irrumpentes, voluerunt quidem ſpoliare templum Delphicum, ſed acceptâ graviſſimâ clade partim à defenſoribus, partim à tempeſtatibus & terræmotu, deſiſtere coacti ſunt, ipſo

 Brenno

Digitized by Google

Brenno duce occiſo. Vid. *Juſtinus* 24, 6. *ſeqq. Diodorus* 22, 13. *Pauſanias lib.* 10. *Polybius* 4, 46. Tranſitus Gallorum in Aſiam, quos in auxilium vocavit Bithyniæ Rex, meminit *Juſtinus* 25, 2, 8. pluribus *Strabo lib.* 10. Oraculum de eorum in Aſiam tranſitu extat in *Pauſania Phocicis*. Ibi deinde ſedes ceperunt, & Gallogræcorum nomine innotuerunt.

Initium Societatis & reipubl. Achæorum. Reſpubl. Achæorum conſtabat ex 12. Civitatibus Peloponneſi, quæ arctiſſimo fœdere in unum corpus coierunt, & primò binos, mox unum Strategum, ſive Romano more loquendi, prætorem, nunc ex hac, nunc ex illa civitate ſibi elegerunt, cujus annuum imperium eſſet. Hæ fœderatæ civitates bis quotannis conventus ſuos ſeu comitia celebrabant, in vere & auctumno, de communibus rebus conſultaturæ. Circa hæc legibus & inſtitutis optimis utebantur, e. g. nequa comitia diutius quàm triduo continuarentur, ita ut ſemper tertio die commune decretum fieret; item, ne quis legatus exterus in communi concilio audiretur, niſi prius mandata de ſcripto exhibuiſſet, ut qua de re agendum eſſet in concilio, ſciri poſſet. Porrò ne qua civitas in hoc fœdere comprehenſa ſeorſim legatos ad exteros mitteret. Præterea ne quis ulla munera à Regibus principibuſque acciperet, &c. His inſtitutis reſpubl. hæc Achaica in magnam potentiam excrevit. De qua videndus inprimis *Polybius lib.* 2. Add. *Juſtinus* 42, 1. *Plutarchus in Vita Arati c.* 29. & qui ex his aliiſque auctoribus ad hanc rem pertinentia collegit, *Vbbo Emmius de Republ. & fortuna Achæorum, in Græcia Illuſtrata.* Hæc Reſpubl. Achæorum ſolet comparari cum corpore Imperii Germanici, ſicuti *Thuanus* eam comparationem inſtituit *lib.* 2. & *Jac. Gothofredus in Oratione Achaica.*

HIERO *Rex Syracuſarum*, II. hujus nominis: fuit enim & Hiero duobus ſeculis antiquior, Rex Syracuſanus, Gelonis ſucceſſor. Hic verò is eſt, quem Romani initio belli Punici I. in partibus Carthaginenſium ſtantem, aliquoties victum ad pacem petendam adegerunt. *Epitome Liviani libri* 16. de quo plura in *Freinshemij Supplement. ejuſdem libri Liviani c.* 10. *ſeqq.*

Inter VIROS CELEBRES horum temporum memoratur MEGASTHENES *Perſa*. Hiſtoricus hic fuit, ex cujus *Indicis* multa adducunt *Strabo*, *Joſephus*, aliique. Quæ verò hodiè ſub hujus nomine circumferuntur, genuina non ſunt, ſed *Annij Viterbienſis* Monachi commenta, qui talem nobis etiam *Beroſum* dedit. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib.* 1. *c.* 11. *p.* 69. item, *Neuius in Acceſſionibus ad Wheari Relection. Hiemal. p.* 92.

TIMÆVS

Digitized by Google

Timæus *floret*. Siculus hic fuit, & ipſe hiſtoricus, qui de rebus quoque Siculis potiſſimum ſcripſit; cujus tamen nihil hodie ſupereſt, niſi quod allegatur ab aliis. Prolixè de eo agit *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib.* 1. *cap.* 12. *p.* 81. *ſeqq.*

Demetrius Phalereus *perit*. Celebris hic vir Theophraſti diſcipulus fuit, & Athenarum per decennium Præfectus, ab Athenienſibus tot æneis ſtatuis honoratus, quot dies in anno tunc habebantur nempe 360. Poſtea Antigonum metuens ad Ptolemæum Lagi, Ægypti Regem, ſe contulit, qui, vel, ut alii, filius ejus Philadelphus, ejus ſuaſu bibliothecam Alexandrinam adornavit. Tandem in carcere, in quem à Ptolemæo Philadelpho conjectus erat, aſpidis morſu periit. Scripſit longè plurima philoſophica & hiſtorica, quæ recenſet *Laërtius lib.* 5. *in Vita ejus*. Plura de eo vid. apud *Voſſium de Hiſtoricis Græcis lib.* 1. *c.* 12. *p.* 72. *ſeqq. Albert. Fabricium Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 11. *p.* 294. *Morhoffium Polyhiſt. Liter. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 3.

Berosus *Ægyptius*. Hic quoque Hiſtoricus fuit, cujus tamen ſcripta perierunt. Nam Pſeudo-Beroſus Annianus meritò rejicitur, quanquam multi ex illo, tanquam genuino ſua haurire non dubitarunt. Et non deſunt qui *Annium* à crimine falſi liberare conantur. Vid. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 32. *& cap.* 10. *n.* 12. Condidit Beroſus *Babylonica* ſeu *Chaldaica* tribus libris, ex quibus veteres hiſtorici, qui genuinum habuerunt, multa ſuis inſeruerunt ſcriptis. Nonnulli eum longè antiquiorem faciunt, & Moſi æqualem. Sed de ætate ejus & ſcriptis, cæteriſque ad hunc pertinentibus videatur iterum *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib.* 1 *c.* 13. *p.* 85. *ſeqq.* Extat *Caſp. Varrerij, Luſitani, Cenſura in Beroſum Chaldæum,* in qua ſolidis argumentis demonſtratur, *Antiquitates,* quæ ſub *Beroſi* nomine circumferuntur, neque ipſius Beroſi eſſe, neque fragmentum operis illius amiſſi. Impreſſum eſt hoc opuſculum Romæ 1565. & exhibetur etiam in *Collectione* nupera *librorum rariorum*, quæ Halæ Saxonum prodiit 1709. *Faſciculo I.* Conf. *Reimmann. Hiſtor. Liter. antedil. p.* 191. *Neuius in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiemal. p.* 92.

Zeno. De Zenone Eleate dictum eſt ad Tabulam VI. Sed hic eſt *Zeno Citticus,* Stoicæ Philoſophorum Sectæ Patriarcha, quos & ab ipſo Zenonios appellatos fuiſſe, notat *Laërtius,* qui hujus Philoſophi vitam exhibet *lib.* 7. Add. *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 15. *p.* 413.

Aratus, Solenſis hic intelligitur, Poëta & Aſtronomus, cujus Phœnomena heroico carmine conſcripta, ſuperſunt, magni ſemper habita: unde de Arato *Ovidius lib.* 1. *Amor. El.* 15.

Cum Sole & Luna ſemper Aratus erit.

Digitized by Google

Ex ejus operis *v.* 5. eſt illud hemiſtichion, quod *Paulus* Apoſtolus adducit *Actor.* 17, 28. Τῦ γὰρ γένος ἐσμέν. *Phænomena* ejus jam olim Latino ſermone convertit Cicero, unde fragmenta extant: item *Germanicus Cæſar* & *Avienus*, quæ verſiones adhuc ſuperſunt. In ipſum Aratum veteres & recentiores extant Interpretes. De Arato vid. plura apud *Fabricium Biblioth. Græc. lib.* 3. *cap* 18. *Morhoffium Polyhiſt. Literar. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 20.

THEOCRITUS Syracuſanus Poëta fuit, cujus *Ecloga* & *Syrinx* adhuc leguntur: quem in ſuis *Bucolicis* poſtea imitatus eſt *Virgilius*. Vid. de eo *Voſſius de Poëtis Græcis c.* 8. *p.* 61. Plura *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 17. & *Morhoffius Polyhiſt. Literar. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 16.

LYCOPHRON Chalcidenſis fuit Grammaticus & Poëta Tragicus, cujus ſola extat *Caſſandra* ſeu *Alexandra*, drama obſcurum & μονοπρόσωπον. De hoc iterum *Voſſius de Poëtis Græc. c.* 8. *p.* 64. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 16. & *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 22.

ERASISTRATUS medicus fuit, & Ariſtotelis diſcipulus, ejuſdemque, teſte *Plinio*, ex filiâ nepos. Ejus meminit *Laërtius in Vitâ Theophraſti fin.* & in *Vitâ Strabonis Lampſaceni*; & *Nicander in Theriaca* Eraſiſtratum allegat ἐν τῷ περὶ θανασίμων. Lepida de hoc Eraſiſtrato hiſtoria narratur à *Plutarcho in Vita Demetrii c.* 49. quomodo Antiochi, Seleuci filii, cum novercam ſuam Arſinoen deperiret, ægritudinem detexerit, & patri perſuaſerit, ut filio eam concederet. *Valer. Maxim. lib.* 5. *c.* 7. *Ext.* 4.

EPICURUS *obit.* Hic eſt inter Philoſophos, qui vulgò peſſimè audit, ideo quòd providentiam divinam negaſſe, & quod ſummum bonum in voluptate conſtituiſſe dicitur: tanquam & ipſe voluptatibus modò immerſus, belluinam vitam egerit. Unde etiam qui ſic vivunt Epicurei, & ab *Horatio* Epicuri de grege porci dicuntur. Ab aliis tamen, dogma hoc ejus melius explicantibus, defenditur. Vitam Epicuri integro *libro decimo* complexus eſt *Diogenes Laërtius*. Scripſit & *Petrus Gaſſendus*, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſitus, *de Vitâ & moribus Epicuri* libros 8. in quibus hunc Philoſophum ab infamiâ vindicat. Vid. de eo *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 33.

MANETHOS Sebennyta, Sacerdos Ægyptius fuit, & hiſtoriam ab antiquiſſimis temporibus orſus penè uſque ad tempora Darii Codomanni pertexuit. Ejus ſub nomine iterum quædam edidit *Annius Viterbienſis* eodem cenſu, quo Pſeudo-Megaſthenes & Pſeudo-Beroſus habenda. Fragmenta tamen ejus quædam ſunt apud *Joſephum lib.* 1. *contra Appionem*, & *Epitome* ejus à *Jul. Africano* confecta, quam Scaliger multum illuſtravit, adhuc ſupereſt. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtoricis Græcis*

lib.

Digitized by Google

*lib.*1. *c.*14. *p.*89. & de *Idolol. Gentil. lib.* 1. *c.* 28. *Marſhamus ſub initium Canonis Chronici*, & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 20. ubi & cætera ejus ſcripta deperdita recenſet.

Zoilus Sophiſta fuit, *Canis Rhetoricus* appellatus, ideò quod ſtylo mordaci allatrabat ſummos viros, quo præter cæteros Homerum inſectatus eſt; unde *Homeromaſtix* dictus. De eo *Ovid. de Remed. Amor. lib.*1. *v.* 365.

Ingenium magni livor detrectat Homeri;
Quiſquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.

Factum hinc, ut omnes alienarum laudum obtrectatores Zoili dicerentur. Plura de Zoilo *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib.* 1. *c.* 15. *p.* 94. *ſeq.* & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 7. *p.* 364.

Aratus *Sicyonius ejecto tyranno patriam Achæorum reipubl. jungit.* Magnus hic vir ſuo tempore, multa præclarè geſſit in republ. repetenda ex *Polybio lib.* 2. *poſt med.* & ex *Plutarcho*, qui *Vitam Arati* ſcripſit. Quod hic de Arato prædicatur, id ille tùm adhuc annos 20. natus fecit: qui poſtea etiam Corinthum eidem reipubl. junxit, Acrocorintho per dolum occupata, quam Antigonus Rex obtinebat: quod in ſequenti Tabula notatur.

TABVLA IX.

In hac Tabula Ægyptiaca primùm examinanda ſunt. In horum Regum ſerie ſequitur Ptolemæus III. Evergetes. De cujus rebus quæ habentur, ex *Juſtino* potiſſimum collegit *Rupertus Obſerv. ad Synopſ. Beſoldi p. m.* 218. Geſta hujus Regis complectitur etiam *Monumentum Adulitanum*, in quo ipſe de ſe magnificè admodum prædicat. Exhibet illud poſt alios integrum *Fabricius in Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 25. Regnavit annos 25. Ei ſucceſſit

Ptolemæus IV. *Philopator*, ita dictus κατ' ἀντίφρασιν, quod Patrem ſuum Ptolemæum Evergeten occidit. Idem matrem quoque & fratrem, nec non denique uxorem eandemque ſororem interfecit: teſte *Juſtino* 29, 1. & 30, 1. & 2. Regnavit annos 17. Inter ejus geſta præcipuum eſt,

Pugna ad Raphiam Ptolemæo felix. Nempe ab Antiocho M. Syriæ Rege bello petitus, ancipiti prælio ad Raphiam, in finibus Ægypti & Cœleſyriæ commiſſo, ipſum vicit. De quo vid. *Polyb. lib.* 5. *c.* 85. & 86. Add. *lib.* 3. *Maccab. cap.* 1. ubi etiam memoratur, ut poſt hanc victoriam venerit Hieroſolyma, & Sanctum Sanctorum ingreſſus ſit. *Rupertus ad Synopſin Beſoldi pag.* 219. *ſeq.*

Digitized by Google

PTOLEMÆVS V. EPIPHANES. Hic eſt, in quem conjurarunt Philippus Macedoniæ & Antiochus Syriæ Reges. Sed tutelam ejus (erat enim 4. annorum puer, cùm pater moreretur) ſuſceperunt Romani, miſſuſque in Ægyptum M. Lepidus bis Conſul & Pontifex. Vid. *Rupertus p.* 220. ubi auctores hujus hiſtoriæ & nummus argenteus, hanc repræſentans, notatur. Regnavit Ptolemæus Epiphanes annos 24. Noſter de eo hoc memorat:

Judæam & Syriæ urbes Antiocho adimit. Non ademiſſe tamen eas Antiocho, ſed ſecundùm pacis & matrimonii leges cum filia Antiochi accipere debuiſſe, memorat *Joſephus lib.* 12. *cap.* 3. qui tamen inter utrumque Regem Syriæ & Judææ vectigalia diviſa fuiſſe innuit.

Inter SYRIÆ REGES ſequitur

SELEVCVS CALLINICVS, Θεȣ̃ *filius.* Hic cum Ptolemæo Evergete bellum geſſit infelix. *Juſtinus* 27, 2. Ipſi verò is, quem contra Ptolemæum in auxilium vocaverat, *Antiochus* ἱέραξ *frater bellum infert ope Gallorum.* De quo *Juſtinus lib.* 27. *cap.* 2. *&* 3. De Gallis poſtea inter Varia.

SELEVCVS CERAVNVS filius ejus breve regnum habuit, & paulò poſt interfectus nihil magnopere geſſit. *Rupertus p.* 187. Clarior eſt ſucceſſor ejus idemque frater

ANTIOCHVS M. *Callinici fil.* Nam hic eſt, qui Romanum bellum ſuſcepit, inſtigante potiſſimum Hannibale, poſt compoſitum bellum Punicum II. à Carthaginenſibus in exilium ejecto, qui toto orbe Romanis hoſtem quærebat. De eventu ejus belli poſtea dicetur. Nam prius

Judæam & Syriæ urbes Ptolemæo poſſeſſas occupat Antiochus. Sumtum hoc eſt ex *Joſephi* 12, 3. Et hic obſervandum, quòd dum inter Syriæ & Ægypti Reges perpetuæ bellorum colliſiones eſſent, in utriuſque confiniis poſita Judæa utrinque miſerè vexata fuerit. Quamobrem etiam bella iſta, quippe quibus Judæa, adeoque tunc temporis locus Eccleſiæ, involuta eſt, divinis oraculis diſertè ſunt prædicta *Danielis cap.* 11. *&* 12. ubi qui dicitur *Rex meridiei* eſt Rex Ægypti, *Rex Aquilonis* verò Rex Syriæ: & operæ pretium eſt conferre ipſos eventus cum iſtis vaticiniis.

Inter REGES MACEDONIÆ

Nominatur in hac Tabulà DEMETRIVS *Antigoni Gonatæ fil.* Hic etiam univerſam Lybiam & Cyrenen accepit, regnavitque annos 10. *Rupertus p.* 250. Sub hoc

Aratus Sicyonius Corinthum expulſo Macedonico præſidio Achæorum reipubl. jungit. Dictum jam ſupra ex *Polybio libr.* 2. *poſt med.* & *Plutarcho in Vita Arati cap.* 29. ANTI-

Digitized by Google

ANTIGONVS III. Δώσων, primò tantùm Philippo, Demetrii ex Chryſeide captiva filio, tutor datus, poſteà cùm utiliter reipubl. præeſſet, Rex creatus, Chryſeidem ſibi matrimonio junxit. Cleomenem Regem Spartanorum vicit, & Græciâ expulit: quod prolixè exponit *Polybius lib.* 2. Cum Illyriis pugnans, ſanguinis profluvio ex vehementibus clamoribus contracto, paulò poſt victor periit. *Ibidem fin. libri.* De annis regiminis ejus vide diſputantem *Rupertum p.* 250.

PHILIPPVS II. Demetrii fil. ſucceſſit. Hujus Regis bellum contra Dardanos memorat *Juſtinus* 29, 1, 10. Bellum contra Ætolos, quod ſociale dictum eſt, deſcribit *Polybius lib.* 4 *c.* 3. 25. & 26. Præcipuum verò bellum ejus cum Romanis fuit, ex fœdere cum Annibale inito ipſi attractum: de quo poſtea. Hic de eo memoratur, quòd

Aratum Sicyonium veneno peremerit: de quo legitur apud *Plutarchum in Arato cap.* 63.

Inter ROMANA hujus Seculi memoratur A.V. 512. C. LVTATIVS CATVLVS COS. *Pœnos vincit ad Ægates.* De hac victoria Romanorum *Florus libr.* 2. *c.* 2. magnificè in hunc maximè modum ſcribit: *Lutatio Catulo Conſule tandem bello finis impoſitus, apud Inſulas, quibus nomen Ægates. nec major alia in mari pugna: quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hoſtium claſſis, & in eis quaſi tota Carthago*: quod ipſum exitio fuit. &c. Poſt hæc petentibus Carthaginenſibus pax data, & hinc FINIS I. BELLI PVNICI fuit. Auctoribus ad *Flori d. l.* annotatis (inter quos præcipuus eſt de hac re *Polybius lib.* 1) addantur *Freinshemii Supplement. Liviana libri* 19.

A.V. 519. *Templum Jani ſecundò clauditur*: quod ſcilicet fieri ſolebat, quando pax in Imperio Romano erat. De more hoc vid. ad illud *Flori* 1, 2. *Janum Geminum, fidem pacis & belli* &c. notata *in editione Freinshemianâ.* Secundò hoc factum inde à Numæ temporibus; ſed ſtatim iterum patuit. Inde ad Auguſtum Cæſarem & annum Vrbis DCC. non iterum clauſum fuit.

A.V. 536. BELLVM PVNICVM II. *cæpit.* Hoc bellum multis ab initio Romanorum cladibus memorabile fuit, ad Ticinum, ad Trebiam, ad Thraſymenum, & graviſſima omnium ad Cannas, quæ exitialis fuiſſet Romæ, ſi tàm victoriâ uti, quàm vincere ſciviſſet Annibal, Carthaginenſium in eo bello Dux. Ex his tamen eluctatus populus Rom. *Duru ut ilex tonſa bipennibus Nigræ feraci frondis in Algido Per damna per cædes ab ipſo Duxit opes animumq; ferro*: ſicut *Horatius* loquitur. Etenim poſt multa à Fabio Cunctatore, M. Marcello, Claudio Nerone, Livio Salinatore &c. præclarè geſta, ad extremum tranſlato in Africam bello, Hannibalem ab Italiâ retractum ante ipſa Carthaginis mœnia

decre-

Digitized by Google

decretorio prælio vicit Scipio, inde Africani cognomen adeptus; & pacem ex præſcriptâ à Romanis formulâ facere coactis Carthaginenſibus, poſt decimum octavum annum BELLVM PVNICVM II. *finitur.* Hiſtoria hujus belli ab omnibus ferè Latinis Græciſque deſcribitur, inprimis *Livio*, qui totâ *Decade* 3. illam complexus eſt. Cui addantur cæteri ad *Flor.* 2, 6. annotati auctores, unde ſingularia hujus belli peti poſſunt. Interim verò per id ipſum bellum

A.V. 542. *Syracuſæ capiuntur à M. Marcello.* Eam enim urbem nobiliſſimam, & Siciliæ tunc caput (de quâ meretur legi *Cluverus in Siciliâ antiquâ lib.* 1. *c.* 12. & *Cicero in Verrem* 4, 53.) eo tempore Pœni tenebant. Miſſus ergo in Siciliam Marcellus, quanquam ſtrenuè defenſam, expugnavit: & ſic tota Inſula in urbe ſuperata eſt, ut loquitur *Florus* 2, 6, 33. De hoc bello Siculo & obſidione Syracuſarum vid. *Polybius lib.* 8. *Plutarchus in Marcello, Livius lib.* 24. *& lib.* 25. *cap.* 23. *ſeqq.* ubi de expugnatione urbis. Add. *Silius Italicus lib.* 14.

A.V. 554. *Bellum Macedonicum I.* biennio poſt finem Punici II. initium cepit, de quo jam tùm ad mentionem Philippi Regis dicere cœpimus. Cauſas belli, ſocios deinde & ſucceſſus breviter exponit *Florus* 2. 7. cui adde alios ad Florum annotatos.

Sub Titulo VARIORVM notatur *Attalus Pergamenus, occaſione belli inter Selucum Callinicum & Antiochum Hieracem fratres, res ſuas in Aſia auget.* Vnde hi Pergameni Reges orti ſint, docet ex ſuis auctoribus *Rupertus Obſervat. ad Synopſin Beſoldi c.* 12. *p. m.* 241. qui & de Attalo hujus nominis I. conſulendus *p.* 243. De bello inter Seleucum Callinicum & Antiochum Hieracem fratres dictum eſt. Quo durante vicinus Rex Pergamenus occaſionem habuit ſua augendi. Quæ autem ſub hoc regno provinciæ fuerint in Aſiâ, docet iterum modò laudatus *Rupertus p.* 241. Cæterùm quod hic Auctor noſter de Attalo, id de Anteceſſore ejus Eumene prædicat *Juſtinus* 27, 3, 1. quem Bithyniæ Regem vocat per errorem, ut cenſet *Valeſius ad Polybii Excerpta Peireſciana p.* 19.

Galli in Aſiâ invaleſcunt, eadem ſcilicet occaſione uſi: quippe Antiochus Hierax eorum mercenarium exercitum adverſus fratrem Seleucum conduxerat, qui deinde in ipſum Antiochum, ſuo auxilio victorem, arma verterunt. Vid. *Juſtinus* 27, 2, 10. Conf. 25, 2, 9.

VIRI ILLVSTRES hoc dimidio Seculo notantur hi: APOLLONIVS RHODIVS *Callimachi diſcipulus.* Hic Poëta fuit & libros 4. *Argonauticorum* ſcripſit; qui adhuc habentur. Vid. *Voſſius de Poëtis Græcis c.* 8. *p* 66. Plura *Idem de Hiſtoricis Græcis lib.* 1. *c.* 16. *p.* 100. præcipuè autem de eo conſulendus *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 21. & *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 7. *c.* 2. *n*, 18. De CALLIMACHO verò præceptore Apollonii Rhodii,

Rhodii, & ejuſdem tamen inſectatore perpetuo, cujus ex multis ſcriptis præter hymnos & epigrammata hodie nihil extat, idem *Fabricius lib.* 3. *c.* 19. & *Morhoffius d. l. n.* 17.

APOLLONIUS PERGÆUS magni nominis Geometra fuit, de quo & ejus 8. libris *Conicorum* vid. *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 22. *n.* 17. Add. *Joh. Meurſius in Syntagmate de Apolloniis. Voſſius de Scient. Mathematicis.*

M. LIVIUS ANDRONICUS. Primus hic eſt Romanorum Scriptorum, quem Tabulæ noſtræ nominant. Fuit autem Poëta, & primus Romæ fabulam docuit. *Voſſius de Poëtis Latinis cap.* 1. *p.* 3. Ejus nonniſi fragmenta quædam ſuperſunt, quæ reperiuntur in *Fragmentis Veterum Poetarum*, & in *Corpore Poëtarum Latinorum.* Vid. *Fabricii Biblioth. Latin. App. p.* 3. Hujus ut & Nævii, Cæcilii, Statii &c. Vitas ſpeciali commentario perſequutus eſt Caſp. Sagittarius, impreſſo Altenburgi 1672. 8°.

ENNIUS *naſcitur A. V. C.* 514. Hic quoque Poëta Romanus fuit, ex cujus Annalibus aliiſque ſcriptis fragmenta nobis conſervarunt Grammatici, unde ea in unum collegit partim *Hieronymus Columna*, partim *Paulus Merula.* Exhibentur eadem in *Fragmentis Veterum Poëtarum*, & in *Corpore Poëtarum Latinorum.* Quæ ſcripſerit, quantoque in honore habitus ſit, & cætera de hoc Poëta vid. apud *Voſſium de Hiſtoricis Latinis lib.* 1. *c.* 2. & *de Poëtis Latinis cap.* 1. *p.* 4.

J. SYRACIDES *venit in Ægyptum.* Jeſus Syracides, i. e. Syraci filius, Judæus fuit, Scriptor libri, quem *Panareton* vocabant, omnis ſcil. virtutis & ſapientiæ plenum; Latinis *Eccleſiaſticus* dicitur, & inter apocryphos S. Scripturæ libros legitur. Hunc autem librum Hebraicè primùm ſcriptum ab avo ſuo, Græcè interpretatus eſt J. Syracides. In Ægyptum ſe veniſſe ipſe affirmat in Prologo, idque factum eſſe ſub Ptolemæo Evergete, anno 38. quod quomodo intelligendum ſit, notat Clariſs. *Fabricius in Biblioth. Græc. lib.* 3. *cap.* 29. ubi plura de libro præſertim Syracidis. Conf. *Hiſtor. Eccleſ. Gothana lib.* 1. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 8.

CHRYSIPPUS *Stoicus Cleanthis diſcipulus.* De hoc Chryſippo, qui in Dialecticâ præcipuè inſignis fuit, & 705. volumina ſcripſiſſe dicitur, quæ verò allegatis & teſtimoniorum nube impleverit, vid. *Diog. Laërtius lib.* 7. ubi Vita ejus; & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 15. *p.* 392. & de CLEANTHE *ibid. p.* 394. apud quem & de utriuſque ſcriptis legi poteſt.

ARCHIMEDES *perit*, à milite ſcilicet Romano ignaro quis eſſet, in expugnatione urbis Syracuſanæ occiſus; cùm intentus figuris ſuis mathematicis, quas in pulvere ſcribebat, captam ab hoſte urbem non adverteret. *Livius lib.* 25. *c.* 31. Hic enim mathematicus ſuo tempore excellentiſſimus, multas machinas excogitavit, quibus adjuti Syracuſani Romanorum obſidionem ſuſtinuerunt. Vid. *Polybius lib.* 8. *Livius*

Digitized by Google

lib. 24. *c.* 34. *Plutarchus in Marcello. cap.* 20. 22. 25. Add. *Valerius Maximus* 8, 8. *ext.* 7. *Cicero de Finibus, & 6. in Verrem*; *Silius Italicus lib.* 14. *v.* 343. De Sphærâ ejus vitreâ, quæ miro artificio, Solis, Lunæ & errantium 5. ſtellarum motus illigavit, elegantiſſimum eſt *Claudiani Epigramma* 26. ad quod vid. *Commentar. Barthii.* De ſcriptis verò Archimedis, inventis &c. prolixè *Fabricius Biblioth. Græc. lib* 3. *c.* 22. Eſt & *Joh. Andreæ Schmidii Diſſertatio de Archimede*, edita Jenæ 1688. 4°.

POLYBIUS *naſcitur Olymp.* 143. Nobiliſſimus hic hiſtoricus, quem *Livius* quoque in pleriſque ſequitur, & penè exſcripſit, notus eſſe debet omnibus & commendatus. Scripſit Græcè *Hiſtoriarum libros* 40. quorum 5. ad nos integri pervenerunt; ex cæteris tantùm Excerpta habemus. Duobus primis tempora percurrit à Roma per Gallos captâ, uſque ad initium primi belli Punici; in reliquis fuſius perſequitur ſequentium annorum 53. geſta uſque ad Macedonici regni everſionem. Videatur de hoc Scriptore laudatiſſimo *Voſſius de Hiſtoricis Græc. lib.* 1. *c.* 19. & *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 30. Elogia hujus Scriptoris vid. cùm apud alios, tùm apud *Rupert. Obſerv. ad Synops. Beſold. cap.* 1. *p. m.* 4. & in *Bœcleri Diſſertat. de Utilitate ex Hiſtoria Univerſalis contextu capienda.* Add. *Whear. Relect. Hiemal. Part.* 1 *Sect.* 13, *p.* 50. & *Neu. in Acceſſion. p.* 108.

NÆVIUS *obit.* Hic inter Romanos ſcripſit Saturnio verſu de bello Punico I. dedit & Fabulas: antiquior paulò *Ennio*, qui poſt mortem Nævii demum inclareſcere cœpit. Ejus Operum nihil ſupereſt, præter paucula fragmenta, quæ exhibentur in *Fragmentis Poëtarum Veterum*, & in *Corpore Poëtarum Latinorum.* Vid. de eo *Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib.* 1. *c.* 2. & *de Poëtis Latinis cap.* 1. *p.* 3.

In altera parte Seculi redimus ad ÆGYPTIACA, in quibus memoratur hoc: *Judæi Ptolomei præſidium arce Hieroſolytana*, ab Antiocho adjuti, *dejiciunt.* Factum hoc eſt, poſtquam Scopas, Ptolemæi Epiphanis Dux, ab Antiocho ad fontes Jordanis victus fuit. Vid. *Joſephus lib.* 12. *Antiq. c.* 3.

PTOLEMÆUS IV. Φιλομήτωρ, cum Antiocho Epiphane Syriæ Rege bellum geſſit, propter Cœleſyriam, quam ab eo repetitam reddere noluit Antiochus. In eo victæ Ptolemæi copiæ, & ipſe Alexandriâ fugam parans, captus eſt; in cujus locum Alexandrini, Antiocho reſiſtentes, fratrem Ptolemæum Phyſconem ſeu Evergeten II. Regem fecerunt. Romani deinde miſſo legato C. Popilio Lenate, (qui virgulâ circumſcriptum Antiochum reddere reſponſum juſſit, antequam eo circulo excederet. Vid. *Livius* 45, 12. *Valer. Maximus* 6, 4. *Juſtinus* 34, 3. *Vellejus Paterculus* 1, 10. *Plinius* 34, 6.) Antiochum ab Ægypto deſiſtere

Digitized by Google

ſiſtere coëgerunt. Pulſus deinde à minore fratre Ptolemæo Phyſcone major Ptolemæus Philometor, Romam venit, & à Senatu reſtitutus eſt hac lege, ut major Ægyptum, minor Cyrenas regeret. Ipſe Philometor poſtea in bello cum Alexandro Bala, genero ſuo, equo excuſſus, & ab hoſtibus vulneratus, periit. Vid. *Rupertus c.11. p. m. 121. ſeqq.* qui hæc ex *Porphyrio* aliiſque collegit.

Templum Heliopoli ſtatuitur à Judæis, auctore Oniâ. Hic Onias ex Judæa in Ægyptum profugerat, cum de obtinendâ avitâ dignitate Summi ſacerdotii deſperaret; & à Rege Ægypti Ptolemæo Philometore veniam impetravit, exſtruendi templi in regione Heliopolitana, quæ eſt in Ægypto, ad ſimilitudinem templi Hieroſolymitani. Qua de re vid. *Joſephus lib.* 12. *c.* 15. *& lib.* 13. *c.* 6. De causâ & tempore ædificati templi hujus vid. *Salianus ad ann.* 3889. *n.* 50. De templo in Garizim ſupra dictum eſt: de cujus & Hieroſolymitani templi ſanctitate, coram eodem Ptolemæo Philometore acris diſputatio inſtituta eſt inter Judæos quoſdam & Samaritas Alexandrinos, teſte eodem *Joſepho lib.*13. *Antiq. c.*6. Magna enim Judæorum multitudo tunc in Ægypto, præſertim Alexandriæ, habitabat.

Inter Syriaca dicendum adhuc aliquid eſt de Antiocho M. Hic enim *Antiochus urbes Syriæ recuperat,* ademtas ſcil. ſibi à Ptolemæo Epiphane, ut ſub titulo Ægyptiacorum dictum. Harum enim provinciarum poſſeſſio continua belli cauſa inter Ægypti Syriæque Reges fuit.

Vincitur (Antiochus) *ad Magneſiam à L. Scipione Coſ. Rom.* Bellum Antiochi M. cum Romanis Hannibalis potiſſimum ſuaſu & Thoantis Ætolorum principis ſuſceptum, poſt victum à Romanis Philippum Macedonem, memoratur ſub titulo *Romanorum.* Belli cauſæ, ingens Antiochi apparatus, ſed quem ſocordia ejus inutilem reddidit, & geſta primò in Græcia, duce Romanorum Attilio Glabrione Coſ. & clades Antiochi navalis ab Attilio Regillo, ope Rhodiorum illata, & prælium denique ad Magneſiam, in quo victus eſt Antiochus à L. Scipione Coſ. R. qui hinc Aſiatici cognomen, ſicut frater Africani, obtinuit, cum memorabilibus circumſtantiis deſcribuntur à *Livio* partim *lib.* 33. *&* 34. *in fin.* præcipue verò *lib.* 35. *&* 36. addantur reliqui auctores ad *Flori* 2, 8. annotati. Belli exitus is fuit, ut Antiochus ex formula à Romanis præſcripta pacem inire, & omnem regni partem victoribus relinquere cogeretur. *De Formula pacis Antiocho à Romanis data* eſt *Diſſertatio Bœcleriana Tom.* I. *p.* 1086. unde hæc hiſtoria illuſtrari poteſt. Itaque tuuc primùm Romani imperium ſuum in Aſiam extendere cœperunt.

SELEVCVS Σωτὴρ καὶ Φιλοπάτωρ *fil.* ſcilicet Antiochi M. primogenitus. Quæ de hujus regis geſtis reperiri potuerunt pauca, exponit *Rupertus c.* 10. *p. m.* 192. Quibus addi poteſt, quod 2. *Maccab.* 3. de eo memoratur, eum ſumtus quidem ad ſacrificia Hieroſolymitana ſuppeditaviſſe, ſed interim theſauros templi avehere conatum fuiſſe. Ipſe Seleucus per ejuſdem Heliodori fraudem veneno necatus eſt. Sequitur

ANTIOCHVS EPIPHANES *fil. Magni.* Hic eſt tyrannus ille, qui immani ſævitiâ in Judæos exercita, dignior eſt, ut Epimanes i. e. furioſus cognominetur, quàm Epiphanes i. e. nobilis: quem prolixè deſcribit ſanctiſſimus veriſſimusque vates *Daniel. c.* 11. *v.* 21. *ſeqq. & c.* 12. ſub cujus tamen nomine & moribus Antichriſtum præfigurari, plerique ſentiunt Interpretes.

Idolum in templo Hieroſolymitano collocat. Propoſuit nempe Antiochus hic edictum, quo omnes Regis ſubditi ad unum eundemque Deorum cultum adigebantur, prohibitis ſacrificiis, Sabbathis, circumciſione, aliiſque ritibus Moſaicis. Quæ omnia ut eò certius obtinerentur, templum Hieroſolymitanum dedicatum eſt Jovi Olympio, Garizitanum verò Jovi Xenio ſeu Hoſpitali. Statua Jovis in templo collocata, ſacrificia more Græcorum peracta, libri ſacri combuſti, & Judæorum plurimi ad defectionem à fide compulſi ſunt, extremæ ſævitiæ exemplis per ſingulos menſes in omnes deſignatis, qui regiis edictis non obtemperarent. Sicuti hæc narrantur 1. *Maccab. c.* 1. & 2. *Maccab. c.* 4. *ſeqq.* & apud *Joſephum Antiq. lib.* 12. *c.* 7. Meminerunt hujus rei etiam gentiles Scriptores, pro ſuo tamen ſpiritu & animo loquentes, *Diodorus Siculus in Eclogis, Tacitus* 5. *Hiſt.* 8. De ſeptem fratrum martyrio, quod deſcribitur 2. *Maccab.* 7. ſingulari libello egit idem *Joſephus*, quem inſcribit: *Imperium rationis.* Cæterùm de bello Antiochi Epiphanis contra Ptolemæum Philometorem, & ut miſſus à Romanis C. Popilius Lenas eum Ægypto excedere juſſerit, dixi ſupra ſub Ptolemæo Philometore. Vide auctores ea de re notatos à *Ruperto p.* 193. *Tacitus* 5. *Hiſt. c.* 8. eum etiam cum Arſace Pathorum Rege bellum geſſiſſe innuit. Mortuus eſt ex mœrore, cùm repulſus eſſet ab Elimææ Dianæ templo, quod ſpoliare conabatur.

ANTIOCHVS EVPATOR *fil. Epiphanis*, nonniſi biennium regnavit. *Joſephus* 12, 16. & 1. *Maccab. c.* 6. interfectus à militibus Demetrii. 1. *Maccab.* 7. Succeſſit ergo

DEMETRIVS SOTER *fil. Seleuci.* Hic eſt, qui Romæ obſes cùm eſſet, auditâ Antiochi Epiphanis morte profugit in regnum, quod interfecto Antiocho Eupatore obtinuit. Contra Judæos per duces ſuos Bacchi-

Bacchidem ac Nicanorem bella geſſit, quos tamen poſtea ſibi conciliare fruſtra ſtuduit, cùm bello premeretur ab Alexandro Bala, adverſus ipſum inſurgente: à quo ingenti clade affectus, regno & vita excidit. Vid. de hoc Demetrio *Juſtinus lib.34. c.3.* & *lib.35. Joſephus 12. Antiq. c.16. ſeqq. & lib.13. 1. Maccab. 7. ſeqq.* Add. *Rupertus p.193.*

Alexander *Bala inſurgit contra Demetrium, Epiphanis ſuppoſititium*; imò potius ipſe Alexander Epiphanis ſuppoſititius fuit. *Joſephus* enim *lib.13. c.3.* & *Euſebius n.1867.* Antiochi Epiphanis. filium faciunt: ſed incertæ ſtirpis & ſortis extremæ hominem volunt *Appianus in Syriacis & Epitome Liviana libr.52. Juſtinus lib.35. c.1. v.6.* Corrigendus itaque eſt error in Tabula noſtra commiſſus ſeu ab Auctore ſeu à typographo. Hic non tantum inſurrexit in Demetrium, ſed & victo eo regnum quaſi paternum invaſit, confirmatum ſibi à Senatu Rom. poſtquam ipſe Romam veniens, pleroſque Senatores muneribus corrupiſſet; ſegnis ipſe & impar tanto faſtigio. Poſtea cùm Socero ſuo Ptolemæo Philometori inſidiari compertus eſſet, hic ademtam ei rurſus filiam Cleopatram, Demetrio Demetrii Soteris filio dedit, à quo victus Alexander in Arabiam fugit, ibique capite truncatus eſt. Vid. *Rupertus p.194. ſeqq.* & qui ibi notantur auctores.

Ad Macedonica redimus; ubi memoratur: Philippus *ad Cynoſcephalas vincitur à T. Quinctio Flaminio.* Dictum jam ſupra de hoc bello Macedonico, & indicata ſedes hujus hiſtoriæ. Bis quidem ante victus fuerat Philippus, ſed hoc ultimum fuit prælium ad Cynoſcephalas, poſt quod conſecutum eſt illud, quod ἐν παρέργῳ in Tabula noſtra ſub titulo *Romanorum* extat: *Philippo Macedonico pax, Græciæ libertas redditur à Quinctio.* Pacis enim ejus lex præcipua erat, ut Philippus Macedoniam retineret, Græcià abſtineret. Cùm in Nemeis juſſu T. Quinctii Flaminii libertas Græciæ per præconem pronuntiaretur, tantus populi plaudentis clamor fuit, ut aves attonitæ ex alto deciderint. *Livius lib.33. c.18. & lib.34. c.40. Plutarchus in Vita Flaminii c.17. Val. Maximus 4, 8, 5.*

Perseus *cœpit*, Philippo è concubinâ natus. Quomodo hic Demetrium fratrem ſuum (qui Romæ obſes fuerat) falſis apud Patrem criminationibus everterit, prolixè refertur à *Livio lib 40 c.5. ſeqq.* Ipſe deinde patri, poſt detectam innocentiam filii Demetrii ex ægritudine mortuo, cùm ſucceſſiſſet, fœdus ab eo cum Romanis ictum perfidiosè rupit, bellumque ſuſcepit eo eventu, qui mox memoratur. Nempe *Perſeus vincitur.* Et huc ſpectant etiam duo illa lemmata ſub rebus *Romanis*: *Bellum Macedonicum II.* &, *L. Æmilius Paulus delet regnum Macedonicum.* Nam hæc conhærent. Hic L. Æmilius Paulus COS. Rom.

Digitized by Google

Rom. cui hæc provincia obtigerat, victum Regem Perſeum, & deinde captum, cateniſque oneratum triumphans ante currum ſuum egit, cum duobus filiis & unâ filiâ. De hoc bello Macedonico II. cum memorabilibus rei geſtæ circumſtantiis legatur *Florus* 2, 12. & cæteri ibi notati Scriptores. Et hic fuit FINIS REGNI MACEDONICI: quod inde à Carano conditore quinque Seculis floruit, & per 41. Reges continuatum, ſub Alexandro M. in ſummam potentiam evectum eſt; & extinctum denique anno poſt mortem Alexandri 256. Ipſi Macedones ſuis legibus vivere juſſi. Quod tamen beneficium poſt annos 20. ademtum illis eſt, quoniam ſe cum Andriſco, Perſei filium ſe mentiente, conjunxerant.

Inter ROMANA notatur, præter jam dicta, *Bellum cum Antiocho cœpit*; quod medium fuit inter bellum Macedonicum I. & II. cœptum ſcilicet A.V. 563. de quo verò jam, quantum inſtituto noſtro ſufficit, diximus ſub *Syriacis*, ad illa verba: *Vincitur ad Magneſiam* &c.

A.V. 575. LEX VILLIA *annalis præfigens annos ætatis Candidatis magiſtratuum.* Lex ejuſmodi hoc tempore lata eſt à L. Villio Tribuno pleb. de qua *Livius* 40, 44. *fin.* nempe conſtituit, ut annus *Quæſturæ* obtinendæ eſſet vigeſimus ſeptimus ætatis, *Tribunatus* trigeſimus, *Prætura* quadrageſimus, *Conſulatus* quadrageſimus tertius. Vid. de hac lege quæ differit *Marcellus Donatus in Æl. Lampridii Alexandrum Severum, Theſauri Critic. Tomo 6. p. 985. ſeq.*

De *bello Macedonico II.* & quod *L. Æmilius Paulus deleverit regnum Macedonicum,* jam dictum ſub Perſeo: Hic verò

Perſeus Albæ in carcere moritur. In teterrimum prius carcerem detruſus erat; ſed Pauli Æmilii interceſſione, Senatûs crudelitatem caſtigantis, mitiorem nactus cuſtodiam, in eâ tamen poſt biennium captivitatis, ſomno, ut tradunt nonnulli, prohibitus periit. *Plutarchus in Æmilio Paulo c. 63. Diodorus Siculus Eclog. libri 31. c. 2. Vellejus Paterculus lib. 1. c. 11.*

Inter VARIA. ATTALO *Pergameno ſuccedit* EUMENES. Hic *Attalus* Rex Pergamenus ſtrenuam operam Romanis navavit in bello contra Antiochum: quo victo multis provinciis à Romanis donatus, regnum ſuum auxit. Bellum ejus cum Pruſiâ Bithyniæ Rege, quem Hannibal juvabat, memorat *Juſtinus* 31, 4, 6. & *Corn. Nepos in Vita Hannibalis c.* 10. Regnavit annos 39. *Rupertus c.* 12. ex *Livio* & *Polybii Excerptis Peireſcianis.*

HANNIBAL *apud Pruſiam Bithyniæ Regem veneno ſemet interimit.* De hoc fortiſſimo Carthaginenſium duce dictum jam aliquid eſt ad hiſtoriam belli Punici II. quam qui ſcripſerunt auctores, iidem etiam de Hanni-

Hannibale conſulendi ſunt. Vita ejus breviter deſcripta eſt apud *Corn. Nepotem.* Victo à Romanis Antiocho in Cretam, & inde ad Pruſiam confugerat: à quo cum Romani miſſis legatis peterent, ut dederetur, ipſa re cognita, venenum, quod ſemper ſecum ferre conſueverat, ſumſit. Vid. *Livius lib.* 39. *c.* 51. *Corn. Nepos in Hannibale c.* 12. *Valer. Maximus* 9, 2, 2. *Juſtinus* 32, 4.

Judas Maccabæus *cœpit.* Judas hic Mathathiæ Sacerdotis filius fuit. Unde cognomen *Maccabæi* acceperit ipſe & poſteri ejus non convenit inter Interpretes. *Iſidorus Peluſiota* Maccabæum idem vult ac Dominum, notatus propterea à *Scaligero* ad num. Euſeb. 1852. Alii à literis quibuſdam vexillo inſcriptis deducunt, ut *Junius*, & confidenter *Paulus Eberus in contexta populi Judaici hiſtoria p.* 14. *b. Judas*, inquit, *Maccabæus cognominatus eſt, quæ dictio hebraicè ſic ſcribitur*: Macabai, *cujus ſingulæ literæ ſingulas dictiones ſignificant, ſumtas ex Cantico Moyſi* Exodi cap. 15. ubi hæc verba ſunt: Mi Camocha Baelim Jehova, *h. e. quis ſicut tu in Diis, Domine.* Sed hæc ſuo auctori defendenda relinquimus. Vid *Fullerus Miſcell. S. lib.* 2. *c.* 13. Aliâs Aſamonæi ſeu Haſamonæi dicti ſunt tùm ipſe Mathathias, tùm poſteri ejusque uſque ad Ariſtobulum, quem Herodes ſuſtulit; cujus tamen denominationis origo itidem ignoratur. Fortiſſimus hic heros Judas Maccabæus, & reipubl. Eccleſiæque Judaicæ liberator, quæ & quanta geſſerit, in *libris Maccabæorum*, præſertim *primo*, exponitur *uſque ad cap.* 9. quibus add. *Joſephus lib.* 10. *Antiq. c.* 11. *ſeq.*

Encænia templi Hieroſolymitani. Intelliguntur hic ea encænia, quando Judas Maccabæus templum Hieroſolymitanum ab idolis purgavit, & intermiſſum toto triennio cultum ſacrorum inſtauravit: quod eodem anni die, quo profanatum erat templum, executus eſt, circumpoſitis arci, quam regii præſidiarii tenebant, cuſtodiis. Vid. 1. *Maccab.* 4, 36. *Joſephus l. c.*

Judæ Maccabæo *ſuccedit frater* Jonathan. Occubuerat enim Judas in prælio contra Bacchidem, de quo 1. *Maccab. c.* 9. Poſt cujus mortem cùm duce opus eſſet, Jonathan frater principatum cepit, exoratus à reliquiis piorum. 1. *Maccab.* 9, 28. cujus deinceps geſta narrantur.

Viri Celebres notantur hi, qui altera parte Seculi floruerunt: Eratosthenes *obiit.* Fuit hic vir patriâ Cyrenæus, in omni diſciplinarum genere verſatus, Grammaticus, Poëta, Philoſophus, Mathematicus. Ejus ſupereſt καταστερισμῶν libellus, ſeu deſcriptio aſtrorum ſingulorum, & hiſtoria eorundem fabularis. Obiit inedia præ tædio ex hebetata oculorum acie concepto. Plura de eo *Fabricius Biblioth. Græc.*

Digitized by Google

Græc. lib. 3. *cap.* 18. *n.* 12. Meminit ejus inter Poëtas *Voſſius de Poëtis Græcis c.* 8. *p.* 60.

PANÆTIVS *Stoicus*, vir excellentis ingenii, quem ſimul cum Polybio, domi militiæque ſecum habuit Scipio Africanus minor, teſte *Vellejo Paterculo* 1, 13. eundemq; etiam comitem habuit, cùm à Senatu miſſus in Ægyptum atque Orientem, Regum ſociorum regna luſtraret. *Plutarchus in Apophthegm.* De ejus tamen ſcriptis hodie nihil ſupereſt. Vid. *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 15. &, quos ibi nominat *Jonſius lib.* 2. *c.* 13. & *Meurſius in Rhodo p.* 101.

PLAVTVS *obit V. C.* 570. cujus ex multis comœdiæ 20. hodie ſuperſunt. *Varro* dixit, Muſas (L. Ælii Silonis ſententia) Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui vellent: ut eſt apud *Quintilian. lib.* 10. *cap.* 1. Cætera de hoc auctore Veterum teſtimonia qui volet, Plauti editioni Taubmannianæ præmiſſa inveniet. Vid. *Voſſius de Poëtis Latinis cap.* 1. *p.* 8. *Fabricii Biblioth. Latin. p.* 1. *Morhoffius Polyhiſt. Literar. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 5. ubi etiam de ſtylo Plauti, ob quem pueris non prælegendus, contra alios diſputat.

STATIVS CÆCILIVS *Comicus* itidem fuit, cui palmam inter Poëtas Comicos tribuit *Volcatius Sedigitus* apud *Gellium* 15, 23. Vid. de eo *Voſſius de Poëtis Latinis cap.* 1. *p.* 5.

CRATES MALLOTES Pergamenus fuit Grammaticus, Panætii Præceptor, de quo *Suetonius in Claris Grammaticis c.* 2. Vid. & *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib.* 3. *p.* 347. & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 15. *p.* 402. ubi in catalogo Philoſophorum Stoicorum recenſetur.

ENNIVS *moritur.* De hoc Poëta jam dictum ad annum nativitatis ejus.

ARISTARCHVS Samothrax Grammaticus fuit, qui & Ptolemæum Phyſconem ſeu Evergeten erudivit, & 40. claros diſcipulos reliquit. *Suidas in Ariſtarcho.* Hic Homerum correxit: unde Ariſtarchi dicti ſunt rigidi operum cenſores, qui minima quæque menda obſervant. Vid. de eo *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 18.

TERENTIVS *naufragio perit.* Terentius Afer, Poëta Comicus elegantiſſimus, Scipionis & Lælii amicus fuit, quibus etiam adjutoribus uſus eſſe dicitur, in ſcribendis comœdiis ſuis. De hoc Poëta, cujus VI. comœdiæ in omnium manibus verſantur, plura dicere ſupervacuum eſt. Nonnulli eum naufragio periiſſe dicunt. Sed *Suetonius in Vita ejus* dicit, in Arcadia mortuum eſſe. Vid. *Voſſius de Poëtis Latinis c.* 1. *p.* 9. *ſeqq. Morhoffius Polyhiſt. Literar. lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 6. ubi elogia hujus Poëtæ, & ſummorum virorum præclara de eo judicia; item editiones. *Reimmanni.* de Terentio ejuſque comœdiis ſiniſtrum judicium

(in

Digitized by Google

(in Præf. Hiſtor Liter. antediluv.) inordinato affectui ejus, quo tùm calebat, tribuendum eſt.

PACCVVIVS Poëta tragicus fuit, Ennii ex Sorore nepos: de quo vid. *Voſſius de Poëtis Lat. cap.* 1. *p.* 6.

TABVLA X.

In hac Tabula ÆGYPTI Rex notatur

PTOLEMÆVS VII. PHYSCON, *qui & Evergetes II.* Cyrenarum hactenus Rex fuerat, ſed mortuò fratre Philometòre, Ægypti quoque regnum obtinuit. Euergetis cognomen Alexandrini in Κακεργέτης mutarunt, teſte *Athenæo lib.* 12. *Dipnoſoph.* Communius cognomen Phyſcon fuit, quia tanta ventris craſſitudine laboravit, ut nec ſine baculo incedere, nec quiſquam eum amplecti ulnis poſſet. *Strabo lib.* 17. Φύσκη enim Græcis eſt majus inteſtinum. Luxuria hujus Regis cum crudelitate certabat. Specimina utriuſque ab eo edita, leguntur apud *Juſtin. lib.* 38. *c.* 8. unde etiam reliqua hujus Regis hiſtoria petenda: nempe bellum cum deſerta à ſe uxore & Sorore Cleopatra, quæ Syriæ regni opibus nitebatur: deinde reconciliatio cum eâdem, & bellum cum Syris. Add. de hoc Rege *Rupert. Obſerv. ad Synops. Beſold. c.* 11. *p.* 225. *ſeqq.* Inter cætera cum horrore leguntur parricidiales diſcordiæ in utroque regno Syriæ & Ægypti: quæ, moribus Regum in deterius labentibus, cùm nihil ſacri profanique haberetur ab illis, vulgo, ut fieri ſolet, ſe ad exempla Principum componente, ſatis patuit ruinæ proxima eſſe.

PTOLEMÆVS VIII. LATHYRVS *fil.* Phyſconis, etiam *Soter* cognominatus eſt, & patri ſimilis fuit. Hic ut ad regnum favore populi pervenerit, matre juniorem præferente, vid. *Juſtin.* 39, 3. *Pellitur Ægypto à matre, eiq; ſurrogatur frater Alexander. Juſtin.* 39. 4. LATHYRVS *in regnum revocatur,* (quod quidem in altera parte Tabulæ extat, ſed hic connectendum) poſtquam nempe Alexander, parricidio in matre commiſſo, concurſu populi in exilium actus eſt, Lathyrus viciſſim revocatus eſt. *Juſtinus ibid. cap.* 5. Add. *Rupertus c.* 11. *p.* 228. *ſeq.* ubi reliqua hujus Regis.

Inter SYRIÆ REGES occurrit

DEMETRIVS NICANOR. Hic Demetrii Soteris filius, & bis Rex fuit. Nam captus à Parthis in bello, diuque detentus, Tryphone interim, & mox eo interfecto, Antiocho Sidete regnum occupante, tandem quaſi poſtliminio in thronum reſtitutus eſt, & per quadriennium adhuc præfuit. Vid. *Juſtin.* 36, 1. & 38, 9. *ſeqq.* & 39, 1. *ſeqq.*

Digitized by Google

ANTIOCHUS SIDETES *frater Syriam invadit*, victo ſcil. Tryphone, qui capto à Parthis Demetrio Nicanore, regnum invaſerat. Vide *Juſtinum* 36, 1. Bellum Antiochi Sidetis cum Parthis, in quo occiſus eſt, deſcribit idem *Juſtinus lib*. 38. *c*. 10. Durante eo bello, Demetrius Nicanor, remiſſus à Parthis in regnum, licet his ipſis poſt Antiochi cædem retrahere ipſum conantibus, illud occupavit. *Juſtinus d. l.* & *Joſephus lib.* 13. *c.* 12. & 13. Conf. *Rupertus p.* 197.

ALEXANDER ZEBENNA, *everso Demetrio*, *Rex*. Hunc Ptolemæus Phyſcon Rex Ægypti adverſus Demetrium Nicanorem ſubornaverat, partim rogatus à Syris, quos improbitatis Demetrii tædebat; partim ob privatas ſimultates inſenſus Demetrio, quòd Ægyptum occupare tentaſſet. Ipſe Alexander Protarchi mercatoris Ægyptii filius fuit, quanquam Antiochi Sidetis haberi voluit. Cùm Ptolemæum ipſum, cujus beneficio regnabat, ſpernere cœpiſſet, miſſus ab hoc cum magno exercitu Antiochus Grypus, Alexandrum vicit, deſertumque à ſuis & ſibi traditum interfecit. *Juſtinus* 39, 1. & 2. *Joſephus* 13, 17. Add. *Rupertus c.* 10. *p.* 199. Regnavit ergo

ANTIOCHUS GRYPUS *Demetrii fil.* qui matrem ſuam Cleopatram, venenum ſibi porrigentem, ipſam bibere coëgit. Bellum cum fratre Antiocho Cyziceno geſſit, cum quo quidem aliquandiu regnum partitus eſt; ſed non ceſſantibus interim diſcordiis, donec alter, i. e. Grypus, periret. Quibus ſceleribus alter alterum ultus ſit, idem qui & cætera, narrat *Juſtinus lib.* 39. *c.* 2. & 3.

JUDAICA ſequuntur,

Quæ jam ſeparatum titulum habent, ſub quo memoratur: SIMON *cœpit. Renovat fœdus cum Romanis.* Ethnarcha Judæorum factus eſt Simon, poſtquam frater ejus Jonathan inſidiis Tryphonis captus & interfectus eſt. 1. *Maccab.* 12. Hic tandem arcem Hieroſolymitanam ab hoſtium præſidio liberavit, Tryphone fruſtra tentante ſuccurrere. Hujus enim Tryphonis partibus deſertis, Simon cum Demetrio Nicanore reconciliatus eſt, & ab eo immunitatem à tributis pro populo ſuo obtinuit. 1. *Maccab.* 13. *Joſeph. lib.* 13. *c.* 10. & 11. De renovato gentis Judaicæ cum Romanis fœdere vid. 1. *Maccab*, 14. & 15.

Simoni à genero occiſo ſuccedit JOHANNES HYRCANUS. Gener Simonis erat Ptolemæus, Hierichuntinæ regionis Præfectus, qui Socerum cum filiis duobus, Mathathia & Juda, inter hoſpitales epulas occidit. Tertius Johannes tunc abſens, inſidias evitavit, atque in pontificatu & Ethnarchia ſucceſſit. 1. *Maccab.* 16. Hyrcani cognomen ſortitus eſſe dicitur, cùm Antiocho in expeditione contra Parthos militaſſet. Cætera ejus petenda ex *Joſephi lib.* 13. *c.* 16. Nam hic *libri*

Digitized by Google

bri Maccabæorum deficiunt. In Tabula noſtrâ hoc de Johanne notatur: *Delet templum in monte Garizim. Funditus evertit Samariam.* Templum illud ante 200. annos exſtructum erat à Sannaballato, de quo ſupra. De ejus deſtructione *Joſephus* 13, 17. Samariam verò poſt diuturnam obſidionem, fruſtratis Antiochi Cyziceni auxiliis, expugnavit, & inducto in aream urbis deſtructæ torrente, funditus delevit *Joſephus* 3,18.

ARISTOBULUS REX I. Hic filius natu maximus Johannis Hyrcani, mortuo patri ſucceſſit; ſed non contentus Ethnarchæ & Pontificis titulo, regium nomen ac diadema primus poſt Zidekiam ſumſit. Hic matrem fame necavit, tres fratres in vinculis tenuit; *Antigonum*, quem ætate proximum regni conſortem fecerat, per ſicarios ſuſtulit; non ultra annum regnavit. *Joſeph.* 13, 10.

JAMNÆUS (vel *Janneus*) ALEXANDER REX II. filius Johannis Hyrcani tertius, fratribus in regno ſucceſſit, idque annis penè 27. tenuit, homo crudelis & ſuſpicax: cujus geſta refert *Joſephus lib.* 13. *cap.* 20. *ad* 23.

Inter ROMANA ſequitur

A. V. 605. BELLUM PUNICUM III. Cùm decretum eſſet Romanis hoc bellum, diverſæ ſententiæ in Senatu *Catonis* & *Scipionis Naſicæ* fuerunt; *hoc* ſervandam, *illo* delendam eſſe Carthaginem cenſentibus. Placuit medium, ut urbs tantùm loco moveretur. Sed extrema præoptantibus, quàm hoc, Carthaginenſibus ad arma res venit. Bellum finitum eſt quadriennio, cujus eventus hic fuit, ut Carthaginem, magis invidia imperii, quam ullius temporis noxia, inviſam Romano nomini (*Vellejus* 1,12.) poſt deſperatam defenſionem, tandem Scipio Æmilianus captam funditus deleret, cognomen hinc Africani adeptus. Vid. *Florus* 2, 15. & auctores ibi notati; quibus addatur *Vellejus Paterculus* 1, 12. &, qui ex his collegit, *Freinshemius Suplement. Livian.* 48. & 49.

A. V. 606. MACEDONICUM III. CONTRA ANDRISCUM. Fuit hic Andriſcus fullonis filius, ſed Perſei filium ſe mentiebatur, & ex ſimilitudine Philippi quondam Regis Macedoniæ, Pſeudo-Philippus vocabatur. Hunc pro Rege ſe gerentem, Macedones ſequuti, Juventium Prætorem Rom. auxilio Thracum vicerunt; poſtea verò à Metello Cos. victi, libertatem amiſerunt, in provinciæ formulam redacti. Andriſcus à Thraciæ regulo, ad quem confugerat, traditus Romanis, in triumpho ductus eſt. De hoc bello iterum *Florus* 2, 14. & ad eum notati, & *Supplementa Liviana Freinshemii.*

A.V. 608. CARTHAGO & CORINTHUS *delentur.* Nimirum hæ duæ nobiliſſimæ urbes uno eodemque anno à Romanis deletæ ſunt; illa

illa à Scipione, de quo ſupra; hæc à L. Mummio in bello Achaico, qui inde Achaici cognomen adeptus eſt. Utraque urbs flammis deleta. Carthago quidem ab ipſis incolis incenſa, cujus incendium per 17. dies extingui non potuit: unde magnitudo urbis æſtimari poteſt. Ex Corinthi incendio æs Corinthium natum eſt, toto orbe celeberrimum, & auro ipſo pretioſius habitum: de quo vid. *Plinius H.N. lib.* 43. *c.* 2. Signa & Tabulæ pictæ inde abductæ, ex eo tempore Romanis in pretio eſſe cœperunt. Vide de hoc bello Achaico *Florum* 2, 16. & notatos ibi auctores, & *Freinshemii Supplement. Livian. lib.* 51. *&* 52.

A.V.C. 609. BELLUM CONTRA VIRIATHUM IN HISPANIA. Quando & qua occaſione primùm in Hiſpaniam venerint arma Romana, & quos ibi ſub diverſis ducibus temporibuſque populos ſubegerint, quaſi per ἀνακεφαλαίωσιν repetit *Florus* 2, 17. Viriathus Luſitanorum Dux fuit, de quo *ibid. v.* 15. Bellum cum eo per 14. ferè annos geſtum, donec ipſe Viriathus fraude amicorum, quos pro pace conſequendâ miſerat, à Romanis corruptorum, occiſus eſt. Videatur *Florus d. l.* & ad *v.* 15. annotati auctores. *Freinshemii Supplementa Liviana lib.* 52. *&* 53.

A.V. 621. TIBERIUS GRACCHUS *perimitur.* Hæc prima certaminum civilium inter Romanos fax fuit. Tiberius Gracchus Trib. pl. legem tulit de agris populo dividendis, cui intercedebat collega Cn. Octavius. Hunc cùm Gracchus præter fas collegii depuliſſet roſtris, & triumvir dividendis agris creatus, in comitia prodiret, ab adverſa Nobilium parte pulſus, in Capitolium fugit, ibique duce Scipione Naſica concitato in arma populo oppreſſus eſt. Seriem rei geſtæ fuſius deſcribit *Appianus Bell. Civ. lib.* 1. & *Plutarchus in Vit. Gracchorum.* Adde *Florum* 3, 14. & cæteros ad eum annotatos ſcriptores, & *Freinshemii Supplementa Liviana lib.* 58.

A.V. 622. NUMANTIA *à Scipione deletur.* Hæc urbs Hiſpaniæ fuit, Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior, virtutis nomine & honore par omnibus. Belli hujus Numantini cauſa, quâ nullam injuſtiorem fuiſſe ex parte Romanorum ingenuè fatetur *Florus,* item ſucceſſus ejus & fœdus Mancinianum Romanis ignominioſum, ſequuta verò tandem expugnatio urbis per Scipionem Africanum, & Numantinorum deſperatio, deſcribuntur à *Floro* 2, 18. & iis auctoribus, quos ad eum annotarunt Interpretes.

A.V. 633. C. GRACCHUS *ob pernicioſas rogationes occiditur.* Hic frater Tib. Gracchi fuit & ipſe Trib. pl. de cujus rogationibus, & ortâ inde ſeditione, nobilitatis ducem ſe præbente Opimio Conſule, & pugnâ in urbe fugâque Gracchi, qui ſervo tandem jugulum præbuit, viden-

videndus inprimis *Appianus de B. C. lib.* 1. & *Plutarchus in Gracchis*, cæterique ad *Florum*, 2, 15. annotati, & *Freinshemii Supplementa Liviana lib.* 60. *&* 61. Caput Gracchi auro penſatum à Conſule.

A. V. 641. BELLVM CIMBRICVM *cœpit*. Cimbri, Teuthoni & Tigurini ab extremis Germaniæ (uti rectè apud *Florum*, 3, 3, 1. legendum docet *Cluverius Germania Antiqua*, 1 10. 2, 4. *&* 3, 22.) profugi, cum ingenti multitudine ad Italiæ fines progreſſi, in ea ſedes à Romanis petierunt, operam ſuam in bellis offerentes: denegatas vi quærere ſtatuerunt. Terribile hoc bellum fuit, & tertio jam prælio victi Romani trepidabant, cùm Marii virtute firmati ſunt, qui primò Teuthonos, mox Cimbros, in Italiæ aditu, collega Catulo, ingentibus præliis cecidit: quorum clade auditâ Tigurini diſſipati ſunt. Bellum hoc virtutemque & ferociam Cimbrorum, non virorum tantùm, ſed & mulierum, non ſine hyperbolica exaggeratione deſcribit *Florus* 3, 3. ad quem cæteri quoque auctores de hoc bello notantur: quibus adde *Velleji libr.* 2. *c.* 12. *Freinshemii Supplementa Liviana lib.* 63. 67. 68. Victoria Romæ nuntiata eſſe dicitur eodem die, tradentibus Prætori literas Juvenibus laureatis pro æde Caſtoris & Pollucis, cujus ædis Dii eſſe crediti: ut præter *Florum* alioſque memorat etiam *Plinius* 22, 7.

A. V. 643. BELLVM JVGVRTHINVM *cœpit*. Huic lemmati jungi debet, quod ſub titulo *Variorum* extat: JVGVRTHA *everſis Micipſæ liberis Numidiam ſibi vindicat*. Nam hoc præceſſit bellum Jugurthinum, & ejus à Romanis ſuſcipiendi cauſa fuit. Et Jugurtha quidem primùm auro magis quàm ferro pugnavit, & victor fuit: cùm partem Senatûs, item legatos ad ſe miſſos de dividendo regno, mox ipſos Imperatores & exercitus pecuniâ corrupiſſet. Tandem C. Marius, homo novus & ex plebe factus Conſul, bellum hoc confecit. Jugurtham deſperantem jam de rebus ſuis, BOCCHVS Mauritaniæ Rex, Socer Jugurthæ & ſocius, Sullæ in manus tradidit, eumque catenis oneratum Marius in triumpho duxit. Jugurtha poſtea in carcere jugulatus. Quæ omnia prolixius legi poſſunt apud proprium hujus belli Scriptorem *Salluſtium*. Breviter narrat *Florus* 3, 1. Addantur auctores ad hunc notati, & *Vellejus Paterculus lib.* 2. *c.* 11. *ſeq. Freinshemii Supplementa Liviana lib.* 62. *ſeqq.*

A. V. 653. C. MARIVS & Q. CATVLVS CIMBROS *in Italiæ aditu delent*. Dictum ſupra. Hic illud modò notandum ad temporis diſcrimen, quod Marii primus triumphus ex bello Jugurthino partus fuerit, primo Conſulatu ſuo, Cimbros verò quinto demùm Conſulatu vicerit. Mirum, quod in Tabula noſtra belli Jugurthini initium poſt Cimbricum ponatur.

Digitized by Google

Inter VIROS ILLUSTRES primo loco notatur: M. PORTIUS CATO *obit.* Hic eſt Cato ille Cenſorius, à quo rigidi morum cenſores per antonomaſian Catones dici ſolent: atque is, qui perpetuus evertendæ Carthaginis auctor fuit, triennio ante everſam mortuus. *Vellejus* 1, 13. Idem Celtiberos vicit, de iiſque triumphavit. Vid. *Plutarchus in Vita ejus*, & *Apophthegmat. Valerius Maximus* 4, 3, 11. Auctor *de Viris Illuſtribus* c. 47. *Frontinus* 1, 1, 1 & 4, 7, 31. Multa de eo etiam *Cicero de Senectute*, ubi loquentem facit Catonem majorem. Diſtinguendus enim hic eſt à M. Portio Catone Uticenſi, hujus pronepote. Fuit & alius Portius Cato, qui in bello Italico occiſus eſt. *Vellejus* 2, 16. Hic verò etiam in cenſu doctorum refertur Cato Cenſorius: quippe non Imperator ſolùm & Senator, ſed & Orator & Philoſophus bonus. Ex ſcriptis ejus hodie extat *liber de agriculturâ*, cum cæteris *Scriptoribus rei Ruſticæ* edi ſolitus. *Origines* quidem ejus (quas præter alios laudat *Corn. Nepos* in fragmento *de Vitâ Catonis*) circumferuntur, ſed ex commento *Annii Viterbienſis*, qui ſimili impoſtura ſuum nobis *Beroſum* & *Megaſthenem* obtrudere conatus eſt. De Catone & ſcriptis ejus vid. *Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib.* 1. *c.* 5. *Fabricii Biblioth. Latin. p.* 3. *Morhoffii Polyhiſt. Literar. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 4. *p.* 230.

APOLLODORUS *Athenienſis*. Apollodori plures fuerunt, de quibus commentarium ſcripſit *Scipio Tettus*: inter eos Athenienſes duo celebrantur, *alter* Poëta Comicus; *alter*, qui hîc intelligitur, Grammaticus; qui hiſtorica etiam ſcripſit, atque hoc nomine memoratur à *Voſſio de Hiſtoricis Græcis lib.* 1. *cap.* 21. *p.* 132. Supereſt hodie ejus *Bibliotheca*, in quâ continetur hiſtoria poëtica; ſeu fabuloſæ veterum Poëtarum traditiones de Diis & heroibus, ad Trojana uſque tempora. Vid. plura de hoc Apollodoro in *Fabric. Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 27.

L. ATTIUS 30. *annos natus fabulam docet cum* PACCUVIO *octogenario.* Deſumtum hoc eſt ex *Ciceronis Bruto*. Videatur de hoc Attio, ſicut & de Paccuvio *Voſſius de Poëtis Latinis c.* 1. *p.* 6. Horum Vitam & cæterorum ſcripſit *Caſpar Sagittarius*.

VARRO *naſcitur* V. C. 638. M. Terentius Varro, doctiſſimus Romanorum, Philoſophus, Poëta & Hiſtoricus fuit: de quo videndus *Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib.* 1. *c.* 12. *p.* 54. & *de Poëtis Latinis c.* 1. *p.* 17. *ſeq.* Ex poëmatibus ejus pauca ſuperſunt. At libri ejus *de Lingua Lat.* ſex, qui à tertio procedunt, mutili quidem extant; item *libri de Re Ruſtica* 3. & ſeorſim editi, præſertim ab *Henr. Stephano*, cum Conjectaneis & notis *Joſephi Scaligeri*, & junctim cum *Lingua Lat.* & *Rei Ruſticæ Scriptoribus* cæteris. Vid. *Fabricii Biblioth. Latin. p.* 9.

CICERO

Digitized by Google

CICERO & POMPEIVS *naſcuntur V.* C. 648. Hi duo maximi inter Romanos Viri, eodem anno nati, qui fuerint ſi docere vellem, Solem viderer digito oſtendere. Vterque ſuo tempore magna pars Reipubl. Romanæ fuit: quæ geſſerint, hiſtoria illorum temporum docet.

M. TVLLIVS CICERO inprimis in ſuo conſulatu inclaruit, detectâ per ejus vigilantiam conjuratione Catilinaria; ob quam rem de eo dictum eſt: non tantam urbem Romulus condidit, quantam Cicero ſervavit: & ipſe de ſe:

O fortunatam natam me Conſule Romam.

Primus Pater Patriæ appellatus eſt &c. De eloquentiâ ejus & ſcriptis quid attinet dicere? Sunt illa, quantum quidem eorum ſupereſt, in omnium manibus. Videatur de illis & editionibus illorum, poſt alios, *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 10. *ſeqq.* & *Morhoſſius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 7. & *lib.* 1. *c.* 23. *n.* 12. ubi præſertim de Epiſtolis ejus. Præter cætera pulcherrimum Ciceronis elogium eſt apud *Vellejum Paterculum* 2, 66. ubi de morte ejus. Vitam Ciceronis ex veteribus ſcripſit *Plutarchus in Parallel. maj.* ex recentioribus multi. Huc pertinet *Sebaſtiani Corradi liber de Quæſturá*, quo Ciceronis Vita per dialogum proponitur. Extat & *Franciſc. Fabricii Marcodurani Hiſtoria Ciceronis ad rationes temporum alligata*: quæ maximè commendatur. CN. POMPEIVS M. (cujus Viri magnitudo multorum voluminum inſtar exigit. *Vellejus* 2, 29.) tantas res geſſit, quantas nullus ante ipſum Romanus; quarum aliquas, notantibus tabulis noſtris, etiam poſtea recenſebimus. Videatur inter alia elogium ejus apud *Vellejum* 2, 29. & *Cicer. Oratio pro L. Manil.* Hujus quoque vitam ſcripſit *Plutarchus*: unde, ut & ex cæteris horum temporum Scriptoribus Romanis, reliqua de his Romanæ reipubl. in toga & ſago Principibus petenda ſunt.

P. RVTILIVS RVFVS, vir integerrimus, quem virum non ſeculi ſui, ſed omnis ævi optimum vocat *Vellejus* 2, 13. Conſul fuit Romæ cum C. Mallio A. V. 649. Poſtea in exilium ejectus, abiit in Aſiam. Scripſit hiſtoriam vitæ ſuæ Latinè, & Hiſtoriam belli Numantini Græcè: ſed neutra ſupereſt. Elogia ejus paſſim occurrunt. Vid. *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib.* 1. *cap.* 22. *p.* 141. & *de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 9. *p.* 37.

LVCILIVS *obit.* Hic Poëta fuit, & Satyram primus induxit. De eo vid. *Voſſius de Poëtis Latinis c.* 1. *p.* 9.

CARNEADES *floret*, Philoſophus Græcus, Cyrenis oriundus, eloquentia etiam eminebat: quam Romani, cùm ad eos ab Athenienſibus legatus miſſus eſſet, admirati ſunt. Ejus vitam exhibet *Diog. Laërtius lib.* 4. Meminerunt & *Cicero Quæſt. Academic. lib.* 2. *c.* 4. *de Orat. lib.* 1. &c. *Valer.*

Digitized by Google

Valer. Maximus lib. 8. *c.* 7. *Gellius* 17, 15. *Plinius Hiſt. Nat. lib.* 7. *c.* 30. *Ælianus Var. Hiſt. lib.* 3. *c.* 17. Vid. & *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 3. *p.* 55.

Inter ÆGYPTI REGES

In altera parte Tabulæ poſt Ptolemæum Lathyrum ſequitur PTOLEMÆUS AULETES; ſecundùm Autorem Tabulæ noſtræ & alios. Sed *Rupertus*, qui hiſtoriam hic valdè turbatam agnoſcit, præter Cleopatram tres adhuc alios Reges interponit, duos ſcilicet Alexandros, & Ptolemæum Nothum; ſuæque ſententiæ firmandæ, partim loca auctorum profert, partim ſuas ſuſpiciones ex illis deductas; quem vide in *Obſerv. ad Synopſ. Beſoldi c.* 11. *p.* 237. *ſeq.* Ptolemæus *Auletes* verò, qui & *Dionyſius* Ptolemæi Soteris filius fuit. Hic omnibus artibus id egit, ut amicitiam ſibi firmaret Romanorum. Sed apud ſuos tàm exiguæ auctoritatis fuit, ut ne unum quidem Romanum, qui felem, ſacrum Ægyptiis animal, per ignorantiam occiderat, ſupplicio poſſet eximere: quemadmodum oculatus rei teſtis *Diodorus Siculus*, qui tùm in Ægypto fuit, memorat *lib.* 1. *cap.* 85. Tandem ab Alexandrinis, ob expilationes & injurias, quas patiebantur, expulſus regno Romam venit, filia interim *Berenice*, quæ *Cybioſacten* primùm, mox *Archelaum* ſibi maritum adſcivit, regnum obtinente, laboravitque, ut in Ægyptum reduceretur. Soli Cæſari, tùm jam potenti, 6000. talentorum donavit, ut ejus ope reſtitueretur. Atque hinc factum eſt illud, quod Tabula noſtra notat:

Ptolemæus Ægypto à ſuis pulſus Pompeii juſſu reſtituitur à Gabinio. Erat enim eo adhuc tempore Cæſaris gener & amicus Pompejus, & Gabinius Pompeji legatus & Syriæ tunc Præſes. Vid. *Strabo lib.* 7. *Joſephus* 14, 11. *Dio Caſſ. lib.* 39. *Suetonius in Cæſ. c.* 54. Add. *Rupertus c.* 11. *p.* 237.

PTOLEMÆUS DIONYSIUS *cum Sorore* CLEOPATRA. Duravit hoc conſortium regni per quadriennium. Sed Ptolemæum violantem patris præcepta, & omnem poteſtatem ſibi ſoli vindicare volentem, Pompejum præterea M. de domo ſua bene meritiſſimum nefariè occidentem, fata ſua in perniciem agebant. Nam cum & in Jul. Cæſarem ſimilia moliretur, victus ab eo navali prælio, periit in aquis. Vid. *Cæſ. lib.* 3. *de B. Civ. ſub fin.* & *Hirtius ſeu Auctor quicunq; de Bello Alexandrino princ. Florus* 4, 2, 52. *Dio lib.* 42.

Redimus ad SYRIACA,

Quæ ſimiliter per hæc tempora admodùm ſunt confuſa; regno ſcil. ad finem vergente. Quod hic Tabula noſtra notat: ANTIOCHUS *perit, ſuccedit frater* CYZICENUS, &c. qui itidem Antiochus voca-

vocatus Cyziceni cognomentum habuit, ſed Grypo non diu ſupervixit. Nam cùm ad luxum & crapulam converſus, & venationibus aliiſque ſtudiis à regno alienis nimis deditus eſſet (*Diodor. Siculus in Excerptis Peireſc. pag.* 384.) inſurgens contra illum Selevcvs *Antiochi Grypi filius* captum neci tradidit. Seleucum non diu pòſt viciſſim aggreſſus Antiochvs Pivs *ſeu* Evsebes *Cyziceni fil.* uno prælio victum in urbe Ciliciæ Mopsveſtia cremavit, teſte *Appiano in Syriacis*, & *Joſepho* 13, 21. Antiochus deinde Euſebes *per annos ferè* 9. *contra æmulos patrueles regnum tuetur*: ut Tabula noſtra dicit. Hi æmuli patrueles fuerunt Antiochvs cognomento Didymvs, & poſt hunc in prælio cæſum, Philippvs Evergetes Philadelphvs & Demetrivs Evcærvs, omnes tres Antiochi Grypi filii. Et quidem poſtremi duo, poſt occiſum à Parthis Euſeben, ipſi deinde parricidiali bello colliſi ſunt, donec Demetrius à Parthis in auxilium Philippi venientibus captus eſt. Adverſus Philippum moliebatur quidem bellum quintus Antiochi Grypi filius, Antiochvs Dionysivs; ſed maturè in prælio contra Arabes cæſus. Supererant ergo Philippus & Antiochus Cyziceni fil. quorum uterque partem Syriæ cùm haberet, de univerſa certabat. Vid. *Joſephus lib.* 3. *c.* 21. & *Porphyrius* apud *Rupertum p.* 207. Inter hæc mutua fratrum & patruelium odia feſſi Syri, peregrinos Reges circumſpicere cœperunt. Vocatus ergo in regnum

Tigranes *Armeniæ Rex Syriam occupat*, quam per 18. annos in tranquilliſſimo ſtatu poſſedit. *Juſtinus* 40, 1. Tigranes deinde Syriâ ultra Euphratem & Ciliciâ potitus, Rex Regum dictus eſt. *Appianus in Syriacis*. Origo regni Armeniæ (cujus hic primùm fit mentio) ad Antiochi M. tempora refertur: quo victo à Romanis, Armenii duce Artaxia defecerunt, cum hactenus inde à morte Alexandri Seleucidis paruiſſent, & deinceps ſingulare regnum conſtituerunt.

Lucullus Tigrane victo Antiochvm Asiaticvm *Pii fil. Regem ſalutat*: ut habet Tabula noſtra. Sed Antiochum hunc, qui à Lucullo Rom. Imperatore Rex Syriæ conſtitutus eſt, non Pii ſeu Euſebûs filium, ſed Cyziceni fuiſſe dicit *Juſtinus* 40, 2. 2. quod ſi eſt, Pii frater non filius fuerit. *Appianus* tamen Pii filium diſertè vocat. Hic autem interim, dum Tigranes Syriam tenebat, in angulo Ciliciæ latuerat. Poſtea verò ademta huic Regi Syria *à Pompejo in provinciæ formam redigitur*. De qua re vid. *Juſtin.* 40, 2. paulatimque Oriens Romanorum, diſcordiâ conſanguineorum Regum, factus eſt: quod eſt epiphonema ejuſdem *Juſtini d. l.* Et hic finis Seleucidarum imperii fuit. Quanquam ex hac domo poſtea quoque fuiſſe Reges Comagenes (quæ eſt pars Syriæ ad Euphratem & Taurum montem ſita) qui beneficio Romano-

rum regnaverint, exiſtimat *Rupertus*, quem vide in *Obſerv. ad Synopſ. Beſoldi cap.* 10. *p.* 208. *ſeqq.* & *Chriſtoph. Cellarium Hiſtoria antiq. p.* 44. & 197. ubi Regum Comagenorum ſeriem exhibet uſque ad tempora Veſpaſiani Imper.

GABINIUS *Syriæ Præſes.* Hic Pompeji legatus fuit ab eoque Syriæ in provinciæ formam redactæ Præſes conſtitutus, Judæam ordinavit & Hyrcano ſummum Sacerdotium reſtituit, Ariſtobulum captum Romam remiſit. Idem juſſu Pompeji Ptolemæum Auleten reſtituit in regnum Ægypti, denique M. Craſſo provinciâ ceſſit. *Joſephus Antiq.* 13, 11. *Dio lib.* 39.

Apud JUDÆOS ALEXANDRA *defuncto marito regnum tenet.* Huic Alexandræ, quæ & *Salome* dicta eſt, magni & virilis animi feminæ, maritus Alexander Jannæus teſtamento reliquerat adminiſtrationem regni, quanquam ex ea duos filios ſuperſtites haberet, Hyrcanum & Ariſtobulum. Hæc amplexa eſt factionem Phariſæorum, qui deinde Reginæ gratiâ abuſi, omnia pro lubitu fecerunt. *Joſephus lib.* 13. *c.* 24. Matre poſt annos 9. regni defunctâ.

HYRCANUS & ARISTOBULUS II. *fratres de regno contendunt*; quorum Hyrcanus pulſus ad Arabiæ Dynaſtam Aretam confugit, ejuſque auxilio obſedit Hieroſolymam. Sed Ariſtobulus viciſſim Æmilium Scaurum Pompeji legatum pecuniâ expugnavit, ut ſpretis Hyrcani promiſſis, Arabes ab obſidione, Romani belli metu, abigeret; ipſe verò collecto exercitu Hyrcanum adortus, ingenti clade affecit. Vid. *Joſephus lib.* 14. *c.* 3. & 4.

Hieroſolyma capitur à Pompejo, Hyrcanus reſtituitur, Ariſtobulus Romam ducitur. Hieroſolymæ hæc expugnatio incidit in annum, quo C. Antonius & M. Tull. Cicero COSS. erant, i. e. eundem annum, quo Romæ conjuratio Catilinaria detecta fuit. Pompejus intra urbem quidem Hieroſolymam facile ab Hyrcani factione admiſſus eſt: templum verò ab Ariſtobuli partibus ſtrenuè defenſum, poſt trimeſtrem demùm obſidionem captum eſt, magna cum Judæorum ſtrage. *Joſephus lib.* 14. *cap.* 5. 6. 7. 8. Add. *Florus*, 3, 5, 30. & ad eum annotati Scriptores. Hinc Judæi Romanis ſtipendiarii facti, Pontificatus Hyrcano redditus; urbes in Cœleſyria, & maritimæ præſertim, Judæis ademtæ, & provinciæ Syriæ attributæ: Ariſtobulus verò cum filiis duobus & filiabus totidem vincti Romam ducti; qui deinde in triumpho Pompeji Aſiatico currum victoris cum liberis Mithridatis, aliiſque Aſiæ Regibus & Dynaſtis comitati ſunt.

ALEXANDER ARISTOBULI FILIUS *contra Hyrcanum in Judæa tumultuatur.* Repreſſus quidem primùm à Gabinio proconſule; ſed cùm

copiæ

Digitized by Google

copiæ Rom. in Ægypto occuparentur reducendo Ptolemæo, Alexander occaſione uſus, contractis 30000. Judæorum cum Gabinio acie congredi auſus eſt, ſed ab eo victus, amiſſis ſuorum 10000. fugâ ſibi conſuluit. Hæc fuſius ſcribit *Joſephus lib.* 13. *c.* 10. *&* 11.

Inter ROMANA notatur ad A. V. C. 664. BELLVM SOCIALE, quod ſic ad extenuandam invidiam dictum, rectius verò *civile* vocari, judicavit *Florus*. Præceſſit *Seditio Livij Druſi Trib. pl.* quo in urbe oppreſſo, tamen ſocii Italici Jus civitatis, ad cujus ſpem illos erexerat Druſus, poſtulare perſeverarunt. Vnde bellum exarſit: quo miſerè vaſtata Italia, direptæ urbes, cæſi exercitus conſulares fuere. Videatur *Florus* 3, 17. ubi ſeditio Druſiana, & 3, 18. ubi ipſum Sociale bellum exponitur. Addantur cæteri ad Florum notati Auctores, inprimis *Appianus*, & qui ex his collegit *Freinshemius Supplem. Liv. lib.* 71. *& ſeqq.* item *Vellejus Paterculus lib.* 2. *cap.* 13.

A. V. 666. INITIVM BELLI CIVILIS MARIANI. Bellum hoc inter C. Marium & L. Sullam geſtum, & Mario mortuo à Cinna & Carbone & Mario Juniore, aliiſque Marianarum partium ducibus continuatum eſt; donec victor Sylla ſolus rerum potiretur. In hoc Martius populus ſuas ipſe vires attrivit, cùm acceptis illatiſque cladibus editiſque cædibus, utrobique qui peribant Romani eſſent. Initium belli ex Marii inexplebili imperii cupiditate, dum decretam L. Syllæ Conſuli provinciam ſibi vindicat, promulgata à Sulpitio Tribuno plebis lege, ut in bellum Mithridaticum Marius dux mitteretur. Impatiens injuriæ Sylla legiones circumegit, dilatoque Mithridate, per Eſquilinam Collinamque portam geminum agmen urbi infudit. Poſt pugnam cædeſque & incendia urbis, potitus Capitolinâ arce Sylla, Marius autem fugâ ſervili ereptus vix ægrè, in Africam venit; qui partium ejus erant, SCto hoſtes judicati. Poſt hæc profectus ab urbe cum exercitu,

A. V. 668. L. SYLLA BELLVM *in Græciâ gerit contra* MITHRIDATEM. Hiſtoria hujus belli Mithridatici longè maximi, diutiſſimeque tracti, multa memorabilia continet: quibus illud accenſeri debet, quod principio belli Mithridates uno edicto omnes, qui in Aſiâ forent, Romanæ civitatis homines interfici juſſit. Et auctore *Plutarcho in Sylla c.* 48. interfecta tunc ſunt hominum 150000. at *Valerius Maximus* 9, 2. *Ext.* 3. dicit 80000. civium Rom. idque eâdem die & hora. Et hoc eſt, quod ſub titulo *Variorum* memoratur, huc referendum: MITHRIDATES *Ponti Rex Aſiam occupat, cives Rom. trucidat, Græciam invadit.* Quæ vero Sullæ ſpeciatim geſta in hoc bello Mithridatico fuerint, petenda ex *Plutarcho in Vita Sullæ, Appiano in Mithridaticis*, & aliis. Sed per ejus abſentiam

Digitized by Google

malè obrutum in Italia incendium reſurrexit, Corn. Cinna & Cn. Octavio COSS. quorum Cinna ab Cn. Octavio urbe pulſus, ad Marium confugit. Marius ab exilio redit, & plurimis ad nomen ejus concurrentibus exercitum contrahit, in urbem quadruplici agmine intrat, in eaque cædibus nobilium crudeliter ſævit. Eo mortuo in ſeptimo conſulatu, ſuſtinent partes Marius Junior, Cinna, Carbo, Sertorius. Scipione deinde & Norbano COSS. properat ab Aſia cum victore exercitu Sulla, & tandem apud Sacriportum Collinamque portam, debellatis omnibus hoſtium copiis, in reliquias ſævit, atque ita

A. V. 673. *Victis hoſtibus Dictator remp. conſtituit, & proſcriptionis tabulas proponit.* Fuit revera primus poſt exactos Reges Sylla, qui Romæ monarchiam tenuit: quanquam ipſe ſe poſtea dictaturâ, quam perpetuam acceperat, abdicavit. Proſcriptio illa Sullana cnm memorabilibus circumſtantiis, ſicut & totum illud bellum Marianum prolixè exponitur ab *Appiano de B. C. lib.* 1. *Plutarcho in Vitu Marii & Sullæ.* Add. *Florus* 3, 21. & qui ibi annotati ſunt auctores; quibus tamen iterum addendus *Vellejus Paterculus lib.* 2. *c.* 18. *ſeqq. Freinshemii Supplem. Liv. lib.* 77. *ſeqq.*

A. V. 677. BELLVM SERTORIANVM: nihil aliud quàm Syllanæ proſcriptionis hereditas fuit. Nam in ferali illa tabula proſcriptus quoque *Sertorius* exul in Hiſpaniam venit, quam omnem in Romanos armavit. Grave hoc bellum fuit, & Hiſpaniæ inprimis funeſtum, nec niſi oppreſſo domeſtico fraude Sertorio finitum. De eo vid. inprimis *Plutarchus in Vita Sertorij. Appianus de B. C. lib.* 1. *Florus* 3, 22. &c. ad illum annotati Scriptores, & ex illis *Freinshemii Supplement. Liv. lib.* 90. *ſeqq.*

A. V. 681. L. LVCVLLVS *res in Aſia gerit contra* MITHRIDATEM. Inter Romanos duces, qui contra Mithridatem Ponti Regem in difficili illo 40. annorum bello res geſſerunt, poſt Syllam LVCVLLVS *fuit*, Romanorum ditiſſimus; qui magno prælio ad Cyzicum commiſſo, validiſſimi Regis vires attrivit. Sed conficiendi belli gloria Pompeio reſervata fuit, à quo victus in Armenia Mithridates, quanquam ne ſic quidem deſperans omnia tentabat, per defectionem tamen civium, Pharnaciſque filii ſcelere præventus, malè tentatum veneno ſpiritum ferro expulit. Quæ ad Lucullum pertinent, petenda inprimis ex *Plutarcho in Vita Luculli*, præter cæteros belli Mithridatici Scriptores, quos vide notatos ad *Florum*, 3, 5.

A. V. 688. *Pompeius* BELLVM PIRATICVM *conficit.* Piratæ Cilices occaſione belli Mithridatici uſi, obſidebant maria, & ſuſtulerant commercia. In eos quidem miſſus primùm *P. Servilius*, ipſos navali prælio

Digitized by Google

prælio vicit, & in terra quoque arcem eorum Iſaurum evertit; inde Iſaurici cognomen adeptus. Sed cùm tot cladibus nondum ſatis domiti, latius quoque graſſarentur, lege Manilia (pro qua Ciceronis eſt oratio) bellum hoc Pompejo demandatum eſt; quod ille ſingulari providentia adminiſtravit, obſeſſiſque claſſe ſua omnibus portubus, ſinubus, &c. piratas quaſi indagine incluſos oppreſſit, datiſque in mediterraneis ſedibus, procul à mari removit. Plura de hoc bello *Florus* 3, 6. & ad hunc annotati.

A. V. 699. POMPEII, CRASSI, CÆSARIS TRIVMVIRATVS. Intelligitur nobilis illa tricipitina, in quam Varronis liber, cui titulus τεικάρηνος fuit, teſte *Appiano*. Societas hæc inter tres eo tempore potentiſſimos civitatis inita eſt ad opprimendam rempubl. Cæſare dignitatem comparare, Craſſo augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibuſque pariter potentiæ cupidis: ut ait *Florus* 4, 2, 9. & Vrbi orbique terrarum, nec minus diverſo quoque tempore ipſis exitiabilis fuit: ut loquitur *Vellejus Paterculus* 2, 44. ubi etiam conſilia ſingulorum uterque Auctor declarat. Add. *Suetonius in Cæſ. c. 29. Appian. de* B. C. *lib.* 2. *Dio lib.* 37. *Cicero Epiſt. ad Att. inprimis lib.* 2. *Ep.* 17. *&* 18. ubi Pompejum, Craſſum & Cæſarem *Reges* vocat *ſuperbos*. Hæc ὀλιγαρχία *triumviralis*, ut ſolet, in diſcordias ivit, diſcordiæ in bellum exarſere, bellum ipſum uſque ad mutationem reipubl. valuit. Vt maturius in diſcordias & arma iretur, mors Juliæ & Craſſi præſertim effecit: quod facundè & eruditè notavit *Lucanus lib.* 1.

Sub titulo VARIORVM hoc unum adhuc reſtat:

NICOMEDES *Bithyniæ Rex moriens populum Rom. heredem inſtituit*, quanquam ex Nuſa ſorore Mithridatis prolem ſuſceperat. *Vellejus Paterculus* 2, 4, 1. *Epitome Liv. lib.* 93. Ita & *Attalus* Pergamenus regnum ſuum, *Appion* Cyrenaicam regionem, & *alter Appion* Lybiæ partem teſtamento ad Populum Rom. tranſmiſerant.

Inter VIROS ILLVSTRES recenſentur

M. ANTONIVS orator, quem laudat *Vellejus lib.* 2, *c.* 9. & *Cicero* paſſim. Hic princeps civitatis atque eloquentiæ gladiis militum, quos ipſa facundia ſua moratus erat, juſſu Marii Cinnæque confoſſus eſt. *Vellejus* 2, 22. Scripſiſſe eum opus de arte oratoria, ſed imperfectum reliquiſſe teſtatur *Quintilianus lib.* 3. *c.* 1. *p.m.* 145. addatur *libri ejuſdem cap.* 6. *p.* 165. & *lib.* 12. *c.* 9. *p.* 740.

ARTEMIDORVS *Epheſius*. Scripſit *Geographica* libris XI. diſtinguendus ab Artemidoro ὀνειροκριτικῶν auctore, quæ adhuc extant. Vid. *Voſſius de*

de Hiſtoricis Græcis lib. 1. *c.* 22. *p.* 143. *Marcianus Heracleotes*, & ipſe vetus ſcriptor, horum *XI. librorum Artemidori Epitomen* confecit, ex quâ Prologus tantùm, & Ponti utriuſque, Bithyniæ & Paphlagoniæ Periplus ſupereſt. *Fabricius Bibliothec. Græc. lib.* 4. *c.* 2. *p.* 37.

METRODORVS SCEPSIVS. Diſtinguendus hic eſt ab aliis Metrodoris, quos commemorat *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr.* 3. *p.* 389. Meminit illius *Plin. H. N. III*, 16. *f.* artemque memoriæ à Simonide Melico inventam, hunc Metrodorum conſummaſſe refert *libr.* 7. *cap.* 25. ut nihil non iiſdem verbis redderetur auditum. Eidem cognomen à Romani nominis odio inditum fuiſſe diſcimus ex ejuſdem *Plinii libr. XXXIV. cap.* 7. Quæ fata habuerit, docet *Strabo libr.* 13. *p.* 709.

L. SISENNA Hiſtoricus fuit Romanus: de quo ex *Vellejo, Cicerone* aliiſque quantum ſufficit, collegit *Voſſius de Hiſtoricis Latinis, lib.* 1. *c.* 10. *p.* 42. *ſeqq.*

ALEXANDER POLYHISTOR, Corn. Lentuli ex pædagogo libertus (unde & *Alexander Cornelius* dictus) & Grammaticus Syllanis temporibus Romanus, licet ipſe, ſecundùm Suidam, Mileſius, ſecundùm alios Cotyæus fuerit. Scripſit multa & philologica & hiſtorica, paſſim allegatus ab aliis Scriptoribus. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib.* 1. *c.* 21. *p.* 144. *ſeqq. Jonſonius de Scriptoribus Hiſtor. Philoſ. lib.* 2. *c.* 16. *Meurſius ad Chalcid. p.* 7. *ſeq.* & *in Biblioth. Græc. Harduinus ad Plinium.*

CL. QVADRIGARIVS & Q. VALERIVS ANTIAS Romanorum annalium Scriptores fuerunt: quorum tamen ſcriptis ipſis hodiè caremus, allegata à Vett. frequenter legimus. De utroque videndus idem *Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib.* 1. *c.* 10. *p.* 44.

CATVLLVS & SALLVSTIVS *naſcuntur. A. V. C.* 668. CATVLLVS Poëta fuit, cujus *Epigrammata* & *Carmina*, quæ ſuperſunt, junctim cum Tibullo & Propertio eduntur; quos ſimul cum hoc, Triumviros amorum & puriſſimos nequitiarum Scriptores vocat *Morhoffius*. Vid. de eo *Fabricii Bibliothec. Latin. p.* 6. *Morhoffius Polyhiſt. Tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 13. ubi laudes hujus Poëtæ aſſerit contra inficetos quoſdam cenſores, & editiones recenſet. Criſpus SALLVSTIVS hiſtoricus, cujus *de Catilinaria conjuratione* & *de bello Jugurthino* liber integer, ex *Hiſtoriarum* libris verò nonniſi pauca fragmenta ſuperſunt. Vide de eo prolixè agentem *Voſſium de Hiſtoricis Latinis lib* 1. *Morhoffium Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 8. ubi judicia de hoc Scriptore, & editiones ejus. Item *Fabric. Biblioth. Latin. p.* 1. *Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 19. & *ad eum J. C. Neu Acceſſiones p.* 119. *ſeq.*

GEMINVS *Mathematicus* ad hæc tempora refertur ab *Hieronymo in Chron.* rectius quàm ab aliis ad tempora Theodoſii. Scripſit nonnulla ad aſtrologicam, ſphæricam & geometricam doctrinam pertinentia, quæ notis illuſtravit *Petavius.* Q. HOR-

Digitized by Google

Q. HORTENSIVS ſummus ſuo tempore Orator, cui cum Cicerone de eloquentia certamen fuit; quique in maximo ingenuorum civium & ampliſſimorum proventu, ſummum auctoritatis atque eloquentiæ gradum obtinuit: ut loquitur de eo *Valerius Maximus lib.* 3. *c.* 5. *ex.* 4. Scripſit & poëmata, ſed laſciva, ut ex *Ovid. Triſt. lib.* 2. *& Gellio* 19, 9. conſtat. Idem Conſul fuit cum Cæcilio Metello Cretico, Mentio ejus paſſim apud *Ciceronem, Quintilianum*, alios. Item, *Tacit.* 2. *Ann.* 37.

T. POMPONIVS ATTICVS. Hic eſt ille Ciceronis amiciſſimus, ad quem ſunt *Ciceronis epiſtolæ* plurimæ 16. libris comprehenſæ, & libri *de Amicitiâ* & de *Senectute* ipſi inſcripti. Ipſius *Attici Vita à Corn. Nepote* elegantiſſimè deſcripta eſt. Ejus lectio nos ſatis informabit de hoc nobili Romano.

M. TERENTIVS VARRO. De hoc Romanorum doctiſſimo dictum jam ſupra ſub anno nativitatis ejus.

T. LVCRETIVS (*Carus*) *ſibi mortem conſciſcit*, poculo amatorio in furorem actus, ut memotat *Euſebius ad Olymp.* 171. Poëta & Philoſophus Epicuri Sectæ addictus fuit, cujus etiam doctrinam *libris* 6. *de Rerum naturá* complexus eſt, qui adhuc in pretio habentur. De Lucretio vid. *Fabricii Biblioth. Latin. p.* 5. & *Morhoffii Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 12.

TABVLA XI.

IN hac Tab. quæ dimidii tantum ſeculi hiſtoriam complectitur uſque ad Chriſtum natum parum adhuc ſupereſt, quod ad ÆGYPTIACA pertinet.

CLEOPATRA *à morte fratris ſola regnat.* Poſtquam nimirum frater Ptolemæus Dionyſius navali prælio victus à Jul. Cæſare, in mari periit, ut ſupra notavimus. Et hæc eſt illa celebris Cleopatra, quæ quidem Jul. Cæſarem etiam tunc, ſed inprimis poſtea M. Antonium Triumvirum amoribus ſuis irretivit, qui dum cum blandâ hac Sirene luxuriat, bonæ primùm mentis, mox & ſalutis ſuæ naufragium fecit. Vid. inprimis *Plutarchus in Vita Antonii.* Conſequutum enim hoc eſt, quod Tabula noſtra notat: *Victis & à ſemet interfectis Antonio & Cleopatra* ÆGYPTVS *in provinciæ formam redigitur à Romanis*: quâ de re tamen poſtea aptior dicendi locus, cùm inter Romana Actiacum prælium memorabitur. Sed prius ſub JVDAICIS pauca de Herode dicenda ſunt.

HERODES *Judææ Rex Romæ deſignatur. V. C.* 714. Herodes hic Magnus cognomento, Antipatri Idumæi ſeu Aſcalonitæ (nam in patria diſ-

diſſentiunt) filius fuit. Hic Antipater vir pecunioſus & induſtrius fuit, primùm Pompeianarum partium, mox cæſo Pompeio, Cæſari bonam operam in Ægypto navavit, ejuſque ope magnam ſibi potentiam in Judæa acquiſivit. Filius Herodes poſt necem quidem Cæſaris ad Caſſium, tunc Syriam obtinentem, ſe applicuit; ſed eo in Philippica pugna victo, ut erat homo verſatilis ingenii, apud Antonium ſe inſinuavit, qui ipſum fratreſque Tetrarchas conſtituit. Cùm verò Antigonus Ariſtobuli filius ope Parthorum regnum & Pontificatum Judaicum occupaſſet, Herodes ſibi ab illo metuens, Romam properavit, ibique ſuffragante Antonio & Cæſare Octaviano Rex Judæorum in Senatu declaratus eſt. Sicut hæc prolixius narrantur à *Joſepho Antiq. lib.* 14. *multis capp. uſq. ad* 26. & *de Bell. Jud. lib.* 1. *c.* 13. unde porrò tyrannici ejus regiminis hiſtoria petenda eſt; ſed & ſupplenda ex hiſtoria Evangelica. Nam hic eſt Herodes ille infanticida, qui Domini noſtri JEſu Chriſti recens nati vitæ inſidiatus eſt: diſtinguendus ab Herode Antipatro, in hiſtoria paſſionis Chriſti memorato, qui Rex etiam nominatur, quanquam revera Tetrarcha tantùm fuit

Herodes templum Hieroſolymitanum tertium molitur. Hoc templum majus & ornatius, quam Zorobabelis fuerat, è fundamento exſtruxit Herodes ſpatio annorum novem, & dimidii, ſi *Joſepho* credimus, qui hæc narrat *Antiq. lib.* 15. *cap.* 14. Add. *lib.* 6. *de Bell. Jud. c.* 6. & 16. Sed meritò res in dubium vocatur. Nec Auctor primarius Tabb. noſtrarum ita crediſſe videtur; qui in prima editione hoc ita ſignat: *Herodes templum Hieroſol. inſtaurat*: quod poſtea mutarunt ſcioli. Veriſimilius enim tota hæc *Joſephi* traditio de inſtauratione & exornatione accipitur. Vide latè hæc examinantem *Salianum in ann.* 4035.

Sub titulo ROMANORVM

Pauca quidem ſunt lemmata, ſed ſub quibus tàm multa, tàm magna continentur, ut illis ſingillatim & per omnes circumſtantias enarrandis, vix liber unus, nedum pagina ſufficeret. Nimirum converſio Statûs Romani, quæ in hæc tempora incidit, non levi & ſimplici motu facta eſt: quinimò totus orbis concuſſus eſt, dum ad unius flagra Quirites reducuntur. Ideoque ſuadeo, ut qui hæc accuratius cognoſcere volet, cum lectione hiſtoriæ, cujus fontes poſtea indicabo, conjungat ſcripta hac de re Politicorum, qui cauſas hujus converſionis ex ipſa hiſtoria explanare ſtuduerunt. Inter alia commendari meretur *Bœcleri Diſſertationum in Suetonii Cæſares prima*, quæ eſt *in Vitam C. Jul. Cæſaris, & ſecunda, in Vitam Auguſti.*

A. V.

Digitized by Google

A.V. 706. C. Cæsar *victo ad Pharſalum Pompeio rapit monarchiam.* Prælium illud ad Pharſalum multa præceſſerunt, ad bellum inter Cæſarem & Pompeium pertinentia, & ſequuta ſunt multa, donec partes Pompeianæ penitus oppreſſæ ſunt. Cauſæ belli hujus civilis, quod totum Romanum orbem involvit, narrantur à *Floro lib.* 4. *c.* 2. *v.* 8. *uſque ad* 18. *Plutarcho in Vita Pompeii c.* 78. & *in Vitâ Cæſaris c.* 41. *Petronio Arbitro in Carm. de mutatione Reip. Rom.* & inprimis eleganter à *Lucano Pharſal. lib.* 1. Add. *Cicero Epp. ad Att. lib.* 7. *ſeqq.* Si moram belli ſpectes, quatuor anni, & pro clade rerum breve tempus; ſi locum & ſpatium, ubi commiſſum eſt, intra Italiam: inde ſe in Galliam Hiſpaniamque deflexit; reverſumque ab occaſu totis viribus in Epiro Theſſàliaque conſedit; hinc in Ægyptum ſubitò tranſiliit; inde reſpexit Aſiam; inde Africæ incubuit; poſtremò in Hiſpaniam regyravit, & ibi aliquando defecit: uti breviter *Florus* 4, 2, 6. hæc complexus eſt. Seriem rerum geſtarum, cæteraſque, quas vocant, circumſtantias, in quibus multa memorabilia continentur, petere licet ex iiſdem, quos paulò ante laudavi, auctoribus; *Jul. Cæſare* 3. *de B. C. libris*: *Appiano* Ἐμφυλ. *lib.* 2. *Plutarcho in Vitis Cæſaris & Pompeii. Suetonio in Cæſ. cap.* 28. *ſeqq. Lucano in Pharſal. Vellejo Paterculo* 2, 49. &c. Prælium quoque decretorium ad Pharſalum in Theſſalia commiſſum, victore Cæſare, apud eoſdem memoratur, poſt quod Pompeius in Ægyptum fugit, apud pupillum ſuum Ptolemæum præſidium, & ad reparandas belli vires moram ſe inventurum ſperans, ſed ejus juſſu, dum è navi egreditur, à Septimio Romano, qui ſub eo ſtipendia fecerat, interfectus eſt. Poſt hanc cladem cædemque Pompeji, quanquam adhuc ſupereſſent, qui partes Pompeji, &, ut ipſi videri volebant, reipubl. ſuſtentarent, filii Pompeji aliique; tamen & his ſubinde victis, ſolus rerum potitus eſt Cæſar, atque omnibus in unum collatis honoribus, Dictator perpetuus factus monarchiam arripuit.

A.V. 710. C. Cæsar *Romæ in curia occiditur*, poſtquam ei in urbem reverſo non plus quinque menſium quies contigiſſet; conjurationis auctoribus Bruto & Caſſio, 23. vulneribus interemtus eſt, idibus Martiis in curia Pompeji. Cauſa cædis & reliquæ circumſtantiæ petantur ex *Plutarcho & Suetonio in Vita Cæſaris*, *Dione Caſſio lib.* 43. *Vellejo* 2, 56. *Floro* 4, 2, 92. *Epitome Liv. lib.* 16. Ad quæſtionem, utrum Cæſar jure cæſus ſit, vid. *Taciti Ann.* 1, 8. & *Forſtneri Comment. ad h. l. Grotius de Jur. B. & P.* 1, 4, 15. cujus judicium ſequuntur Theologi. Cætera verò hujus Cæſaris ex vita ejus à *Suetonio* & *Plutarcho* ſcriptâ potiſſimum repetenda ſunt: inter quæ bellum Gallicum ante occupatam monarchiam ab eo geſtum; quod ipſe deſcripſit: nec ultimo

T loco

loco ponenda eſt correctio faſtorum ſeu Calendarii; (quod adhuc Julianum ex eo dici conſuevit) poſt adeptum jam imperium, adjutore Soſthene, ſuſcepta. Vid. *Suetonius in Vita Caſaris c.* 40. *Dio Caſſ. lib.* 43. *Appianus fin. libri* 2. *Plinius lib.* 18. *cap.* 25. *Plutarchus c.* 83. *Macrobius lib.* 1. *Saturnal.* & ex recentioribus *Joſephus Scaliger Emendat. Temp. lib.* 4. Res Julii Cæſaris, quem (ut dixi) *Suetonius* nobis in Vita expreſſit, eleganti commentario illuſtravit *Zevecotius*, & *Steph. Ambroſ. Sciappalaria in Vita Caſaris*, Italico ſermone ſcriptâ. Scripſit & *Dan. Heinſius de laude Julii Caſaris* &c. De ſcriptis ejus, quæ hodie ſuperſunt, nempe *Commentariis de Bello Gallico & Civili* vid. *Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib.* 1. *cap.* 13. *Morhofius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 9. *Fabricius in Biblioth. Latin. p.* 19. *ſeq. Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 19. *p.* 79. & *Neuius in Acceſſion. Part.* 1. *p.* 121. *ſeq.*

A.V. 717. C. OCTAVII, LEPIDI ET ANTONII TRIVMVIRATVS. Poſt bellum Mutinenſe hic triumviratus conſtitutus eſt. Nam C. Octavius Cæſaris teſtamento adoptatus, ejuſque heres inſtitutus erat. At M. Antonius Conſul prælatum ſibi Octavium indignatus, ſpretaque ætate ejus, (erat enim tantum 18. annorum) ad opprimendum eum arma moliri cœpit, & reſiſtentem ſibi petenti Ciſalpinam Galliam Decimum Brutum Mutinæ obſedit. Hunc liberaturus Octavius, collecto ex veteranis Patris exercitu, Antonium, hoſtem à Senatu judicatum aggreditur, vincitque & caſtris exuit. Antonio in Galliam confugienti, M Lepidus cum legionibus, quæ ſub ipſo erant, ſe conjungit. Cæſar interim Senatui offenſus, quod ab ipſo contemneretur, reconciliatâ per M. Lepidum cum M. Antonio gratiâ, cum exercitu Romam venit, perculſiſque qui ſibi iniqui erant, Conſul creatur, pridie ante quàm viceſimum ætatis annum impleret. Pace factâ Octavius Cæſar, M. Antonius & M. Lepidus Triumviros ſe reipubl. conſtituendæ faciunt. Diverſæ hujus quoque confœderationis rationes ſingulis fuerunt, quas notat *Florus*, 4, 6, 2. Et hi ſunt Triumviri, qui dehinc orbem Romanum inter ſe diviſerunt, & ſuos quiſque inimicos proſcripſerunt. In ea proſcriptione triumvirali Lepidus fratrem ſuum L. Paulum, Antonius avunculum ſuum L. Cæſarem, idemque M. Tullium Ciceronem proſcripſit; cui parentat *Vellejus* 2, 66. ubi plura de triumviratu hoc. Vide etiam cum ipſo *Floro* 4, 6. ad eum annotatos auctores. *Rupert. Obſerv. ad Synopſ. Beſoldi cap.* 14. *p.* 274. Multa quoque, inprimis quæ ad interiores conſiliorum rationes pertinent, de hiſtoria Rom. horum temporum colligi poſſunt ex *Ciceronis Epiſtolis ad Atticum* &c.

Digitized by Google

A.V. 721. Antonivs ad Activm vincitvr. Hic iterum notamus, inter Triumviratum conſtitutum & prælium Actiacum, multa interceſſiſſe memoratu digna, quæ in Tabulâ noſtrâ omiſſa, nec negligenda tamen in connexione hiſtoriæ. Bellum certè cum Bruto & Caſſio interfectoribus Cæſaris, non obliviſcendum fuit, qui jam Aſiam & omnem Græciam occupaverant, & 17. legionum viribus præpotentes, defenſionem reipubl. libertatiſque ſuſcepiſſe videri volebant. Adverſus hos relicto ad præſidium Vrbis Lepido, Cæſar & Antonius transjecerunt exercitus in Macedoniam, & apud urbem Philippos cum M. Bruto Caſſioque acie concurrerunt. Victus in altero cornu Caſſius, victor ſed deſperans Brutus, ſuis jugulum præbuerunt. Hujus belli & prælii ſingularia legi merentur apud *Florum* 4. 7. eoſque auctores, qui ibi annotati: quibus iterum addendus *Vellejus* 2, 70. Poſt hæc in Sextum Pompejum Cn. Magni filium, qui Siciliam & maria occupaverat, annonamque Romanis arctiorem faciebat, arma converſa ſunt; quod bellum navale maximè fuit, & dubia, interdumque ancipiti fortuna geſtum eſt. Victus tamen ad extremum Sextus Pompejus à Cæſaris claſſe, & penè omnibus exutus navibus, cum in Aſiam fugeret, juſſu Antonii, cujus opem petierat, interfectus eſt. De hoc bello vid. præter *Florum* 4, 8. & ibi annotatos, *Vellejus Paterculus* 2, 77. *ſeqq.* Lepidvs deinde Triumvir, tranſeuntibus ab eo ad Cæſarem legionibus, quibus ſe efferebat, deſertus & ſupplex Cæſari factus, conceſſa vita rerumque ſuarum dominio, ad privatam fortunam redactus eſt, decimo potentiæ ſuæ anno, *Vellejus* 2, 79. *Dio lib.* 49. Supererant ergo duo Rom. imperii Principes, Cæſar & Antonius: ſed nec ipſis diuturna manſit concordia. Et Cæsar quidem Italiam, & caput rerum Romam, cæteraſque occidentalis imperii provincias cum Africa, quæ Lepidi prius portio fuerat, obtinebat; Antonio oriens ceſſerat. Sed hunc amor Cleopatræ & luxus enervavit. Interim per occaſionem civilium inter Romanos bellorum Parthi Syriam occupaverunt, à Labieno ſolicitati, quem ad illos Brutus & Caſſius petendo auxilio miſerat. Et cum Parthis quidem, victis duce Ventidio, Syriaque expulſis, pacis fœdus rurſus coierat; ſed eo temerè rupto, Antonius Parthos bello aggreſſus, magnis cladibus affectus eſt, & quartâ parte exercitus amiſsâ, turpi fugâ vix evaſit. De quo bello Parthico videatur *Florus* 4, 9. & 10. & ad ipſum annotati auctores, cum *Vellejo lib.* 2. *c.* 78. & 82. Et hæc omnia antegreſſa ſunt bellum cum Antonio & Cleopatra; in quo hi, poſt aliquot minores clades, denique ad Actium promontorium Epiri, ingenti prælio navali victi ſunt à Cæſare. Cauſas hujus belli & apparatum

Digitized by Google

ratum magnitudinemque claſſium cum cæteris memorabilibus circumſtantiis, atque ipſum adeò prælium fugamque Antonii cum ſua Cleopatra, deſcribunt præter *Florum* ipſum *lib.* 4. *c.* 11. cæteri ad eum annotati Scriptores. Antonium & Cleopatram in Ægyptum perſecutus cum victrice claſſe Cæſar, poſtquam Alexandriam venit, Antonius ſe ferro transfixit; Cleopatra tentavit quidem formæ pulchritudine & blanditiis expugnare Cæſaris animum; ſed vità duntaxat conceſsâ, cùm ſe ad triumphi ſpectaculum ſervari ſenſit, aſpide clam ad pectus admotà expiravit. Ægyptus (quæ ſola pars hucuſque reſtabat ejus monarchiæ, quam Alexander conſtituit, & poſt ejus mortem in IV. regna diviſam Græcæ ſtirpis Reges continuarunt,) ab Auguſto in provinciæ formam redacta, ſimulque monarchia illa Græca penitus expiravit. Hinc ergo monarchiæ Romanæ initium faciendum, non ea tantùm notione dictæ, ut eminentiſſimum in terris imperium ſignificet, (nam hoc ſenſu jam inde ab occaſu regni Macedonici cœpiſſe, non abſurdè dicere poſſumus) ſed quatenus de unius dominatione ea vox accipi ſolet. Quanquam enim à Jul. Cæſare & pugna Pharſalica alii monarchiam Romanam ordiuntur, rectius tamen à victoria Auguſti Actiaca ejus initium ſtatuitur, quòd Reſpubl. ab eo demùm tempore in certum ſtatum collocata ſit. Nam Monarchiam ſicut C. Julius Cæſar metatus eſt, ita Auguſtus ſtabilivit & adamantinam fecit; poteſtque de illis uſurpari, quod *Juſtinus* 9, 8, 21. de Philippo & Alexandro M. quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit, operis gloriam filius feliciter conſummavit. Ad expediendam hanc quæſtionem faciunt loca *Velleji* 2, 86, 1. & *Taciti* 1. *Ann.* 1, 1. Addatur *Petavii Rationarium Temporis* 2, 3, 15.

Et quoniam ad fatalem hunc converſionis terminum conſtitutæque ab Auguſto monarchiæ pervenimus, operæ pretium fuerit conſiderare diverſas reip. Romanæ periodos; quarum *prima* ſub VII. Regibus fuit. *Secunda* reipubl. liberæ; & primò quidem *ariſtocratica*; deinde *ex ariſtocratia & democratia mixta*: unde factionum certamina & bella civilia exorta ſunt; per quæ corruptæ, planeque tandem everſæ reipubl. unicum remedium fuit *dominatio unius* ſeu *monarchia*; quam à Cæſare quidem tentatam, Auguſtus firmavit. Et hæc eſt tertia periodus reip. Romanæ ſub Principibus. Suaſerim præterea ad repetendas quaſi per ἀνακεφαλαίωσιν & ſub indice quodam, res populi Rom. uſque ad tempora monarchiæ, ut legantur quæ breviſſimè tribus quatuorve pagellis complexus eſt *Rupertus in Obſervat. ad Synopſ. Beſoldi cap.* 15. *p. m.* 267. *ſeqq.*

Hinc

Digitized by Google

Hinc jam totius orbis Romani ſolus rector ac princeps, vereque Monarcha C. CÆSAR OCTAVIANUS *rogatus à Senatu retinet imperium, rempubl. conſtituit, appellatur Auguſtus.* Ita enim Tabula noſtra habet. Nimirum deliberaverat Cæſar cum M. Agrippa & Mæcenate de reſtituenda Senatui Populoque omni poteſtate; diſſuadente id Mæcenate: quam deliberationem vide apud *Dionem lib.* 52. & poſtea quoque Senatui de republ. reſtituenda propoſuit: ſed exoratus ab eo imperium retinuit, quod tamen poſt decennium promiſit ſe depoſiturum. *Dio lib* 53. Quomodo rempubl. conſtituerit, narrat idem *Dio d. l.* Add. *Vellejus* 2, 89. ubi ſeculi Auguſti felicitatem graphicè deſcribit. Leges ejus, quibus præcipuè pronum in omnia mala & in luxuriam fluens Seculum coërcuit, memorat idem *Dio* & *Suetonius in Vita Auguſti c.* 34. Meminit earum & *Florus* 4, 12, 65. Huc etiam ſpectat origo legis regiæ, non ad Julium Cæſarem. Inter alios Auguſto decretos honores, Dictaturam perpetuam conſtanter recuſavit, Patris Patriæ nomen accepit: & poſtquam in Senatu tractatum eſt, an, quia condidiſſet imperium, *Romulus* vocaretur, ex ſententiâ Planci, *Auguſti* nomen, quod ſanctius & reverentius viſum eſt, ei inditum, ut ſcilicet jam tùm, dum colit terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur; ceu loquitur *Florus* 4. 12, *fin.* Videatur inprimis de Auguſti appellatione, cur & quando ei data *Berneggerus ad Sueton. Aug.* 7, 14. & *Bœcleri Diſſertatio de Auſpicio Regio Tom. I. Diſſert. p.* 182. Ipſe jam ante *Imperatoris* prænomen & Tribunitiam poteſtatem acceperat, in quâ vis omnis imperii continetur.

DRUSUS *in Germania res benè gerit.* Hic Druſus Liviæ filius, Cæſaris Auguſti privignus, Tiberii, qui poſtea regnavit, frater fuit. Bellum geſſit primùm cum Rhætis & Vindelicis, quos domuit. Vid. *Vellejus* 2, 95. *Strabo fin. lib.* 4. *Horatius Carm.* 4. *&* 14. Poſtea miſſus à vitrico, inferioris præcipuè Germaniæ populos uſque ad Albim percucurrit potius, quàm ſubegit, *Germanici* tamen inde cognomen adeptus. Vid. de hoc bello *Livii libb.* 4. *ultimorum Epitome. Florus* 4 12, 28. *ſeqq. Strabo lib.* 7. *princ. Dio lib.* 55. *princ. &c.* Hujus Druſi meminit quoque *Virgilius Æneid. lib.* 8. *fin.* & *Ovidius lib.* 2. *Triſt.* Eidem *Ovidio* adſcribitur elegantiſſimum carmen, quo mortem hujus Druſi, in Germania defuncti, deplorat & Liviam matrem conſolatur: rectius tamen *Pedo Albinovanus* ejus auctor cenſetur. Reliqua bella externa, quæ ſive per ſe, ſive per alios geſſit Auguſtus, præter *Dionem Florus* 4, 12. & *Suetonius in vitâ Auguſti c.* 20. *&* 21, deſcribunt.

A. V. 748. *Auguſtus* TIBERIUM *adoptat,* Tiberii Claudii Neronis filium ex Livia, quam gravidam à viro abduxerat, ſibique matrimo-

nio junxerat Cæſar, quæ & in ejus penatibus Druſum peperit, de quo ſupra. Tiberius vero ab Auguſto vitrico adoptatus eſt poſt mortem *Caji & Lucii Cæſarum*, Agrippæ filiorum. De qua adoptione panegyrico ſtylo, ut ſolet de rebus Tiberii, agit *Vellejus* 2, 103. Conf. *Sueton. Aug. c.* 65. *Tacit.* I. *Ann. c.* 3.

Sub VARIORVM titulo hoc unum notatur:

PHRAATES *Parthorum Rex Romana ſigna Craſſo erepta reſtituit.* De clade Craſſi nihil adhuc dictum, quam in ſuperiori Tabulâ notari conveniebat. Eſt hic ille M. Craſſus, qui cum Cæſare & Pompejo triumviralem ſocietatem iniit, Romanorum omnium ditiſſimus, ſed idem & avariſſimus. Vnde etiam auri Parthici cupiditate inductus, ſine probabili cauſa Parthis bellum intulit; ſed ab iis victus magnâ cum ſtrage XI. legionum, captuſque ipſe ſub ſpecie colloquii cum filio interfectus eſt. Quam rem latius memorat *Appian. libro* qui Parthicus inſcribitur, & cum *Floro* 3, 11. cæteri ad ipſum annotati auctores. Nunc igitur, poſt 40. ferè annos, Phraates Parthorum Rex ſigna militaria, in ea clade Romani exercitus capta, ultrò remiſit Auguſto, vel veneratione ejus, ſicut aliæ gentes, de quibus *Florus* 4, 12, 61. vel ut eum demereretur. Quanquam *Dio fin. lib.* 53. ex pacto feciſſe indicat, ut filium reciperet. Meminerunt hujus rei *Florus ibid. v.* 63. *Juſtinus* 42, 5, 11. *Strabo lib.* 6. & 16. *Suetonius in Vita Auguſti c.* 21. *Horatius lib.* 4. *Od. ult. Tacitus* 2, 1, 4. *Epitome Liv. libri* 139. *i. e. ultimi. Dio lib.* 54.

Inter VIROS ILLVSTRES memoratur ad hoc tempus

DIODORVS SICVLVS, hiſtoricus, ſæpe antehac à me laudatus, cujus Βιβλιοθήκη ἱστορικὴ utinam integra ad nos perveniſſet. Nunc ex 40. libris, quos ſcripſit, quorumque argumentum ipſe in præfatione recenſet, tantum 15. extant, & pauca quædam apud *Photium* & alios, *Excerpta*. Plura de *Diodoro Sic.* vid. apud *Voſſium de Hiſtoricis Græcis* 2, 2. & *Fabric. Biblioth. Græc.* 2, 31. *Whear. Relect. Hiem. Part.* I. *Sect.* II. & *Neu. Acceſſion. p.* 104.

CORN. NEPOS, Scriptor Hiſtoricus notiſſimus, cujus ſunt *Excellentium Imperatorum Vitæ*, Latinitate terſiſſima ſcriptæ. Optandum eſſet, ut & cætera hujus ſcriptoris nobis ſervata fuiſſent, de quibus *Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib.* 1. *c.* 14. Elogia Corn. Nepotis invenias etiam in *Commentar. Bœcleri* ad hunc auctorem *ſub initium*, & in *Ejuſdem Diſſert. de Eloquentia Viri Civilis & Aulici.* Plura de hoc Scriptore vid. apud *Fabricium Biblioth. Latin. p.* 7. *ſeqq. Morhoff. Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 10.

P. SYRVS

P. Syrus Mimographus fuit, cujus ſententiarum fragmenta quædam ſuperſunt, quas ſingulis verſibus Jambicis vel trochaicis expreſſit. Vid. *Fabricii Biblioth. Latin. p.* 40. 982.

De T. Pomponio Attico, cujus *obitus* hîc notatur, jam dictum. Mortem autem ipſe ſibi per inediam acceleravit. Vid. *Corn. Nep. in Vita.*

Dionysius Halicarn. *venit in Italiam*, ſimul ac Cæſar Aug. finem impoſuit bello civili, ſicut ipſe ſcribit in Præf. operis ſui hiſtorici. Superſunt enim ejus *Antiquitatum Rom. libri XI.* in quibus hiſtoriam Rom. diligentiſſimè deduxit uſque ad ſublatum decemviratum. Nec hiſtoricus modò, ſed & Rhetor fuit, quod teſtantur aliqua ejus rhetorica opuſcula & critica, uſque ad nos ſervata. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib.* 1. *c.* 3. & de Rhetoricis ejus *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 6. *c.* 1. *n.* 4. præſertim verò *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 32. *Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 16. *& Acceſſ. Neuii p.* 110. *ſeqq.*

Nicolaus Damascenus Philoſophus fuit peripateticus, vir planè ſummus, & undecunque doctiſſimus; Herodi Regi familiaris, & Auguſti Cæſaris familiariſſimus. Quæ ſcripſerit memorat *Suidas.* Ex hiſtoricis ejus paſſim aliqua adducit *Joſephus in Antiqq.* & alii. Geminum ejus fragmentum ſic ſervatum, notis ſuis illuſtravit *Joſephus Scaliger Append. Operis de Emendat. Temp.* Sunt & fragmenta ejus in *Excerptis Peireſc.* Vid. *Voſſius de Hiſtoricis Græcis* 2, 4. *p.* 176. *ſeq.* & *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 11. *p.* 306.

Virgilius *obit.* P. Virgilius Maro, princeps Poëtarum Latinorum notior eſt, quàm ut de eo multa dici neceſſe ſit. Habetur Vita ejus ab auctore veteri ſcripta, qui *Donatus* creditur. Ejus *Eclogæ, Georgic. libri* 3. *Æneid. libri* 12. *Ceiris, Culex,* ſunt in omnium manibus. Nam de *Priapejis*, quæ itidem ei adſcribuntur, vide quid judicet *Voſſius de Poëtis Latinis c.* 2. *p.* 27. Qui elogia hujus Poëtæ deſiderat, præter multos alios evolvere poteſt *Scaligeri de Arte Poëtica libros,* ubi plus quàm ſatis eſt, eorum inveniet. Opera & editiones ejus recenſet *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 25. *ſeqq.* & *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 11. ubi varia de Virgilio judicia & ſcripta memorantur.

M. Agrippa *obit.* Præcipuus Cæſ. Auguſti juxta cum Mæcenate miniſter, qui conſilio & operâ ei adfuerunt. Et M. quidem Agrippa bonus militia, utilem inprimis Auguſto operam navavit in bello contra Sext. Pompejum; corona quoque navali ſeu claſſica & vexillo cœruleo propterea donatus à Cæſare. *Vellejus* 2, 70. *&* 81. *Suetonius Aug. c.* 25. nec non in bello Actiaco. *Vellejus* 2, 84. idem poſtea Auguſti gener factus. Nam M. Marcello priore marito mortuo, Juliam Cæſaris filiam

filiam uxorem duxit. *Vellejus* 2, 93. *Suetonius in Vita Auguſti c.* 63. cujus etiam ex Juliâ ſuſceptos filios, Cajum & Lucium, Cæſar adoptavit. Sed illi maturè mortui. Elogium M. Agrippæ vid. apud *Vellejum* 2, 79. Addantur *Bœcleri Characteres Vellejani.* De morte ejus idem *Vellejus* 2, 96. Conf. *Dio lib.* 52. *ſeqq.*

MÆCENAS & HORATIVS *obeunt*, nobile Par amicorum, ſed conditione imparium. Horatius enim Mæcenatis gratia florebat, ſicuti *Virgilius* quoque: à quibus paſſim Patronus hic ſuus celebratur Mæcenas; cujus nomen proverbiali ſchemate jam uſurpari obtinuit, ut Mæcenates dicantur Studiorum Eruditorumque Patroni. Magnus hic principalium curarum in aula Cæſaris Auguſti adminiſter C. CILNIVS MÆCENAS, & ſecretarum ejus cogitationum particeps, non politicis tantùm rebus, ſed & literis illuſtris fuit: & illius quoque inventum fuit notæ literarum ad celerius ſcribendum. Obiit Auguſto deſideratiſſimus: neque enim pares habuit, quos huic & Agrippæ ſubſtitueret miniſtros. Vid. *Dio lib.* 55. Addatur de ingenio ejus *Tacitus* 3. *Ann.* 30. *Vellejus* 2, 88. *Vitam Mæcenatis* eruditè deſcripſit *Jo. Henr. Meibomius*, Archiater Lubecenſis. 1653.

Q. HORATIVS Flaccus, Poëta, cujus *Carmina Satyras* & *Epiſtolas* adhuc in pretio habemus, jam olim à Quintiliano hoc elogium meritus eſt, ut Lyricorum ferè ſolus legi dignus haberetur. Vitam ejus à veterum aliquo ſcriptam publicavit *Berſmannus* & *Heinſius.* Plura de ejus ſcriptis, editionibus, &c. vide in *Fabricii Biblioth. Latin.* p. 30. *ſeqq.* & *Morhoffii Polyhiſt. Literar. lib.* 4. c. 11. n. 15.

HÆC AD HISTORIAM VETERIS TESTAMENTI DICTA SVNTO!

SEQVITVR

Digitized by Google

SEQVITVR HISTORIA P.C.N. ſive NOVI TESTAMENTI, & in eâ RES SECVLI I.

CHRISTI NATALIS DIONYSIANVS *Anno Mundi* 3950. De anno, quo Chriſtus natus eſt, unde initium æræ Chriſtianæ ducitur, inter Chronologos magna diſceptatio eſt. Diverſas hac in re ſententias diligenter recenſet *Hottingerus in Hiſtor. Sacr. N. T. cap.* 2, *Sect.* 2. & *Hiſtor. Eccl. Goth. lib.* 2. *c.* 2. §. 6. in qua & fundamenta Chronologorum quorundam, quibus ſuam ſuperſtruunt opinionem, annotantur. Add. *Petav. Rat. Temp. Part. poſtr. lib.* 2. *c.* 1. Ad inveniendum verò hunc terminum, tota veteris Teſtamenti Chronologia ad calculum revocanda eſt: quod qui fecerunt, alii plus, alii minus à ſe invicem diſcrepant. Sed ſi maximè ad hæc uſque tempora certus calculus, e. g. ad initium principatûs Auguſti aut regni Herodis, deduci poſſit, altera quæſtio ſupereſt; quo præciſe anno principatûs Auguſti aut regni Herodis Chriſtus natus ſit, & quot anni inde à C. N. uſque ad hunc defluxerint. Quanquam enim, ſi cum enormi calculorum differentiâ in Annis Mundi recenſendis conferatur, parum hîc erit diſcriminis, tamen in ſequentis temporis ærâ Chriſtianâ ab his principiis deducendâ, uno alterove ſaltem anno aberrare poſſumus, niſi & hæc res expediatur. Sed & hic fundamentis ſufficientibus deſtituimur; præterquam quòd initium prædicationis Joannis, à quo Chriſtus trigeſimo ætatis anno ſive ineunte ſive completo, baptizatus eſt, ab Evangeliſta *Luca* 3, 1. diſertis verbis in annum XV. Tiberii relatum, aliquam inquirendi anſam ſuppeditet: item quòd *Matthæus* dicit, Chriſtum natum eſſe, cùm Herodes M. adhuc in vivis eſſet. Cùm igitur annum mundi, quo Chriſtus natus ſit, variè definiant Chronologi, pro ſua hypotheſi, ita ut nonnulli centum & amplius annis inter ſe differant; Auctor noſter, qui Scaligeri Chronologiam ſequi ſe profitetur, (is verò annum nativitatis Chriſti ab orbe condito 3947. numerat, eundemque

Digitized by Google

imperii Auguſti Cæſ. à primo ejus conſulatu ordiendo quadrageſimum ſecundum finientem) natalam tamen Chriſti Dionyſianum ponit in anno Mundi 3950. Dicitur autem hæc æra *Dionyſiana* ideò, quia *Dionyſius Exiguus*, Monachus ſive Abbas Romanus, qui circa annum Chriſti 532. floruit, ejus auctor fuit: de quo infra ad Tabulam XVIII. Hunc verò Dionyſii computum duobus pluribusve, vel ad minimum uno anno aberraſſe, & terminum à quo citerius poſitum eſſe, viri temporum peritiſſimi animadverterunt; ut proinde annus, quem nunc numeramus à nato Chriſto 1711. ſecundùm pleroſque eſſet potius pro anno 1713. habendus. Alius verò ſcrupulus chronologicus oritur ex eo, quòd *Lucas cap.* 2. referat, peperiſſe Virginem eo tempore, quo cenſus univerſalis actus eſt in orbe Romano, præſide Syriæ Quirinio; at *Joſephus* demùm poſt Herodis mortem, expulſo quoque filio ejus Archelao, Quirinium Syriæ Præſidem fuiſſe diſertè tradat: qui cùm eſſet homo Judæus, & hiſtoriæ ſcribendæ tum maximè animum applicuerit, quæ Patrum ſuorum memoriâ in illâ provinciâ publicè geſta ſunt, ignorare non potuit. Quid ergo dicemus, & quomodo hæc expediemus? Tentatam à nonnullis conciliationem vide in *Hiſt. Eccl. Goth. lib.* 2. *c.* 2. *ſect.* 1. Add. *Micralii Hiſt. Eccl. lib.* 2. *Sect.* 1. *Quæſt.* 3. *p.* 207. Dolendum eſt in *Dione Caſſio* deficere hiſtoriam 3. annorum circa nativitatem Chriſti, ut obſervat *Rupert. in Obſ. ad Synops. Beſoldi c.* 14. *p. m.* 277. Nam abſque illo defectu eſſet, inveniremus forſitan apud illum Hiſtoricum aliquam hujus cenſûs mentionem, quæ in hoc dubio lucem nobis affulgeret. Cæterùm non de anno tantùm, ſed & menſe & die Chriſti natali ambigitur. Qui, quanquam ex communi ſententiâ December ejuſque dies XXV. ſtatuitur, quo die nunc quoque anniverſaria memoria hujus ſalutiferi partûs in Eccleſiâ publicè celebrari conſuevit, tamen hoc non ita certum eſt, ut vulgò creditur: quinimò probabilior videtur ſententia *Scaligeri*, in Septembrem hoc referentis: quem ſequitur *Calviſius* & alii. Vid. *Hiſt. Eccl. Goth. lib.* 2. *c.* 2. *ſect.* 1. §. 7. & *Micral. H. E. lib.* 2. *Sect.* 1. *Quæſt.* 4. *ſeq.* Propugnat tamen ſententiam vulgarem de XXV. Decembris *Wilhelmus Langus de Annis Chriſti lib.* 2. *Part.* 2. qui de anno quoque natali videatur *ibid.* Add. *Gerh. Voſſius Diſſ. de anno natali Chriſti. &c.* Hæc poſtquam de Initio Æræ Chriſtianæ diximus, ad Res Imperii Rom. in hac Tab. notatas revertimur.

C. CÆSAR OCTAVIANVS AVGVSTVS *obit A. C.* 14. *ætatis* 76. *à primo conſulatu* 56. *à devicto Antonio* 43. Faciunt alias triplex Auguſti regiminis initium, 1. à primo ejus conſulatu. 2. à conſtituto Triumviratu. 3. à victoriâ Actiacâ. Mors Auguſti, quæ non caruit ſuſpicione veneni

veneni à Livia uxore propinati in ficubus, narratur à *Dione lib.56. Tacit. 1. Ann 5 Sueton. in Vit. c. 99. ſeq.* Nullus Imperatorum diutius imperavit, ſi à primo conſulatu initium regiminis ducatur; hac quoque parte felix. Hujus enim Principis felicitas poſtea quoque formulæ ſolenni occaſionem dedit: *Auguſto felicior, Trajano melior.* De Auguſto, quo vix alius major princeps fuit, qui reliqua legere cupit, adeat auctores jam laudatos. *Suetonius* tamen hujus Vitam præ cæteris diligentius exornavit.

A. C. 14. TIBERIVS 23. *ſævitiâ, libidine, arrogantiâ omnibus inviſus.* Numerus additus denotat annos imperii. Cætera breviter indolem ejus & mores deſignant, & regiminis modum. Simulavit quidem aliquandiu imitationem Auguſti & boni Principis artes, inprimis quoad Germanicus vixit, quem ſuſpectabât. Sed eo mortuo in omnia acerbiſſimæ tyrannidis ſcelera atque flagitia prorupit. Stabat tamen interim foris felicitas ſeculi Auguſtei, nõtabiliter deſcripta à *Philone in Legatione ad Cajum, & libro in Flaccum.* Specimina verò ſævitiæ, libidinis, arrogantiæ Tiberii peti debent ex auctoribus hiſtoriæ ejus; inprimis *Tacito*; quem tamen aliqui arguunt, quòd Tiberio paulò fuerit iniquior, tanquam Senatoriæ factionis Scriptor: ac propterea Tiberium contra eum defendit *Rupertus in Obſervat. ad Synops. Beſold. c. 14. p. m. 279. ſeqq.* Sed tamen & *Suetonius* talem nobis deſcribit Tiberium. *Vellejus Paterculus* verò, qui tempore æqualis & aulæ ejus obnoxius fuit, Tiberium ſemper laudat, omniaque ejus vitia in bonam partem interpretatur, imò res ejus panegyrico ſtylo, non hiſtorico, exequitur. Præter hos rerum Tiberii ſcriptores legendus *Dio lib. 57. & 58. Aurelius Victor in Cæſaribus*: quem ſemel hic nominaſſe ſufficit, in ſequentibus etiam Imperatoribus intelligendum.

A. C. 17. GERMANICVS CÆSAR *de Cheruſcis, Cattis, Angrivariis triumphat.* Fuit Germanicus Druſi filius, Tiberii ex fratre Nepos. Hunc heroem nobis deſcribit *Suetonius in Vitâ Caligulæ capp. 6. prioribus.* Prolixius res ejus exequitur *Tacit, lib, 1. & 2. Ann.* Add. *Dio lib.57.* Triumphum eius de Cheruſcis, Cattis, Angrivariis, inferioris Germaniæ populis, memorat *Tacit. 2. Ann.* 41.

A. C. 31. SEIANVS *ſcelerum patrator juſſu Tiberii cum omni ſtirpe tandem necatur.* Hic Seianus exemplum præbuit de fato potentiæ aulicæ raò ſempiternæ. Nam cùm apud Tiberium in tantum potentiæ evectus eſſet, ut unus omnia poſſet, jamque ipſi imperio immineret, Tiberii juſſu per dolum (nam aperta vi aggredi potentiorem non audebat) captus, damnatus & in carcere per multos cruciatus contumeliaſque necatus eſt. Deſcribit hunc Sejanum *Tacit lib.4.*

Ann. princ. idem qui facinora ejus & artes graſſantis ad imperium tum eo libro, tum præcedente tertio memorat. Multa de eodem *Dio lib.* 58. qui & tragœdiam de ejus exitu deſcribit. De ſtirpe Sejani occiſa *Tacit.* 5. *Ann.* 9. Laus ejus apud *Vellei.* 2, 27. tribuenda tempori, quo ſcripſit, eo ſcil. quo adhuc vivebat & rerum potiebatur Sejanus. Scripſit ſuperiore ſeculo *Baro Enenckelius* librum, Titulo *Sejani*, in quo ſub hujus exemplo de magnorum aulicorum caſibus agit. Similem tractatum eodem titulo Gallicâ linguâ ſcripſit *Petrus Matthæus*. Nam *Sejanos* hinc proverbiali ſchemate dici invaluit *potentes aulicos, qui ad extremum ceciderunt.*

A. C. 37. C. CALIGULA 3. *cædibus, ſtupris & rapinis omnia miſcet.* Nomen ejus integrum eſt Cajus Cæſar Auguſtus Germanicus: nam Caligula militare nomen eſt, caſtrenſi joco ipſi inditum. *Sueton. Vit. c.* 9. Sub ſimplici Caji nomine frequentior ejus mentio apud veteres. Tiberium ægrotantem, metu ne convaleſceret, ſuffocavit. Optimi Patris (Germanici ſcil.) peſſimus filius fuit, & ſuo exemplo confirmavit illud quod dici ſolet: *Heroum fili noxæ.* Et fuit hic Imperator non ποιμὴν λαῶν, paſtor populorum, ſed lupus; & crudelitatis tot ſpeciminibus editis, optavit etiam, ut populus Romanus unam cervicem haberet, quò poſſet eam uno ictu præcidere. Queſtus præterea, quòd nullis calamitatibus publicis inſigniretur principatus ſuus. &c. Reliqua ſævitiæ ejus, libidinis, rapacitatis, exempla legantur apud ipſos rerum ejus ſcriptores. Nihil melius fecit, niſi quòd citò mortuus eſt. Imperavit enim (ſecundùm *Dionem,*) annos 3. menſ. 9. d. 28. At ſecundùm *Joſephum lib.* 2. *de Bell. Jud. c.* 10. imperavit annos 3. menſes 6. Scriptores ſunt *Suetonius, Dio lib.* 59. *Joſeph. Antiq. lib.* 18. *& de Bello Judaico lib.* 2 *Philo in Legat. ad Cajum, & in Flaccum.* Nam in *Tacito* Caligulæ hiſtoria amiſſa eſt. De hoc principe judicium eſt *Seneca Conſolat. ad Polybiam c.* 36. *Excerpendum hunc è Cæſarum numero, ut qui in exitium opprobriumque humanis generis editus ſit.*

A. C. 41. CLAUDIUS 13. *ſtolidus & alieno ductu crudelis.* Poſt Caligulæ mortem biduo interregnum fuit; cùm nemo adeſſet, qui regnum ſibi vindicaret. Ideò pleriſque Senetores de Republ. in priſtinum ſtatum reſtituendâ cogitarunt; donec Claudius â militibus repertus, Imperator ſalutatus eſt. Hic ergo TiberiusClaudius, Druſi filius, Liviæ nepos, ad imperium propè coactus eſt. Videatur præter alios *Joſephus lib.* 2. *de Bello Jud. c.* 10. Claudius quanquam ſtultitiæ ſuæ documenta dedit plurima, tamen nonnunquam etiam aliquid boni fecit: inter quæ lex ejus egregia eſt, quâ ſervos propter morbum â dominis expulſos, ubi convaluiſſent, liberos eſſe juſſit.

Alieno

Digitized by Google

Alieno ductu crudelis fuit, quando uxoribus & libertis ſuis, & in his inprimis *Narciſſo*, nimium deditus, eorum arbitrio, etiam ad ſævitiam impellentium, cuncta faciebat. Prior uxor *Meſſallina*, libidinoſiſſima mulierum, cædium multarum ei auctor fuit: & hac interfectà, quam duxit *Agrippina*, fratris filia, Neronis mater, crudelibus factis Meſſallinam brevi imitata eſt: cui cùm Claudius ob ea, quæ fiebant, iratus, potentiam ejus minuere, & filium ſuum *Britannicum* Imperatorem conſtituere decreviſſet, Agrippina præventura eum venenato boleto necavit. Vixit Claudius annos 63. imperavit annos 13. menſes 8. dies 20. Scriptores ſunt *Suetonius*, *Xiphilinus Epitomator Dionis* (nam ipſe *Dio* hic deficit) *Tacit. Ann. lib.* 11. *&* 12. *Seneca de morte Claudii Satyra*, cui titulum fecit Ἀποκολοκύνθωσις, loco ejus quod debebat ſcribere Ἀποθέωσις; in qua Claudii ſtultitiam & ſcelera falsè exagitat. In eam erudita Diſſertatio ſcripta eſt à *Daniele Heinſio*.

A. C. 44. BRITANNOS *ſubigit*. Hoc inter externa Claudii præcipuum atque adeò unicum fuit; cùm in Britanniam trajiciens inſulæ partem ſine ullo prælio & ſanguine in deditionem accepit. De quâ expeditione præter *Sueton. c.* 17. & *Xiphilinum*, vid. *Cambdenus in Britanniâ p.* 321. 342. *ſeqq.*

A. C. 50. JVDÆOS *Româ pellit*. Quod *Sueton. c.* 25. his verbis narrat: *Judæos impulſore Chreſto aſſiduè tumultuantes, Româ expulit.* Vbi, ut tunc ſæpius à gentilibus fieri ſolebat, Judæos cum Chriſtianis confundit: nam per Chreſtum quin Chriſtum intelligat, vix eſt dubium.

Circa RES ECCLESIÆ

In priore parte hujus Tabulæ notatas non erimus prolixi, quippe ſatis alioqui ex Evangelica hiſtoria cognitas. *Chriſti duodecennis diſputatio in templo* memoratur *Luca* 2. *v.* 41. *ad fin.* *Baptiſmus Chriſti* 30. *anno nati*, *Matthæi* 3, 13. *Marci* 1, 15, *Luc.* 3, 21. *Joh. Baptiſtæ decollatio Matth.* 14, 3. *Marc.* 6, 17. *Luc.* 3, 19. *Paſſio Chriſti*, *Matth. à cap.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Joh.* 13. *ſeqq.* & *Reſurrectio*, *Matth.* 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Joh.* 20. *Pauli converſio*, *Act. c.* 9. *Mors Jacobi Majoris ab Herode Agrippa occiſi. Act. c.* 12. & *Petri ex carcere Liberatio per Angelum. ibid.*

Sub Titulo VARIORVM memoratur:

Ad A. C. IX. *Archelao relegato, per Cæſarum Procuratores Judæa adminiſtrari cæpit.* ARCHELAVS hic patri Herodi ſucceſſit, non Regis, ſed Ethnarchæ titulo à Cæſare conceſſo: quanquam à *Matthæo c.* 2. *v.* 22. rex quoque appellatur, ſicut alibi frater ejus Herodes Antipater ſive Antipas, Galilææ & Petrææ Tetrarcha, hoc titulo in S. Scripturâ

pturâ mactatur. Archelaus verò poſt annos 9. accuſatus ob crudelitatem à Judæis, regno à Cæſare detruſus, & Viennam Galliæ in exilium miſſus eſt. *Joſeph. lib.* 17 *Antiq. c.* 15. *Judæa* verò & *Samaria* hac occaſione Syriæ provinciæ acceſſit, ſub Procuratore tamen Cæſareo ſeorſim recta, qui hoc tempore fuit *Coponius*.

A. C. 10. QVINCTILIVS VARVS *ab Arminio cæditur*. Cladem hanc Romanorum graviſſimam ac penè exitiabilem, ut loquitur *Sueton. Aug. c.* 23. quâ 3. legiones cum duce legatiſque & auxiliis omnibus ab Arminio Cheruſcorum duce, in ea parte Germaniæ, quæ nunc Weſtphalia dicitur, cæſæ ſunt; deſcribit præter *Sueton. d. l.* inprimis *Dio lib.* 56. *princ.* Add. *Vellei.* 2. 117. *ſeqq.* De tempore hujus cladis vid. *Rupert. Obſervat. ad Synops. Beſold. c.* 14. *p.* 277. *ſeq.*

A. C. 17. *Terræmotus XII. Aſiæ urbes affligit.* Hunc terræmotùm graphicè deſcribit *Tacit.* 2. *Ann.* 47. & urbes etiam per illum collapſas recenſet. Meminit & *Sueton. in Tiber. c.* 48.

A. C. 19. ARMINIVS *dolo ſuorum perit.* Fortiſſimus hic Germaniæ ſuæ vindex laudatur à *Vellejo* 2, 118. & *Tacit.* 2. *Ann.* 88. *qui & geſta ejus exponit. Ann.* 55. *ſeqq.* & 2. *Ann.* 9. *ſeqq.* Add. *Dio lib.* 56. Mortem ejus dolo propinquorum occiſi memorat idem *Tacitus d. c.* 88. *lib.* 2. *Ann.* Scripſit *Caſpar à Lohenſtein*, Poëta Cæſareus, poëma Germanicum magni operis, cui titulum fecit, *Arminius*: in quo mixtis quidem ex ſuo inſtituto fabulis, vera interim herois hujus geſta ſubinde intertexit.

A. C. 27. *Amphitheatri Fidenatis ruinâ* 50000. *hominum obteruntur.* Deſcribit *Tacitus* 4. *Ann. c.* 62. *ſeq. Sueton. in Tiber. c.* 40. tantùm 20000. obtrita fuiſſe dicit. Simile quid Varianæ cladi ſub Auguſto, & ruinæ Amphitheatri Fidenatis ſub Tiberio, quòd non ſub ſuo principatu acciderit, queſtus eſt Cajus Caligula.

HERODES ANTIPAS TETRARCHA *Galilææ*. Filius Herodis M. & frater Archelai fuit, & à Cæſare Tetrarcha Galilææ & Perææ i. e. Transjordanenſis regionis conſtitutus. Hic eſt ille Herodes, inter quem & Pontium Pilatum Judææ Præſidem diſſidium fuerat, ſed reconciliati ſunt, quo tempore Chriſtum Dominum noſtrum ad Pilatum in vinculis miſit. *Lucæ c.* 23. *v.* 7. Vid. de eo *Joſeph. lib.* 17. *Antiq. c.* 13. *Antipas* Hebraicâ terminatione dicitur pro *Antipater*, ſicut *Lucas* pro *Lucius*, *Demas* pro *Demetrius*. *&c.*

A. C. 37. HERODES AGRIPPA *à Cajo Imperatore Rex Trachonitidis, & à Claudio Judææ etiam & Samariæ conſtituitur.* Hic Agrippa memorabili fortunæ luſu, ex carcere, quò eum Tiberius conjecerat, eductus juſſu Caji, in catenis Rex Trachonitidis ſalutatus fuit. Cajus Cæſar pro catenâ ferreâ ejuſdem ponderis auream ei donavit, quam

quam Agrippa in templo Hieroſolymitano ſuſpendit. *Joſeph.* 18. *Antiq.* 8. *&* 2. *de Bello Jud.* 10.

A. C. 44. AGRIPPA *divinitus percuſſo, Judæa iterum per Roman. procuratores adminiſtratur.* Agrippa enim hic fortunâ ſuâ inflatus, cùm Cæſareæ ludis & concionibus vacaret, & acclamationibus tanquam Deo cuidam ſactis amplius inſoleſceret, Angeli miniſterio percuſſus, & à vermibus eroſus, miſerabili exitu vitam finivit. *Actor. c.* 12. *v.* 21. Conf. *Joſeph. lib.* 19. *Antiq. cap. ult.* & *Euſebii Hiſtor. Eccles. lib.* II. *c.* 10. Erat quidem Herodi Agrippæ filius, *Agrippa Junior*, coram quo & ejus Sorore Berenice Feſtus Præſes Paulum captivum ſtitit, & Paulus apologeticam orationem habuit, *Actor. c.* 25. *ſeq.* qui etiam Regem eum compellant. Eum tamen Romæ educatum, & tunc annorum 17. quò minus paterni regni ſucceſſorem conſtitueret Claudius Imp. amicorum & libertorum conſilio retentus eſt, & Judææ totique regno Agrippæ Præſidem dedit Cuſpium Fadum. *Joſeph. d. l.* 19. *c. ult.* Conf. *Tacit.* 12. *Ann. cap.* 23.

VIRI CELEBRES per hæc tempora nominantur:

TROGVS POMPEIVS, Hiſtoricus, cujus 44. libros *Philippicarum hiſtoriarum* in epitomen redegit *Juſtinus*, quam ſolam adhuc habemus; & præterea librorum Trogi *Prologos* à *Bongarſio* editos. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin., lib.* I. *cap.* 19. *p.* 98. & *Fabric. Bibliothec. Latin. p.* 147.

C. JVLIVS HYGINVS. Hic eſt, cujus ſuperſunt *Poëticôn* & *Fabularum* libri. Scripſit quidem præterea alia multa, de quibus vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 26. & *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 48. ſed ea perierunt. Legatur inſuper *Jo. Schæfferi Diſſertatio de ætate & ſtylo Hygini*, editioni ejus ab ipſo adornatæ præmiſſa: qui tamen eum non ad hanc ætatem, ſed ad Antoninorum tempora refert. Vid. etiam *Morhoffii Polyhiſt. Tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 12. *n.* 2.

ANTISTIVS LABEO JCtus fuit, nec aliarum bonarum artium expers. De eo vid. *Gell. Noct. Attic. lib.* 13. *c.* 10. *&* *c.* 12. Scripta ejus quæ fuerint vid. *Fabricii Biblioth. Latin. App. p.* 110.

C. ATTEIVS CAPITO. Hic itidem JCtus fuit. Ita enim eum vocat *Suetonius libr. de Illuſtribus Grammaticis*, ubi de *Atteio Philologo* agit. Præter eos quos *Voſſius* nominat *de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 21. meminit quoque ejus aliquoties *Gellius in Noct. Attic.* ut *lib.* 1. *c.* 12. *lib.* 13. *c.* 12. &c. Scripta ejus recenſet *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 125. De hoc, ut & de Labeone videri etiam poteſt *Jo. Bertrandus de ICtis*, & *Wilh. Grotius in Vitis ICtorum, quorum in Pandectis extant nomina.*

TIBVLLVS

TIBULLUS ET PROPERTIUS Poëtæ ſunt elegiaci, & cum CATULLO, paulò antiquiore, tanquam amorum Triumviri edi ſolent. *Tibullus* eo ipſo anno, quo Ovidius, natus. Vid. *Voſſius de Poët. Lat. p.* 22. & de Propertio *p.* 31. *Morhoffius* hos 3. Poëtas, puriſſimos nequitiarum Scriptores vocat: quem vide pluribus de his agentem *Polyhiſt. literar. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 13. Add. *Fabricii Biblioth. Latin. p.* 34.

A. C. 17. OVIDIUS *obit.* Notus vel pueris Poëta, quibus ejus carmina, exceptis amatoriis, commendantur. Quæ genuina ejus ſcripta ſint, non opus indicari. Quæ falſò ei tribuantur, vid. apud *Voſſium de Poëtis Latin. p.* 29. *Fabric. Biblioth. Latin. p.* 35. *ſeqq.* add. *Morhoff. Polyhiſt. liter. lib,* 4. *c.* 11. *n,* 16. Hiſtoriam vitæ ſuæ partim ipſe exponit *Triſtium lib.* 4. *Eleg.* 10. Elegiacam poeſin ad faſtigium perduxit: quanquam nec deſunt moroſi ejus cenſores: ſed *barbarus eſt, Veneres qui non intelligit iſtas.*

LIVIUS *obit.* Uberrimus hiſtoriæ Rom. Scriptor, de quo notum *Martialis* Diſtichon:

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Is CXL. libris complexus eſt hiſtoriam Rom. uſque ad bellum in Germaniâ geſtum à Druſo; qui utinam omnes ſupereſſent, & magno potiremur theſauro: de his quoque qui ſuperſunt XXXV. nobis gratulantes, qui tamen non continui ſunt. Cæterorum habemus argumenta à *L. Annæo Floro* concinnata. Supplementa Liviana ſcripſit *Freinshemius. De Patavinitate Livii Diſſertatio eſt Dan. Georgii Morhoffii. Vitam Livii* ſingulari libro deſcripſit *Jac. Philippus Thomaſinus.* Plura de eo vid. apud *Voſſium de Hiſt. Latin. lib.* 1. *c.* 19. *Fabricium Biblioth. Latin. p.* 22. *Morhoffium* tum in dicta *Diſſertatione de Patavinitate Livii*, tum in *Polyhiſt. Tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 11. Add. *Whearum in Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 17. *& ad eas, Acceſſiones Jo. Chriſtiani Neu, p* 112. *ſeqq.*

STRABO. Hujus laudatiſſimi Scriptoris extant XVII. Geographiæ libri, Græcè ſcripti, quos non una de cauſa maximi facere oportet. Vid *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 6. ubi plura de ejus philoſophia & ſcriptis: nec non *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 1.

A. C. 19. L. FENESTELLA *obit.* Feneſtella hiſtoriarum ſcriptor & carminum ſeptuagenarius moritur, ſepeliturque Cumis. Verba ſunt *Hieronymi in Chron. Euſebiano.* Ejus tamen ſcriptoris nihil supereſt. Nam qui hodie extat ſub Feneſtellæ nomine liber *de Magiſtratibus Romanis*, recentior fœtus eſt, & *Andr. Dominicum Floccum, Florentinum,* auctorem habere creditur. Plura de eo vid. apud *Voſſium de Hiſt. Lat. lib.* 1. *c.* 19. *p.* 100.

VELLE-

Digitized by Google

VELLEIVS PATERCVLVS Scriptor terſiſſimus, duos *Hiſtoriæ* libros ad M. Vinicium Conſulem conſcripſit: quorum, ab initio inprimis, bona pars periit. *Bœclerus* præter elegantem in hunc auctorem commentarium, etiam *Characteres politicos Vellejanos* ſcripſit: cujus item de hoc auctore *Oratio, privatæ Velleji enarrationi præmiſſa*, inter cæteras ejus Orationes extat. De eodem vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib. 1. c. 24. Fabricius Biblioth Latin p. 52. Morhoffius Polyhiſt. Tom. I. lib. 4. c. 12. n. 5. Whear. Relect. Hiem. Part. 1. Sect. 20. p. 82. & Neu in Acceſſ. p. 125.*

CORN. CELSVS, Medicorum Cicero, ut appellari ſolet. Nam caſtiſſima Latinitate rem difficillimam ſcripſit, univerſam ſcil. artem medicam: ſed mendis plena ſunt hactenus ejus opera. Vid. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 4. c 12. n. 7. & Fabricius Biblioth. Latin. p. 55. Neu in Acceſſ. ad Whear. Relect. Hiem. p. 125.*

MASSVRIVS SABINVS, rectius MASVRIVS, JCtus fuit. De quo *Pomponius Tit. de Origine Juris.* Memoratur etiam inter Hiſtoricos à *Voſſio de Hiſtor. Latin. lib. 1. c. 21. p. 108.* Vid. etiam *Fabricius Biblioth. Latin. Append. p. 110.* Item *Bertrandus & Wilh. Grotius in Vitis Veterum JCtorum.*

CASSIVS LONGINVS *uterq;.* Alter eſt *L. Caſſius Longinus* Conſularis, cui Tiberii neptis Druſilla in matrimonio collocata fuit: de quo *Suetonius in Calig. c. 24. & Tacitus 6. Ann. c. 15.* alter *C. Caſſius Longinus*, JCtus, cujus mentio apud *Sueton. in Neron. c. 37.* Pro eodem ſumit *Pomponius de Origine Juris*, ſed perperam, uti docet *Lipſius ad Taciti l. c.* quem vide *ibid.*

VALERIVS MAXIMVS. Hic eſt, cujus *Dictorum factorumq; memorabilium libros IX.* habemus: de quibus tamen utrum ejus genuini ſint, an ab alio in compendium redacti, à nonnullis dubitatur. De ejus ætate & ſtylo vid. quæ diſſerit *Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. 1. c. 24. p. 122. Fabricius Biblioth. Latin. p. 58. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 4. c. 12. n. 6.*

A. C. 49. PHILO JVDÆVS *legatus Romæ pro gentilibus ſuis*, i. e. Judæis. Nam gentiles hoc loco dicuntur ejuſdem gentis homines. Hic Philo Alexandrinus fuit, Platonis imitator ſummus, ut de eo dictum ſit; ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. Scripſit inter alia *de Vitâ Moyſis*, item *de Vitâ Joſephi*. Item *de Legatione ſuâ ad Cajum Cæſ.* cognomine Caligulam. Cætera non extant: nam *Hiſtoria ab Adamo ad Saulis tempora*, quæ ſub Philonis nomine venditatur, genuina non videtur. Legationem, quam pro gentilibus ſuis ſuſcepit, deſcripſit ipſe. Vid. & *Joſephus Antiq. lib. 18. c. 15.* &c. Hic Philo etiam vulgò auctor eſſe creditur *libri Sapientiæ*. Vid. *Lutheri Præfatio.* Plura de eo *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. 2. c. 7. p. 191. & Fabricius Biblioth. Græc. lib. 4. c. 4.* qui circa annum Chriſti 40. legationem ab eo ſuſceptam fuiſſe dicit.

Digitized by Google

POMPONIUS MELA. Hic eſt, cujus libri III. *de Orbis ſitu* leguntur. De quo vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib. 1. c. 25. p. 131. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 4. c. 12. n. 11. Fabricius Biblioth. Latin. p. 63.*

COLUMELLA. L. Junius Moderatus Columella ſcripſit elegantiſſimè ac doctiſſiiſſimè *de Agricultura*, tam verſa quàm proſa oratione. Editus eſt junctim cum cæteris Rei Ruſticæ ſcriptoribus, *Catone, Varrone & Palladio.* Miror eum inter Poëtas Latinos non memorari à *Voſſio*, cùm tamen *de Hortorum cultura* librum carmine exaraverit. Vid. de eo *Fabricii Bibl. Latin. p. 61.*

Redeuntibus ad RES IMPERII ROMANI occurrit ad

A. C. 54. NERO *monſtro quàm homini ſimilior.* Primo quidem quinquennio Nero ſpeciem boni Principis præbuit; reliquo tempore nihil eo fœdius atque immanius. Ejus crudelia facinora, in iiſque parricidia; tùm libidines aliaque ſcelera commemorare longum foret. Minus nocuit, cùm citharœdum, athletam, tragœdum egit: quibus ſtudiis ita deditus fuit, ut in illis maximè prærogativam affectaret. Sub hoc Britannos (à quibus Romani magnâ clade affecti erant duce Bundvica fœmina) poſtea victos iterum repreſſit Paulinus. Adeundi Scriptores *Suetonius, Tacitus à fin. lib. 12. uſq. ad fin. Annal.* in quibus tamen multa perierunt; *Xiphilinus, Joannes Antiochenus in Excerptis Peireſc. p. 808. ſeqq. Lucanus* adulatur ei. *Petronius in Satyrico* aulam Neronianam & ſcelera exagitare dum vult, eadem docuit. In eum conjurarunt primùm Rufus Præfectus prætorio, & Seneca &c. Sed re detecta interfecti. Demum Julius Vindex in Gallia adverſus eum inſurrexit, & mox Galba in Hiſpania; & ipſe à Senatu hoſtis judicatus, deſperatis rebus ſe ipſum interemit. Tabula noſtra ei annos imperii tribuit 13. numero rotundo. *Xiphilinus* addit menſes 8. *Joſephus de Bell. Jud. lib. 5. c. 6.* tantùm dies 8. *Sueton. c. 40.* paulò minus 14. annis. De nomine ejus & ſtirpe vid. *Rupert. c. 14. p. 286.*

A. C. 57. *Parthos per Corbulonem feliciter reprimit.* Hic eſt ille Corbulo, qui jam ſub Claudio res bene geſſerat in Germania. Poſtea luxuriante & aliud agente Nerone in oriente imperium Rom. ſuſtentavit; & cùm propter virtutem potuiſſet Imperator fieri, tamen Neroni ſemper fidus manſit; Neronis tamen juſſu tandem occiſus. Bellum ejus contra Tiridatem & Vologæſum Parthorum Regem, quem ad fœdera pro dignitate populi Romani facienda adegit, deſcribitur à *Xiphilino in Nerone, & Tacito lib. 13 Ann. & ſeqq.*

A. C. 64. *Urbem incendit, & invidiam ſceleris derivat in Chriſtianos.* In hoc incendio ab ipſo Nerone procurato, tertia pars urbis conflagravit:

Digitized by Google

gravit; magnaque fuit Romæ calamitas; ſolus Nero eo tanquam læto ſpectaculo delectatus, atque interim de turri Mæcenatiana proſpiciens ἅλωσιν Ilii cantavit; & poſtea magnam pecuniam exegit pro hoc incendio: ut memorat *Sueton us c.* 48. *Xiphilinus in Nerone. Tacit.* 15. *Ann. c* 38. in dubio relinquit, fortè an dolo Principis ortum ſit illud incendium, quod *in ſeqq.* deſcribit: ſuperante tamen fama, quæ juſſum incendium confirmaret. Vnde ad declinandam invidiam, reos ſubdidit Chriſtianos, & exquiſitiſſimis ſuppliciis affecit. Vid. *Tacit. ibid. c.*44. qui locus de Chriſtianis notabilis.

A. C. 68. GALBA, OTHO, VITELLIVS hic conjunguntur, quia intra annuum ſpatium omnes imperium deguſtarunt. Etenim à morte Neronis ad principatum Veſpaſiani annus 1. dies 22. interceſſere, notante *Xiphilino in Veſpaſiano fin.* Defecit in Nerone Cæſarum familia: inde incertum diu & quaſi vagum imperium fuit, rebellione trium principum & cæde, ut loquitur *Suetonius in Veſpaſ. c.*1. & mutatio familiæ in imperio magnorum motuum cauſa fuit. Galba hortatu Vindicis, & ſuffragatione militum, quibus tùm in Hiſpania præerat, cum exercitu Romam venit, & vacuum morte Neronis imperium occupavit, nobiliſſimus haud dubiè, ſed jam tùm ſenex & improlis. Itaque L. Piſonem adoptavit. Hinc M. Salvius Otho indignatus, quod non ipſum adoptaſſet, adverſus eum inſurrexit. Galba in medio foro Romæ occiſus, vixit annos 72. imperavit menſes 9. dies 13. Vid. *Xiphilinus, Suetonius, Plutarchus in Vita Galbæ.* Tacitus vero tùm hujus Galbæ, tùm Othonis & Vitellii hiſtoriam, motuſque ſub iis rerum, cum initiis Veſpaſiani, inprimis diligenter pragmatico opere executus eſt, *Hiſtoriarum* qui ſuperſunt, *libris* 5. Add. *Joannes Antiochenus in Excerpt. Peireſc. Rupertus c.*14. *p. m.* 288.

OTHO deinde cæſo Galba imperium arripuit, non diu fruiturus. Vitellius enim, cui jam tùm vivente adhuc Galba milites imperium detulerant, fruſtra ab eo invitatus ad principatus ſocietatem, cum exercitu Germaniciano in Italiam contendit; exercitus alius ab eo præmiſſus, Othonianos ad Bebriacum ingenti prælio vicit. Tùm Otho ipſe ſe deſeruit, & cùm poſſet rem reſtituere, invitis militibus pugione ſe transfodit, annis vitæ 37. imperii trimeſtri exacto. Scriptores iidem, qui ſupra.

VITELLIVS ergo Romam venit, cujus principatus nihil niſi ebrietas & commeſſationes fuit: adeoque præcipuum, quod de eo memoratur, eſt incredibilis luxus ejus in conviviis: unde *Vitelliana* dictæ *epulæ ſumtuoſiſſimæ.* Inſtrumenta & artes, quibus imperium ſibi comparavit, indicat *Tacit.* 1. *Hiſt. c.*52. Deſciſcentibus verò ab eo exerciti-

 bus

Digitized by Google

bus & in Veſpaſiani verba jurantibus, cùm jam urbi appropinquare hoſtes audiviſſet, latebras quæſivit, unde extractus, contumelioſiſſimeque habitus à militibus, tandem obtruncatur: poſtquam vixiſſet annos LIV. regnaſſet annum I. 10. diebus minus. *Joſephus* tamen *lib. 5. de Bell. Jud. c. 13.* tantum 8. menſes & dies 5. imperii ei tribuit. Sed orta haud dubiè hæc differentia inde, quia terminum à quo diverſimodè ſumunt. Quomodo autem numerandum ſit tempus horum Imperatorum, docet *Xiphilinus in Veſpaſian.* Conſulendi Scriptores ſupra nominati, præter *Plutarchum.*

A. C. 69. FL. VESPASIANVS 10. *Principum omnium poſt Auguſtum optimus.* Sub hoc vagum hactenus imperium ſub certam iterum familiam, nempe Flaviam, pervenit. Veſpaſianus Imperator ſalutatus ab exercitu in Judæa, accedentibus deinde aliis in Mœſia & Pannonia exercitibus, qui in abſentis verba jurarunt, Mucianum præmiſit in Italiam contra Vitellium, qui hoc interfecto urbem ingreſſus, eam diripuit. Ipſe dein Veſpaſianus è Senatu Imperator renuntiatus, filiique ejus Titus & Domitianus Cæſares deſignati. Inter prodigia imperium ei denuntiantia, memorabile eſt Joſephi Judæi ab eo capti vaticinium, quo ei imperium prædixit. Illa verò, quam itidem de Veſpaſiano interpretati ſunt, Oriente toto conſtans & vetus opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur, haud dubiè vaticinium eſt, non ad hunc, ſed ad Chriſtum Dominum noſtrum pertinens, ex *Micha cap. 5.* ut videtur, deſumtum. Vid. *Caſaubon. ad Sueton. Veſpaſ. c. 4.* & *Rupert. c. 14. p. 294.* Sic ad imperium evectus Veſpaſianus jam ſine æmulo (niſi quod interim Julius Sabinus Cæſar dictus eſt in Lingonibus, ſed victus IX. annos in ſepulcro ſubterraneo cum uxore delituit) laudabiliter deincèps imperavit, unà avaritiæ labe aſperſus, quam nimiis exactionibus exercebat; ab aliis tamen temporum neceſſitate excuſatur. De miraculo, quo reſtitutum cæco viſum, & curatum claudum à Veſpaſiano aſſerunt Scriptores, vid. quid ſentiat *Caſaubonus ad Suetonii Veſpaſ. c. 7.* quam rem præter Suetonium memorat *Tacitus 4. Ann. c. 81.* & *Xiphilinus ſeu Dio in Veſpaſiano.* De ſimilibus exemplis Pyrrhi, Hadriani &c. vid. *Martinus Kempius de Oſculis, Diſſ. 18. qua agit de Oſculo Salutari §. 3. & ſeqq.* De bello Judaico, quod Imperator factus filio Tito demandavit, & de excidio Hieroſolymæ ſub ipſo facto, poſtea erit dicendi locus. Hæc & cætera Veſpaſiani petenda ex Scriptoribus *Suetonio, Tacito, Xiphilino, Joſepho de Bell. Jud. lib. 5. ſeqq.* Add. *Joh. Antiochenus in Excerpt. Peireſc. Julianus in Satyra. Rupertus c. 14. p. 294.* Vixit Veſpaſianus annos decem, minus 6. diebus.

Digitized by Google

A. C. 79. TITVS VESPASIANVS 2. *amor & deliciæ generis humani.* Hic Veſpaſiani fil. jam Cæſar deſignatus fuit cum fratre Domitiano poſt victoriam belli Vitelliani, quanquam jus imperii nondum exercuit; teſte *Suetonio in Domitiano c. 2. & Xiphilino in Veſpaſ. princ.* Hinc dubia fit ſententia *Victoris in Cæſaribus c.* 4. exiſtimantis diſcrimen Cæſaris & Auguſti incepiſſe ſub Trajano demùm. Certius enim conſtat, initium jam cepiſſe diſcrimen illud in gente Flavia, uti præſenti exemplo confirmatur. Titus tamen jam vivo etiamnum patre à militibus confecto bello Judaico Imperator appellatus, poſtea quoque patri curarum imperii particeps fuit. Mores in adoleſcentia corruptiſſimos, in principatu mutavit in melius, rariſſimo exemplo. *Amor ac deliciæ generis humani* publico Senatus populique Rom. judicio dictus eſt, ut nonnulli cenſent. Alii privatum hoc elogium putant, à *Suetonio* tributum *cap.* 1. Vid. *Bernegger. Diſſert. qua Titum tanquam Speculum boni Principis exhibuit*; & *Rupert. Obſerv. ad Synopſ. Beſoldi c.* 14. *p.* 297. Vixit Titus annos 41. menſes 8. dies 15. Imperavit poſt mortem patris ann. 2. m. 2. d. 20. Scriptores iidem, qui ſupra commendati, præter Tacitum. Adde his *Oroſium, Eutropium, Euſebium, Victorem*; quos etiamſi non nominantur, intelligi fas eſt.

A. C. 81. DOMITIANVS 15. *ſævus, rapax, luxurioſus,* ſucceſſit Tito, frater diſſimillimus. Sævitiæ, rapacitatis & luxuriæ ejus exempla petenda ex Scriptoribus. Inter geſta ejus externa eſt expeditio Germanica, unde hoſte non viſo receſſit. Item, bellum cum Decebalo Dacorum Rege, in quo aliquot à Romanis clades acceptæ. Inſurrexit contra eum Antonius in Germania, ſed feliciter oppreſſus. Inter multa peſſimè facta Domitiani, hoc laudabile eſt, quod vetuit mares caſtrari. Omnibus denique inviſus periit, conſpiratione amicorum & uxoris in cubiculo occiſus. Vaticinia, quibus ei mors prædicta, aliquot memoratu digna, interque ea potiſſimùm Apollonii Tyanei apud *Xiphilinum in Domitiano,* item Aſcletarionis Mathematici apud *Suetonium c.* 15. leguntur. Vixit annos 40. menſ. 10. d. 26. Imperavit ann. 15. d. 5. Scriptores ejus modò laudati, *Xiphilinus* & *Suetonius*, qui poſt hunc deficit. Apud *Tacitum* Titi & Domitiani omnia perierunt, niſi quod in *Vitâ Agricolæ & de Moribus Germanor.* aliqua ſuperſiſnt. *Victor, Oroſius, Eutropius, Zonaras* addendi; & ex recentioribus *Rupert. p.* 298. *ſeqq.*

A. C. 84 JVL. AGRICOLA *conficit bellum Britannicum.* Cœptum hoc bellum jam ſub Tito, & confectum ſub Domitiano: cujus belli proprius ſcriptor eſt *Tacitus in Vita Agricolæ.* Hic ſocer Taciti fuit, & primus Britanniam iuſulam eſſe cognovit. Vid. & *Xiphilinus in Tito.*

Digitized by Google

A. C. 96. Cocceius Nerva i. Cretenſis fuit, ſi credimus *Victori in Cæſaribus*: quod ſi eſt, primus ex advenis Imperator fuerit. *Victor* tamen (ſive idem, ſive alius: nam de hoc dubitatur, & *Bœclerus* diverſos eſſe dicit) *in Epitoma* ſcribit, oppido Narnienſi, hoc eſt in Vmbria, genitum eſſe. Vide hoc examinantem *Rupertum Obſervat. ad Synopſ. Beſoldi c.* 14. *p.* 302. *ſeq.* Princeps fuit optimus; quem tamen *Lipſius* per jocum *enervem Nervam* vocat, nimiam ejus lentitudinem arguens. Adoptavit Trajanum, de quo mox. Leges & cætera hujus principis petenda ex *Xiphilino*. Add. *Victor in Cæſaribus & Epitome. Hiſtoria Miſcella*, (quæ partim *Eutropium*, partim *Paulum Diaconum* auctorem habet) *lib.* 10. *c.* 1. *&* 2. *Plinius in Paneg.*

A. C. 97. Traianus 19. *Optimus à Senatu judicatus*. M. Vlpius Trajanus quanquam peregrinus fuit, nempe Hiſpanus, tamen à Nerva adoptatus ei in imperio ſucceſſit, ac deinde *Imperator Cæſar D. Nervæ filius Nerva Trajanus* dictus fuit. De cognomine *Optimi*, quod decreto Senatus accepit, vide *Xiphilinum*. Sub hoc Imperatore Imperii Romani fines latiſſimi fuerunt, adjectis ab ipſo ultra Euphratem regionibus: quas tamen ſucceſſor Adrianus iterum deſeruit. Res geſtæ ejus multæ magnæque ſunt, de quarum præcipuis ad ſequens Seculum dicemus. Moderationem, clementiam cæteraſque virtutes Trajani certatim laudant Scriptores hiſtoriæ ejus, qui ſunt *Xiphilinus, Aurelius Victor, Eutropius, Hiſtoria Miſcella, Plinius in Panegyrico*, & ejuſdem *Epiſtolæ* de imperio Trajani agentes huc pertinent. Eſt etiam *Diſſertatio* inter *Bœclerianas Tom.* 2. *p.* 592. cui titulus: *Trajani & Fl. Claudii Vitæ Comparatæ*: in qua quæ ad Trajani hiſtoriam pertinent, ex veteribus collecta ſunt. Non tamen per omnia laudandus eſt Trajanus. Vid. *Ruperti Obſervat. ad Synopſ. Beſoldi c.* 14. *p* 304. *ſeq.*

Inter RES ECCLESIÆ memoratur

Simon Magus. Hic eſt, qui Samariæ quidem baptizatus fuit, ſed poſtea ad impietatem rediit. Cùm videret, impoſitis manibus, precibuſque ritè fuſis ab Apoſtolis, credentes Spiritum S. accipere, ratus haud dubiè hæc quoque magicis artibus fieri, pecuniâ Apoſtolis oblatâ petiit, ut ſibi quoque hanc artem traderent; graviter ob hoc increpitus à Petro, *Actor. c.* 8. (Hinc *Simonia* dicitur.) *Suidas* de eo narrat, quod ſe Chriſtum eſſe profeſſus, & à Nerone præſentibus Petro & Pilato examinatus ſit, mendaciique convictus. Sed ea narratio fabulam redolet. Illuſtris adverſus hunc Simonem, Petri & Pauli congreſſio narratur à *Sulpitio Severo Hiſt. Eccl. lib.* 2. Nam cùm Simon magicis artibus, ut ſe DEVM probaret, duobus ſuffultus dæmoniis evolaſſet,

laſſet, orationibus Apoſtolorum fugatis dæmonibus, delapſus in terram, populoque inſpectante diſruptus eſſe dicitur. Memorat & *Cedrenus* & alii, quos vid. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Gothan. lib.* 2. *c.*2. *Sec.*3. §.19. *p.*200. Dicitur alias Simon Magus omnium pater hæreticorum: de quo videndus *Epiphanius hæreſi XXI.* Plura de eo *Bebelius Antiq. Eccleſiaſt. Secul.*1. *Art.*6. *p.* 91. & Gottfrid Arnold in ſeiner Kirchen- und Keʒer-Hiſtorie *Part.*1. *lib.*1. *cap.* 4. *p.*42. ubi etiam quæ fabuloſa de hoc Simone traduntur.

NICOLAITÆ hæretici dicuntur, qui communionem matrimoniorum introducere volebant. Ejus hæreſeos auctor dicitur Nicolaus, unus è numero 7. Diaconorum, cujus mentio *Actor.* 6, 5. Vid. *Epiphan. hæreſ.*22. *Bebelius Antiq. Eccleſiaſt. Secul.*1. *Art.* 6. *p.*107. Eorum propaginem novam ortam à Carpocrate & Baſilide, *Gnoſticos* fuiſſe aſſerunt. Vid. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib.*2. *p.* 212. *ſeqq.* & inprimis *Hottingeri Hiſtor. Eccleſ. c.*1. *Sect.* 5. *p.* 44. Mentio Nicolaitarum in *Apocalypſi Johannis c.* 2. *v.* 6. & 14. ubi tamen forte alii quàm tales hæretici intelliguntur. Fortè pèr Nicolaitas i. e. populorum victores eo loco intelligendi ſunt Romani. De hæreſi hac, & cæteris, quarum deinceps ſub Rebus Eccleſiæ fiet mentio, conſulendi qui de Hiſtoria Hæreſium ex profeſſo ſcripſerunt: quos indicat *Morhoffius Polyhiſt. Tom.* 3. *lib.* 5. *n.* 19. & *Mœllerus Præfat. in Tomos II. poſteriores ejuſdem Polyhiſtoris p.* 21. *ſeqq.* quibus add. Arnold in ſeiner Kirchen- und Käʒer-Hiſtorie.

A. C. 56. JACOBVS MINOR *lapidibus obruitur.* Hic eſt, cujus *Epiſtola Catholica* legitur inter Canonicos S. Scripturæ libros. Læſæ religionis damnatus eſt ab Anane ſeu Anna Juniore, Pontifice, & lapidibus obrutus. Quamobrem interpellatus à bonis viris Agrippa Ananum à Pontificatu removit. Vid. *Joſeph. Antiq. lib.*20. *c.*8. & inprimis *Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib.*2. *c.*1. & 23. addi poteſt *Nicephorus lib* 2. *c.*38. & *Baronius ad A. C.* 63. ubi etiam de *Epiſtola Jacobi Catholica.*

A. C. 64. PRIMA PERSECVTIO *Chriſtianorum.* PETRVS *cruci ſuffigitur.* PAVLVS *gladio truncatur.* Perſecutiones Chriſtianorum vulgò X. numerant: quanquam fortaſſe, ſi benè computemus, plures fuerint. Sed intelligendus hic numerus de iis perſecutionibus, quæ publica auctoritate ſub & ab Imperatoribus inſtitutæ ſunt. Movit hanc Nero perſecutionem, qui cum infamiâ incenſæ urbis laboraret, Chriſtianos reos ſubdidit: ut ſupra jam diximus, ex *Taciti* 15. *Ann. c.*44. Petri & Pauli Apoſtolorum martyrium ad idem tempus refert Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus apud *Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib.* II. *c.*25. Alii diem quoque eundem martyrii tradunt. *Prudentius in Coronis Hymn.* 12. eodem quidem die, ſed interjecto integro anno, utrumque ſupplicio affectum

Digitized by Google

ctum eſſe dicit: *Vnus utrumq; dies, pleno tamen innovatus anno, Vidit cruenta morte laureatum.* Romæ id factum volunt. De Petro tamen dubitatur, an Romæ unquam fuerit. De quo Diſtichon & luſus Oweni Angli:

An Petus fuerit Romæ, ſub judice lis eſt:
Simonem Romæ nemo fuiſſe negat.

EBION, MENANDER, CERINTHUS *hæretici.* Inter hos *Ebion* JEſu Nazareni divinitatem negavit, & omnia legis veteris adhuc ſervanda eſſe ſtatuit. Ejus ſectatores Ebionitæ dicti. *Epiphanius Hæreſ.* 30. Dubitat tamen Arnold in ſeiner Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie/ an unquam tali nomine hæreticus fuerit. *Part.* 1 *lib.* 1. *c.* 1. *p* 44. vid. Eundem etiam de Menandro & Cerintho. Et in *Supplem. Hiſt. Eccl. & Hær. p.* 3. *Menander* Simonis Magi diſcipulus fuit, de quo *Epiphanius Hær.* 22. *Cerinthus* crucis Chriſti hoſtis, Simonem Cananæum pro Chriſto (quippe cujus regnum præſentis vitæ felicitate & gloria debeat æſtimari) à Judæis cruci ſuffixum eſſe, docuit. De his Eccleſiaſticis rebus omnino conſulendi, etiam cum non nominantur, *Centuriatores Magdeburgici.* Add. *Bebelius Antiq. Eccl. Sec.* 1. *Art.* 6.

A. C. 92. CLEMENS *Epiſcopus Rom. cœpit.* Circa primos illos Romæ Epiſcopos magnus eſt diſſenſus. Petrum & Paulum primos Romæ Epiſcopos fuiſſe, & poſt hos Linum, Clitum & hunc Clementem &c. *Epiphanius* nos jubet credere, *Hæreſ.* 27. ad quem locum vid. *Dionyſ. Petavius*: qui tamen ipſe *Petavius* (*Rat. Temp. Part.* 1. *lib.* 5. *c.* 5.) ingenuè fatetur, quod ad res Chriſtianas horum temporum attinet, pleraque fabulis & incertis narrationibus aſperſa eſſe. Videantur etiam quæ de primis poſt Petrum Epiſcopis diſquiſivit *Salmaſius* in libro *de primatu Papæ*, & inprimis *David Blondellus in Epiſtol. Clement.* 1. ubi varios Epiſcoporum Romanorum catalogos affert: & in *Pſeudiſidoro.* Item, *Jo. Pearſonii Diſſertatio de Serie & Succeſſione primorum Romæ Epiſcoporum. Henrici Dodwelli Diſſertatio ſingularis de Pontificum Rom. primæva ſucceſſione.* De *Clementis Actis*, ſeu libris X. *Recognitionum*, vid. *Neu. in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *p.* 231. de ejus *Epiſtolis* 2. *ad Corinth. ibid. p.*238. item, an fuerit Collector *Canonum Apoſtolicorum* & *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, quæ circumferuntur, ibid. *p.* 240. 241. Add. *J. A. Fabricius in Biblioth. Græc. lib.* 5. *c.* 1. *p.* 32. *ſeqq.*

A. C. 94. PERSECUTIO II. JOHANNES *relegatur.* FLAVIUS CLEMENS *Exconſul martyrio coronatur.* Secunda perſecutio mota fuit à Domitiano Imp. & ſub eo Apoſtolus Johannes in Pathmum inſulam relegatus, Apocalypſin vidit: inquit *Euſebius in Chron.* Quod ad *Fl. Cle-*

mentem

Digitized by Google

mentem Exconſulem attinet, fuit is Domitiani patruelis & ab eo impietatis damnatus & occiſus eſt. Vxor quoque ejus Flavia Domitilla, Domitiani conſanguinea, eandem ob cauſam in Inſulam Pandatariam relegata eſt. Multi præterea, qui in mores Judæorum tranſierant (haud dubiè Chriſtianos intelligit) morte multati: teſte *Xiphilino in Domitiano.* De Clementis Martyrio vid. etiam *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. d. l. Niceph. Calliſt. lib. 9. Cedrenus, Zonaras, Eutropius.* Add. *Bœcleri Diſſertatio ad Suetonii Domitianum.*

A. C. 99. S. JOHANNES *Epheſi obit.* Poſtquam Domitiani acta decreto Senatûs reſciſſa ſunt, Johannes è Pathmo, quò relegatus erat, rediit Epheſum, ibique creditur Apocalypſin, quam habuerat in exilio ſuo, literis conſignaſſe, eaque Canonem biblicum, à ſe prius recognitum, obſignaſſe. Tandem verò nonagenario major placidè defunctus eſt, impleta in ipſo promiſſione Chriſti, (*Marc. 9. v. 1.*) quòd non eſſet guſtaturus mortem, niſi prius vidiſſet regnum DEI veniens cum potentia. Mortem ejus Auctor noſter cum *Calviſio* refert ad A. C. 99. alii ad annum 101. Opinio eorum, qui decepti falſa interpretatione verborum Chriſti *Joh. cap. 21. v. 22.* contendunt, adhuc vivere S. Johannem, & in Judicii extremi tempora reſervari, refutatur à *Baronio ad ann. 101.* prolatis de ejus morte Patrum teſtimoniis.

Titulus VARIORVM hæc porrò habet:

ESSENI *florent in Ægypto.* Hæc Secta inter Judæos vitæ potiſſimùm ſolitariæ inſtituto & morum continentia ſe à reliquis diſtinguebat, cui addicti in eo ſaltem Monachis Chriſtianis ferè ſimiles fuerunt, quòd à matrimoniis officiiſque publicis abſtinentes, vitam contemplativam degerent, qua & cœleſtis gloriæ mercedem comparari, ſibi perſuadebant. Magnis laudibus eos celebrat *Joſephus lib. 2. de Bello Jud. c. 7.* Meminit eorum inter profanos quoque *Plinius Hiſt. Nat. lib. 5. c. 17.* prolixè verò *Philo* duobus libellis. Conf. *Centuriatores Magdeburg.* tùm *Druſius, Scaliger* aliique, qui integris Diſputationibus de tribus his Judæorum Sectis, Phariſæis, Sadducæis & Eſſenis egerunt. Vid. etiam *Buddei Introd. ad Hiſtor. Philoſ. Hebræorum* §. 21. *p. 73. ſeq.*

A. C. 70. *Hieroſolymæ & Politiæ Judaicæ excidium. Finis Hebdomadum Danielis.* Bellum Judaicum & obſidionem Hieroſolymitanam, urbiſque tandem ſequutum excidium, inter memorabiliora hujus Seculi numeramus. Scriptor Hiſtoriæ ejus præcipuus *Joſephus,* hoc ipſo bello captus, & à Veſpaſiano poſtea, cui imperium prædixerat, in honore habitus: cujus *VII. libri de Bello Judaico* in omnium manibus ſunt. Cœptum hoc bellum A. C. 66. perque duces Rom.

Digitized by Google

primò Ceſtium Gallum, deinde Veſpaſianum & denique Titum filium ejus geſtum, nonniſi in Hieroſolymorum & politiæ Judaicæ excidium, 40. ante annis à Chriſto prædictum, *Lucæ* 19, 43, 44. deſiit: quanquam & in reliquiis belli profligandis ſequens triennium conſumtum eſt. Capta eſt Hieroſolyma, & exciſa A. C. 70. vel (ut vult *Baronius*) 72. d. 10. Auguſti. Hiſtoriam belli hujus in epitomen redegit *Ludovicus Capellus in Compendio Hiſtoriæ Judaicæ.* Clades in eo Judæorum, & numero & atrocitate horribiles, congeſſit *Lipſius lib. 2. de Conſtantia c. 21.* Joſephus captivorum poſt expugnationem urbis 97000. mortuorum in obſidione 1100000. fuiſſe prodit. Etenim tota gens ex omnibus orbis provinciis ad ferias paſchales congregata, ſubitoque circumfuſa bello, velut diro carceri incluſa periit. Specialiora petenda ex ipſo *Joſepho,* unde repetit *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. c. 5. uſq; ad* 10. Addendi Hiſtoriæ Veſpaſiani & Titi Scriptores, ſupra laudati. Silentio non eſt prætereundum, quod *Philoſtratus in Apollonij Tyan. lib. 6.* & *Suidas* in Tito memorat, Titum, cum ob victoriam Judaicam finitimæ gentes eum coronare vellent, non admiſiſſe; neque enim ſe tantorum operum auctorem eſſe, ſed DEVM Judæis iratum. Ad hoc igitur tempus excidii Hieroſolymitani referunt *finem hebdomadum Danielis,* in quibus tamen numerandis non conſentiunt Interpretes. Ipſum oraculum de his hebdomadibus legitur *Danielis cap. 9. v. 24. ſeqq.*

A. C. 72. *Templum Judaicum in Ægypto diruitur,* ante 333. annos ab Onia in regione Heliopolitana ſtructum ſub Ptolemæo Philometore: de quo diximus ad Tab. IX. Cùm enim hoc tempore profugi in Ægyptum Judæi, & Lupo Præſidi proditi, nullis tormentis adigi poſſent, ut Cæſarem Dominum appellarent, ipſi quidem fœdis ſuppliciis interiere, ſed & Veſpaſiano cauſam præbuerunt, ut templum illud in Ægypto adhuc reliquum deſtrueret. *Joſephus lib. 7. de Bell. Jud. c. 30. ſeq.*

A. C. 73. *Cæſarea fit metropolis Palæſtinæ.* Sumtum hoc itidem ex *Joſepho lib. 7. de Bell. Jud. c.* 20. Hæc autem Cæſarea prius Turris Stratonis dicta fuerat, & ab Herode in Auguſti honorem ſplendidiſſimè exculta, poſt excidium Hieroſolymitanum caput provinciæ Judææ & ſedes Præſidis facta eſt. Fuit & in Galilæa ad fontes Jordanis ſita Cæſarea Philippi. Quinimò præter has duas adhuc alias 7. Cæſareas recenſet *Cellarius in Geographia antiqua.*

A. C. 80. *Veſuvii montis incendium.* Sæpius aliàs Veſuvius mons Campaniæ flam̃as eructavit; ſed hoc incendium fuit longè maximum, quo duæ urbes, Herculanum & Pompeji, penitus obrutæ, Plinius etiam Senior, novæ rei ſpectator improvidus periit. *Xiphilinus in Tito* ſcribit,

Digitized by Google

bit, tantum cineris tunc jactatum in aëre, ut pervenerit in Africam, Syriam & Ægyptum, introieritque Romam, & Solem obſcuraverit, gigantum imaginibus in aëre velut confligentibus. Præter *Xiphilinum* deſcribit *Plinius Junior lib. 6. Epiſt. 16. & 20.* ubi de avunculi ſui interitu. Meminit & *Suetonius Tit. c. 8.*

MVSONIVS, EPICTETVS, DIO PRVSÆVS *Vrbe & Italia pelluntur.* De Philoſophis à Domitiano Imp. pulſis Vrbe, meminit *Suetonius Domit. c. 10.* & *Gellius N. A. lib. 15. c. 11.* qui nominatim inter eos Epictetum fuiſſe dicit. De *Muſonio Rufo* dubito. Is quidem jam à Nerone in exilium pulſus fuerat, teſte *Xiphilino in Nerone.* Sed poſtea mutatione temporum rediit. Certè cum Vitellii legatis ad Antonium, Veſpaſianarum partium ducem, profectus, pacem illis fruſtra ſuadere conatus eſt. *Tacitus 3. H. c. 81.* & adhuc ſub Domitiano Publ. Celerem accuſaſſe legitur, apud *Tacitum 4. H. 10. & 40.* qui ejus etiam meminit *14. Annal. c. 55. & 15. Annal. c. 71.* quò magis miror, *Geſnerum in Bibliotheca* dicere, eum à Nerone interfectum eſſe. Fuit autem Muſonius Philoſophus Stoicus, cujus Epiſtolæ paucæ ad Apollonium Tyaneum ſuperſunt; ex cæteris ejus Scriptis paſſim aliqua adducit *Stobæus in Eclogis.* *Epictetus* & ipſe Stoicus fuit; cujus dogmata IV. libris complexus eſt *Arrianus in Epicteto,* qui & eorundem Enchiridion ſcripſit. Nonnulli Chriſtianum fuiſſe ſtatuunt cum Barthio; quos refellit *Mich. Roſſal,* Prof. Ling. Græc. Grœningenſis, in *Diſquiſitione de Epicteto Philoſopho Stoico.* Cæterùm Epictetus ſervus fuerat, & de fortuna ſua hoc ipſe Diſtichon fecit:

Δῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Vid. *Gellius N. A. lib. 2. c. 18.* *Dio Pruſæus,* dictus *Chryſoſtomus,* Sophiſta & Philoſophus fuit, Imperatori Trajano familiaris: cujus extant Orationes & alia quædam philoſophica. Vid. *Fabricii Biblioth. Græc. lib. 4. c. 10.* & *Morhoffii Polyhiſt. liter. lib. 6. c. 2. n. 16.*

Superſunt memorandi præterea VIRI CELEBRES, qui ſub hoc titulo ponuntur, & quorum ferax hoc Seculum eſt:

PETRONIVS ARBITER, qui Neronis aulam ſub exoletorum nominibus deſcripſit in *Satyra,* cujus fragmentum adhuc ſupereſt. De integro Petronio, quem ante hos annos edidit Gallus quidam *Nodotius,* & in præmiſſa præfatione, fragmenta, quibus eum ſupplevit, genuina eſſe, & ex MSC. Budæ invento ſumta, tàm aſſeveranter audet affirmare,

Digitized by Google

ut duræ frontis eſſe debeat, qui dubitare velit; tamen quid judicandum ſit, emunctæ naris lector ſtatim ſentiet. Etiam ante hanc editionem integer prodiit ex exemplari, quod Statileus ex bibliotheca Nicol. Cippici depromſit: quod multum negotii fecit Philologis, aliis pro genuino habentibus, aliis ut ſpurium rejicientibus. De hoc Scriptore puriſſimæ impuritatis, quem *elegantiæ Arbitrum Tacitus* vocat, (rectius *nequitiæ arbitrum* dixeris) vide Judicia Veterum & Juniorum in editionibus ejus variis collecta. Optimum ejus eſt *carmen de mutatione reip. Rom.* quod vel ſolum in eo legi dignum. Vid. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 12. *n.* 10. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 80.

M. VALERIVS PROBVS Grammaticus fuit, cujus Vita eſt apud *Suetonium de Illuſt. Grammat. c.* 24. Ejus *de interpretandis Rom. literis* libellum in ſuo corpore Auctorum Latinæ linguæ exhibuit *Dionyſ. Gothofredus*, & poſt hunc ex MSC. Codicibus edidit, & penè altero tanto auxit, notiſque illuſtravit *Henr. Ernſtius*, Profeſſor Soranus, Soræ 1647. 4º Ejuſdem ſunt *Grammaticarum Inſtitutionum* libri II. quos, ut & libellum *de Notis Rom.* in collectione veterum Grammaticorum exhibuit *Elias Putſchius*, quæ edita eſt Hanoviæ 1605. 4º Vid. de hoc Grammatico *Barthius Adverſar. p.* 514. *ſeq. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 10. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 83. *&* 91. Eſt etiam Probus hic inter Commentatores Virgilii veteres.

L. SENECA M. *filius*. De hoc viro multa dici poſſent. Habuit enim partem in hiſtoria civili pariter & literaria. Multa de eo *Suetonius, Tacitus, Xiphilinus*, qui poſtremus præ cæteris hoc notat, quod philoſophia Senecæ vitæ ejus non reſponderit. Aliqui Chriſtianum fuiſſe volunt, & Epiſtolas ejus ad Paulum & Pauli ad ipſum, pro genuinis habent, *B. Hieronymum* ſequuti: quem tamen prætextu tantum hoc uſum fuiſſe, ut catalogo Scriptorum illuſtrium inſereret Senecam unum ex profanis, revera autem pro Chriſtiano ipſum, aut Epiſtolas Pauli & Senecæ mutuas pro genuinis, non habuiſſe, cenſet *Eraſmus in Præf. ad Senecam.* Fuit Neronis Imp. præceptor, & ejus juſſu denique periit, inciſis venis. Pater ejus *M. Seneca* Rhetor, cujus *Suaſorias* & *Controverſias* habemus: de quo *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 66. Hic vero L. Seneca ſcripſit plurima, philoſophica inprimis, de quibus, quantum eorum ſupereſt, benè meritus fuit *Lipſius*. Eſt ejus quoque Ἀποκολοκυνθωσις ſeu *de morte Claudii Satyra*. Præterea *Tragœdiæ*; quanquam non omnes hoc nomen præferentes, illius ſunt. Qui plura volet de Seneca, præter ipſos Hiſtoricos illius temporis, adeat *Lipſium* qui *vitam Senecæ* ex illis collectam conſcripſit, editioni Operum ejus præmiſſam.

Vid.

Vid. & *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 25. *p.* 128. & *de Poët. Lat. c.* 3. *p.* 40. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 67. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 12. *n.* 8.

LVCANVS, Senecæ ex fratre nepos, præterquam quod & ipſe in rep. partes geſſit, ſcriptis quoque inclaruit, cujus *Pharſalia*, i. e. carmen de bellis civilibus Romanorum, hodie legitur, varia judicia expertum. Nam *Boeclerus* Lucanum commendat, ut Poetam acutum & πολυλεκτότατον: *Scaligero* vero ne quidem Poëta, ſed latrare potius videtur, quàm canere. Sed hæc cenſura, meo judicio, nimis rigida eſt. Diverſa doctorum de Lucano judicia vide in *Morhoffii Polyhyſt. Liter. lib.* 4. *c.* 12. *n.* 9. Eundem vitæ exitum habuit Lucanus, quem patruus Seneca. Extat ejus vita à *Suetonio* exarata. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 26. *p.* 137. & *de Poët. Latin. c.* 3. *p.* 41. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 77. *& in Indice.*

PROCVLVS Grammaticus fuit, ſi hic eſt, ut apparet, qui *Capitolino in Vita M. Antonini Philoſ.* vocatur Eutychius Proculus Siccenſis. Fuit enim M. Antonini Philoſ. Imp. Præceptor. Antiquior multò eſt Proculus Poeta, cujus meminit *Ovidius* 4. *de Ponto El.* 16. De hoc noſtro Proculo vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 12. *fin.*

PERSIVS *Poëta Satyricus.* Dictio hujus Poëtæ ſupra modum horrida eſt & obſcura. *Lubinus* & *Friſchlinus* in eum paraphraſes ſcripſerunt. Editur plerumque cum *Juvenale.* Vitam ejus exhibet *Suetonius.* Vid. etiam *Voſſius de Poët. Latin. c.* 3. *p.* 41. *Morhoffius Polyhiſt. lib.* 4. *c.* 12. *n.* 13. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 84. *ſeqq.*

APOLLONIVS TYANEVS, Philoſophus Pythagoricus, magicis artibus celebris fuit, & præſtigiis ſuis tantum ſibi nomen comparavit, ut gentilium nonnullos non puderet, eum Chriſto comparare: quod fecit *Hierocles* in ſuo *Philalethe* ſeu opere adverſus Chriſtianos, quem ſingulari ſcripto refellit *Euſebius.* Caracalla Imp. teſte *Xiphilino* ei heroicum monumentum erexit. Vitam ejus præter plures alios 8. libris complexus eſt *Philoſtratus*, qui adhuc habentur. Ipſius quoque *Apollonii Epiſtolæ* ſuperſunt: quæ noviſſimæ editioni Philoſtrati Lipſienſi annexæ ſunt. Vid. etiam de hoc mirabili Viro *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 1. *c.* 13. *n.* 17. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *cap.* 24. §. 15. & *de Epiſtolis ejus lib.* 2. *c.* 10. §. 11.

Q. CVRTIVS, nobiliſſimus rerum Alexandri M. ſcriptor, ad hanc ætatem ab auctore noſtro refertur; credo, quòd locum ipſius Curtii, unde de ejus ætate conjectura aliqua capi ſolet, *lib.* 10. *c.* 9. de reſtituto per Flaviam gentem Romano imperio, cum pleriſque intellexit. Alioqui ætas ejus incerta: de quo vid. *Freinshemius in Prolegom. Comment. ad Curtium*, & *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 28. *Morhoffius Polyhiſt. Liter.*

lib. 4. *c.* 11. *n.* 14. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 103. *Neu in Acceſſion. ad Wheari Relect. Hiem. p.* 106.

QVINTILIANVS ſeu M. Fabius Quintilianus, Rhetor nobiliſſimus, Domitiani Cæſaris liberorum præceptor fuit. Ejus ſuperſunt *Inſtitutionum Oratoriarum libri* 12. opus eloquentiæ ſtudioſis inprimis commendandum; & præterea *Declamationes*, de quibus tamen an hujus Quintiliani ſint, dubitatur. Judicia de eo & elogia videantur præmiſſa noviſſimæ ejus editioni Obrechtianæ. Vid. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 3. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 95.

ASCONIVS PEDIANVS, Scriptor hiſtoricus fuit, ut eum vocat *Hieronymus* ad annum Veſpaſiani 7. Ejuſdem ſunt *annotationes in Ciceronis Orationes*, quarum pars exigua adhuc ſupereſt. Eundem eſſe aſſerit *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 27. *p.* 142. quanquam primùm aliter ipſi viſum erat.

A. C. 80. PLINIVS *major perit*. Hic eſt ille *Plinius*, cujus *Hiſtoriam Naturalem* adhuc in pretio habemus. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 29. Mors ejus memorabilis eſt, quam in incendio montis Veſuvii, nimia curioſitas an ſecuritas ipſi attraxit. De qua re videndus *Plinius Junior in Epiſt. ad Tacit.* quæ eſt *libri* 6. *Ep.* 16. qui illud incendium Veſuvii prolixè deſcribit et hac, et ejuſdem libri *vigeſima epiſtola*. Idem de avunculi hujus ſui ſcriptis conſulendus *lib.* 3. *Ep.* 5. Vid. de hoc Scriptore *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 1. & de Plinio Juniore *n. ſeq.* De utroque etiam *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 87. & 118.

MARTIALIS, Epigrammatum Scriptor argutiſſimus, quorum libri 14. ad nos pervenerunt. Sed obſcœna multa habet, quæ reſecuit in ſua editione *Raderus* Jeſuita. Vnde de Martiale ita caſtrato Epigramma *Scaligeri*, quod incipit *Bilbilicus vates, qui mas audire ſolebat &c.* Vid. de eo *Voſſius de Poët. Latin. c.* 3. *p.* 46. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 11. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 112.

VALERIVS FLACCVS Poëta, cujus ſuperſunt *Argonauticorum* libri 8. epico carmine conſcripti. Vid. *Voſſius ibid.* & *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 8. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 94.

STATIVS PAPINIVS, Poëta magni ſpiritus, poſt Virgilium ponendus, quem imitatus eſt. Ejus *Sylvarum* libri, & *Thebais* & *Achilleis* hodie leguntur. De eo *Voſſius de Poët. Latin. c.* 3. *p.* 45. & judicium de eo *Scaligeri de Arte Poët. lib.* 6. *p.* 776. qui etiam de cæteris Poëtis hactenus nominatis, & deinceps nominandis conſulendus, eopſe libro, qui *hypercriticus* inſcribitur: quod ſemel monuiſſe ſufficiat. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 12. *n.* 9. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 99.

Digitized by Google

JVVENALIS, Poeta Satyricus, cujus *Satyræ* adhuc ſuperſunt. *Voſſius de Poet. Latin. c.* 3. *p.* 47. *Fabricius Biblioth. p.* 108. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 12. *n.* 10.

SILIVS ITALICVS, vir maximis in republ. dignitatibus functus (eo enim anno quo Nero periit, Conſul erat) idem & Poëta, ſcripſit carmine epico Hiſtoriam belli Punici II. Plura de eo vid. apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 29. *p.* 155. *ſeq.* & *de Poet. Latin. p.* 40. *ſeq. Morhoff. Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 7. *Fabric. Biblioth. Latin. p.* 86.

FLAVIVS JOSEPHVS *Antiquitatum libros abſolvit.* Hic Judaicarum i. e. ſuæ gentis rerum Scriptor luculentiſſimus, ſæpe ante à me citatus, notior eſt, quàm ut multa de eo dici neceſſe ſit. Vitam ſuam ipſe ſcripſit, & præterea 20. *libros Antiquitatum Judaicarum*, item *de Bello Judaico libros* 7. & *libros* 2. *contra Apionem.* Plura de eodem *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 8. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 6. *Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 33. *p.* 119. & *Neu Acceſſ. ad Whear. Part.* 1. *p.* 220. Judicium de ejus fide hiſtorica, inprimis quod ad *Antiquitates* attinet, vide in *Prolegom. Hiſtor. Eccleſ. Gothan.*

SEXTVS JVLIVS FRONTINVS eſt is, cujus de *Strategematibus* libros 4. item *de Aquaductibus* & *de Coloniis* libellum habemus. De eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 3. *p.* 737. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 12. *n.* 5. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 110.

CORN. TACITVS, præterquam quod in republ. ſuas partes habuit, à Veſpaſiano inde ad Trajanum publ. muneribus functus, etiam in rep. literaria nobile ſibi nomen comparavit, Scriptor πολιτικώτατος, qui tot propè præcones invenit, quot eum legerunt. Nolo prolixus eſſe in ejus ſcriptis laudibuſque recenſendis, quanquam nec deſunt, qui his detrahunt. Ejus ſuperſunt *Annalium* libri XVI. ſed utinam continui. Poſt ſextum enim lacuna eſt uſque ad undecimum, qui & ipſe ἀκέφαλος eſt, & in fine mutilus. Præterea *Hiſtoriarum* libri V. (quos quidem ante Annales ſcripſit) *de Vita Agricolæ* & *de Moribus Germanorum* liber. Commentatorum in eum ferè integra eſt bibliotheca. Plura de Tacito pete ex *Voſſio de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 30. *p.* 159. *ſeq. Morhoffii Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 4. & *Fabricii Biblioth. Latin. p.* 114. *Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 21. *p.* 84. & *Neu in Acceſſionibus p.* 128. *ſeqq.*

Digitized by Google

Initio principatus & paulò ante quam moreretur, quorundam bonorum civium cædes fecit, Senatui hinc & ob alias cauſas exoſus. Leges ejus & Conſtitutiones vid. apud *Spartianum c.* 18. inter quas præcipuè notanda lex de theſauris inventis. Notari quoque meretur mors ejus miſera, & fruſtra votis vocata, ita ut ferrum quoque in remedium malorum poſceret, nemine tamen manus ei commodare volente. Vixit annos 72. m. 7. d. 17. ſecundùm *Spartianum*; imperavit annis 21. mènſibus 11. Hæc omnia, præterque ea, quæ Tab. noſtra de illo ſpeciatim notat, uberius petenda ex Scriptoribus hiſtoriæ ejus, *Spartiano* (nam ab hoc jam VI. Scriptores Hiſtoriæ Aug. minores incipiunt) *Xiphilino, Aurelio Victore, Eutropio, Suida in voce Adrianum.* Quibus adde ex recentioribus *Rupertum Obſerv. ad Synopſ. Beſold. c.* 14. *p.* 305. qui hunc Imperatorem præ cæteris laudat, & Trajano præfert.

A. C. 120. *Rebus urbanis conſtitutis provincias peragrat.* Fuit enim peregrinator Hadrianus, *nec quisquam fere Principum tantum terrarum tam celeriter peragravit*: ut ait *Spartian. c.* 13. ubi etiam itinera ejus deſcribit. Hinc Florus quidam Poëta ad ipſum ſcripſit: *Ego nolo Cæſar eſſe, Ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas.* Cui Cæſar reſpondit: Ego *nolo Florus eſſe* &c. vid. *Spartian. c.* 16.

Parthis Armenia, Aſſyria, Meſopotamia cedit. Omnia nimirum trans Euphratem & Tigrim, quæ Trajanus occupaverat, reliquit, exemplo, ut dicebant, Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant; ut loquitur *Spartian. c.* 5. & finem imperii eſſe voluit Euphratem. *Eutropius* id feciſſe dicit ideò, quod gloriæ Trajani invideret, & idem de Dacia facere conatum, ab amicis eſſe deterritum, ne multi cives Rom. barbaris traderentur.

A. C. 129. *Hieroſolymam inſtaurat.* Duxit eò coloniam Hadrianus, urbemque Æliam Capitolinam appellavit, & Jovis Capitolini templum in veteris templi loco exſtruxit. Vid. *Xiphilin.* & *Caſſiodor. in Chronico.*

A. C. 135. *Judæos Barcocheba duce rebelles internecione delet.* Irritaverat Judæos partim ignominia, quod in loco ſanctiſſimi templi Hieroſolymitani templum Jovis Capitolini eſſet exſtructum; partim quod mutilare genitalia prohiberentur: quam huic bello cauſam fuiſſe aſſerit *Spartianus c.* 14. Acceſſit incitamentum furoris dux Barcochabus, i. e. Stellæ filius, qui ſe Judæos in libertatem vindicaturum promiſit. Bellum illud magnis utrinque cladibus geſtum. Cæſa dicuntur Judæorum 580000. omneſque eorum arces & vici exciſi. Nec incruenta Romanis victoria fuit. Judæi ita internecione deleti,

Digitized by Google

ut nulla amplius gens eſſet, quæ certis ſedibus habitaret. Neque enim vel eminus amplius aſpicere patriam ſuam cuiquam Judæorum permiſſum. Et hic fuit extremus conatus Judæorum, poſt quem nihil ferè ampliùs publicè ab hac gente geſtum eſt.

A. C. 137. Antoninvs Pivs 24. *alter Numa.* Adoptaverat quidem Hadrianus *L. Ceionium Commodum Verum*, ſeu *L. Ælium Cæſarem*, uti poſt adoptionem dictus eſt. Sed is non auget Imperatorum numerum. Eo enim fatis functo, Hadrianus adoptavit hunc *Titum Aurelium Fulvium Bojonium Antoninum*, qui poſtea *Titus Ælius Cæſar Hadrianus Antoninus* appellatus eſt. Cognomentum *Pii* Imperator à Senatu accepit; quare, id docet *Spartianus in Vita Hadriani c.* 24. & *Jul. Capitolin. in Antonino Pio c.* 2. Alter Numa dicitur, quia *ejus felicitatem pietatemq; & ſecuritatem ceremoniasq; ſemper obtinuit*: quæ verba ſunt *Capitolini in Vita ejus, fin.* Princeps laudatiſſimus, cujus de vivendi genere, beneficentia, civilitate aliiſque virtutibus, videndi Scriptores, *Jul. Capitolinus, Xiphilinus,* non quidem ex *Dione*, in cujus exemplaribus vitam Antonini non invenit, ſed ex aliis. Add. *Aurelius Victor, Eutropius, Suidas.* Quædam etiam ſingularia contulit ex aliis *Rupert. p.* 313. *ſeqq.* De tempore regiminis ejus diſcrepant. Tab. noſtra 24. annos ei aſſignat, ut facit etiam *Xiphilinus.* Alii tantùm 22. cum aliquot menſibus. Vid. *Rupert. p.* 321.

Orbem terrarum ſine bello ſolâ auctoritate rexit. Geſſit quidem Antoninus Pius bella quædam per legatos, ſed ea minus gravia: quæ commemorat *Capitolin. c.* 5. De cætero pacificus Romæ ipſe reſedit, ſoluſque omnium propè Principum prorſus ſine civili ſanguine & hoſtili, quantum ad ſeipſum pertinet, vixit: ut loquitur idem *Capitolinus fin.*

Sub REBVS ECCLESIÆ notatur ad

A. C. 107. *Perſecutio III.* Ignatius *Antiochiâ Romam tractus leonibus objicitur.* Movit hanc perſecutionem Chriſtianorum Trajanus, remiſſam tamen aliquantum ob metum, ne in tantâ pereuntium multitudine, provinciæ hominibus exhauſtæ barbarorum incurſionibus paterent. Memorabilis eſt *Plinii*, tunc Bithyniæ Præſidis, *lib.* 10. Epiſtola 96. quâ Trajanum circa cognitiones de Chriſtianis inſtituendas conſulit, & reſcriptum de ea re Trajani, quo modum inquiſitioni præſcribit *Epiſtola ſeq. Ignatius*, cujus martyrium hîc memoratur, Antiochenus Epiſcopus fuit. Vid. *Euſeb. in Chronico & lib* 3. *Hiſt. Eccl. c.* 30. Apoſtolorum, præſertim Johannis Diſcipulus. Tradunt nonnulli, hunc Ignatium fuiſſe puerulum illum, quem Chriſtus ulnis excepit.

excepit, *Marci* 9,38 De *Epiſtolis S. Ignatii*, quas ſcripſit in itinere, cùm Romam duceretur, hodie ſuperſtitibus, diverſimodè judicant Critici. Videatur de illis præter alios *Bebelius in Antiq. Eccl. Sec.* 1. *p.* 2. & *Neuius in Acceſſ. ad Wheati Releſt. part.* 1. *pag.* 246. & inprimis *Fabricius in Biblioth. Græc. lib.* 5. *c.* 1. *p.* 38. *ſeqq. Arnold.* Kirchen und Ketzer-Hiſtorie *Part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 59.

Traiani perſecutionem ſucceſſor ejus propagat, nempe HADRIANVS. Nonnulli hanc quartam perſecutionem numerant; plerique tamen cum eâ, quæ ſub Trajano mota eſt, conjungunt, tanquam continuam. Fuit autem graviſſima: de quâ vid. *Euſeb. in Chron.* & *H. E. l.* 4. *cap.* 3, 8, 9. *Tertullianus in Scapulam c.* 5. ſcribit, multos Chriſtianos ultrò ſe obtuliſſe, ita ut etiam Arrius Antoninus, Hadriani poſtea ſucceſſor, qui tunc Proconſule Aſiam adminiſtrabat, eis diceret: ô miſeri, nonne laqueos & præcipitia ipſi habetis?

AQVILA PONTICVS *Bibliorum Interpres.* Hic Synope Ponti urbe oriundus, primùm ex Ethnico factus Chriſtianus, deinde ex Chriſtiano Judæus, in opprobrium verſionis à LXX. adornatæ, Scripturam ſeu Vet. Teſt. tranſtulit in Græcum ex Hebræo; quod jam provectâ ætâte ſummo ſtudio addidicit: ut ſic inſerviret Judæis; Chriſtianis autem ægrè faceret. In ea autem verſione verbum verbo reddidit. Plura de eo vid. in *Prolegomenis ad LXX. Interpretum editionem Gothanam* p. 23. *ſeqq.* & in *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 12. *p.* 332.

A. C. 126. QVADRATVS & ARISTIDES *Apologeticos Imperatori exhibent. Quadratus* vir Apoſtolicus fuit, Pauli pridem cooperarius; *Ariſtides* verò Philoſophus Chriſtianus; qui Hadriano Athenas venienti libellos pro Chriſtiana religione à ſe compoſitos obtulerunt. Quadratus præterea eo audiente luculentam orationem habuit. Poſt quæ Chriſtianis aliquantò mitior factus eſt Imperator. Vid. *Euſeb. in Chron. ad ann.* 130. *Fabricii Biblioth. Græc. lib.* 5. *cap.* 1. *p.* 186.

BASILIDES *Gnoſticorum ſectæ parens*; Baſilides Alexandrinus fuit, qui Sectæ à ſe inſtitutæ ſpecioſum Gnoſticorum nomen indidit: quorum dogmata tàm pudenda fuerunt, ut horreſcat animus referre. Vid. *Epiphan. Hær.* 26. *Centur. Magdeb. Sec.* 2. *c.* 5.

JVSTINVS *apologiam edit.* Hic illuminatiſſimus Eccleſiæ Doctor, patria Samaritanus fuit; qui cùm ſe metu belli Judaici Romam contuliſſet, ibi Philoſophi habitu Chriſtum docere cœpit, cùm prius Platonem docuiſſet. Apologiam verò duplicem ſcripſit pro Chriſtianis, alteram ad Antoninum Pium, (quem ex eo tempore non adeò iniquum noſtræ religioni fuiſſe, documento ſunt literæ, quas in favorem hujus ipſe ad communitates Aſiæ ſcripſit in tertio conſu-

Digitized by Google

latu ſuo; quas legimus apud *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 3. c. 13.*) alteram ad Senatum. In utraque docet, quæ vita Chriſtianorum, qui ritus Eccleſiæ, & quæ dogmata ſint, & quomodo aliter viventes credenteſque, etiamſi ſe Chriſtianos ore profiteantur, à genuinis Chriſtianis diſtinguendi ſint. Alia quoque ſunt ejus ſcripta, de quibus vid. *Hiſt. Eccl. Goth. lib. 2. p. 220.* & in *Bebel. Ant. Eccl. Sec. 2. p. 184. ſeqq. Neuin Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. p. 248. ſeq. Fabricius in Biblioth. lib. 5. c. 1. p. 51. ſeqq.* ubi etiam Obſervationes in utramque ejus Apologiam. Tandem læſæ religionis accuſatus à Creſcente Philoſopho Cynico, martyrio vitam finiit. A. C. 154.

MARCION, CERDO, VALENTINVS *hæreſiarchæ. Marcion* Cerdonis diſcipulus fuit, quem Romæ ſibi obvium factum Polycarpus Satanæ primogenitum appellavit. Inter alia ſtatuit, DEVM Patrem JESV Chriſti alium eſſe ab immiti illo Deo, legis & Prophetarum auctore. *Cerdo* & ipſe duos Deos commentus eſt, alterum cœli, alterum terræ creatorem. *Valentinus*, Ægyptius natione, mira Deorum portenta (30. ſc. Deos, quorum 15. fœminei ſexus fuerint) & ceremonias nefandas commentus eſt. De his cæteriſque eorum erroribus videantur *Centuriatores Magdeb.* qui prolixum illorum catalogum recenſent ex ſuis auctoribus. Add. *Bebel. Ant. Eccl. Sec. 2. p. 367. ſeqq. Arnold.* in der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *Part. 1. lib. 2. c. 4.* qui tamen, pro ſuo more, multa illis falſò affingi aſſerit.

Inter VARIA memoratur:

Babylon, Cteſiphon, Seleucia à Trajano captæ. De hoc bello jam dictum, ubi de Trajani expeditione in Parthos: de qua *Xiphilinus* & *Eutropius*. Quod harum urbium expugnatio ſeorſim memoratur, inde eſt, quia nunquam ante in Romanorum poteſtatem venerant, quas & ſucceſſor Hadrianus poſtea deſeruit. Sunt enim ultra Euphratem ſitæ, niſi quod Babylon ab hoc amne interluitur.

A. C. 118. *Judæorum rebellio in Judæa à Marcio Turbone caſtigatur.* Etiam de hac rebellione jam dictum, ex *Xiphilino* & *Euſeb. H. E. lib. 4.* Præter Marcium Turbonem Lyſias Quietus & alii duces Romani Judæos tunc compeſcuerunt.

A. C. 129. *Judæis Hieroſolymitano agro interdicitur.* Poſt bellum Judaicum ſub Hadriano, quo rabies Judæorum ultima magnis cladibus penſata fuit, Hieroſolyma, quam paulo ante inſtauratam, Æliam Capitolinam appellari voluit Hadrianus, præſidiario milite firmata, nec quiſquam Judæus, niſi numeratâ pecuniâ, ſaltem ut paululùm fleret,

fleret, admiſſus eſt. *Euſeb. H. E. lib. 4. c. 6. Hieron. in cap. 7. Eſaiæ & cap. 1. Sophoniæ.*

A. C. 131. SALVIVS JVLIANVS *auctoritate Hadriani Imp. Edictum perpetuum condit.* Salvius Julianus JCtus fuit, & bis Conſul & Præfectus urbi ſub Hadriano, teſte *Spartiano in Hadriano c. 18.* & *Didio Juliano c. 1.* occiſus poſtea à Commodo. *Lamprid. c. 4.* Hic igitur juſſu Imp. Hadriani Edicta prætorum in unum volumen congeſſit, quod Syntagma Edicti perpetui nomine venit. Ejus fragmenta ſuperſunt, vulgata & caſtigata à *Guil. Ranchino, Jac. Gothofredo,* &c. Meminit Edicti perpetui à Salvio Juliano JC. conditi *Eutropius lib. 6.* ſub Juliano paucorum menſium Imperatore; qui JCti hujus nepos, vel, ut *Spartianus* ait, pronepos fuit. At *Victor in Cæſaribus* ipſum Imperatorem Julianum hujus Edicti perpetui conditorem facere videtur.

R. JEHVDA *cognomento Sanctus Juris Judaici traditiones ſcripto mandat.* Jus Judaicum complectitur *Thalmud. Miſchna* verò vocatur hic liber, i. e. δευτέρωσις vel lex iterata, quo *Rabbi Jehuda,* indulgentia Antonini Imperatoris, veritus ne Judæi inter gentes vagabundi tàm præclaro ſcil. privarentur theſauro, anteceſſorum ſuorum placita & conſtitutiones in aphoriſmos redegit, quibus deinde omnes Judæi, Iſraelitæ & Babylonii, communis Juris auctoritatem tribuerunt. Vid. *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap. 2. Sect. 3. p. 72.*

CELEBRES VIRI hoc ſeculo memorantur,

PLVTARCHVS Chæronenſis, Philologus, Philoſophus & Hiſtoricus ſummus. Ejus *Opuſcula Moralia* varia magnum eruditionis continent theſaurum. *Vitæ* verò ejus *Parallelæ* majores præſertim, ad hiſtoriam Græcam Romanamque longè plurimum conferunt. Nobiliſſimi hujus Scriptoris elogia paſſim ſunt obvia. Videatur interim de eo *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. 2. c. 10. p. 209. ſeqq.* & *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 4. c. 11.* & alii, quos hic allegat. Add. *Whear. Relect. Part. 1. Sect. 17. p. 74* & *Neu in Acceſſ. p. 116.*

PHILO *Biblius* (diſtinguendus à Philone Judæo Alexandrino) Grammaticus fuit, ſed & hiſtorica nonnulla ſcripſit, quæ ex *Suida* potiſſimùm commemorat *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. 2. c. 10. p. 211.* Add. *Fabricii Biblioth. Græc. lib. 4. c. 4. p. 120.*

PAPIAS, *S. Joannis auditor*, ut quidem *Irenæus lib. 5. c. 33.* aſſerit; Sed *Euſebius* alius Johannis, non Apoſtoli diſcipulum fuiſſe exiſtimat. Fuit Epiſcopus Hierapoleos in Phrygia, & auctor primus traditionis de millenaria Chriſtianorum in his terris felicitate: quem deinde

Digitized by Google

multi ex Patribus in hoc dogmate ſecuti ſunt Vid. *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. c. 33. & 39.* Add. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 2. p.* 184 *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 5. cap.* 1. *p.* 185. ubi inter Scriptores Eccleſiaſt. deperditos Seculi II. recenſetur. *Arnold.* in der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *Part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *p.* 47.

C. PLINIVS *Bithyniæ Præſes.* Dicitur alias *Plinius Junior*, ut diſtinguatur ab avunculo ſuo, Naturalis Hiſtoriæ Scriptore. Bithyniam Præſes adminiſtravit ſub Trajano, ad quem quas inde ſcripſit Epiſtolæ, & Trajani reſcripta libro Epiſtolarum ejus decimo continentur. Præter *epiſtolas* habemus ejuſdem *Panegyricum Trajano dictum*, in quem præter multos aliorum commentarios extant *Bœcleri Commentationes Plinianæ*, in hac Vniverſitate olim pro cathedra diſputatæ. Cæteros commentatores tùm in hanc Panegyricum, tùm in Epiſtolas Plinianas indicabunt *Fabricius in Biblioth. Latin. p.* 118. & *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 2. & Idem, præſertim de Epiſtolis Plinii, *lib.* 1. *c.* 2; *n.* 20. Libellus quoque *de Viris Illuſtribus* ei à nonnullis tribuitur; ſed ille *Victoris* eſt. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 30. *p.* 160. *Neu in Acceſſ. ad Whear. Relect. Hiem. p.* 134.

L. ANNÆVS FLORVS. Hic eſt, qui hiſtoriæ Rom. compendium nobis dedit libris 4. de quo plura apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 30. *p.* 162. An idem ſit, qui librorum Livianorum epitomas concinnanavit, dubitatur. De ſtylo ejus rigidior eſt cenſura *Morhoffii Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 13. *v.* 6. & *Fabricii Biblioth. Latin. p.* 124. Elogia ejus vid. *in Wheari Relect. Hiem. de Rat. & Methodo legendi hiſtorias Part.* 1. *Sect.* 15. & *Acceſſionibus Jo. Chriſtiani Neu, p.* 109.

FAVORINVS *Arelatenſis*, (ab aliis *Phavorinus* ſcribitur) fuit Philoſophus & Grammaticus ſuo tempore celeberrimus, Imp. Hadriano familiaris, & præ reliquis eruditis charus: qui cum Hadriano aliquando de verbo ab ipſo reprehenſo ceſſiſſet, quanquam idonei auctores id uſurpaſſent, arguentibus ob id amicis, *Non rectè*, inquit, *ſuadetis familiares, qui non patimini illum doctiorem omnibus credere. qui habet* 30. *legiones. Spartianus in Hadr. c.* 15. & 16. Crebra etiam ejus mentio fit apud *Gellium*, qui auditor ejus fuit. Vita ejus eſt apud *Philoſtratum lib.* 1. *de Vitis Sophiſtarum.* Vid. *Voſſium de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 10. *p.* 212.

SVETONIVS TRANQVILLVS, Grammaticus Rom. & notiſſimus Hiſtoriæ Aug. Scriptor, qui Vitas XII. primorum Imperatorum nobis reliquit, opus commendatiſſimum; & præterea *de Illuſtribus Grammaticis & Rhetoribus.* In Vitas Cæſarum, præter aliorum commentatorum curas, ſunt *Bœcleri Diſſertationes Politicæ*, annexæ editioni *Caſauboni* Argentorati impreſſæ. Vid. de hoc Scriptore *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 1. *c.* 31. *Morhof-*

Digitized by Google

Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 4. *c.* 13. *n.* 13. & *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 127. *Whear Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 21. & *Acceſſ. Novi p.* 126.

PTOLEMAEVS. Cl. Ptolemæus, Alexandrinus, Philoſophus & Mathematicus inſignis fuit: cujus ſcripta, quantum eorum ſupereſt, geographica, aſtronomica, philoſophica, &c. enumerat *Geſnerus in Bibliotheca.* Videatur de eo etiam *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 4. *c.* 17. *p.* 481. *ſeq.* & præſertim *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 14.

NERATIVS PRISCVS, JVVENTIVS CELSVS, PRISCVS JABOLENVS, Juriſconſulti fuerunt, quorum conſiliis partim Hadrianus, partim Antoninus Pius uſi ſunt. *Spartianus in Hadr. c.* 18. & *Capitolin. in Antonino Pio c.* 12. Neratium Priſcum Imper. Trajanus etiam ſucceſſorem ſibi deſtinaſſe dicitur. *Spartianus in Hadr. c.* 4. Celſus apud *Spartianum* pro Juventio Julius appellatur. In Pandectis eorum frequens mentio, & conſervatæ ſunt ſententiæ. Scripta eorum indicat *Fabricius Biblioth. Latin. App. p.* 111. vid. *Guil. Grotius in Vitis JCtorum.*

ARRIANVS Nicomedienſis, Epicteti diſcipulus, Philoſophus idem & Hiſtoricus fuit, Hadriano Imp. percharus. Opera ejus Græcè ſcripta, quæ quidem ad nos pervenerunt, ſunt, Libri VII. *de Expeditione Alexandri*, & *Indica*, qui octavus ejus operis liber dicitur: & præterea libri IV. *de Diſſertationibus Epicteti*: item, *Periplus Ponti Euxini* in Epiſtola ad Hadrianum: *Periplus maris Erythræi*: *Tactica*: & denique liber *de Venatione*: quem tamen alii *Arriano Athenienſi* attribuit *Buddeus in Lexico Univ. voce Arianus.* Cætera perierunt. Vid. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 8. & *Voſſius lib.* 2. *de Hiſtor. Græc. c.* 11.

R. AKIBA, filius Joſeph, proſelytus ex poſteris Siſſera fuit, ut tradunt Judæi, apud quos hic inter præcipuos Doctores habetur. Rectoratum geſſit in Iſraël annis XL. habuitque diſcipulos 24000. Vid. *Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. c.* 2. *Sect.* 3. *p.* 75. Conf. de hoc, & de cæteris Judæorum Doctoribus, qui deinceps nominabuntur, *Jul. Bartoloccii Bibliotheca Rabbinica.*

Cl. ÆLIANVS Italus quidem, civiſque Romanus fuit, ſed Græcè ſcripſit *Variæ Hiſtoriæ* libros XIV. Item, *de Animalibus* libros XVII. & *Tactica*: quæ quidem ſcripta ejus ad nos pervenerunt. Tribuuntur etiam illi *Epiſtolæ Ruſticæ XX. Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 11. *p.* 217. & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 21.

PHLEGON TRALLIANVS, Hadriani libertus, ſcripſit Græcè opus *de Olympiadibus*, ſeu *Chronicorum*, cujus nunc fragmentum tantùm ſupereſt. Item, *de Mirabilibus* librum, cui hodie deeſt initium; & libellum *de Longævis.* Reliquias hujus auctoris notis illuſtravit *Meurſius.* Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 11. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 13.

ZENOBIVS

Digitized by Google

Zenobius Sophista Romæ docuit ſub Hadriano. Ejus adhuc extant *Proverbia*, quæ publicavit *Andr. Schottus*. S. J. adjectis eruditis notis, Antverpiæ 4º 1612. Vid. *Voſſius ibid. p. 219. Fabricius Biblioth. Græc. lib. 4. c. 9. p. 282. Morhoffius Polyhiſt. liter. lib. 1. c. 21. n. 85.*

Maximus Tyrius, Philoſophus Platonicus fuit, & M. Antonini Præceptor. Scripſit varias Diſſertationes Philoſophicas, quæ *Sermonum* nomine editæ ſunt, Græca lingua. Scripſit & *de Homero*, & *quænam apud ipſum vera philoſophia ſit*. Item, *an Socrates rectè detrectaverit apologiam*. Optima ejus editio eſt, quam *Dan. Heinſius* cum ſua interpretatione & notis dedit Lugd. Bat. 8º 1607. Vid. *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 4. c. 2.*

Cl. Galenus, Pergamenus, Medicus celeberrimus, cujus opera Græcè ſcripta adhuc in pretio habent medicorum filii. Ejus *elogium chronologicum* ſcripſit *Phil. Labbeus*, quod integrum exhibet *Fabricius in Biblioth. Græc. lib. 4. c. 17.* cui deinde ſubjungit catalogum Scriptorum Galeni tàm ſuperſtitum, quàm deperditorum: ubi plura de hoc Medicorum principe videantur.

Justinus *Trogi Epitomator*. Ejus nimirum *Trogi Pompeji*, de quo ſupra ſub Auguſto, *Hiſtoriarum Philippicarum* libros in epitomen redegit, quam adhuc ſervatam in omnium manibus eſſe videmus. De ætate tamen, quâ vixit *Juſtinus*, non adeò certa res eſt. Ad hoc tempus refertur, quia in editionibus quibuſdam libros ſuos dicitur inſcripſiſſe Imperatori Antonino Pio; quanquam προσφώνησιν illam in nullo MSC. codice reperiſſe ſe teſtatur *Jac. Bongarſius*. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib. 1. c. 32. Fabricius Biblioth. Latin. p. 141. Neuius in Acceſſionibus ad Wheari Relect. Hiem. p. 324.*

In altera parte Tab. ſub titulo RERUM IMPERII ROM. ponitur in ſerie Imperatorum ad

A. C. 161. M. Antoninus Philosophus, 19. & L. Antoninus Verus, 9. *fratres diſſimillimi* Hi enim ſimul imperarunt, & tunc primùm duos Auguſtos habere cœpit Rom. Imperium: fuitque hoc ſingulare ſpecimen ariſtocratiæ duumviralis, quando duo ſimul Imperatores indiviſa poteſtate imperio præfuerunt. Monarchia enim vocari non poteſt, niſi populariter & impropriè. M. Antoninus ab Hadriano adoptatus fuerat, & ipſe poſtea fratrem participem imperii fecit. Vocantur hi in corpore Juris *Divi Fratres*. De nominibus utriuſque videndus *Rupertus Obſerv. ad Synopſ. Beſoldi c. 14. p. 323. ſeqq.* In Tabula noſtra *L. Antoninus Verus* perperam vocatur, qui *L. Aurelius Verus* dicendus

Digitized by Google

dus fuit. *Philoſophi* cognomen Marco (nam ita ſæpe nudè appellari conſuevit) nullâ hiſtoricâ fide vulgò tribuitur. Nam epitheton potiùs, quàm cognomen cenſendum eſt, quod ob ſingulare ſtudium philoſophiæ ei conveniebat. Inter laudatiſſimos principes ſuo jure memoratur Marcus, cujus merita in rempubl. & clementiam civilemque animum, nec non res bello feliciter geſtas, hiſtoria abundè prædicat. Dedecori fuit tanto Principi Fauſtina conjux, impudicitiâ & libidine Meſſalinæ Claudii ferè ſimilis. Quicquid in ipſo reprehenſum, erat nimia lenitas. Studiis literarum philoſophicis & oratoriis nemo Imperatorum ei comparandus. Superſunt ejus libri XII. τῶν εἰς ἑαυτὸν, non tàm vitam ipſius, quàm præcepta vivendi ſecundùm Stoicam philoſophiam complexi; quos egregio commentario illuſtravit *Thomas Gatakerus.* Scripſit idem opus φιλοσοφικώτατον, quod ſub titulo *Itinerarii Antonini* notum eſt, & vulgò huic tribuitur: quanquam hoc opus ei dubium facit *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.3. p.695.* Vid. de illo *Fabricius Biblioth. Græc. lib.4. Part.2. cap.23.* & *in Biblioth. Latin. in Ind. p.182.* Etiam in exemplum laudati regiminis nomen ejus placuit *Antonio Guevara*, Epiſcopo Mendenenſi in Hiſpania, qui patrio ſermone *Horologium Principum* edidit, in plures poſtea linguas translatum. Quod quidem non tàm ad modum hiſtoriæ, quam ad effigiem boni principatus & probi regiminis ſcriptum eſt. *Rittershuſius* quoque *Speculum Principis civiliter boni* ex hiſtoria hujus M. Antonini concinnavit. Hiſtoria ejus & res geſtæ repetendæ ex Scriptoribus, *Capitolino in Vita, Xiphilino, Eutropio lib.8. Victore, Suida, Zonara, Oroſio*, & partim etiam *Herodiano lib.1. princ.* ubi inprimis hæc Marci elogia poſt mortem ei tributa, ut dicerent eum πατέρα χρηστὸν, ἀγαθὸν βασιλέα, καὶ γενναῖον στρατηγὸν, i.e. parentem bonum, probum Principem, fortiſſimum & conſtantem ducem fuiſſe. Add. *Rupertus c.14. p.323.* De Avidio Caſſio, Anti-Cæſare, qui in Oriente contra Marcum rebellavit, & oppreſſus eſt, videatur ſpeciatim *Vulcatius Gallicanus in Ejus Vita.* Tàm bonus ergò Princeps primis 9. annis (quanquam *Capitolinus* 11. cum fratre imperaſſe dicit) conſortem imperii habuit fratrem VERVM moribus diſſimillimum. Nam is luxui & ignaviæ deditus, bellum Parthicum ſegniter geſſit, de quo poſtea. Mortuus eſt apoplexia Altini, & Marcus reliquo decennio ſolus imperavit. Scriptores iidem, qui ſupra, præter *Herodianum.*

A.C. 165. *De Parthis triumphant.* cum hoc lemmate connectendum, quod ſub titulo *Variorum* extat: VOLOGÆSVS *Parthorum R. Rom. Imperii fines infeſtat.* Nam hæc occaſio fuit belli Parthici: quod ſuſceperat quidem gerendum Verus, ſed per legatos confecit nobiliſ-

Digitized by Google

ſimos duces, M. Statium Priſcum, Avidium Caſſium & Marcium Verum; ipſe interim Antiochiæ delicias agens. Profligato bello uterque Imperator Parthicus appellatus eſt, & de Parthis, Medis & Vologæſo, Pii fratres triumpharunt. Vid. *Rupertus l. c. p. 327.* De *Morte Veri* jam diximus.

Bellum Marcomannicum. Hoc bellum graviſſimum, & multis Romanæ rei cladibus funeſtum, à Marcomannis & Quadis, populis Germaniæ motum eſt, circa eos tractus habitantibus, ubi nunc Moravia eſt. Adverſus eos primùm uterque Imperator profecti; poſt mortem autem Veri Marcus ſolus confecit. Vid. *Ammian. lib. 31. Capitolinus* & *Xiphilinus in Vita Marci.* In eo bello

Legio Chriſtiana pluviam & victoriam exercitui Imp. impetrat. Aliter gentiles Scriptores, *Dio* & *Capitolinus*; quorum ille magicis artibus, hic precibus Marci Imperatoris pluviam impetratam fuiſſe aſſerit; aliter Chriſtiani narrant: inter quos *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. c. 5.* rem ita retulit. Cùm intercluſi à Quadis Romani pugnarent fortiter, atque interim barbari differrent prælium, certi eos calore ac ſiti perituros, ad Imperatorem extrema metuentem venit Præfectus prætorianorum, dicens, nihil eſſe quod Chriſtiani (quorum una legio in caſtris militabat) impetrare precibus non poſſent. Ab illis petendas ſupplicationes pro ſalute ſua & totius exercitus. Id ergo factum. Imploratus à Chriſtianis DEUS ſtatim univerſas Rom. copias recreavit copioſiſſimo imbre, & barbaros fulmine & tempeſtatibus proſtravit. Pars eorum confugit ad Romanos, pars in prælio occiſa, pauci fuga evaſere. Add. *Oroſius lib. 7. c. 15. Tertullianus Apolog. c. 5.* & *ad Scapul. c. 4. Legio* exinde *Fulminatrix* dicta: quod tamen in dubium vocat *Rupertus p. 330.* Videatur præter citatos *De Legione Fulminatrice Diſſertatio Obrechti.*

A. C. 180. COMMODUS, 12. *Optimi Patris peſſimus filius*, Marci ſcil. à cujus moribus nimium quantum degeneravit; ſuperbia, crùdelitate, libidine & impudicitia peſſimos etiam Imperatorum ſuperans: de quarum ſpeciminibus plura quàm opus eſt, conſignarunt Scriptores. Apud eum *Perennis* primò, mox ei ſublato ſuffectus *Cleander* ex cubiculariis nimium potens, ſcelerumque ejus miniſter fuit; donec & hic ab Imperatore donatus populo, & interfectus fuit. Et hoc eſt, quod ſub titulo *Variorum* notatur: *Cleander nuper apud Commodum potens dignum vita exitum ſortitur.* Nam hic quoque potentiæ aulicæ raro diuturnæ grande exemplum fuit. De hoc homine & exitu ejus vid. *Herodianus lib. 1. cap. 12. & 13.* Commodus ipſe tandem, conſpirantibus in eum Q. Æmilio Læto & Marcia concubina occiſus eſt,

poſt-

Digitized by Google

poſtquam Imperio Rom. ſpurcus parricida præfuit an illuſit annos 12. Vid. *Æl. Lampridius in Vita Ejus,* & *Herodianus,* diligentiſſimus horum temporum Scriptor. Add. *Rupertus p.*332.

A.C. 192. PERTINAX. DIDIVS JVLIANVS. Neuter horum toto trimeſtri imperium obtinuit. *Pertinax* gravior & ſeverior, optimorum Principum imitator, dum corruptam Commodi flagitiis remp. diſciplina ſalubri emendare, & militum præſertim, licentiæ & ignaviæ aſſuetorum, mores coercere inſtituit, eorum conjuratione occiſus eſt, ſexagenario major. Vid. de eo *Capitolinus in Vita. Eutropius, Xiphilinus lib.*73. *Herodianus lib.* 2. *uſq, ad cap.* 6. Add. *Rupertus p.* 334. Tum vero venum exponitur à militibus prætorianis Imperium, quod licitabatur emitque *Didius Julianus,* peſſimo exemplo, inviſus ob id populo. Sed imperium nonniſi 2. menſibus, diebus 5. geſſit. *Peſcennius* enim *Niger* in Syriâ, audita re, à militibus Imperator ſalutatur, & hoc exemplo

L. SEPTIMIVS SEVERVS, Leptitanus, à Pannonicis & Illyricis exercitibus Imper. declaratus, conſilio & manu præſtanti Romam properat; cujus adventu audito Julianus occiditur, decreto Senatus, quo ipſo etiam imperium Severo confirmatur. Quod ille à vindicta Pertinacis orſus, milites prætorianos exauctorat, rebuſque in urbe ordinatis

PESCENNIVM NIGRVM *in Oriente,* CLODIVM ALBINVM *in Occidente, imperii competitores, ſigillatim aggreſſus vicit.* Primò enim exercitum adverſus Nigrum duxit. Clodium Albinum interim, qui in Britannia imperium arripuerat, oblato jam per Commodum nomine Cæſaris, ad ſocietatem imperii ſubdolè pellicere nequicquam tentavit. Et Niger quidem victus Antiochiam confugit, qua capta ad Euphratem properans, occiſus eſt. Byzantium, quod Nigri partibus ſtuduerat, poſt triennalem obſidionem captum, libertatem amiſit. Expeditio dehinc in Albinum eodem anno ſuſcepta, & ſequenti finita, cæſo apud Lugdunum Albini exercitu: quam victoriam crudeliter exercuit Severus, in amicos Albini ſæviens. Poſthæc vero (quod ex *Titulo Variorum* huc referre convenit.)

ARTABANVS *Parth. Rex ab Imperatore ſuperatur.* In eo bello Cteſiphontem cepit Severus, & Parthici cognomen meruit; atque hinc

SEVERVS *ex oriente redux triumphat.* Quamvis enim hæc ad ſeq. Seculi annum 5. referuntur, tamen propter connexionem hic memorare placuit. Ad res Severi etiam illud pertinet, in ſeq. Tab. notatum:

Digitized by Google

Idem in Britannia re feliciter geſta obit. Memorabile in ea expeditione eſt opus Severi, murus per tranſverſam Britanniam ductus, ad arcendos Pictos & Scotos, cujus etiamnum rudera oſtenduntur. Mortuus deinde eſt Eboraci valdè ſenex. Notari meretur judicium de eo Senatûs: *Eum aut naſci non debuiſſe, aut non mori.* Item, illud ipſius Severi dictum: *Omnia fui, & nihil expedit.* Videantur de hoc Imp. Scriptores: *Spartianus in ipſius Severi,* nec non in *Didii Juliani* & *Peſcennii Nigri* Vitis. *Capitolinus in Cl. Albino. Xiphilinus lib.* 73. *Herodianus lib.* 2. *Aur. Victor. Eutropius*: quibus addatur iterum, qui ex his præcipua collegit *Rupertus p.* 338. *ſeqq.*

Inter RES ECCLESIÆ in alterâ parte Tabulæ memoratur:

SYMMACHUS *Bibliorum Interpres.* Nempe V.T. ex Hebraicis fontibus verſionem adornavit hic *Symmachus,* ex Sammaritano (vel, juxta *Euſebium* 6, 17. Ebionæo) Judæus factus. Poſt LXX. Interpretes jam ante ſub Hadriano, *Aquila Ponticus* verſionem Bibliorum dederat; de quo ſupra. Sub Marco deinde Antonino *Symmachus*: & hunc ſequutus ſub Commodo *Theodotion Bibliorum Interpres,* è Marcionis aſſecla itidem Judæus factus, inferius in hac Tab. notatus. De hoc Symmacho & Theodotione, eorumque verſionibus, vide *Prolegomena ad editionem Gothanam LXX. Interpretum, p.* 26. & *Fabricium Biblioth. Græc. lib.* 3. *c.* 12. *p.* 336.

HEGESIPPUS *ex Judæo Chriſtianus.* Hic ab *Euſebio Hiſtor. Eccleſ. lib.* 4. *c.* 20. inter Eccleſiaſticos Scriptores hujus ævi refertur. Sed quos ſub ejus nomine hodie legimus Hiſtoriarum libros de rebus Judaicis, alium creduntur auctorem habere. Certè non ſunt illi commentarii, in quibus pleniſſimam ſententiæ ſuæ memoriam poſt ſe reliquit, ſicut *Euſebius* loquitur *l. c.* Vid. *Voſſius lib.* 2. *de Hiſtor. Græc. c.* 14. *p.* 229. *ſeq. Bellarminus de Scriptor. Eccleſ. p.* 49. *Rivetus Crit. S. lib.* 2. *c.* 4. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 2. *p.* 183. *Whear. in Relection. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 35. *p.* 120. *Neu in Acceſſionibus ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *p.* 221. & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 5. *c.* 1. *p.* 188. Hic vero Hegeſippus cum Polycarpo Romam profectus eſt, propter controverſiam circa Jejunium, Sabbathum, Paſcha, quæ eo tempore inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem agitari cœpta eſt: de qua re paulò inferius. Vid. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib.* 2. *c.* 3. *Sect.* 1. *p.* 221. *ſeq.*

A. C. 163. JUSTINUS *apologiam alteram Imperatori offert.* De Juſtini Martyris duplici apologia dictum jam ſupra. Quam vero hic dicitur

dicitur obtuliſſe Imperatoribus, i. e. Marco & Vero, eam ad Senatum potius direxit. Et eum *Euſeb. in Chron.* jam A. C. 154. principatûs Antonini decimo quarto, adeóque ante Divos Fratres, martyrio vitam finiiſſe ait. Plerique tamen cum *Baronio* ad A. C. 164. mortem Juſtini referunt.

A. C. 166. PERSECVTIO IV. JVSTINVS *Romæ*, POLYCARPVS *Smyrnæ martyrium obeunt.* Cùm enim ſub Imperatoribus Marco & Vero peſtilentia ingens per orbem terrarum graſſaretur, & hinc Parthi Rege Vologaſo, inde Quadi Romanis provinciis graves eſſent, & Sacerdotes gentilium culpam in Chriſtianos, hominum genus Diis inviſum, referrent, perſecutio, quam quartam numerant, in eos denuo mota eſt; in Aſia præſertim & in Galliis. Deſcribit prolixè *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. c. 1.* Ceſſaſſe tamen dicitur hæc perſecutio, poſt impetratam precibus legionis Chriſtianæ pluviam & victoriam in bello Marcomannico: quam rem publicè per literas notam fecerit M. Antoninus Imp. & exinde Chriſtianos pœnis liberaverit. Quò referunt *l. generaliter §. fin. ff. de Decur.* De *Juſtini martyrio*, quem Creſcens, philoſophus Cynicus, læſæ religionis accuſaverat, jam ſupra diximus. Quo præciſè anno mortem cruentam obierit, non ſatis conſtat. Inde Juſtinus hic Martyris cognomine ab aliis diſtinguitur. *Polycarpus* S. Johannis diſcipulus fuit, & Smyrnæ Epiſcopus in Aſia, & ibidem martyrii tandem coronam reportavit. De quo vid. *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 4. c. 14.* De ſcriptis Polycarpi *Hieron. in Catal. Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 42. Ittigius in Bibliotheca Patrum Apoſtolicorum Græco-Latina. Fabricius in Biblioth. Græc. lib. 5. c. 1. p. 47. ſeqq.*

MONTANVS, TATIANVS *hæreſiarchæ. Montanus* ſe paracletum à Chriſto promiſſum venditavit. Secundas damnavit nuptias, & fugam in perſecutione; crebra item jejunia ſub neceſſitatis opinione ſancivit. Aſſeclæ ejus Cataphryges dicti ſunt. Eorum exterior ſanctitatis ſpecies & ſeveritas vitæ, etiam Tertullianum, magnum alioqui Eccleſiæ lumen, ſeduxit: *de* quo *Tertulliani ad Montaniſtas lapſu* celeberrimi *Zentgravii* noſtri ante annos non ita multos editæ Diſſertationes Academicæ, theologicè agunt. *Tatianus* Juſtini pridem auditor, cùm eo vivente nihil docuiſſet à fide alienum, poſt ejus mortem hæreſin ſuam diſſeminare cœpit, à Valentinianis, Gnoſticis & Marcione nonnulla mutuatus. Damnavit conjugium, carne & vino omnibus interdixit, tanquam rebus impuris: unde Sectatoribus ſuis *Encratitarum* nomen, i. e. temperantium, tribuit. Supereſt ex ejus ſcriptis λόγος πρὸς Ἕλληνας, quo probat, Græcos illis, quos vocent ipſi barbaris, h. e. orientalibus omnia præclara debere. Plura vid. apud *Irenæum lib. 3. c. 39.*

Clementem Alexandrinum lib. 3. Strom. per tot. Philaſtrium, Epiphanium, Theodoretum; & ex recentioribus *Bebelium Antiq. Eccleſ. Sec. 2. §. 21. & 22. Ittigium de Hæreſiarchis Sect. 2 c. 13. Fabricium in Biblioth. Græc. lib. 5. cap. 1. p. 81. ſeqq.* & cæteros, qui de Hæreſibus ex profeſſo ſcripſerunt. Add. *Arnold. in Hiſtor. Eccleſ. & Hæreſ. Part. 1. lib. 2. c. 4. p. 75. ſeqq.*

THEODOTION *Bibliorum Interpres* ſupra memoratus eſt, ubi de Symmacho.

A. C. 185. APOLLONIUS *Senator Rom. martyr*: alius ab eo, qui adverſus hæreſin Cataphrygum ſeu adverſus Montanum ſcripſit eodem Seculo. Hic vero Senator Romanus Chriſtianiſmi accuſatus, inſigne volumen compoſuit, quod in Senatu legit; ſed nihilominus damnatus & capite truncatus eſt. Vid. *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. c. 20.* & quæ viri docti ad hunc annotarunt. *Hieronymus in Catalogo Script. Eccleſ. c. 42.*

PANTÆNUS *Indiam petit Evangelii proferendi cauſa.* Pantænus hic Philoſophus primùm Stoicus, mox Chriſtianæ fidei diſertiſſimus propugnator fuit, & propagandæ religionis ſtudio ad Indos profectus, ibi Evangelium Matthæi, à Bartholomæo Apoſtolo eò delatum, Hebraico idiomate ſcriptum, inveniſſe dicitur. Sed ab aliis hoc pro fabula habetur, qui de Hebraico Evangelio Matthæi, quod hodie extat, parum honorificè ſentiunt, Græcum textum authenticum eſſe firmantes. Vid. *Fabric. Biblioth. Græc. lib. 4. c. 5. n. 2. Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. c. 10. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 2. p. 197. Fabricius Biblioth. Græc. lib. 5. cap. 1. p. 193.*

Contentio de tempore celebrandi Paſchatis, jam ante mota erat, ex ea cauſa, quod ſub Hadriano Romani Antiſtites aliqua circa tempus celebrandi paſchatis, item circa Sabbathum & jejunia mutaverant, ne ſcil. ſimilitudine rituum Chriſtiani pro cognatis Judæorum haberentur. Contendebant Romani, paſcha nonniſi Dominico die celebrari oportere; plerique contra in Oriente quotannis cum Judæis decima quarta luna poſt vernum æquinoctium, in quamcunque forte hebdomadis diem incideret, agebant. Quam ob cauſam Polycarpus jam ante Romam profectus, cum Aniceto, tunc Romano Epiſcopo, collocutus erat, nec potuit perſuadere, ut cederet. *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. c. 23.* ex *Irenæo* & *Melitone.* Recruduit hæc controverſia, cùm Victor Afer Romæ Epiſcopatum teneret: à quo cùm res vehementius urgeretur, in ſchiſma erupit. Vid. *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 5 c. 24.* Sed ea controverſia poſtea in Imperio Rom. ſublata eſt, determinato per Concilii Niceni decretum tempore celebrandi paſchatis. Fuit interim hæc origo ſchiſmatis Romanæ & Græcæ Eccleſiarum: de quo ſchiſmate videndus inprimis *Frid. Spanhemius Jun. in Exercitatione hiſtorico-theologica, de Eccleſiæ Græcæ & Orientalis à Romanâ & Papali perpetua in hunc*

diem

Digitized by Google

diem diſſenſione: & alii Scriptores de hoc argumento, quos indicat *Morhoffius Polyhiſt. Tom. 3. lib. 5. n. 23. p. 60. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæreſ. Part. 1. lib. 2. c. 4. p. 81.*

TERTVLLIANVS *ſcribit Apologeticum*: qui adhuc extat inter ejus Opera. Fuit hic Septimius Florens Tertullianus natione Afer, patriâ Carthaginenſis, centurione Proconſulari natus: de quo vid. *Hieronymus in Catal. Script. Eccleſ.* Magnus Eccleſiæ Doctor, ſi lapſum ejus ad Montani dogma excipias; cujus quæ fuerit occaſio, idem *Hieronymus* indicat. Vid. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib. 2. c. 3. Sect. 2. p. 240. ſeq.* ubi plura præſertim de Scriptis ejus. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 50. Rivetus Crit. Sacr. lib. 2. c. 9. & 10. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 3. p. 458. Neu in Acceſſionibus ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. p. 251. Arnold. in Hiſtor. Eccleſ. & Hæreſ. Part. 1. lib. 3. c. 3. p. 110.*

Sub Titulo VARIORVM nihil amplius reſtat, (cætetera enim ob connexionem in Rebus Imperii Rom. jam ſupra excuſſimus) præter hoc:

BRITANNIS *permiſſu Regis publicè annuntiatur Evangelium.* Hoc ipſum tamen ad Eccleſiaſtica potius pertinebat. Rogatu Lucii Regis Eleutherus tunc temporis Rom. Epiſcopus Evangelizatores in Britanniam miſit: teſte *Euſebio Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. c. 7.* Add. *Trithemius in Comp. de Origine Francorum.*

Inter VIROS CELEBRES hoc Seculi dimidio memoratur

APPIANVS. Is Alexandrinus fuit, & Græcè ſcripſit Hiſtoriam Rom. 24. libris complexus: cujus ex vaſto opere hodiè ſuperſunt *Punica, Syriaca, Parthica, Mithridatica, Iberica, Annibalica, Illyrica, de bellis civil. lib. 5. & Celticorum fragmentum* Vid de eo *Voſſius Hiſtor. Græc. lib. 2. c. 13.* & *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 4. c. 12. Wheari Relect. Hiem. Part. 1. Sect. 18. p. 76.* & *Acceſſionibus* Neui *p.* 118.

DIOGENES LAERTIVS. Hic eſt, cujus X. habemus libros *de Vitis Philoſophorum*, Græcè ſcriptos, opus utiliſſimum. Laudes Scriptoris vid. apud *Voſſium l. c.* Add. *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 4. c. 19. Morhoffius Polyhiſt. Tom. 2. lib. 1. c. 1. n. 1.* & ad eum *Mœller. in Hypomn.* quoſque hic allegat.

GELLIVS. Hic A. Gellius ſeu Agellius, ut nonnulli vocant, Scriptor Latinus *Noctium Atticarum*, quæ adhuc ſuperſunt, Grammaticus fuit & Phi-

Digitized by Google

& Philoſophus: quem à *Scioppio* inter ferreæ ætatis Scriptores collocatum indignatur *Vavaſſor de ludicra dictione p.* 270. Extat *Lambecii Prodromus Lucubrationum criticarum in A. Gellii Noctes Atticas, unà cum Diſſertatione de vita & nomine Auctoris.* Sunt & *Henr. Stephani Noctes Pariſinæ Atticis Gellii invigilatæ.* Vid. *Fabricius Bibliothec. Latin. p.* 133. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 14.

APOLLONIVS ALEXANDRINVS, cognomento Δύσκολος dictus fuit, cur, docet *Anonymus in Vita ejus,* 4. περὶ συντάξεως libris præfixa. Ejus etiam ſunt ἱστορίαι θαυμασίαι, quas *Meurſius* ſub titulo περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας edidit, idem qui & notis hunc auctorem illuſtravit. Vid. plura de eo *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 14. *p.* 228. *Fabricius Biblioth. Græc.*

HERMOGENES RHETOR. Hujus libri hodie ſuperſtites, inter præcipua artis Rhetoricæ κειμήλια habentur. Sunt autem illi: liber *de Statibus: de Inventione* libri IV. liber *de Ideis* & περὶ μεθόδου δεινότητος. Videatur de eo pluribus *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *Part.* 2. *cap.* 31. *p.* 428. *ſeqq. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 6. *c.* 1. *n.* 5.

POLYÆNVS, natione Macedo, & ipſe Rhetor fuit, genus vitæ forenſe ſecutus, & ſcripſit Græcè *de Strategematibus* libros VIII. quos Divis fratribus dedicavit, à Caſaubono primùm editos. Plura de hoc Scriptore *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 14. *p.* 226. & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 15. *p.* 482.

PAVSANIAS Cæſarienſis, fuit Sophiſta, cujus extat eruditum opus *de Græcia* libris X. quibus ſitum urbium ac locorum, & antiquitates Græcanicas, & quicquid penè memorabile habuit Græcia, magno philologiæ & hiſtoriæ ſtudioſorum bono, complexus eſt. De quo Scriptore pòſt alios optimè meritus eſt B. Dn. *Kühnius* noſter. Vid. iterum *Voſſius ibid. p.* 227. & *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 15. *p.* 630. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 7. *n.* 8. etiam ejus Lexicon, laudatum *Photio Bibl. Cod.* 153. hodie ſupereſſe putat.

ATHENÆVS Naucratita, Grammaticus fuit, cujus XV. libri Δειπνοσοφιστῶν, quanquam non omnes integri, adhuc extant, continentes varia grammatica, critica, phyſica &c. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc.* 2, 15. *p.* 231 *ſeq. Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 2. *p.* 630.

APVLEIVS Madaurenſis Philoſophus fuit Platonicus, cujus opera, quantum eorum ad nos pervenit, Latinè ſed ſtylo monſtroſo & Africano ſcripta ſunt, qui tamen mirificè nonnullis placet. *Melanchthon* dicebat illum rudere cum Aſino ſuo aureo. Vitam Apuleji ſuæ Operum ejus editioni *Colvius,* item *Elmenhorſtius* præmiſit. Aliqua de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin lib.* 3. *p.* 739. Plura *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 135. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 3.

ATHE-

ATHENAGORAS Athenienſis ex Ethnicò Philoſophus Chriſtianus, cujus ad Imperatorem M. Antoninum, ejuſque filium Commodum *Apologia* pro Chriſtianis, quam *Conr. Geſnerus* Latinitate donavit, item liber *de Reſurrectione*, hodieque ſupereſt. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad A. C. 155. p. 48. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 2. p. 190. Nenius in Acceſſionibus ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. p. 251. Fabricius Biblioth. Graec. lib. 5. c. 1. pag. 85. ſeqq.*

THEOPHILVS Antiochenus Patriarcha fuit, cujus extant *libri ad Autolycum* ſcripti. An *Allegoriarum in Evangelia* libri, qui quidem ipſi adſcribuntur, illum quoque auctorem habeant, haud immeritò dubitatur. Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann 170. p. 49. Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib. 2. c. 3. Sect. 1. p. 226. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 2. p. 190. Fabricius Biblioth. Graec. lib. 5. c. 1. p. 91. ſeqq.*

MELITO SARDENSIS, inter Patres ſeu Doctores Eccleſiæ celebris hoc Seculo, vir magnæ auctoritatis apud Chriſtianos ejus ævi, à quibus vulgò pro Propheta habitus eſt: de quo videndus *Euſebius lib. 4. c. 25.* Etiam hic M. Antonino Imp. Chriſtianos perſequenti graviſſimam obtulit Apologiam. Vid. & *Hieron. in Catalogo.* Fragmenta quædam ejus, interque ea *librorum Veteris Teſtamenti catalogum*, poſteritati conſervavit *Euſebius d. l.* Videatur *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad A. C. 150. p. 48. Rivetus Crit. Sacr. lib. 2. c. 7. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 2. p. 190.* & præcipuè *Fabricius Biblioth. Graec. lib. V. c. 1. n. 24. p. 184.*

APOLLINARIS, Hieropolitanus Epiſcopus, & ipſe Apologiam Imperatori obtulit: de quo itidem *Euſebius* & *Hieronymus.* Add. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 2. p. 189. Fabricius Biblioth. Graec. lib. 5. cap. 1. p. 189.* ubi & cætera ejus ſcripta deperdita recenſentur

DIONYSIVS CORINTHIVS ſcil. Epiſcopus. Etiam hic inter Eccleſiaſticos Scriptores hujus Seculi floruit, vitæ ſanctitate & zelo pro ædificanda Eccleſia inſignis, quam miſſis paſſim Epiſtolis in fide erudivit & firmavit. Earum Epiſtolarum argumenta ſunt apud *Euſebium* & *Hieronymum.* Videatur de his omnibus hactenus laudatis Eccleſiaſticis Doctoribus præter *Euſebium in Hiſtor. Eccleſ.* & *Hieronymum in Catal.* etiam ex recentioribus *Sculretus in Medulla Patrum, Baronius in Annal. Sixtus Senenſis in Bibliotheca, Bellarminus in Catal. Scriptorum Eccl. & Centuriatores Magdeburgici*: & de hoc Dionyſio *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 2. p. 139. Fabricius Biblioth. Graec. lib. 5. c. 1. p. 191.*

LVCIANVS Samoſatenſis, Epicureus fuit, religionumque omnium, ut apparet, contemtor & ἐμπαίκτης. Extant interim ejus opuſcula varia, vel ob ipſam hanc rerum varietatem, dictioniſque Græcæ elegantiam commendanda. *Elogium Luciani* ſcripſit *Gilbertus Cognatus. De*

Digitized by Google

Vita & Scriptis ejus *Jac. Zwingerus*. Vid. *Voſſius de Rhetoricæ natura & Rhetoribus antiquis cap.* 12. *& de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 15. *p.* 232. Add. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 16. ubi etiam præmittitur *Vita Luciani à Burdelotio* compoſita.

PHRYNICHVS, Bithynus, Sophiſta fuit, qui ſcripſit *Atticiſtam* ſeu Ἐκλογὴν Ἀττικῶν ῥημάτων καὶ ὀνομάτων libris II. & alia, quæ vid. apud *Suidam in Phrynichus*. Sed ſolus extat hodie Ἀττικιστής. Vid. de hoc Phynicho *Fabricius Biblioth. Græc. lib* 4. *Part.* 2. *c.* 34. *p.* 520.

JVLIVS POLLVX, Grammaticus Græcus, ſcripſit ὀνομαστικὸν libris X. conſtans, eruditum ſane, & optimè diſpoſitum: cujus non ita pridem nova editio curata eſt in Hollandia, cum *Jungermanni* aliorumque, & præſertim *Joachimi Kühnii* noſtri notis. Vid. de Polluce *Fabricius Biblioth. Græc. libri* 4. *Part.* 2. *c.* 35. & *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 7. *n.* 4.

JVLIVS SOLINVS, Grammaticus profeſſione, librum edidit latinè, ex variis Scriptoribus, inprimis *Plinio*, collectum, quem *Polyhiſtorem* inſcripſit. In hunc *Salmaſius* vaſtiſſimum *commentarium* ſcripſit, Pariſiis fol. 2. Tomis editum, qui, judicante *Morhoffio*, eſt promtuarium quoddam rerum naturalium & mythologicarum. Solinus hic Senatuſconſultum, quod de non occidendis Senatoribus Severus ab initio fieri juſſerat, perſcripſit; ſed mox ab eodem occiſus eſt. *Rupert. Obſervat. ad Synopſ. Beſoldi c.* 14. *p.* 345. Plura de Solino, ejuſque inprimis ætate *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 3. *p.* 270. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 90.

TAB. XIV. & SEC. III.

In Seculo III. poſt Chriſtum natum inter RES IMP. ROM. adhuc aliqua Severi geſta memorantur, de quibus jam dictum. Poſt Severum Imperatorem ſequitur

A. C. 211. ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA *cum fratre* GETA. Severi filii fuerunt, & primò conſortes Imperium geſſerunt, exercitu in utriuſque verba adacto. Et *Caracalla* quidem, (ita nominatus à barbaro veſtitu, quo & ipſe & exercitus utebatur, teſte *Spartiano*,) in pueritia ſpem de ſe optimam præbuit, poſtea à ſe ipſe degeneravit, ſuperbia & crudelitate omnibus bonis gravis & inviſus. Is altero poſt patris mortem anno, apud milites conqueſtus circumveniri ſe fratris Getæ inſidiis, cùm potiri ejus non poſſet ob fidem exercitus, arbitrâ matre Juliâ inimicitias ſe poſiturum ſimulavit. Itaque ſub eo prætextu fraudulenter accitus

A. C.

A. C. 212. GETA *in ſinu matris à fratre occiditur.* Cumulatum eſt hoc parricidium innumeris aliorum cædibus, qui fratris ejus partibus favebant, inter quos Papinianus JCtus, Præfectus prætorio, qui defendere facinus hoc recuſaverat, dicens, non tàm facile excuſari parricidium quàm committi. *Spartianus in Severo.* Audiens deinde, mitigari facinus poſſe, ſi fratrem appellaret Divum, *ſit Divus*, inquit, *dummodo non ſit vivus.* Juliam novercam petulantiſſimis verbis ad inceſtum allicientem, pro uxore deinceps habuit; quæ & participem imperii ſe egit, appoſito ejus in epiſtolis & libellis nomine. Profectus deinde adverſus Parthos, inter Edeſſam & Carras à Macrino Præfecto prætorio interfectus eſt: poſtquam vixiſſet annos 29. imperaſſet 6. & menſes 2. Hæc & cætera ejus petenda ex Scriptoribus, qui ſunt *Spartianus in Vita*, qui Getæ quoque Vitam ſeorſim ſcripſit; *Xiphilinus, Herodianus lib.* 4. *Aur. Victor, Eutropius.* Add. *Rupert. c.* 14. *p.* 344.

A. C. 217. MACRINVS, 1. deinde interfector ejus ſucceſſit, delato à militibus imperio, non diu fruiturus: quippe altero poſt anno, cùm filium ſuum DIADVMENVM paulò ante conſortem imperii feciſſet, in prælio contra Heliogabulum victus, & in fuga interfectus eſt. Scriptores: *Capitolinus in Macrino, Herodianus lib.* 4. *&* 5. *Xiphilinus, Aurel. Victor, Eutropius lib.* 8. *Lampridius in Diadumeno.*

A. C. 204. HELIOGABALVS, 4. *omnium nequiſſimus.* Hic omnem omnium hominum turpitudinem ſceleribus & flagitiis vicit, quæ referre pudor eſt. Et mirari ſubit ac miſerari fortunam populi Rom. olim moribus adſtrictiſſimi, qui nunc tales Principes tolerare coactus eſt. Vitæ ejus, non alia re quàm ſceleribus inſignis, hiſtoriam cui volupe eſt petat ex *Lampridii Heliogab. Xiphilino, Herodiano lib.* 5. De nomine *Heliogabali* vid. *Rupert. c.* 14. *p.* 349, *ſeq.* Cùm Alexandro, conſobrino ſuo, necem machinaretur, à militibus adverſus eum conſpirantibus, in latrina in quam confugerat, occiſus, dignum vita anteacta exitum habuit, anno ætatis 18. imperii 4. non expleto.

A. C. 222. SEVERVS ALEXANDER, 13. *pace belloq; optimus.* Integrum nomen eſt M. Aurelius Severus Alexander. Severi nomen ei à militibus inditum; Alexander vero dictus eſt, quia eodem die, quo Alexander mortuus, in templo Alexandri M. natus fuit. Ab Heliogabalo conſobrino ſuo jam Cæſar dictus, poſt ejus mortem verò Auguſtus appellatus eſt, & omnes poteſtates & nomina decreto Senatus ſimul in eum collata ſunt. Mater ejus MAMMÆA Chriſtiana fuiſſe perhibetur, cum quâ Alexander, omnia communicavit, ipſe quoque Chriſtianis non iniquus. De bello ejus contra Perſas, (qui in Parthorum imperium ſucceſſerant, ut poſtea dicetur) variant Scriptores,

Digitized by Google

aliis victoriam ei tribuentibus, aliis vero clades ejus ingentes memorantibus. De cætero in adminiſtratione Juſtitiæ & reliquis pacis artibus par optimis Principibus, cùm adverſus Germanos Galliam vaſtantes expeditionem ſuſcepiſſet, à militibus, quos Maximinus immiſerat, occiſus eſt, cùm imperaſſet annos 13. d. 9. vixiſſet annos 29. m. 3. d. 7. Senatus mortem ejus vehementiſſimè doluit. Notat *Lampridius* ab hoc Principe uſque ad Aurelianum, nullum ultra biennium vel triennium, pleroſque verò brevius imperaſſe. Quod tamen in Gordiano III. & Philippo Arabe exceptionem patitur, qui uterque in ſextum annum imperaverunt. Scriptores ſunt dictus *Lampridius in Vita, Herodianus lib. 6. Xiphilinus in Epitoma Dionis,* qui hic deficit. *Aurelius Victor, Eutropius lib.* 8. Add. *Rupert. p.* 350.

A. C. 235. MAXIMINVS, 2. GORDIANI *pater & filius imperium uſurpantes occiduntur.* Maximinus Thrax fuit, patre Gotho, matre Alanâ genitus, ex infimâ ſorte hominum. Virtute militari ad ducatum, & denique à militibus, ſine conſenſu Senatus, ad imperium evectus, crudeliter illud exercuit. Ipſe inſignis ſtupendo robore corporis & voracitate; filium MAXIMVM nomine (quanquàm *Capitolinus* utrumque, patrem & filium Maximinum vocat) qui ob pulchritudinem celebris fuit, Cæſarem dixit. Germaniam ingreſſus magnas Germanis clades intulit. Sed cùm in expeditionem adverſus Sarmatas iret, interim exercitus in Africa, ſubitâ & ingenti ſeditione *Gordianum* reluctantem cum *filio* Imperatorem appellat: quibus poſtea Senatuſconſulto confirmatum eſt imperium; ut proinde non rectè dicantur in Tab. noſtra imperium uſurpaſſe. Etiam poſt mortem in Divos relati, & templa illis conſecrata ſunt: teſte *Capitolino in Maximinis, & in ipſorum Gordianorum Vita*, & *Herodiano lib.* 7. Tùm vero Maximini hoſtes judicati ſunt à Senatu. Sed Gordianus Senior, auditâ morte filii ſui, in pugna quadam occiſi, laqueo vitam finiit. *Zoſimus* tamen Gordianos in trajectu in Italiam vi tempeſtatis periiſſe, aſſerit. Quibus Romam nuntiatis

A. C. 237. BALBINVS & PVPIENVS à Senatu Imperatores creati ſunt. De nomine horum Imperatorum videatur *Rupertus p.* 353. in quo nimirum variant Scriptores. *Capitolinus in Vita fin. Pupienus* Vrbi Præfectus fuerat, & Imperator factus contra Maximinum profectus eſt; dum interim *Balbinus* Romæ ſeditiones vix compeſcit; quippe juvantibus demum prætorianis, populus laniatus, & magna pars Vrbis incenſa eſt. *Maximinus* deinde in caſtris ad Aquilejam, quam obſidebat, à ſuis militibus occiſus eſt. Videatur de his *Capitolinus in Maximinis & in Gordianis,* item *in Balbini & Pupieni Vita. Herodianus lib.* 7. & 8.

7. & 8. *Aurel. Victor, Eutropius, Zoſimus. Rupertus p. 351. ſeqq.* Maximus verò ſeu Pupienus, (nam utroque nomine appellatur) poſt cædem Maximini Romam reverſus, ubi Balbinus remanſerat, militibus odio eſſe cœpit, eò quod non ab ipſis electus erat, & ab iis unà cum Balbino trucidatus eſt, Germanis eorum ſtipatoribus ſerò ad auxilium venientibus. Vide Scriptores eoſdem. Sub his belli Scythici initium fuit, quod, ſubinde ineſcatis illis gentibus, & per Romanorum diſcordias invaleſcentibus, ad extremum Imperii Occidentalis ruinam traxit.

A. C. 238. GORDIANVS deinde III. Senioris Gordiani nepos, illis occiſis ſolus imperium obtinuit, qui jam tum puer annorum 13. vivo etiamnum Maximino, flagitante populo, Cæſar appellatus fuerat, & poſt necem Maximini cum Pupieno & Balbino pari poteſtate Auguſtus dictus. Hic oppreſſis, qui duce Sabiniano in Africa contra ipſum conjuraverant, cùm *Sapores Rex Perſarum Rom. finibus infeſtus* (uti ſub Tit. Variorum ad annum ſeculi 42. notatur) jam Antiochiam teneret, & in Italia timeretur, expeditionem Perſicam ſuſcepit, & receptâ Antiochiâ, Niſibi & Carris, Saporem in ſuum regnum retruſit. At Philippus Arabs, Miſitheo Socero Gordiani & Præfecto per inſidias occiſo, in ejus locum conſtitutus Præfectus prætorio, etiam ipſi Imperio inhiabat. Itaque ſubtrahendo annonas exercitui, milites Gordiano infeſtos reddidit, & variis artibus evicit, ut ipſe tanquam tutor Gordiani ſimul imperaret: imò ipſum Gordianum, nequicquam conditiones offerentem, in conſpectu ſuo trucidari juſſit. Quicunque eum occiderant (novem fuiſſe tradunt) poſtea ſua manu ſuiſque gladiis & iiſdem quibus illum percuſſerant, feruntur interiiſſe. Sic Juvenis egregius, cui nihil ad imperium præter ætatem defuit, periit anno ætatis 19. imperii 6. Videndi Scriptores *Capitolinus in Gordiano III. Zoſimus lib. 1. Eutropius, Victor.* Nam *Herodianus* hic deficit, quanquam initia hujus Gordiani etiam memorat. Hinc jam

A. C. 244. PHILIPPVS ARABS, *parricida anteceſſoris*, imperio præeſt per annos 5. Quanquam Senatus accepta morte Gordiani III. *Marcium* quendam ex Senatoribus, &, hoc ſtatim extincto, *Hoſtilianum* Imperatorem creaſſet, (Vid. *Rupertus p. 355.*) tamen & hoc paulò poſt mortuo, Philippus nullo jam æmulo Imperii, quod invaſerat, conſortem ejus fecit filium cognominem. Hic Philippus, primus ex Imperatoribus Chriſtianus fuiſſe dicitur, auctoritate *Euſebii*, qui hoc tradit *lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. c. 27. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 3. cap. 1. p. 93.* Sed merito hoc in dubium vocatur; præſertim cùm nihil dignum Chriſtiano feciſſe legatur. Vid. iterum *Rupertus p. 356. & Hiſtor. Eccleſ.*

Gothan. lib. 2. *p.* 248. Romam reverſus Philippus ludos ſeculares celebravit magna pompa. Sed Tatiano & Marino contra eum inſurgentibus, Decium illis, quanquam reluctantem oppoſuit. Sed ab iis, quibus opponebatur, exercitibus

A. C. 249. DECIVS Imperator appellatus eſt; Philippus in prælio contra eundem, &, hoc Romæ comperto, filius quoque ejus apud caſtra prætoriana occiſus eſt. Philippi Arabis res petendæ ſunt ex *Zoſimo lib.* 1. *Aur. Victore. Eutropio lib.* 9. *Zonara Tom* 2. *Oroſio lib.* 7. *c.* 20. Decius verò cùm contra Scythas ſeu Gothos Tanaim tranſgreſſos, primùm proſperè pugnaſſet, poſtea inſidiis Vibii Galli, colludentis cum Scythis, periit, cum ultra biennium ſex menſes imperaſſet. Vid. *Victor in Cæſar. & in Epitome. Zoſimus lib.* 1. *Zonaras Tom* 2. *Eutropius.* Add. *Rupertus p.* 358.

Sub rubrica de REBVS ECCLESIASTICIS hæc habentur:

V. PERSECVTIO &c. Mota hæc eſt à Severo Imp. qui cum primùm Eccleſiæ pacem dediſſet; anno demum 10. ſui principatus, qui eſt Chriſti 202. cùm in Syriam ex Parthia victor rediiſſet, edictum de perſequendis Chriſtianis dedit, vetuitque quenquam circumcidi: teſte *Euſebio in Chron.* & *Hiſtor. Eccleſ. lib* 6 *c.*1.*ſeq. Sulpit. Severus Hiſtor. Eccleſ. lib.*2. hanc Sextam vocat perſecutionem, nempe perſecutionem Hadriani ſeorſim numerans. Adeò vero gravem hanc fuiſſe, atque adeò pios ea fuiſſe conturbatos, ut jam omnes exiſtimarent Antichriſtum adeſſe; ſcribit *Euſebius*, idem qui & de *de Philippo, Præfecto Auguſtali per Ægyptum*; de *Victore, Romæ*; de *Leonide, patre Origenis, Alexandriæ*, deque *Irenæo Lugduni, martyrio affectis* memorat *lib.* 6. *c.* 2, 4, 6, 7. De Irenæo hoc adhuc monendum eſt, quia non alibi ejus mentio in Tabb. noſtris, quod is Polycarpi diſcipulus fuit, & inter DD. Eccleſiæ præcipuos locum ſibi vindicat. Scripſit libros V. *adverſus hæreſes*, ſeu *de Refutatione & Everſione falſæ Scientiæ*; utrum Græce an Latinè, dubitatur: nam Latini ſive ab ipſo ſive ex verſione hodie habentur. Vid. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *p.* 249. *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 5. *c.* 1. *p.* 66. *ſeqq.* Vitam ejus *P. Halloixius* ſcripſit. Martyrium ejus ſub Severo in dubium vocat *H. Dodwellus*, qui eum diu ante Severum obiiſſe aſſerit. In ea perſecutione multos præterea ad carceres, nec pauciores ad metalla damnatos, caſtiſſimas etiam matronas lenonibus traditas eſſe conqueritur *Tertullianus in Apologetico.*

PRAXEAS

Digitized by Google

PRAXEAS *hæreticus,* contra quem *Tertullianus* ſcripſit, ſtatuit, unam tantùm eſſe in Divinis perſonam, quod poſtea etiam Sabellii dogma fuit. Conſulatur *Ittigius de Hæreſiarchis ævi Apoſtolici & Apoſtolico proximi. Arnold. in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 2. cap. 4. p. 81.*

A.C. 215. *Diſputatio inter Caium Catholicum & Proclum Montani Sectatorem Romæ inſtituta,* memoratur ab *Euſebio.* De Montani Sectâ jam diximus; cujus propugnator Proclus, quamvis cæteris moderatior, etiam facundia ſua Tertullianum ſeduxit. De Doctrinâ Procli vid. *Epiphanius Hæreſ. 64. Hieron. de Scriptor. Eccleſ. in Gajo.*

A.C. 219. *Hierichunte in dolio inveniuntur divinæ Scripturæ libri Græcè redditi.* Libri ſcil. Vet. Teſtamenti. Auctor hujus Verſionis ignoratur. Hæc quinta verſio dicitur inter *Octapla Origenis* edita. Reperta eſt & Nicopoli alia verſio Bibliorum Græca, quæ Sexta dicitur: ab aliis tamen hæc Quinta, illa Sexta appellatur. Vid. *Fabricius Biblioth. lib. 3. c. 12. p. 341.* & quos ibi citat. Conf. *Prolegom. Editioni LXX. Interpp. Gothan. præfixa. p. 31.*

ORIGENES *Alexandriæ* &c. *Origenes* χαλκέντερος ſeu Adamantius à continuis ſtudiis dictus, vir elogiis pariter & vituperiis inter doctos notiſſimus; quorum illa exhibet *Sixtus Senenſis in Bibl. S. lib. 4. de Origene*: hæc *Bellarminus de Scriptor. Eccleſ.* Origenes anno ætatis 18. Alexandriæ, quæ illi patria fuit, aperuit ludum, & catechetam egit. Cæſareæ nactus Presbyterii gradum, ſeipſum eviravit, ne ſuſpicionibus locum relinqueret. Martyrii adeò cupidus fuit, ut ſe Chriſtianum ultrò profiteretur, quo tempore pater ejus pro fide occubuit; niſi ſubtractione veſtium à matre eſſet retentus. Martyrum hortator aſſiduus, ingenio atque eruditione gentilibus æquè ac Chriſtianis admirabilis: de quo verè dictum eſt illud quod Tab. noſtra habet: (quanquam non à *Schradero*, ſed ab Interpolatoribus additum: *Origenes ubi benè ſcripſit, nemo melius; ubi malè, nemo pejus.* Sunt autem verba hæc deſumta ex *Caſſiodori Divin. Lection. lib. 1. cap. 1.* Errores Origenis per compendium referuntur apud *Hieronymum in Apologia adverſus Ruffinum lib. 2.* Librorum infinitorum auctor fuit, quorum qui ſuperſunt Tomis duobus comprehenduntur. Vitam ejus prolixè ſatis ex Euſebio & Suida recenſent *Magdeburg. Centuriatores Sec. 3. c. 10.* Scripta verò ejus variè contaminata ſunt & interpolata, de quibus vid. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib. 2. p. 244. Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 54. ſeq. Rivetus Crit. Sacr. lib. 2. c. 12. & 13. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 2. p. 479. ſeqq.* & præſertim *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 5. cap. 1. num. 26. p. 213. ſeqq.* ubi & de editionibus Operum ejus: item *Neu in Acceſſionibus ad Wheari Relect. Hiem. p. 252. Arnold. lib. 3. c. 3. p. 99. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret.* de eo mitius ſentit, & Ejuſdem

Hiſtoria

Digitized by Google

Hiſtoria Eccleſiaſtica Part. 4. *Sect.* 1. *num.* 4. præcipua dogmata Origenis exhibet.

A. C. 235. VI. PERSECUTIO *pleroſq; omnes Eccleſiarum Antiſtites partim morte, alios exilio ſuſtulit.* De hac quoque Perſecutione à Maximinis motâ, quâ maximè in Eccleſiæ Chriſtianæ præpoſitos, tanquam doctrinæ ipſius duces, ſævitum eſt, vid. *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib.* 6. *c.* 21. *Oroſius lib.* 7. *c.* 19. Non diuturna tamen illa fuit, Maximinis brevi occiſis.

A. C. 239. VII. PERSECUTIO *prioribus ſævior, in qua & Origenes humani quid paſſus*: Propter atrocitatem hujus perſecutionis, à Decio motæ, factum eſt, ut multi fidem abnegarent, idque duplici modo. Quidam enim apertè Diis ſacrificarunt, qui dicti fuerunt vel *ſacrificati* vel *thurificati*: inter quos & Origenem nominat *Suidas*, & ex eo *Nicephorus lib.* 5. *c.* 32. quem tanti Viri lapſum ſtudiosè reticet Euſebius, commemorans ſolùm ea, quæ ſit paſſus: *Baronius* omnino negat accidiſſe. Quidam verò *Libellatici* dicebantur: qui non abnegarunt quidem Chriſtum, ſed libellum à Præſidibus redemerunt, ne cogerentur Diis adolere. Saniori conſilio alii in deſerta aufugerunt, aliiſque, ut fugerent, auctores extitere; quos inter Cyprianus fuit & Gregorins Thaumaturgus, de quibus paulò poſt inter Viros Celebres.

Sub VARIORUM Titulo hæc leguntur:

PLAUTIANUS *Præfectus prætorio, gratia & opibus florens, Caracallæ ſocer à genero interficitur.* Hic Plautianus Chriſtianorum perſecutor acerrimus, gratiâ in tantum floruit apud Severum Imper. ut hic etiam filio ſuo Caracallæ filiam Plautiani uxorem obtruderet invito; quæ quidem dotem ei attulit, quæ vel 50. reginis ſatis eſſet: quod eſt argumentum opum ejus. Ditatus enim fuerat ex bonis damnatorum, à Severo ei donatis. Sed cùm non contentus eâ potentia, ipſi imperio inhiaret, Severo & Caracallæ necem machinatus, detecta re per ipſum, cui exequendarum inſidiarum miniſterium mandaverat, dignum crudeli vita exitum habuit, Caracallæ magis quàm Severi juſſu occiſus. Sicut memorabilis hic potentis aulici caſus prolixè narratur ab *Herodiano lib.* 3. *c.* 10. *uſq; ad* 13. Add. *Xiphilinus in Severo.*

SYMMACHUS *Vetus Teſtamentum Græcè reddidit.* Miror auctorem Tabb. noſtrarum hanc rem denuò ad hoc tempus referre, cùm jam ante ſub M. Antonino Philoſopho i. e. 50. ferè annis citius poſuerit: *Symmachus Bibliorum Interpres.* Quanquam enim hoc inde factum eſſe exiſtimo, quod Symmachi verſio Græca Bibliorum ab aliis antiquior cenſe-

cenſetur, ab aliis ſerior, *Epiphanii* potiſſimum aut inſcitia aut incuria in nominandis Cæſaribus huic confuſioni anſam præbente; debebat tamen ſibi conſtare, nec ad utrumque tempus idem referre. Probabile tamen eſt, non ab ipſo *Schradero*, cujus prima editio Tabb. Chronologicarum hoc poſteriore loco nihil de Symmacho habet, ſed potius ab iis, qui poſtea interpolarunt, admiſſum fuiſſe. De controverſa ætate Symmachi, & utrum Theodotione ſit antiquior an recentior, vide quæ pro & contra afferuntur in *Prolegomenis LXX. Interpp. editioni Lipſienſi præmiſſis*, quæ prodiit an. 1697. ubi de verſionibus Bibliorum V.T. ex profeſſo agitur. Add. *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 3. c. 12. p. 336. ſeqq.*

Scotorum Rex DONALDVS *primus ſuſcepit Chriſtianam religionem.* Hoc ad hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinebat. Scriptorum quidem conſenſu firmatur, Scotos maturè admodum ad Chriſtianam fidem converſos fuiſſe, unde *Origenes* eos inter primitias Chriſtianiſmi recenſet; ſed à quo, non ſatis conſtat. Donaldus viceſimus ſeptimus Scotiæ Rex, & hujus nominis I. is eſt, cum quo Severus Imper. grave bellum geſſit. Ipſe deinde anno 203. ad fidem Chriſtianam converſus eſt, admiſſis Victoris Papæ legatis, eamque publicè in regno ſuo introduxit. Hinc verſiculi *Joh. Fordoni* vel *Joh. Majoris*:

Chriſti tranſactis tribus annis atq; ducentis,
Scotia Catholicam cœpit habere fidem.

Prolixè de hac re ſcribit *Jac. Vſſerius in Ant. Brit. p. 612. ſeqq.* Vid. etiam *Buchananus* & *Demſterus in Hiſtor. Scot.*

A. C. 225. *Judæis in Palæſtina degere permiſſum*; ab Alexandro Severo, qui Judæos præfectum ſuum habere, &, quod jam ab Hadriano interdictum erat, in Palæſtina habitare conceſſit. Quò pertinent illa *Spartiani* (*in Alexandro Sev. c. 22.*) verba: Judæis privilegia reſervavit. Refert hoc *Calviſius in Chron.* ad ann. 223.

TALMVD HIEROSOLYMITANVM, *à R. Jochanan conſcribitur.* Talmud dicitur liber, in quo leges & inſtituta Judæorum civilia & eccleſiaſtica comprehenduntur. Principem ejus partem conſtituit Miſchna, quam R. Jehuda compoſuit, de quo ſupra; cui R. Jochanan addidit commentarium, qui *Gemara* appellatur, ſed obſcurum admodum: unde fit, ut eo non multum utantur Judæi. Erat hic R. Jochanan ex tribu Joſeph, qui caput fuit Synagogæ in terra Iſraël per annos 80. & abſolvit Thalmud Hieroſolymitanum cum collegis Raf Abba & Samuele, quo definitè anno non poteſt dici. Conſulatur *Galatinus de Arc. Rel. Chriſt. lib. 1. p. 27. Bartoloccius & Buxtorffius in Biblioth.*

 Rabbin.

Digitized by Google

Rabbin. Baſnage dans Hiſtoire des Juifs, *Sixtus Sen. Bibl. S. lib.* 2. *p.* 124. (apud quem legitur catalogus voluminum Talmudicorum, nec non excerpta blaſphemiarum & errorum, quos illud opus complectitur) Obſcuratum hoc Talmud Hieroſolymitanum poſtea eſt à Talmude Babylonico, quod Seculo 5. finiente, vel 6. incipiente conſcriptum, irrefragabilem apud Judæos auctoritatem habere cœpit. *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap.* 3. *Sect.* 3. *p.* 129. & *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib.* 2. *p.* 279.

A.C. 230. PERSÆ *Artabano Partho ceciſo imperium Orientis recuperant per* ARTAXERXEM. Artabanus IV. hujus nominis, & ultimus Parthorum Rex, qui Rex magnus primus appellatus eſt, ab Artaxerxe Perſa victus, & non ſolùm Orientis regno, ſed vita quoque expulſus eſt. Itaque regnum Parthorum, quod Arſaces poſt mortem Alexandri, perſuaſis popularibus ut à Macedonibus deficerent, primùm conſtituerat, formidabile deinceps ipſis etiam Romanis, in hoc Artabano deſiit, & ad Perſas rerum ſumma in Oriente translata eſt. Qua de re vid. *Herodianus lib.* 6. *c.* 2. ubi de indicto Romanis ab Artaxerxe bello; *Xiphilin. in Alexandro.*

De *Sapore* diximus ſub Rebus Imperii R. & Gordiano.

Inter VIROS CELEBRES hoc Seculo memoratur

CLEMENS ALEXANDRINUS. Fuit hic quidem Clemens patria Athenienſis, Alexandrini tamen cognomen tulit, quod Alexandriæ plurimo vitæ tempore Catechetam egit. Pantæno, Stoico primùm Philoſopho, mox Chriſtianæ fidei diſertiſſimo propugnatori, qui propagandæ religionis ſtudio ad Indos profectus erat, in ſcholâ ſucceſſor datus Præceptori diſcipulus. Multa ſcripſit, quorum faciunt mentionem *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib.* 6. *c.* 13. & *Hieronymus de Script. Eccleſ.* inter inter quæ præcipuum locum obtinent *Stromatum libri* 8 adhuc ſuperſtites, rerum atque eruditionis multiplici varietate conſpicui. Superſunt etiam *Pædagogi* libri III. & *Protrepticon ad Gentes.* Item *Hymnus in laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Liber, quis dives ſalvetur.* Cætera perierunt. Vid. de hoc Clemente *Euſebius lib.* 5. *c.* 11. & *lib.* 6. *c.* 11. *ſeq. Hieronymus de Scriptor. Eccleſ. c.* 38. *Caſſiodor. Inſtit. Divin. lib.* 1. ex recentioribus *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 204. *p.* 52. *Rivetus Crit. Sacr. lib.* 2. *c.* 8. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 3. *p.* 469. *ſeqq. Fabricius in Biblioth. Græc. lib.* 5. *c.* 1. *n.* 21. *p.* 102. *ſeqq.*

MINUCIUS FELIX, Cauſidicus fori Rom. fuit, qui *Dialogum* edidit *Octavii* nomine inſcriptum, ſuſtinentis perſonam Chriſtiani, cùm Cæcilio

Digitized by Google

cilio pagani perſonam dederit. Hunc *Arnobii* libris olim accenſitum, eoque 7. ejus commentariis *adverſus gentes* octavo loco adjici hodieque ſolitum, *Hieronymus* Minucio vindicat. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 53. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 3. *p.* 474. Add. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 9. *Franc. Balduinus in Prolegom. ad Minucium*, qui hujus *Octavium* anno 1560. primus edidit ſub hoc auctoris nomine.

PAPINIANVS JCtvs jam tùm Imperatori Severo amiciſſimus fuit, qui ei etiam duos filios ſuos commendavit. Factus deinde Præfectus prætorio, cùm fratrum Caracallæ & Getæ concordiam foveret, & Geta interfecto parricidium improbaret, Caracallæ juſſu & ipſe inter fautores Getæ interfectus eſt. Ferunt Papinianum, cum Caracalla ei mandaſſet, ut facinus hoc in Senatu & apud Populum defenderet, reſpondiſſe: non tàm facile parricidium excuſari poſſe, quàm fieri. Vid. plura de eo apud *Spartianum in Vita Antonini Caralla c.* 8. *Fichard. de Vitis JCtorum.* Nomen ejus frequens in Pandectis.

PHILOSTRATVS *Scriptor Vitæ Apollonii*, Tyanei ſcil. de quo diximus ad Tabulæ XIII. partem alteram. Hujus vitam VIII. libris, qui adhuc ſuperſunt, complexus eſt Philoſtratus, in quo opere Apollonium veluti Deum quendam venerabilem omnibus & admirandum reddere conatus eſt, idque ſcripſiſſe eum peſſimâ fide & data opera, ad elevandam Evangeliorum Actorumque Apoſtolicorum fidem, judicant viri eruditi. De hoc Philoſtrato, ejuſque opere *de Vita Apollonii* vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 15. *p.* 234. *Morhoffii Polyhiſt. Philoſ. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 5. inprimis autem *Fabricius Biblioth. Græc. libri* 4. *parte altera, cap* 24. ubi de hoc Philoſtrato ejuſque ſcriptis accuratè diſquirit, & alios Philoſtratos recenſet. Noviſſimam eandemque elegantiſſimam hujus Philoſtrati editionem nobis dedit *D. Godfridus Olearius*, Prof. Theolog. Lipſienſis, 1709. fol.

PHILOSTRATVS *prioris gener ſcripſit Vitas Sophiſtarum.* Ita quidem *Schraderus* noſter ex communi ſententia ponit. Vnum tamen eundemque eſſe, qui Vitam Apollonii & qui Vitas Sophiſtarum ſcripſit, arbitratur *Fabricius* cum paulò ante laudato *D. Oleario*, etſi prius aliter ſenſerat. *Vitæ* autem iſtæ *Sophiſtarum* II. libris comprehenſæ, adhuc leguntur. De quibus vid. poſt *Voſſium l. c. p.* 236. idem *Fabricius Biblioth. Græc.* 4, 24. ubi & de cæteris Philoſtrati hujus ſcriptis.

JVLIVS AFRICANVS *habetur auctor hiſtoriæ de Suſanna*: imò potius hiſtoriam de Suſanna fabuloſam eſſe contendit in *Epiſtola ad Origenem* ſcripta, cui hic reſpondit. (Sed illud, quod habeatur auctor hiſtoriæ de Suſanna, gloſſa eſt, nec ab ipſius *Schraderi* manu, qui ſolum nomen Julii Africani poſuit.) Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 221. *p.* 53.

Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 2. p. 476. Scripſit etiam Epiſtolam ad Ariſtidem, in qua agitur de conciliando Matthæo & Luca in genealogia Joſephi, quorum ille (1, 16.) filium Jacobi, hic (3, 23.) filium Heli facit. Sed inprimis celebre ei nomen peperit πεντάβιβλος χρονολογικὴ, ex qua integras etiam paginas in ſuum Chronicon tranſcripſit *Euſebius*, eaſque primus Græce publicavit *Joſephus Scaliger*; qui nec dubitat *Euſebii Chronicon* vocare Africani Chronicon recoctum. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. 2. c. 15. p. 236.* Vid. *Euſebius in Chronico* & *Hiſtor. Eccleſ. lib. 6. Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 7.* Add. *Neu ad Wheari Relect. Acceſſ. Part. 1. p. 255.* & præcipuè *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 5. c. 1. p. 268. ſeqq.*

DION CASSIVS, Scriptor Græcus nobiliſſimus, ex Nicea Bithyniæ oriundus, Hiſtoriam Rom. ab V. C. 80. libris uſque ad Alexandrum Mammææ filium perduxit, cum quo Imperatore ipſe conſulatum Romæ geſſit A. V. 981. Sed primi ejus 34. libri perierunt, & pars major trigeſimi quinti. Extant vero ſequentes 25. qui incipiunt à Luculli geſtis, ac deſinunt in morte Claudii Cæſaris. Qui inde ſequebantur, itidem amiſſi ſunt. Sed tolerabilem hanc jacturam facit, *Jo. Xiphilini Epitome*, qui nobis Ἐκλογὰς ſeu Excerpta ex Dione dedit, à Pompejo & Julio Cæſare uſque ad ſupra dictum Alexandrum. Vnde cùm à nonnullis *Dio* allegari ſolet etiam in ſequentibus Claudium temporibus, hæ Xiphilini Ἐκλογαὶ intelligendæ ſunt. Vid. de eo *Photius Biblioth. Cod. 71.* Plura *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. 4. c. 10. §. 5. Whear. Relect. Hiem. Part. 1. Sect. 20.* & *Neu in Acceſſ. p. 123. ſeq.*

HERODIANVS Scriptor itidem Græcus laudatiſſimus, cujus habemus *hiſtoriarum libros VIII.* quos exorſus eſt ab exceſſu M. Aurelii Antonini Philoſophi, ac deſiit in morte Balbini ac Maximi, atque imperio Gordiani Nepotis. vid. *Voſſius d. l. Whear. Part. 1. Sect. 22. p. 87.*

VLPIANVS, POMPONIVS, CELSVS, MODESTINVS, PAVLVS *JCti* celeberrimi, & nota JCtorum filiis nomina, Papiniani diſcipuli, & Alexandri Imper. familiares & ſocii fuerunt, quos omnes cum aliis ſimilibus laudat *Lampridius in Alexandro Severo c. 68.* Præcipuus tamen Vlpianus, qui Præfectus prætorio, & ab Alexandro pro tutore ſuo habitus, & ejuſdem magiſter ſcrinii & conſiliarius fuit, quem *in Vita Alexandri* paſſim, & *in Vita Heliogabali c. 16.* ſeorſim laudat dictus *Lampridius.* Plura de iis *Fichardus, Bertrandus, Grotius in Vitis JCtorum.*

OPPIANVS Cilix, Poëta ſcripſit carmine Græco heroico Ἁλιευτικὰ & Κυνηγετικὰ, i. e. de Piſcatione & Venatione,, quæ adhuc ſuperſunt. *Voſſius de Poët. Græc. p. 75.* Idem ſcripſit Ἰξευτικὰ ſeu de Aucupio, quæ an adhuc ſuperſint, dubitat *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 7. c. 2. n. 24.* ubi plura de hoc Scriptore, & Interpretibus editionibuſque ejus. Item, apud

Fabricium

Digitized by Google

*Fabricium Biblioth. Græc. lib.*4. *c.*20. Extat & *Vita Oppiani* à veteri Scriptore Græco concinnata.

Ammonius *Præceptor Plotini*, cognomento *Saccas*, Alexandrinus fuit, Philoſophus Platonicus, in cujus ludo *Origenes* etiam fuit inſtitutus, qui in ſcriptis ſuis etiam Theologicis Platoniſmi veſtigia ubique oſtendit. Fuit Ammonius Chriſtianis quidem parentibus natus, ſed ad Græcos defecit, ut diſertè de eo teſtatur *Porphyrius*. Plerique tamen illum Chriſtianum faciunt, & theologica etiam ſcripſiſſe volunt: quos refellit *Fabricius*, alii Ammonio illa ſcripta tribuenda eſſe aſſerens. Plura de Ammonio *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib.* 6. *c.*19. *Porphyrius in Vitâ Plotini. Hieronymus in Catalogo Script. Eccleſ. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.*3. *p.*477. *Plotinus*, Ammonii Diſcipulus & ipſe fuit magni nominis Philoſophus Platonicus; cujus Opera ad nos uſque ſervata cum ſuâ verſione edidit *Marſilius Ficinus.* Habetur adhuc *Vita Plotini* à *Porphyrio* ſcripta: quam etiam ſuæ *Bibliotheca Græca* integram inſeruit, & notis ſuis illuſtratam, Celeberrimus *Fabricius lib.* 4. *c.*26. quem præcipuè vide de Plotino pariter & Ammonio diligenter, ut ſolet, & accuratè agentem.

Gregorius Neocæsariensis *Thaumaturgus cognominatus.* Fuit Epiſcopus Cæſareæ in Ponto, cognomen Thaumaturgi adeptus opinione patratorum miraculorum; quæ tamen ſuſpecta videntur *Centuriatoribus Magdeb. Sec.* 3. *c.* 13. Origenis auditor fuit, cui etiam *Panegyricum* ſermonem Juvenis adhuc dixit; qui extat, & præterea ejus *Metaphraſis in Eccleſiaſten.* De cæteris, quæ ei tribuuntur, dubitant. Videatur de eo *Gregorius Nyſſenus de Vita & miraculis Gregorii Neocæſarienſis. Hieronymus de Script. Eccleſ. Euſebius lib.* 6. *c.* 23. & cæteri Hiſtor. Eccleſ. Scriptores: item *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 233. *p.*57. *Rivetus Crit. Sacr. lib.* 2. *c.*16. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 3. *p.* 487. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib.* 2. *p.* 263. Plura de Gregorio Neocæſarienſi *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 5. *c.* 1. *n.* 28. *p.* 247. *ſeq.* & *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 3. *c.* 3. *p.* 102.

Censorinus Scriptor libri de *Die natali*, chronologis utiliſſimi, in quo ſcil. potiſſimas gentium æras connectit. De eo vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 2. *c.* 3. *p.* 179. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 148. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 5.

Serenus Sammonicus. Hujus ex ſcriptis multis ſoli *de Medicina* libri carmine conſcripti ad nos pervenerunt. Vid. *Voſſius de Poët. Latin. p.* 51. & *de Hiſtor. Latin. lib.* 2. *p.* 175. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 149. *Bartholinus de Medicis Poëtis.*

Cyprianus, celebre inter Eccleſiæ Doctores nomen, Carthaginenſis Epiſcopus fuit. Scripta ejus partim certò ei attributa, partim dubia aut ſuppoſititia, recenſentur in *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib.*2. *p.*261. *ſeq*

Digitized by Google

Ipſe poſtquam Carthaginenſium Eccleſiæ diu utiliter præfuiſſet, ſub Valeriano tandem & Gallieno martyrium pertulit. *Prudent. Periſteph. Hymn.* 13. Librum *de* ejus *Vita & Paſſione* ſcripſit *Pontius*, ipſius Diaconus, qui Cypriani Operibus præmitti ſolet. Vid. *Hieronymus in Catalogo c.* 67. & *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 250. *p.* 60. *Joh. Pearſonii Annales Cyprianici*, editioni Operum Cypriani, à *Joh. Fellio* Epiſc. Oxonienſi procuratæ, annexi. Item, *Dodwelli Diſſertationes Cyprianicæ. Arnold. Hiſtor. Ecleſ. & Hæret. lib.* 3. *c.* 3. *p.* 101.

Redimus ad RES ROMANAS hujus Seculi,

Quarum hiſtoria circa hæc tempora valdè intricata eſt; quod queritur *Caſaubonus ad Scriptores Hiſtoriæ Aug. p.* 202. & *Rupertus ad Synopſ. Beſoldi p.* 361. propter diſſenſum ſcil. Scriptorum, & ex parte etiam defectum. Ponitur quidem in Tab. noſtra ſtatim poſt Decium ad

A. C. 251. GALLUS *pater &* VOLUSIANUS *filius*, 2. Is nimirum Gallus, qui circumvento per fraudem Decio, uti dictum eſt, imperium invaſit, & Romam veniens, filium ſuum Voluſianum Auguſtum dixit. Sed jam ante hos, vivis adhuc Deciis, *L. Priſcum* Macedoniæ Præſidem, & *Licinianum* Imperatores appellatos, ex *Aur. Victore* oſtendit *Rupertus l. c.* & Decii filium alterum *Hoſtilianum* à Gallo adoptatum; ÆMILIANUM verò ab exercitibus in Mæſia renuntiatum, in catalogo Imperatorum ponit. Sed hi partim ſimultanei fuerunt Imperatores, omnes verò breve tempus ſupervixerunt. Interim hoc certum eſt, ſub his barbarorum res valdè auctas, & miſerabilem Imperii Romani fuiſſe ſtatum, quem deſcribit *Zoſimus lib.* 1. Nam Scythæ Trapezuntem, Chalcedonem, Nicæam & alias urbes ceperunt, Græciam quinimò & Aſiam vaſtarunt, etiam Italiam ingreſſi ad ipſam uſque Romam perrexerunt. Repreſſit tamen eos aliquantum Æmilius Æmilianus legionum Pannoniæ dux, & felici contra eos prælio commiſſo, vocatus Imperator. Sed Gallo & Voluſiano à militibus, ſpe præmii corruptis, occiſo, ipſe non diu poſt, ſuperveniente Valeriano, eodem fato periit. De quibus rebus conſulendi *Zoſimus lib.* 1. *Zonaras Annal. Tom.* 2. *Victor, Eutropius, Jornandes de rebus Geticis.* Turbatam hanc hiſtoriam vid. quomodo componat *Rupertus p.* 361. Hos

A. C. 253. VALERIANUS cum filio GALLIENO ſequitur. Valerianus pater non favore, ſed meritis & totius quaſi orbis conſenſu Imperator factus eſt; ad quod faſtigium per omnes honoris gradus adſcendit. Et honorificentiſſima ſunt judicia de eo Senatus & Deciorum apud *Trebell. Pollionem in Vita.* Sed ille tamen ab *Aur. Victore* aliter

ter deſcribitur. Sed expeditione in Orientem ſuſcepta, ſpecie colloquii circumventus & *captus à Sapore Perſarum Rege*, (quod & ſpeciatim in Tab. noſtra notatur) Regibus licet ſociis Perſarum eum dimitti hortantibus, tamen in captivitate conſenuit. Factum hoc ſexto Imperii ejus anno. Addunt alii, quod Sapori equum conſcenſuro vicem ſtapedis aut ſcabelli præſtare, ſubjecto dorſo, coactus, imo tandem excoriatus fuerit. Vid. *Rupertus p.366.* qui & AntiCæſares recenſet. Scriptores ſunt *Trebellius Pollio, Zoſimus, Zonaras, Eutropius, Aurel. Victor.* De morte ejus *Agathias lib.4.* Habebat Valerianus præter Gallienum alium quoque filium ſibi cognominem, quem Cæſarem primùm, mox Auguſtum fecit, quique *nihil habuit in vita prædicabile, niſi quod nobiliter eſt natus, educatus optimè, & miſerabiliter interemtus*, ut loquitur *Trebellius Pollio in Vita.* Sed & Gallienus jam à patre adhuc incolumi conſors imperii factus, teſte *Zoſimo*, audita poſtea ejus captivitate gaudebat. Ipſe homo ſegnis & abdomini natus, Romæ in luxuria vixit, dum interim paſſim exorti Tyranni 30. Rom. imperium miſerè diſtrahunt & vaſtant. Inter quos præcipuus ferè *Odenatus* Palmyrænus, totius penè Orientis Imperator, nutans in illis partibus imperium ſtrenuè ſuſtentavit, victoriis contra Perſas inclytus: quem propterea etiam Gallienus participato imperio Auguſtum appellavit. Interim Scythæ Aſiam, mox & Græciam, & (quod ſub Titulo Variorum notatur) *Gothi Macedoniam vaſtant*; quas aliaſque clades Gallienus libidinibus ſuis intentus parvi pendit. Chriſtianis tamen interim pacem dedit. Tandem, cùm Aureolum oppugnaret, apud Mediolanum interemtus eſt à ſuis ducibus. Gallienus Junior ſeu Saloninus jam ante occiſus fuerat in Gallia, & *Poſtumius* ibi Auguſtus dictus; qui aliquandiu ſtrenuè contra Germanos ingruentes imperium ab illa parte defendit. Triginta Tyrannos, qui ſub Valeriano & Gallieno in diverſis orbis partibus extitere, Auctor noſter intelligit ſub lemmate: *A Gallieno Duces paſſim deficiunt*: quos ſingulari libro executus eſt *Trebellius Pollio*, idem qui Vitam Gallieni ſcripſit; cui addendi *Zoſimus, Zonaras, Eutropius, Aurel. Victor, Oroſius*; *Rupertus p. 361. ſeqq.* De annis Imperii Gallieni dubium eſt. Non infra 9. tamen annos imperaſſe ſolum, conſtat. Alii 10. dicunt. Vid. *Trebellius Pollio in Gallieno Juniore c. 3.*

A. C. 268. CLAVDIVS *frugi & moderatus.* Cæſo Gallieno ab exercitu Imperator electus, & à Senatu confirmatus, obſcuris majoribus ortus fuit: quanquam qui Conſtantino M. & ejus filiis adulati ſunt, à fratre Claudii originem ducentibus illuſtriorem facere conati ſunt. Is ergo Claudius

GOTHOS

GOTHOS *ingenti ſtrage fundit.* Hæc victoria Claudii adverſus Gothos aliaſque gentes exaggeratur à *Trebellio Pollione*, ubi dicitur harum gentium 320000. deleviſſe, & 2000. navium merſiſſe. Periit hic Imperator tertio Imperii anno ſive peſte, ſive cùm ſe pro republ. exemplo Deciorum devoviſſet: nam diverſimodè narratur. Vid. *Rupertus p.* 380. Scriptores: *Trebellius Pollio*, qui panegyrico ſtylo vitam ejus exequitur, & cæteri paulò ante nominati.

QVINTILLVS frater Claudii delatum ſibi imperium tantùm per 17. dies tenuit. De morte ejus variant. Vid. *Rupertus p.* 382. *Trebell. Poll. in Claudio c.* 12. *&c.*

A. C. 270. AVRELIANVS, 5. *vincit Alemannos & Marcomannos.* Hic princeps erat magis neceſſarius quàm bonus; quamobrem eum neque inter bonos neq; inter malos Principes ponunt, quia defuit ei clementia; teſte *Fl. Vopiſco in ejus Vita.* Bello tamen bonus fuit, cujus virtutis documenta jam multa dedit privatus, adverſus Gothos, Imperator verò adverſus Suevos & Sarmatas egregiè pugnans. A Marcomannis, qui circa Mediolanum omnia vaſtabant, primò quidem clades ingentes accepit apud Placentiam, ut hinc metus ingens Romæ, & ex eo ſeditio etiam oriretur, quam Aurelianus poſtea ſeverè punivit. Denique verſâ fortunâ triplici acie eos vicit, apud Placentiam, apud flumen Metaurum, & poſtremò in Ticinenſibus campis. Deinde adverſus *Zenobiam* Palmyrenam profectus, Odenati uxorem, quæ poſt ejus necem Auguſta dicta imperium non muliebriter geſſit, eam ad Edeſſam vicit, & expugnatâ poſt magnas difficultates Palmyrâ, fugientem cepit, Palmyram poſt ipſius diſceſſum rebellantem evertit. Recepta deinde Ægypto, quam *Firmus* ſibi vindicabat, in Occidentem reverſus contra TETRICVM in Galliam movit, qui ſe ei dedidit. Et tunc demùm Romam redux, totius jam Rom. imperii potens ſine æmulo,

De ZENOBIA *triumphat*, ſimulque de TETRICO: nam de Oriente & Occidente nobiliſſimum triumphum egit, quem deſcribit *Fl. Vopiſcus in Vita c.* 33. *ſeq.* qui deinceps quæ in pace geſſerit, memorat, inter quæ hoc etiam, quod muros urbis ampliavit, ut quinquaginta propè millia murorum ejus ambitus teneret. *Zoſimus* ait, tunc primùm mœnibus cinctam fuiſſe Romam, cùm antea iis careret, quæ ab Aureliano cœpta perfecta ſint à Probo. Daciâ deſertâ, quia teneri non poterat, Aurelianus exercitum tranſtulit in Mœſiam. Occiſus eſt ob crudelitatem in itinere adverſus Perſas, notarii ſui Mneſtei inſidiis, & manu Mucaporis, cùm imperaſſet annos 6. minus paucis diebus; ut ait *Fl. Vopiſcus in Vita* ejus, cui conjungendi *Zoſimus, Zonaras, Eutropius, Aur. Victor.*

A. C.

Digitized by Google

A.C. 275. TACITVS & FLORIANVS. Interfecto Aureliano Senatûs & exercitûs pulchrum certamen fuit de eligendo Imperatore: eratque per 6. menſes nullus Imperator. Tandem Tacitus primæ ſententiæ Senator electus. Vid. *Fl. Vopiſcus in Aureliano c.* 40. *ſeqq.* & *in Tacito princ.* Sed princeps hic ob modeſtiam laudatus, poſtquam Barbaros Mæotidas feliciter repreſſiſſet, ſexto imperii menſe vel morbo, vel, juxta pleroſque, inſidiis militaribus periit. Et frater ejus Florianus privato motu arreptum imperium vix 2. menſibus tenuit, occiſus Tarſi à militibus, qui Probum audiverant imperare. Itaque hi duo fratres, Tacitus & Florianus quaſi quidam interreges inter Aurelianum & Probum, poſt interregnum Principes nuncupati fuerunt: ut loquitur *Fl. Vopiſcus in Floriano c.* 1. *fin.* Præter hunc *Fl. Vopiſcum* vide ſupra laudatos.

A.C. 276. AVR. PROBVS, *belli paciſq; artibus clariſſimus, ruſtici filius.* Fuit hic Princeps verè ſui nominis, è Sirmio Pannoniæ oriundus, nobiliore matre quàm patre, patrimonio moderato, affinitate non magnâ, ut ait *Vopiſcus in vita cap.* 3. Ruſtici vero filium fuiſſe non dicit, ſed patrem ejus nomine Maximum, cùm ordines duxiſſet, tribunatum adeptum, apud Ægyptum mortuum eſſe. Sed nimirum hoc prædicatum nomini Probi additum in Tab. non eſt ab ipſo Schradero. Ab exercitibus in Oriente Imperator factus, adverſus Germanos, Galliam propè omnem tenentes, profectus, eos ultra Nicrum & Albim (vel Albam, ut *Vopiſcus* habet) amnes removit, cæſis propè quadringentis millibus, & regulis eorum 9. ſe ad pedes ejus proſternentibus, tributa imperavit. Accepit etiam à Germanis 16000. tironum, quos per exercitus provinciales diviſit. Deinde ſuſceptâ adverſus Parthos expeditione, Blemmyas vicit, 100000. Baſtarnarum in ſolo Romano conſtituit, qui fidem ſervarunt; ſed quos ex Gepidis, Gautunnis & Vandalis tranſtulit, illi omnes fidem fregerunt, & occupato bellis tyrannicis Probo, totum penè orbem pedibus & navibus pervagati ſunt. Ipſe Probus Saturninum in Oriente, Proculum & Bonoſum in Gallia imperium arripientes, Barbarorum auxilio adjutus vicit. Adverſûs Perſas deinde expeditionem parans, in itinere à militibus interemtus eſt: qui tamen ei poſtea ingens ſepulchrum, cum titulo hujuſmodi, fecerunt: *Hic Probus Imperator, & verè Probus ſitus eſt, victor omnium gentium barbarorum, victor etiam tyrannorum.* Anno imperii quinto interfectum ſcribit *Vopiſcus c.* 21. Sed alii omnes 6. tribuunt. Vid. *Rupertus p.* 388. Scriptores ſunt laudatus modò *Vopiſcus in Vita.* qui etiam *Firmi, Saturnini, Proculi* & *Bonoſi* tyrannorum *vitam* ſeorſim exhibet. *Zoſimus* (in quo tamen hiatus hic eſt, & deficit finis libri I. & narratio de morte

Probi & initio imperii Diocletiani: incipit liber 2. ἀκέφαλος à ludis ſecularibus à Diocletiano celebratis) *Zonaras*, *Eutropius*, *Victor*, *Oroſius*.

A. C. 282. Carus *cum filiis* Carino & Numeriano. Carus medius Princeps, bonus tamen magis, quam patriam habuerit, in incerto relinquit *Vopiſcus*. Is interfecto Probo ex Præfecto prætorio factus Imperator à militibus, Sarmatas primùm contudit; inde in bellum Perſicum proficiſcens, filios Cæſares appellavit, & Carinum quidem ad Gallias tuendas deſtinavit, Numerianum verò ſecum duxit. Cepit deinde Meſopotamiam & Cteſiphontem uſque pervenit: unde ulterius progredi volens, morbo, ut multi, fulmine, ut alii dicunt, certè inter ingentia fulmina extinctus eſt anno imperii vertente. Notat hic *Vopiſcus* traditionem veterem, in fatis eſſe, ut Princeps Romanus Cteſiphontem tranſire non poſſet. Numerianus, Cari minor natu filius, Orator & Poëta ſuo tempore præſtantiſſimus, cùm patris mortem nimio fletu doleret, oculos perdidit. Ab Apro Socero ſuo ad imperium adſpirante occiſus eſt. Tùm Diocletianus à militibus Auguſtus appellatus, Aprum productum ſuâ manu occidit. Carinus autem homo omnium contaminatiſſimus, omnibus occidentalibus provinciis & Africæ nomine Cæſareo præpoſitus, interfectis patre & fratre contra Diocletianum multis præliis conflixit, ad ultimum apud Murtium victus occubuit. Scriptor proprius eſt *Fl. Vopiſcus*. Præter eum *Victor cap.* 39. *Eutropius ſeu Hiſtoria Miſcella lib.* 10. *c.* 48. Nam *Zoſimus*, ut dixi, hîc mancus eſt. Et hic etiam deficiunt Scriptores Hiſtoriæ Aug VI. minores. Notandusque iterum eſt defectus Scriptorum, quos tamen etiam his temporibus contigiſſe eximios, credibile eſt: qui verò perierunt. Tempora tamen ipſa notatu digniſſima ſunt. Add. *Rupert. p* 389.

A. C. 284. Diocletianus. Quomodo ad imperium pervenerit, dictum paulò ante, & narrat adhuc *Vopiſcus in Numeriano*: ubi memorabile eſt vaticinium Druidis fœminæ in Gallia, quæ imperium ei prædixerat, ſi aprum occidiſſet. Obſcuriſſimè natus, & *Diocles* prius dictus, Diocletianum ſe appellavit factus Imperator. Ab eo porrò ne tota moles imperii, multis graviſſimis bellis undique petiti, uni incumberet,

Maximianus Herculius *Imperii collega* ſeu conſors adſcitus, & in Galliam miſſus eſt, ad opprimendos Bagaudas, qui Amandum & Æmilianum ſibi duces conſtituerant, & Imperatores fecerant. Propter ingruentes verò undique hoſtes & tyrannos, etiam

Julius

Digitized by Google

JVLIVS CONSTANTIVS CHLORVS, & GALERIVS MAXIMIANVS ARMENTARIVS *adoptantur Caſares.* Atque hinc quaſi diviſo imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ ſunt, Conſtantio commiſſa; Africa Italiaque Herculio; Illyrici ora uſque ad Pontum Galerio: cætera Diocletianus ſibi retinuit. Bella eorum ſunt partim cum tyrannis, quæ vide ex ſuis auctoribus recenſentem *Ruper um p.393. ſeq.* partim externa, in quibus victi Carpi, omnes in Romanum ſolum translati ſunt. Præcipuum verò fuit cum Perſis, à quibus Galerius Maximianus Cæſar primò ingentem cladem accepit. Sed ignominiam poſtea delevit illuſtri victoria, qua Narſeum Perſarum Regem, captis ejus uxore & filiabus, ita ſubegit, ut Meſopotamiam cum 5. regionibus transtigritanis reddere Romanis cogeretur. Victi etiam in Occidente Marcomanni. Diocletianus deinde anno regni 20. cùm ex antea ingruente morbo poſt perſecutionem Chriſtianorum convaluiſſet, imperio ſe abdicavit, & Maximiano perſuaſit, ut idem faceret, exemplo in Imperatoribus primo. Quod quanquam ad ſeq. Seculum pertinet, factum enim ad ann. 305. uti & ab Auctore noſtro ſpeciatim notatur, tamen hic propter connexionem cum cæteris Diocletiani rebus commemorandum putavi. Cauſam cur ſe Diocletianus abdicavit, quanquam *Julianus in Cæſaribus* in modeſtiam ejus refert, quà honorem imperii à ſe devolverit, tamen hoc vix eſt credibile, ſi hujus Principis ingenium, ut ab aliis deſcribitur, conſideremus. Fuit enim Diocletianus ſummè arrogans, quod inde patet, quia primus nomen *Domini* in titulum Imperatorum intulit, & divinitatis honores ſibi tribui paſſus eſt. Et cùm Imperatores ante Diocletianum ſpeciem quandam libertatis Imperio Romano reliquiſſent, hic regio prorſus modo imperare cœpit. Rectius ergo ex calliditate & providentia futurarum difficultatum atque malorum ex ſuſceptis perſecutionibus emerſurorum, imperio ſe abdicaſſe creditur: & ipſe quidem Salonas in patriam, Maximianus verò in Lucaniam abiit: qui poſterior ex aliquo intervallo reſumere imperium nequicquam tentavit. Conſulendi Scriptores *Aur. Victor, Hiſtoria Miſc. lib. 10. c. 40. ſeqq. Zonaras Tom. 2. Rupert. p. 391. ſeqq.*

Redeundum jam eſt ad RES ECCLESIÆ: ubi hæc notantur:

PAVLVS *in eremum ſecedit.* Fuit hic *Paulus* Eremitarum anteſignanus; quippe ſub perſecutione Decii in eremum confugit, in eoque manſit ad Conſtantini uſque tempora. *Euſeb. lib. 6. c. 32. & Hieronym.*

ronym. Sunt tamen qui totam hanc narrationem de Paulo Eremita in dubium vocant & ab Hieronymo confictam arbitrantur. Vid. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 3. c. 5. & Supplem. ad Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. p. 54.*

Septem Dormientes *confugiſſe dicuntur in antrum.* (Hoc lemma non eſt à *Schradero*) Memorat hanc rem pluribus *Nicephorus Calliſtus lib. 14. c. 45.* Sed Scriptor ille multas fabuloſas narrationes pro veris venditare ſolet; inter quas hanc quoque de 7. dormientibus traditionem referre ſi quis volet, per me licebit. Dicuntur autem illi, cùm Decii perſecutionem fugerent, egreſſi Epheſo, ubi habitabant, in antro ſe occuluiſſe, quod deinde perſecutores lapidibus obſtruxerint, ibique alto ſomno oppreſſi, nonniſi poſt 130. annos, imperante Theodoſio evigilaſſe; idque adeò detectum eſſe per monetam, quâ panem emturi venerant, ſub Decio cuſam. Similem fabulam de 7. Dormientibus in Germania narrat *Paulus Diaconus de Geſtis Longobardorum lib. 1. c. 3.* credo ex eâdem traditione ortam, & mutatis loci, temporis, &c. circumſtantiis variatam. Si verum eſt, quod de Epimenide Philoſopho Græci prodidere, eum 40. & amplius annos ſomnum continuaſſe, de quo *Diogenes Laërt. in* ejus *Vita,* nihil impedit, quò minus & hæc de 7. Dormientibus tradita credamus. *Baronius* ipſe *in Martyrologio* non audet hiſtoriam hanc veram & certam aſſerere.

Novatiani & Novati Schisma *Romæ contra Cornelium Epiſcopum.* Cùm poſt interitum Decii perſecutio Chriſtianorum remitteret, & qui fugerant, ad Eccleſias quiſque ſuas rediiſſent, vehementius agitari cœpta eſt quæſtio de Lapſis, an ſint in gratiam recipiendi. Novatus Presbyter & mox Epiſcopus, cujus aſſeclæ Novatiani, à ſemet ipſis verò Cathari dicti, per Africam primùm, dein Romæ, negabat id fieri oportere, ne facilitate illa confeſſiones intermitterentur: quanquam ipſe Novatus primùm mitioris ſententiæ defenſor contra Cyprianum fuerat. Sed Romam deinde veniens cum *Novatiano* ſe conjunxit, qui vehementer urgebat, ne lapſi reciperentur in gratiam, & contradicentem Cornelium Ep. Rom. acriter inſectabatur. Quamobrem *Cornelius* hic 60. Epiſcoporum ſynodo convocatâ, dogma ejus damnavit, & ipſum cœtu ſacro excluſit. Vid. *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 6. c. 43.* Altera etiam ſynodus Carthagine habita idem dogma damnavit. Vid. *Cyprian. Epiſt. 46, 47. &c. Euſeb lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. cap. 38. & lib. 7. c. 2, 4. Epiphan. Hær. 59.* Hi deinde Novatiani (ſeu à Novato ſeu à Novatiano dicti) dogma illud ſuum amplius extendere cœperunt ad omnia peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa; ea ab Eccleſia remitti non poſſe ſtatuentes, imò etiam rebaptizandos

eſſe

Digitized by Google

eſſe, qui ad verum cœtum poſt ſeparationem redire vellent. Conſ. *Centuriat. Magdeb.* Item, *Hiſtor. Eccleſ. Goth. lib.* 2. *p.* 258. *ſeq. Bebel. Ant. Eccleſ. Sec.* 3. *p.* 917. *Sagittar. Introd. ad Hiſtor. Eccleſ. cap.* 33. *Sect.* 56. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 3. *c.* 7. *p.* 117. & cæteri, qui de Hæreſibus ex profeſſo ſcripſerunt.

A. C. 257. IIX. PERSECVTIO mota eſt à Valeriano, qui initio quidem mitis erga Chriſtianos fuit; poſtquam verò ſe magicis artibus dedere cœpit, non ſolùm affligi in poſterum Eccleſias permiſit, ſed edictum ipſe quoque propoſuit per omnes provincias: Ne Chriſtiani conventus facerent, neve Cœmeteria adirent. (Nam hoc jam tùm in Martyrum cultu initium ſuperſtitionis & λειψανολατρείας fuit.) Eo igitur tempore etiam CYPRIANVS *primùm exilio, inde capite mulctatur.* De Reſcripto Valeriani vid. *Cypriani Epiſt.* 82. De perſecutione in Ægypto, Africa & Palæſtina *Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib.* 7. *c.* 10. *ſeqq.* item, *Comment. Pontii de Vita & paſſione Cypriani.*

LAVRENTIVS *crati impoſitus & ad ignem toſtus eſt.* Laurentius hic Rom. Eccleſiæ Archilevita fuit, & Præfecto Vrbi theſauros ſacros poſcenti, quorum ei cuſtodia commiſſa fuit, tradere recuſans, huic ſupplicio addictus fuit. Vid. *Prudent. Periſtephanôn Hymnus* 3. Interim de tempore diſſentiunt, utrum ſub Decio, an ſub Valeriano paſſus ſit. Vid. *Baron. ad ann.* 261. *num.* 2.

SABELLIVS *hæreſis abolitæ inſtaurator.* Nimirum reduxit ille in Eccleſiam Hermogenis & Praxeæ dogma, (de quo ſupra) ſtatuentium, non eſſe plures unâ in divinis perſonas: idque dogma, quod à Præceptore Noëto didicerat, celebrius reddens magis explicabat, tria nomina faſſus, quæ uni perſonæ convenirent. Et hunc errorem denuò ſpargi cœpiſſe circa ann. Chr. 257. apud Ptolemaida Pentapoleos, auctor eſt *Theodoretus de Hæreticorum fabulis.* Vid. *Hiſtor. Eccleſ. Goth. lib.* 2. *p.* 263. *ſeq. Bebel. Ant. Eccleſ. Sec.* 3. *p.* 917. *Chriſtian. Wormius in Hiſtor. Sabelliana c.* 1. 3. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 3. *c.* 3. *p.* 121. *ſeq.*

A. C. 270. PAVLVS SAMOSATENVS *in Synodo Antiochena damnatur.* Fuit ille Epiſcopus Antiochenus, qui & ipſe apprehendit Sabellii dogma, ſed nova alia commenta addens: de quibus vid. *Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib.* 8. *c.* 22, 23, 24. *Hottingerus in Hiſtor. Eccleſ. cap.* 3. *Sect.* 5. *p.* 150. & *Hiſtor. Eccleſ. Goth. lib.* 1. *p.* 264. *Fabric. Biblioth. Græc. lib.* 5. *cap.* 1. *pag.* 280. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hær. lib.* 3. *cap.* 7. *p.* 122.

A. C. 272. IX. PERSECVTIO, quam movere cœpit Aurelianus poſt devictam triumphatamque Zenobiam. *Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib.* 7. *c.* 24. *& in Chronico.* Add. *Baron. ad* A. C. 273.

Digitized by Google

MANICHÆORUM *hæreſis erumpit.* Cujus auctor Manes ſeu Manichæus, homo Perſa, horrendos errores docuit, quòs longum eſſet commemorare. Inter eos præcipui ſunt, quòd ſtatuit duo omnium rerum Principia, bonum & malum. Item, quòd omnia fatali lege & immutabili fieri docuit, negatâ omni actionum humanarum libertate: quòd Chriſtus verum corpus non aſſumſerit. &c. Iis tamen dogmatibus multi aſſenſum præbuerunt, lateque ſparſa hæc hæreſis adhuc per aliquot ſecula duravit. Vid. *Epiphan. Hæreſ* 46. *Euſeb. lib.* 7. *cap.* 31. *Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 3. *Sect.* 5. *p.* 151. *Hiſtor. Eccleſ. Goth. lib.* 2. *p.* 267. *ſeqq.* ubi etiam dogmata ejus recenſentur: quæ refutavit præter alios inprimis *Auguſtin. libris contra Fauſtum Manichæum,* & *de Hæreſibus ad Quodvultdeum. Bebel. Ant. Eccleſ. Sec.* 3. *p.* 929. De Manichæo ſeu Manete, & præſertim ſcriptis ejus vid. etiam *Fabricium Biblioth. Græc. lib.* 5. *c.* 1. *p.* 281 *& ſeqq.* ubi etiam recenſentur auctores veteres, qui de Manichæis, vel adverſus illorum hæreſin ſcripſerunt. *p.* 289. *ſeqq. & Scriptores recentiores p.* 295. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 3. *c.* 3. *p.* 123.

A. C. 297. THEBÆÆ *legionis milites, quòd Chriſtiani eſſent, omnes ad unum à Maximiano Herculio trucidantur.* Hanc legionem Thebæam, cujus dux fuit Mauritius, ſacrificare Diis recuſantem, ſemel atque iterum militari more decimaverat Maximianus: & cùm ne hoc quidem terrore conſtantiam reliquorum expugnare poſſet, tandem à reliquo exercitu circumdatam, univerſam contrucidari juſſit. Vid. *Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib.* 8. *c.* 7. & cæt. quos allegat *Bebel. Ant. Eccleſ. Sec.* 3. *p.* 898.

Sub Titulo VARIORUM quæ notantur, aliqua jam attigimus.

Perſæ Antiochiam diripiunt, imperantibus Gallo & Voluſiano: quam rem *Zoſimus lib.* 1. ita narrat, ex verſione *Leunclavii*: Perſæ in Aſiam pedem intulerunt, tum Meſopotamiam excidio dantes, tum in Syriam progredientes ad ipſam uſque Antiochiam: donec & illam cepere, totius Orientis metropolim, & incolis ejus partim cæſis, partim in ſervitutem abductis, infinita cum prædæ copia domum diſceſſerunt: omnibus tam privatis quàm publicis civitatis ædificiis, nullo penitus reſiſtente, dirutis. Ac Perſis quidem in proclivi fuiſſet, tota Aſia potiri, ſi non ob immenſam vim ſpoliorum lætabundi, libenter ea ſervare domumque deportare maluiſſent.

Scythæ Chalcedonem capiunt, Nicæam ſuccendunt. Dictum jam ſupra de hac irruptione Scytharum in Rom. provincias, ubi de Gallo & Voluſi-

Digitized by Google

Voluſiano. Deſcribit autem præter *Zoſimum l. c. Jornandes in Geticis.*

Gothi Macedoniam vaſtant. Etiam de hoc jam dictum. Gothi, inquit *Zoſimus lib.* 1. & Borani & Vrgundi (forte Burgundi) & Carpi civitates in Europa diripiebant; quicquid eis ſuperabat, ſibi auferentes. His, quæ Auctor noſter ſpecialia de miſero Imperii Rom. per hæc tempora ſtatu notat, addi potuit etiam peſtilentia, quæ ex Æthiopibus co[illegible]a eodem tempore, per Rom. orbem totis 15. annis ſæviebat, & quicquid reliquum erat, depaſcebat. *Zoſimus l. c.*

A. C. 264. ODENATVS *Palmyrenorum Decurio,* ZENOBIÆ *maritus, regio nomine aſſumto Perſas Rom. finibus expellit.* Etiam de hoc Odenato, per quem, luxuriante Gallieno, Orientis partes defenſæ ſunt, diximus in hiſtoria Gallieni: qui ipſum etiam propter has victorias participato imperio Auguſtum dixit; *Trebellius Pollio in Gallieno c.* 12. digniorem certè eo faſtigio, quam ipſe fuit. Plura de eo idem *Trebellius Pollio in Gallien. c.* 10. 12. *&* 13. & in XXX. *Tyrannis c.* 15. Vxor ejus Zenobia dicitur ipſo marito fortior fuiſſe, quæ eo interfecto diu Orienti præfuit, ab Aureliano demum victa & triumphata, à quo tamen viva ſervata, matronæ Romanæ more poſtea vixit. Vid. *Vita ejus apud Trebell. Pollionem c.* 30.

Serici ex India adportati ſingulæ libræ ſingulis auri libris venditæ. Vnde de Aureliano Imp. *Fl. Vopiſcus in Vita c.* 45. Veſtem holoſericam, inquit, neque ipſe in veſtiario habuit, neque alteri utendam dedit. Et cùm ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blatteo ſerico uteretur, ille reſpondit: abſit, ut auro fila penſentur. Libra enim auri tunc libra ſerici fuit. (Sed hæc res non eſt magni momenti, nec à *Schradero,* ſed ab interpolatoribus inſerta.)

CONSTANTIVS CHLORVS *Britanniam,* DIOCLETIANVS *Ægyptum,* HERCVLIVS *Africam pacant, Narſeum Perſam vincit* GALERIVS. Hæc ad res Rom. pertinent, & jam ex parte dicta ſunt. Erant enim tunc duo Impp. Auguſti, Diocletianus & Maximianus Herculius: & præterea duo Cæſares ab his adoptati, Conſtantius Chlorus & Galerius Maximianus: qui ſinguli in diverſis orbis partibus rem Rom. contra Barbaros defendebant. Conſtantius Chlorus Britanniam (quà Carauſius primùm, qui eam ſumtà purpurâ per 7. annos obtinuit, & eo cæſo Alectus Romanos excludebat) iterum ab his vindicavit. Ægyptum obtinebat Achilleus, ſumtà itidem purpurâ; quem Diocletianus per 8. menſes obſeſſum Alexandriæ, tandem vicit & interfecit. Victoria verò acerbè uſus, Ægyptum proſcriptionibus & cladibus exhauſit. In Africa Quinquegentianos, duce Juliano graviter eam vexantes, Herculius domuit.

Digitized by Google

domuit. De Galerii contra Narſeum Perſam victoria, quam quidem clades Romanorum præceſſerat, jam diximus. Petenda hæc omnia ex *Eutropii lib. 9. Victore in Cæſaribus, Euſebio in Chronico.*

Incipit hic ÆRA DIOCLETIANA. (Et hoc ab interpolatoribus eſt.) Nempe Diocletianus Imp. ſublatâ priore obſervatione, quâ in orbe Rom. de Conſulum & Imperatorum nominibus tempora ſignabantur, edicto cavit, ut anni in poſterum à primo principatus ſui anno numerarentur. Quæ quidem æra Scriptoribus etiam Eccleſiaſticis, Epiphanio, Ambroſio & aliis uſitata, duravit annos 248. uſque ad A.C. 532: quo *Dionyſius Exiguus*, indignatus annos numerari ab imperio perſecutoris, introduxit Epocham ab Incarnatione Chriſti. Cæterùm æra Diocletiani appellatur etiam æra Gratiæ, æra Martyrum, & æra Coptitarum, quæ apud Africanos & Æthiopas Chriſtianos hodieque in uſu eſſe dicitur; unde etiam appellatur æra Æthiopum & Abyſſinorum, qui tamen illam, quod anni tempus attinet, non à 29. Auguſti, unde alias æræ Diocletiani initium ducitur, ſed à tempore nativitatis Chriſti inchoant. Vid. *Petav. lib. 11. de Doctr. Temp. cap. 29. 30. Kepplerus in Tab. Rudolph. p. 39. & 43. Crucius de Æra Diocletiani.*

VIRI CELEBRES in hac alterâ parte Seculi floruerunt,

DIONYSIUS ALEXANDRINUS, Epiſcopus ſcil. Is eſt, qui in quæſtione de anabaptiſmo, eo tempore agitata, mediam eamque meliorem ſententiam amplexus eſt, nimirum ſemel in eccleſia baptizatis ſufficere baptiſmum, quem ſuſceperunt, neque rebaptizandos, niſi qui ab hæreticis, quibus integra fides Trinitatis deeſſet, prius eſſent baptizati. De eo *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 6. & 7.* & *Hieronymus in Catal. Scriptorum Eccleſ.* ſcripta ejus commemorat; quorum tamen nihil ſupereſt, præter fragmenta Epiſtolarum, quæ *Euſebius d. l. 6. & 7.* & *Athanaſius in libro de Sententia Nicenæ Synodi*, exhibent. Extat præterea Epiſtola ejus inter *Canones eccleſiaſticos Græcorum*, cum annotationibus *Balſamonis*, & altera quædam *contra Paulum Samoſatenum*. Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann. 250. p. 64. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 3. p. 489.* Dionyſius hic poſtea à Valeriano, Chriſtianos perſequente, in exilium pulſus eſt. Plura de eo & Scriptis *Fabricius Biblioth Græc. lib. 5. cap. 1. n 32. p. 263.*

GREGORIUS *Imperialium Conſtitutionum Collector.* Multi fuerunt hujus nominis Viri celebres, qui Scriptis innotuerunt, partim in ſeqq. memorandi. Fuit hic Gregorius JCtus, & ſub Diocletiano Imp. priorum Imperatorum Conſtitutiones, privato quidem auſu, in unum codicem

Digitized by Google

dicem collegit, qui *Codex Gregorianus* dicitur; ſicut alter eodem tempore ab *Hermogene* collectus, *Hermogenianus*. Fecit autem initium Gregorius ab Antoninis eorumque Conſtitutionibus. Vid. *Jac. Gothofredi Manuale cap.* 3.

A. C. 272. DIONYSIVS LONGINVS *juſſu Imperatoris occiditur*. Nobilis criticus fuit & philologus hic Dionyſius Longinus Caſſius, cujus ex ſcriptis multis ſolus libellus περὶ ὕψους, ſeu *de Sublimi dictione* elegantiſſimus hodieque ſupereſt, ne ipſe quidem integer. Præceptor fuit Porphyrii, de quo mox, & Zenobiæ, Palmyrenorum Reginæ, (de qua ſupra) à conſiliis, & propterea etiam occiſus ab Imp. Aureliano, eo quod Zenobiæ auctor fuiſſet, ut ſe Romanis opponeret, & ſuperbiorem ei Epiſtolam dictaſſet. *Vopiſcus in Aureliano c.* 27. & pluribus *Zoſimus lib.* 1. Vid. etiam de Longino hoc & ejus ſcriptis *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 16. *p.* 241. *Morhoffius Polyhiſt. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 6. & præſertim *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 31. *n.* 9. Celebrantur autem in Græca antiquitate multi Dionyſii, & eorum 58. recenſet *Jo. Meurſius*, in libro ſingulari, cui titulus, *Dionyſius*: qui reperitur *Volumine X. Gronovii Antiquitatum Græcarum.*

PORPHYRIVS *Plotini & Longini Diſcipulus*, Philoſophus fuit, quem quidam Chriſtianum primò fuiſſe volunt, poſtea ad gentiliſmum rediiſſe. Certè acerrimus Chriſtiani nominis hoſtis fuit: contra quem proinde *Euſebius* ſcripſit libros 30. teſte *Hieronymo in Chron. Euſebian.* Ejus extant *de Vita Pythagoræ*; *de Abſtinentia ab eſu animalium*, & alia opuſcula, quæ junctim edita ſunt in 8º 1630. à *Luca Holſtenio*: qui etiam commentarium *de Vita & Scriptis Porphyrii* ſcripſit; quem in *Biblioth.* ſua *Græca* integrum exhibet *Jo. Alb. Fabricius lib.* 4. *c.* 27. ubi plura de hoc Porphyrio. Extat & *Vita Porphyrii* apud *Eunapium in Vitis Sophiſtarum.* Vid. etiam *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 16. *p.* 243. *ſeqq.*

MODESTVS *ſcripſit de Vocabulis militaribus*. (Hoc iterum ab interpolatoribus inſertum. Neque enim tanti habuit *Schraderus*) Libellus ille Modeſti ad Tacitum Aug. ſcriptus eſt, & habetur hodie, impreſſus plerumque cum *Vegetio, Frontino* & *Æliani Tacticis.*

ARNOBIVS, hic eſt auctor 7. Voluminum *contra Gentes*, quibus hodie *Minucii Felicis Octavius* addi ſolet; de quo ſupra. De hoc Arnobio vid. *Bellarminus in Catal. Script. Eccleſ. ad ann.* 285. *p.* 67. & *Sixtus Senenſ. in Bibl. S. lib.* 4. *Rivetus Crit. S. lib.* 2. *c.* 17. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 10.

LACTANTIVS *Firmianus* Arnobii auditor, & Criſpi Cæſaris præceptor fuit, Philoſophus idem, ſed Chriſtianus, & Rhetor inſignis; cujus extant *Divinarum Inſtitutionum* libri 7. *De ira DEI* liber unus. *De*

Digitized by Google

Opificio DEI 1. & *Epitome in libros ſuos.* Tribuuntur ei quoque *carmina de Phœnice, de Paſſione & Reſurrectione Domini,* item *de Paſchate,* quæ tamen à pleriſque creduntur alios auctores habere. Vid. *Poſſevinus in Apparatu S. Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 290. *p.* 68. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 3. *p.* 508. & de ejus præſertim editionibus *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 11.

SPARTIANVS, VVLCATIVS GALLICANVS, TREBELLIVS POLLIO ſequuntur, qui inter Hiſtoriæ Aug. Scriptores VI. minores ſcripſerunt, Spartianus quidem Vitas *Hadriani, Ælii Veri, Didii Juliani, Severi, Peſcennii Nigri, Antonini Caracalli* & *Getæ fratris*: Vulcatius Gallicanus *Vitam Avidii Caſſii*: Trebellius Pollio *Vitam Valeriani Patris & filii,* item *Gallienorum, de XXX. Tyrannis,* & denique *Vitam Claudii.* De his vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 2. *c.* 5. *&* 6. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 7. *Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 22. & ad eum *Acceſſ. Neui p.* 134. *ſeqq.* Reliqui 3. Scriptores Julius Capitolinus, Æl. Lampridius, Fl. Vopiſcus ad ſequens Seculum referuntur: ad quod nunc accedimus.

TAB. XV. & SEC. IV. P.C.N.

Inter RES IMP. ROM. memoratur

AD Ann. 304. *Impp. depoſita purpura* CONSTANTIVM CHLORVM & GALERIVM MAXIMIANVM *renuntiant Auguſtos*; quos ſcil. jam ante adoptaverant & Cæſares dixerant. De abdicatione Diocletiani & Herculii dictum. Sed Conſtantius quidem non diu ſuperfuit, mortuus Eboraci in Britannia, princeps alioqui laudabilis; cujus res præter alios infra nominandos, etiam recenſet *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib.* 8. & *de Vita Conſtantini lib.* 1. ubi inter alia *cap.* 16. narrat, quomodo aulicorum ſuorum fidem exploraverit, &c. Galerius Maximianus Armentarius dictus fuit, propterea quod parentibus agrariis ortus ex Dacia Ripenſi, paſtor armentorum primùm fuit, ab aliis perperam Maximinus pro Maximiano dicitur. Sæviſſimus Chriſtianorum perſecutor fuit, de qua re poſtea. Superbiſſimus præterea, ut qui conceptum ſ[illegible] matre ex coitu Draconis, ſicut Alexander ab Olympiade, affirmare auſus eſt. Huc meritò refertur ſtatim illud, quod ſub titulo Variorum primo loco extat: *Conſtantius filium Conſtantinum, Galerius Severum Maximinum Cæſares appellant.* Scribendum erat: *Severum & Maximinum.* Duo enim ſunt; alter FL. VALERIVS SEVERVS dictus, qui anno ſequenti à Maxentio victus, & Romæ interfectus eſt: alter C. GALERIVS VALERIVS MAXIMINVS, qui Maximiani nepos ex ſorore fuit, & poſtea phthiriaſi periit.

riit. Vid. *Rupertus p.*403. Sed in hac hiſtoriâ facilis eſt lapſus, propter Imperatorum Cæſarumque ſimultaneorum multitudinem, & nominum quorundam ſimilitudinem. Scriptores hìc laudandi ſunt *Zoſimus lib.* 2. *Eutropius lib.* 10. *Victor in Cæſaribus. Zonaras Tom.* 2. quibus addendus *Anonymus à Valeſio editus*, & *Marcellino adjunctus*: item *Panegyriſtæ.*

A.C. 306. CONSTANTINVS M. Conſtantii Chlori filius ex Helena, priore ejus Conjuge, quam *Zoſimus* & alii concubinam Chlori nominant; alii quidem conjugem eſſe contendunt, non verò matronam, ſed minus nobilem, quod ante imperium ab ipſo ducta ſit, poſtea vero repudiata. Vid. plura de Helena, Conſtantini M. matre, in *Arnoldi Supplem. ad Hiſtor. Eccleſ. & Haret. Obſerv.* 23. §. 7. *ſeqq. p.*73. Cum Chloro vitæ finis immineret, in Britanniam ad eum Conſtantinus filius profectus eſt, idque eum feciſſe ex ambitione imperii *Zoſimus* ſcribit; quod alii negant, idoneas allegando cauſas, cur id facere neceſſe habuerit. Hoc certum eſt, poſt mortem patris, Conſtantinum ab exercitu ſalutatum eſſe Imperatorem. Antequam vero hoc fieret, jam à militibus prætorianis

MAXENTIVS *Herculii fil.* Imperarator Auguſtus appellatus fuit, & filium ſuum ROMVLVM Cæſarem fecit Contra Maxentium profectus Severus Cæſar vincitur, & interficitur inſidiis Maximiani Herculii, qui deinde imperium reſumere fruſtra conatus eſt; à Fauſtâ filiâ, quam Conſtantino uxorem dederat, marito proditus, & ab hoc occiſus. Alexandrum quoque, quem ex Præfecto prætorio milites Imperatorem fecerant in Africa, Maxentii copiæ vincunt. Ipſe Maxentius interim Romæ bellum in Conſtantinum parat. Conſtantinus vero cum ingenti exercitu ex Gallia in Italiam movet, cui majores copias opponit Maxentius. Commiſſum eſt prælium ingens ad ipſam Vrbem, quo cæſæ Maxentii copiæ, & ipſe ponte, per quem in urbem fugiebat, onus non ſuſtinente, in Tiberim præcipitatus periit. Vnde Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiæ interitum ejus comparant cum Pharaonis exitu. Apparuiſſe in hoc bello Conſtantino ſignum crucis in cœlo, cum literis Græcis: ἐν τούτῳ νίκᾳ, tradunt iidem Scriptores, & ex eo Chriſtianum factum eſſe: ſed gentiles nihil ea de re memorant, & aliam prorſus ſignant cauſam, cur Chriſtianiſmo nomen dederit. *Zoſimus* quidem Conſtantino iniquior, haud dubiè odio religionis, id feciſſe ait deſiderio expiandorum ſcelerum. De baptiſmo Conſtantini M. utrum illo ſtatim tempore poſtquam religionem ſuſcepit, an ſub vitæ demum finem initiatus fuerit, diſſentiunt. Vid. *Voſſius* in ſingulari *Diſſert. de Baptiſmo Conſtantini.* Devolutum ergo Imperium eſt ad CONSTAN-

Digitized by Google

tinum & Licinnium; qui poſterior *à Galerio Maximiano* (quod & Tab. noſtra notat) *Cæſar conſtitutus* in Pannonia mortuo Maximiano Juniore Imperator factus erat. Ortum autem inter Conſtantinum & Licinnium diſſidium in bellum erupit, in quo ad Cibalim Pannoniæ oppidum victus Licinnius cùm fugeret, perſequente Conſtantino, in Thracia alterum prælium æquo marte pugnatum, & poſt hoc fœdus ictum eſt in has conditiones, ut Illyriis & reliquis occidentalibus nationibus Conſtantinus imperaret; Thraciam & Orientem Licinnius obtineret; Valens, quem poſt prælium ad Cibalim Licinnius Cæſarem dixerat, quaſi auctor malorum è medio tolleretur. Poſt hæc *Criſpus* è concubinâ natus, & *Conſtantius*, Conſtantini filii, & Licinnianus, Licinnii filius, Cæſares deſignati ſunt. Sed non diu pòſt bellum inter Conſtantinum & Licinnium recruduit, ingenti utrinque apparatu ſuſceptum: & victus apud flumen Hebrum memorabili prælio Licinnius, fugâ ſe Byzantium contulit; ubi obſeſſus, amiſſa etiam claſſe, Martinianum Magiſtrum officiorum Cæſarem creat, & cum eo ſe Chalcedonem recipit; ubi pugnâ conſertâ victus denuo Nicomediam cum reliquiis copiarum confugit, & obſidenti ſe Conſtantino ſupplex factus, Theſſalonicam ablegatur, vitæ venia factâ; quæ tamen poſtea ei laqueo ademta eſt. Martinianus ſtatim juſſu Imperatoris occiſus.

Criſpus quoque *Cæſar dolo novercæ occiditur*, ut Tab. noſtra ſpeciatim notat; delatus nimirum à Noverca Fauſta, quaſi ipſam de ſtupro ſolicitaſſet. Sed ipſa Fauſta brevi pòſt pœnas dedit, in balneo nimis calefacto ſuffocata: quod ſub titulo Variorum his verbis notatur:

Fausta *Conſtantini M. uxor, calumniarum in Criſpum Cæſarem rea occiditur*. Poſt hæc Conſtantinus, jam ſolus Imperator, Byzantium amplificat, eoque ſedem imperii transfert: de qua translatione Sedis diverſa Scriptorum judicia ſunt. Vid. *Parentis mei Diſſertatio* 7. *de Summ. Orb. Imperiis* §. 5. & *Petr. Gillius Albicenſis de Conſtantinopoli.* Traditio de donatione Conſtantini olim credita, hodie ne quidem apud ipſos Pontificios fidem amplius invenit. Poſt abſolutam ergo ædificationem celebrata ſunt, quæ Tab. noſtra notat ad

A. C. 330. *Encænia novæ Urbis Conſtantinopolis*, de quorum ſolennitate vid. *Euſebius lib.* 3. *de Vita Conſtantini c.* 47. *Hieronymus in Chron.* qui ad ann. Chr. 334. refert. Inter externa Conſtantini geſta præcipuè notari meretur memorabilis ejus victoria de Sarmatis, cæſo etiam Rege ipſorum Rauſimodo, poſt quam ſtatim paganorum templa ſubvertit. Conſtantinus ergo primus Imperator Chriſtianus, cognomento Magni notiſſimus, in ipſo apparatu belli adverſus Perſas, mortuus eſt, cum imperaſſet annos 30. menſes 10. Alii 32. annos tribuunt. Videndi

Scripto-

Digitized by Google

Scriptores, *Euſebius* σύγχρονος *in Vita Conſtantini*: de quo tamen hoc notandum, quod nimium ei tribuat, panegyriſtam potius agens, quàm hiſtoricum: *Zoſimus lib.* 2. qui è contrario, utpote paganus, iniquius de eo loquitur: quanquam nec negandum, multa eſſe in Conſtantino M. quæ laudari non poſſunt: *Eutropius lib.* 10. Addantur *Panegyrici* Conſtantino M. dicti: item, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, *Sozomenus, Zonaras, Socrates* &c. *Rupertus p.*414.*ſeqq.* Add. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Heret. lib.* 4. *c.* 2. *p.*136. ubi laudes & vituperia ejus & præſertim de converſione ejus. Add. *Supplem. ejuſdem Arnoldi à pag.* 63. *ad* 104. Conf. *Thomaſ. Obſerv. ad rem literar. ſpectantes Tom.* 1. *Obſ.* 22. *ſeqq.* Leges & Conſtitutiones Conſtantini duobus libris complexus eſt *Franc. Balduinus* JCtus.

A. C. 337. CONSTANTINVS, CONSTANTIVS, CONSTANS, tres Conſtantini filii, qui jam ante à Patre vivo Cæſares deſignati erant, mortuo ſucceſſerunt; diviſione inter ſe imperii factâ, quam conſignavit inprimis *Hiſtoria Miſcella lib.* 11. *c.* 7. Erat quidem præter hos *Dalmatius*, Conſtantini patruelis, imperii quodammodo particeps, ſed is mox occiſus eſt. Inter fratres quoque brevi orta diſſidia, &

A. C. 340. *Conſtantinus à Conſtante prope Aquileiam cæſus eſt.* Vid. *Victor in Cæſ. c.*4. *Zoſim. lib.* 2. Supererant ergo *Conſtantius* & *Conſtans*, quorum hic A. C. 350. *à Magnentii duce occiditur.* anno imperii poſt mortem patris geſti 13. ætatis 27. MAGNENTIVS igitur Auguſtus appellatus, cum Conſtantio imperio præfuit, & fratres quoque ſuos DECENTIVM & DESIDERIVM Auguſtos dixit. Inter ipſum vero & Conſtantium perpetua bella fuere: in quibus exitioſum reip. conſilium arripuit Conſtantius, ſcribens ad Germanos, ut Romanum limitem irrumperent; qui irruptione factâ 40. urbes ad Rhenum ſitas concremarunt: & præterea hoc bello ingentes imperii Rom. vires conſumtæ ſunt, univerſis alioquin exterorum bellis pares, ut ex *Eutropio* & *Victore* notat *Rupertus.* Quod vero Tab. noſtra notat ad

A. C. 351. *Magnentius vincitur à Conſtantio*, id factum eſt gemino prælio, priore ad Murſam Pannoniæ; altero in Gallia: poſt quod Lugdunum fugiens Magnentius ſibi ipſi manus intulit; quod idem paulò poſt fecit frater ejus Decentius. Dehinc jam ſolus Imperator Conſtantius GALLVM Cæſarem dixit,& poſt hujus cædem, de quâ poſtea, fratri ejus JVLIANO eundem characterem impertivit, qui vivo adhuc Conſtantio à militibus in Gallia Imperator ſalutatus eſt. Bellum Conſtantii cum Perſis, & clades nonnullæ Romanorum deſcribuntur ab *Ammiano lib.* 18. 19. 20. qui & ejuſdem cum Sarmatis bellum deſcribit, & Conſtantium mortuum eſſe ait anno imperii vitæque 40. Secundùm

cundùm alios mortuus eſt Conſtantius II. anno imperii 24. Chriſti 361. Scriptores ferè iidem ſunt qui ſupra, niſi quod *Euſebius* hic deficit. Sed viciſſim *Ammiani Marcellini* hiſtoriæ quod ſupereſt, hinc incipit, nimirum ab eo tempore, quo Conſtantius II. ſolus imperium obtinuit, & deinceps continuatur uſque ad Gratianum Aug. Addatur cæteris *Rupertus p. 426. & 429. ſeqq.*

Repetimus jam RES ECCLESIÆ,

Quæ hoc Seculo cœpit eſſe pacatior, quantum quidem ad perſecutiones Gentilium attinet. Initio quidem Seculi mota eſt adhuc

X. PERSECUTIO *atrociſſima, in quâ periit* LUCIANUS SAMOSATENSIS, *qui Græcos V. T. codices ad Hebræos exigens in integrum reſtituit.* Hæc perſecutio Eccleſiam Chriſtianam vaſtavit ſub Diocletiano & collegis, cujus atrocitas vel hinc colligi poteſt, quod in ſola Ægypto tunc occiſa ſunt Chriſtianorum centum quadraginta quatuor millia, & 700000. in exilium ejecta. Conſtantius Chlorus quidem in partibus, quibus ipſe præerat, mitior aliquantò fuit. Sed Diocletianus & Herculius, ultimo præſertim imperii biennio, graviſſimè ſævierunt; & his ſe abdicantibus ſævitiam continuavit Galerius uſque ad A. C. 313. quo Galerius Imp. graviter ægrotans ſuo & Conſtantii nomine edictum promulgavit, de omittendâ perſecutione, & reſtituendis ſacris locis, ubi Chriſtiani tutò agerent. Vid. *Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 8. c. 17.* De atrocitate hujus perſecutionis ſub Diocletiano congeſſit plura memorabilia *Camerarius Hor. Subc. Cent. 1. c. 39: & Cent. 3. c. 2.* *Lucianus* verò *Samoſatenſis*, qui in hac perſecutione periit (non ille religionum omnium ἐμπαίκτης, nomine quidem & patria huic ſimilis) fuit Presbyter Eccleſiæ Antiochenæ, qui, quod multa adulterina irrepſerant in Græcam V. T. verſionem, quædam etiam ab hæreticis depravata erant, ad Hebræos fontes exigere V. T. & reſtituere aggreſſus eſt. Vid. plura de eo in *Jo. Frickii*, Vlmenſis, (is enim auctor eſt) *Prolegom. editioni Lipſienſi noviſſimæ LXX. Interpretum præmiſſis, p. 44. ſeqq.* & *Fabricius Biblioth. Græc. lib. 3. c. 12. §. 14.*

DONATISTARUM *Schiſma in Africa.* Donatiſtæ à Donato, Montenſium Schiſmaticorum in Africa Epiſcopo, nomen ſuum nacti, mox è Schiſmaticis hæretici facti ſunt, cùm Donatus alter Carthagini, eorundem Schiſmaticorum Epiſcopus ſub Conſtantino M. nugari inciperet, totam periiſſe Eccleſiam, & in ſuis duntaxat partibus in Africa reliquias ejus remanſiſſe; & communione malorum bonos pollui, ipſaque Sacramenta per malos adminiſtrata virtute ſuâ carere contenderet.

Digitized by Google

deret. Qua de cauſa eos rebaptizabat, qui in catholica Eccleſia erant baptizati. Ejus ſectatores licet ſingularem præ ſe ferrent ſanctitatem, variis tamen ſceleribus ſe contaminaverunt. Hoc ſchiſma multum turbarum dedit in Eccleſia per ea tempora. De furoribus autem & dogmatibus erroneis Donatiſtarum, quos Circumcelliones vocant, videndus inprimis *Auguſtinus in libris adverſus literas Petiliani & Creſconium Grammaticum*, item, *ad Quodvultdeum*. Conf. *Philaſtrius & Theodoretus de Hæreſibus*. Ex recentioribus, *Henr. Valeſius in Diſſert. de Schiſmate Donatiſtarum*: item, *Henr. Witſius de Schiſmate Donat.* quæ extat *Miſcellaneorum ejus parte* 1. Scripſit & *Thomas Ittigius Hiſtoriam Donatiſtarum*, additam Appendici *Diſſertationis de Hæreſiarchis ævi Apoſtolici & Apoſtolico proximi. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 4. *cap.* 6. *p.* 202.

Schiſma MELETIANORVM *in Ægypto. Meletius* à quo Meletiani denominati, fuit Epiſcopus Thebaidis in Ægypto, qui Novati errorem de non recipiendis lapſis in medium reduxit, teſte *Epiphanio*. Quanquam diverſum de eo tradunt *Socrates lib.* 1. *c.* 4. *Athanaſius Orat.* 1. *contra Arrianos* & *in Apol.* 2. & *Theodoret. lib.* 4. *de Fab. Hæret.* quos vide. Interim hic Meletius non eſt confundendus cum Meletio Antiocheno Epiſcopo, qui & ipſe hoc Seculo, ſed inclinante, floruit. (De hoc Meletiano Schiſmate *Schraderus* nihil in prima editione.)

A. C. 311. GALERIVS *morbo foediſſimo correptus* &c. Dictum de hoc jam ſupra ex *Euſebii Hiſtor. Eccleſ.* 8, 17. Referunt autem alii ad annum decimum tertium Seculi.

A. C. 325. SYNODVS NICÆNA *Arrii hæreſin damnat, & controverſiam de Paſchate dirimit. Paphnutius in hoc Concilio cohibuit eos, qui ad continentiam ab uxoribus adigendos Epiſcopos cenſebant.* Synodus hæc celeberrima indicta fuit à Conſtantino M. Imper. in Niceam Bithyniæ urbem, & celebrata præſentibus Eccleſiarum Antiſtitibus, Epiſcopis & Presbyteris 318. Acta hujus Concilii non habentur plena: itaque hinc ex *Athanaſio* & ſequentis ætatis Scriptoribus colligenda ſunt. *Gelaſius* etiam *Cizycenus* Synodi hujus hiſtoriam 3. libris complexus eſt; de qua verò ambigua ſunt doctorum virorum judicia. Conceptam in ea Synodo fidei formulam refert *Athanaſius ad Jovianum Imper.* & *Epiſt. ad Solitariam vitam agentes*: cui poſtea demùm ex decreto Synodi Conſtantinopolitanæ I. adjecta eſt de Spiritu S. confeſſio. Cum Arrio ibi diſputatum, & in ea diſputatione præcipuæ Athanaſii partes fuerunt, ut ipſe teſtatur. Docebat autem Arrius, cujus hæreſis poſtea latè diſſeminata fuit, Chriſtum neque fuiſſe DEVM, neque æternum; ſed creaturam, excellentem quidem, & cæteris dignitate præſtantiorem. De quo Arrii dogmate prolixius diſputant *Auguſtinus ad Quodvultdeum c.* 49. *Epiphanius*

Digitized by Google

phani is Hæreſ. 69. Theodoretus Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. c. 4. Athanaſius lib. de Arrianis & Cathol. Ambroſius lib. 1. de Fide c. 6. & 9. lib. 3. c. 7. Socrates lib. 1. c. 6. Fauſtinus lib. contra Arrianos. Add. *Sulpit. Severus Hiſt. S. lib 2.* Quod controverſiam de Paſchate attinet, ita illa compoſita eſt, ut decretum fieret de Paſchate uno die per univerſam Eccleſiam celebrando, Dominica ſcil. poſt decimam quartam lunam primæ lunationis ab æquinoctio verno; datumque negotium Alexandro Alexandriæ Epiſcopo paſchalis cycli conficiendi. Paphnutius (de quo addiderunt hoc interpolatores) qui legi de conjugio clericis interdicendo interceſſit, jam martyrio functus & monoculus erat. Videantur hæc omnia prolixius referentes *Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini. Rufinus lib. 1. c. 5. Socrates lib. 1. c. 5. ſeqq. Theodoretus lib. 1. c. 7. ſeqq.* Add. *Tom. I. Concil. Arnold. in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 4. c. 7. p. 174.* ſiniſterius de hoc Concilio judicat.

Paganorum templa deſtruuntur. (Etiam hoc abeſt à prima editione.) Conſtantinus poſtquam Novam Romam ſeu Conſtantinopolin ab idolis repurgavit, & viciſſim templis DEO vero dedicatis ornavit auguſtiſſimis, etiam alibi idola delere inſtituit. Eo fine circummiſit per orbis Romani provincias duos primariæ auctoritatis viros, qui ſimulacra & templa Deorum abolerent. Et deſtructa ſunt templa Apollinis Pythii, Sminthii, Muſarum in Helicone, Veneris Heliopolitanæ & in Libano, Æſculapii in Cilicia, & alia. Vid. *Euſebius lib. 9. de Vita Conſtant. c. 52. & 55. Socrates lib. 1. c. 18.* Et edictis quidem propoſitis ad Chriſtianiſmum recipiendum omnes hortatus, qui id facere nollent, idolis tamen ſacrificare prohibuit, cæterùm nulla vi adverſus quenquam uſus. *Euſebius de Vita Conſtantini lib. 2. c. 43. 58. 59.*

A. C. 330. ATHANASIUS *ex Presbytero Epiſcopus Alexandrinus.* De hoc Athanaſio, illuminatiſſimo Eccleſiæ Doctore & infenſiſſimo Arrianorum hoſte, & ejus fatis fortunaque ſanè memorabili, nec non vita, doctrina, ſcriptis nimis longum eſſet in hoc tranſcurſu dicere. Remittimus potius ad *Gregorium Nazianzenum*, σύγχρονον ferè, niſi quod paulò junior fuit; qui Vitam ejus ſcripſit: quod ubi feciſſet, faſſus eſt, Athanaſium laudare, idem eſſe ac virtutem ipſam laudare. Vid. *Sculteti Medulla P. P. Part. 2. lib. 1. c. 1.* Plena ſunt de eo *Euſebii, Socratis & Sozomeni* ſcripta. Ex recentioribus vid. de Athanaſio ſcriptiſque ejus *Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 72. ſeqq.* & inprimis *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 4. Art. 1. p. 28. ſeqq. Fabricius Biblioth. Græc. lib. 5. cap. 2. pag. 297. ſeqq.* ubi accurata recenſio Operum ejus. Iniquiora de hoc Patre judicia *Arnoldi in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 4. c. 4. p. 150. ſeqq.* ibi vide. Eſt etiam *Vita Athanaſii à PP. Benedictinis* ſummo ſtudio ex variis Scriptoribus *collecta.* &

addita

Digitized by Google

addita ſplendidiſſimæ Operum Athanaſii editioni ab iisdem procuratæ anno 1698. Pariſ.

A. C. 334. *Synodus Tyri ἀρειανίζοντα.* Plures ejuſmodi Synodos celebrarunt eo tempore Arriani, quibus ſanctiſſima Chriſtianiſmi myſteria obſcuris verborum involucris & perplexis homonymiarum anfractibus ita dubia reddita ſunt & incerta, ut vix ſciret plebs eccleſiaſtica, quid credendum ſibi eſſet aut tenendum: ut loquitur *Hottingerus in Hiſtor. Eccleſ. c. 4. Sect. 1. p. 170.* qui etiam de hac Synodo Tyri habita, in qua multæ Athanaſio inſidiæ ſtructæ, & de cæteris Arrianorum conciliabulis legi poteſt *p. 176. ſeq.*

Ancyrana, Neocæſarienſis, Antiochena, Arelatenſis, Laodicena, & Gangrenſis Synodi. Fuerunt hæ Synodi non omnes ex orthodoxis congregatæ: nam *Antiochena* Arrianorum fuit, quam Conſtantius Imp. & ipſe Arriana hæreſi infectus, convocavit, cùm templum aureum à Conſtantino patre inchoatum, Antiochiæ dedicaret. In ea præſentibus 90. Epiſcopis Gregorius quidam eligitur, qui Athanaſio vivo in Epiſcopatu Alexandrino ſuccederet, quem etiam Conſtantius armatâ manu introduxit, & per multas cædes in eccleſiis factas in ipſâ hebdomade magna. De hac & cæteris Synodis plura legenda apud ipſum *Athanaſium, Socratem, Sozomenum, Theodoretum.*

Synodus Sardicenſis eiq; oppoſita Philippenſis. In conventu Sardicenſi Arriani, cauſæ ſuæ diffiſi, nulla cum orthodoxis colloquia inſtituere voluerunt, prætexentes, quòd nollent communicare cum Athanaſio & Paulo, ſedibus ſuis pulſis. Itaque clam diſcedentes mira calliditate conſilium ineunt de corrumpendo concilio Sardicenſi. Congregati ergo Philippopoli decretum faciunt, & canones conſcribunt, in quibus vocabulum ὁμοούσιον (de quo tunc maximè inter orthodoxos & Arrianos certabatur) anathemate feriunt, idque magna celeritate, & ad omnes eccleſias eos nomine Sardicenſis Concilii tranſmittunt. Interim qui Sardicæ erant harum rerum ignari de Symbolo Niceno agunt, Athanaſium & Paulum abſolvunt, & ad eccleſias ſuas remittendos decernunt. Vid. *Socrat. Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. c. 16.* Add. *Athanaſius & Theodoretus*; nec non *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. part. 1. p. 173.*

PHOTINVS & MACEDONIVS *hæretici.* Sicut hoc Seculo Eccleſia ab externis hoſtibus & gentilium perſecutionibus tranquillitatem nacta eſt, ita viciſſim ejus felicitas non parum ſufflaminata fuit, exortis intra viſcera ejus variis ſchiſmatibus & hæreſibus; inter quas pernicioſiſſima quidem fuit Arrianorum, qui Imperatoribus quoque nonnullis in ſuas partes pertractis, in orthodoxos etiam perſecutionibus graviſſimis graſſati, ſubinde totas provincias & gentes veneno ſuo infecerunt.

runt. Exortus deinde Photinus eſt, Sirmii Epiſcopus, quem Athanaſius aliquando Scotinum nominat. Is divinam aut quamvis aliam in Chriſto naturam negabat, præter eam quam à Maria accepit, neque propriam concedebat Spiritus S. ὑπόϛασιν, quem DEI virtutem aut operationem vocare maluit, Samoſateni & Sabellii erroribus in unum redactis. De eo vid. *Socrat. lib.* 2. *c.* 24. *Sozom. lib.* 3. *c.* 5. Ex recentioribus de hæreſi Photini vid. *Bebel. Ant. Ecleſ. Sec.* 4. *p.* 1354. *ſeqq. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 4. *c.* 8. *p.* 191. & de Macedonio *p* 194. Multos ille etiam ſeqq. temporibus invenit Sectatores, qui Photiniani hinc appellati. Macedonius primùm Arrianus fuit, poſtea quam verò Conſtantinopolitanus Epiſcopus factus eſt, in nonnullis ab Arrianis diſſentire cœpit. Ejus proprius error fuit, quòd negabat, Spiritum S. tertiam Deitatis eſſe perſonam; ſed Patris & Filii miniſtrum dicebat. *Socrates lib.* 2. *c.* 35. *Sozom. lib.* 4. *cap.* 19. & 27. *Ruffin. lib.* 1. *c.* 25. A Catholicis hinc Πνευματομάχοι dici ſolebant ejus aſſeclæ. Vid. *Bebel. Antiquitat. Eccleſ. Sec.* 4. *p.* 314.

Quæ ſub titulo VARIORUM extant, partim jam expoſita ſunt ſub Rebus Romanis: inter quæ primum etiam lemma eſt. Ponitur deinde ad

A. C. 309. SAPORES *Rex Perſarum cum vita initio cœpit, regnavit annos* 70. *Chriſtianorum perſecutor.* Hic in orientalibus illis terrarum partibus acerrimè perſecutus eſt Chriſtianos, donec Conſtantinus M. datis ad ipſum literis, pacem in Perſide degentibus impetravit: teſte *Euſebio in Vita Conſtantini lib.* 4.

Gladiatorum ſpectacula è Rom. orbe ſublata. Dignam inter cætera Chriſtiano Principe rem fecit Conſtantinus, cùm hæc tam crudelia ſpectacula abolevit, & ſanguinis humani nefariam effuſionem prohibuit: quam tamen Populus Rom. inter præcipua delectamenta habuerat. Quod quidem delectationis genus cum Chriſtianiſmo nequaquam conſiſtere poſſe, vidit Conſtantinus: à quo etiam *cruces & vetera patibulorum ſupplicia ſublata* (quod in Tab. noſtra ſequitur, additum ab Interpolatoribus) memorat *Euſebius in Vita* ejus. De ſublatis Gladiatorum ſpectaculis meminit etiam *Hiſtor. Miſcell. lib.* 11. *c.* 16. De Crucibus ſublatis *Lipſius de Cruce.* Vid. etiam *Franc. Balduinus de Legibus & Conſtitutionibus Conſtantini.*

A. C. 327. FAUSTA *Conſtantini M. uxor, calumniarum in Criſpum Cæſarem rea, occiditur.* Dictum eſt jam ſub Conſtantino.

A. C. 341.

Digitized by Google

A. C. 341. FRANCI *Galliam populantes à Conſtante vincuntur.* Franci, populus Germaniæ, jam tum Galliæ imminebant, in qua ſequenti ſeculo regnum conſtituerunt. Tum quidem à Conſtante victi & pacem petere coacti ſunt. *Aurelius Victor, Zoſimus lib. 2. Hiſtor. Miſc. lib. 11. c. 18.*

Conſtantis morte cognita VETRANIO *in Pannonia*, NEPOTIANVS *Romæ imperium arripiunt.* *Vetranio* poſtea ad privatam vitam ſine bello redactus à Conſtantio, reliquum temporis quietus exegit. *Nepotianus*, Conſtantii Chlori ex filia nepos, à Magnentii ducibus victus periit. Memorant *Zoſimus lib. 2. Hiſtor. Miſcell. lib. 11. c. 20. & 21. Aurelius Victor, Oroſius lib. 7. c. 29. Eutropius lib. 10.* Add. *Rupertus p. 431. ſeq.*

Inter VIROS CELEBRES memoratur

ANTONIVS *Eremita.* Hic Antonius cognomine Magnus, monaſticæ vitæ auctor fuit, & omnium Monachorum Patriarcha. Qui cùm in ultimâ perſecutione diu martyrium cupidè expectaſſet, neque conſequi poſſet, multum etiam interim juviſſet Martyres Alexandriæ carceri incluſos, ad monaſterium in eremum reverſus eſt; ibi contracta ingenti ſectatorum multitudine, diſciplinam monaſticam inſtituit, acrioribus jejuniis vigiliiſque corpus conficiens, cilicio veſtimento interiore, exteriore pelliceo uti ſolitus. Ad eum & Athanaſius ventitavit, & Conſtantinus filiique literas honorificas dederunt: éque longinquis regionibus undique concurſum eſt. Ex ejus diſcipulis multi ad Epiſcopatus Eccleſiarum, propter ſanctitatis opinionem ſingularem, vocati ſunt. Romam etiam quidam venerunt cum Athanaſio, qui aſceticæ vitæ conſuetudinem ibi cœperunt; primaque urbium fuit Roma, quæ monachos intra mœnia habuit, quorum vivendi rationem deſcribit *Auguſtinus de Moribus Eccleſ. c. 33.* Superſunt hujus *Antonii Epiſtolæ VII.* in diverſis monaſteriis in Ægypto ſcriptæ, quarum præcipua eſt *ad Arſenoitas.* Extant in *Biblioth. Patrum, Tom. III.* Vid. de eo *Hieron. de Script. Eccl. c. 88. & 126. Auguſtinus lib. 8. confeſſ. c. 6. Socrates lib. 4. Sozomenus lib. 2. & 3. Gregor. Nazianzenus Orat. 12. Honor. Auguſtod. de Lumin. Eccleſ. c. 89. Trithemius & Bellarminus de Script. Eccleſ. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 4. p. 22. Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 4. c. 4. p. 153.*

JVLIVS CAPITOLINVS, & qui, interpoſito tantùm uno, ſequuntur, ÆL. LAMPRIDIVS, FL. VOPISCVS, ſunt inter Scriptores Hiſtor. Aug. minores: quorum *Capitolinus* ſcripſit *Vitas M. Antonini Philoſophi* & *L. Veri*, tum *Pertinacis* & *Clodii Albini, Opilii Macrini, duorum Maximinorum* & *Gordianorum trium*, denique *Maximi & Balbini.* Ab *Æl. Lampridio* habemus

Digitized by Google

mus *Vitas Commodi*, *Antonini Diadumeni*, *Antonini Heliogabali*, & *Alexandri Severi*: *Fl. Vopiſcus* dedit *Vitas Aureliani*, *Taciti*, & fratris ejus *Floriani*, item *Probi*, & tyrannorum *Firmi*, *Saturnini*, *Proculi* & *Bonoſi*; & Imperatorum, *Cari*, *Numeriani* & *Carini*. Vid. de his *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 2. *c.* 7. *Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 22. & *Neu in Acceſſ. p.* 135. *ſeq.*

PETRVS ALEXANDRINVS Epiſcopus ſcil. ſeu Patriarcha fuit is, qui Meletium Thebaidis Epiſcopum ab Epiſcopatu depoſuit, non quidem ob erroneam doctrinam, ſed quod in perſecutione idolis ſacrificaſſet: quare deinceps perpetuum adverſarium habuit hunc Meletium cùm ipſe, tum ſucceſſores ejus. Vid. *Socrates lib.* 1. *c.* 4. *Athanaſius Orat.* 1. *contra Arrianos* & *in Apolog.* 2. & *Theodoret. lib.* 4. *de Fab. Hæret.*

JVVENCVS Presbyter nobilis Hiſpanus fuit, Poëta Chriſtianus, qui Hiſtoriam Evangelicam ſecundùm Matthæum IV. libris verſu hexametro expreſſit. *Voſſius de Poët. Latin. c.* 4. *p.* 54. *Borrichius de Poët. p.* 96. quem tamen eo nomine reprehendit *Fabricius Biblioth. Latin. in Ind.* quòd eum tantùm Evangelium Matthæi his libris complexum eſſe ait, (idem & *Voſſius* dicit) cùm tamen hiſtoriam Evangelicam ex IV. Evangeliſtis concinnaverit. Vide & eundem *Fabricium Biblioth. Latin. Append. p.* 37.

HERMOGENES *Conſtitutionum Imperialium Collector.* JCtus hic fuit, diſtinguendus ab Hermogene Tarſenſi Sophiſta, qui antiquior eſt, & ſub divis Fratribus vixit. Collegit Conſtitutiones Imperiales, ſicut in ſuperiore Seculo Gregorius fecerat. Vtriuſque Codicis Gregoriani & Hermogeniani titulos ſuperſtites collegit *Petrus Gregorius, Toloſanus.* Lugd. 1566. Vid. *Jac. Gothofredi Manuale cap.* 3.

EVSEBIVS CÆSARIENSIS *obit*, qui à Præceptore ſuo ſe *Euſebium Pamphili* appellavit; Rhetor & Hiſtoricus fuit, & ipſe in Hiſtoria Eccleſiaſtica illorum temporum notus. Fuit enim inter lapſos ſub ultima perſecutione, & Symbolo deinde Niceno nonniſi peculiari modo ſubſcribere voluit. *Socrates lib.* 1. *c.* 5. Poſtea Judicem egit in Concilio Tyrio & Athanaſium in exilium egit. Ipſe enim oretenus, quamdiu Conſtantinus vixit, Nicenam fidem amplexus erat, re ipſa cum Arrio ſentiebat. Defendit tamen ipſum contra *Joh. Clericum*, & ab Arrianiſmi crimine vindicare conatur *Guil. Cave*, Theologus Anglus, ſingulari Diſſertatione, quæ ſubjecta eſt Hiſtoriæ ejus literariæ *Scriptorum Eccleſiaſticorum* 1698. Ex ſcriptis Euſebii ſuperſunt, *Chronicon*, cujus *Hieronymus* Interpres & Continuator fuit, *de Præparatione Evangelica* libri IV. *de Demonſtratione Evangelica* libri X. *de Vita Conſtantini* libri IV. *Adverſus Hieroclem* liber unus. Vid. præter alios *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 17. *p.* 247. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 326. *p.* 70. *Whear. Relect. Hiem. Part.*

Part. 1. *Sect.* 34. & *Acceſſiones Neui p.* 257. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 4. *c.* 4. *p.* 163.

TERENTIANVS MAVRVS ad hoc tempus refertur ab Auctore noſtro, quod ei crederetur eſſe ille Poſtumius Terentianus, cui libellum ſuum περὶ ὕψυς dedicavit *Longinus.* Dubium tamen utrum hic ſit, an ille alter Præfectus Syenes in Ægypto, quem celebrat *Martialis lib.* 1. *Epigr.* 87. Extat ejus elegans *de re metrica* opus. De dubia illius ætate vid. *Voſſius de Poët. Latin. c.* 3. *p.* 47. Add. *Fabricius Biblioth. Latin. Append. p.* 98.

JAMBLICHVS Chalcidenſis Syrus, Philoſophus fuit Platonicus, cujus extant *Oration[illegible]ptica ad Philoſophiam*: liber *de myſteriis Ægyptiorum* : *Arithmetica ex ſenſu Pythagoricorum* : item, *Arithmetica Theologumena*: denique *Vita Pythagoræ* ab ipſo ſcripta. Ipſius Jamblichi Vitam exhibet *Eunapius in Vitis Sophiſtarum.* Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 18. *p.* 250. *ſeq. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 6. & 22. & *Polyhiſt. Philoſ. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 2. & 4. & præſertim *Fabricius Biblioth. Græc. lib.* 4. *c.* 28. ubi de ipſo & Operibus eorumque verſionibus & editionibus.

DONATVS. Hic non ille eſt Sectæ Donatiſtarum auctor, ſed celeberrimi nominis Orator & Grammaticus, qui S. Hieronymi Præceptor fuit. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 3. *cap.* 2. *p.* 743. Ejus habemus *Scholia in Virgilii Æneidem & in Terentium.* Scripſit & alia Grammatica, quæ vid. apud *Fabricium Biblioth. Latin. Append. p.* 92.

JVLIVS MATERNVS FIRMICVS, V. Cl. Siculus fuit, cujus VIII. libros Matheſeos, ſeu *Aſtronomicorum* habemus. Scripſit præterea librum *de myſteriis & erroribus profanarum religionum,* qui extat in *Bibl. SS. Patrum,* Tomo IV. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 340. *p.* 81. Idem *Firmici* liber etiam ſeorſim editus eſt à *Joh. Wowerio* cum notis. Vid. *Voſſius de Scient. Mathem. p.* 206. & 207. quanquam nonnulli diverſos faciunt hujus libri Scriptorem & Mathematicum. Vid. *Bebelii Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *Fabricii Biblioth. Latin. p.* 164. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 4. *c.* 4. *p.* 156.

Inter IMPERATORES ſequitur jam ad

A. C. 361. JVLIANVS *Apoſtata.* Hunc Conſtantius poſt Galli, fratris illius, cædem Cæſarem nuncupaverat, & in Galliam miſerat adverſus Francos & Alemannos bellum geſturum, quos ille variis cladibus affecit, & prælio præcipuè ad Argentoratum commiſſo, magnam eorum multitudinem cecidit. His rebus geſtis Julianus à militibus,

Digitized by Google

quos Conſtantius invitos in Orientem duci imperaverat, Auguſtus proclamatus eſt. Nec diu poſt Conſtantius in itinere, cùm à Perſico bello in Julianum moveret, Mopſveſtiæ mortuus, &, antequam ad bellum civile res rediret, ſolus Julianus rerum potitus eſt. Apoſtatæ cognomen à Chriſtianis ei additum, quia à religione Chriſtiana ad gentilium idololatriam iterum deſcivit, & Chriſtianæ fidei perſecutor factus eſt. Quò faciunt ea, quæ in Tab. noſtra de illo notantur, quòd *Chriſtianis eripuit Scholas*. Habentur in ipſius *Juliani Epiſtolis* duo edicta, quorum alterum Scholis interdicit, alterum bonis & fortunis. Non enim ferro graſſatus eſt in Chriſtianos, ſed interdicendo ſacris & eripiendo bona, quod dum faceret, cavillatus eſt, ſe id agere, ut facilius in regnum cœlorum veniant; quia Chriſtus dixerit: beati Pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Præterea eos *removit a magiſtratu*, *& gentilibus quidvis in Chriſtianos impune permiſit*. Imò etiam Judæis favit, ut Chriſtianis malè faceret. Ideoque etiam templum Hieroſolymitanum inſtaurare conatus, ſed ab incepto deſiſtere coactus eſt, quod metuendi flammarum globi, propè fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, locum inacceſſum fecerunt, exuſtis aliquoties operantibus: uti, præter Chriſtianos Scriptores *Socratem* (*lib.* 3. *c.* 20.) *Sozomenum* (*lib.* 5. *c.* 22.) *Rufinum* (*lib.* 1. *c.* 37.) *Nicephorum* (*lib.* 10. *c.* 32.) *Philoſtorgium* (*lib.* 7. *c.* 9.) *Theodoretum* (*lib* 3. *c.* 20.) *Gregor. Nazianzenum* (*Orat.* 4. *in Jul.*) *Chryſoſtomum* (*lib.* 3. *adv. Iud. Tom.* 1. *Opp.*) etiam *Ammianus*, homo gentilis, memorat *lib.* 23. *princ.* Cæterùm fuiſſe hunc Julianum doctiſſimum, artiſque militaris peritiſſimum, negari non poteſt: nam *illud* ſcripta ejus teſtantur; de quibus *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 18. (ubi & de Parentibus & genere Juliani) *hoc* acta ejus contra Francos in Gallia & Germania. De bello Perſico fortè aliter judicandum, quippe in quo multa temere fecit. Interim nulla eſt ratio, cur magnam ei virtutis laudem tribuamus, ut quidem fecit *Cunæus*, qui in *Præfat. ad Satyras de Cæſaribus* Julianum ex profeſſo defendit, & *Leunclavius in apologia pro Zoſimo*, nec non *Arnoldus in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 4. *c.* 1. *p.* 132. Contrarium oſtendit *Petavius* in præfatione Operis Imperatorum Juliani, quos edidit. Adde *Ruperti Obſerv. ad Synopſ. Beſoldi p.* 436. *ſeqq.* Et ſi quis leget, quæ *Ammianus*, utut gentilis, de eo conſignavit, ſimulatorem fuiſſe deprehendet. Periit in prælio contra Perſas; quam ejus mortem memorant *Zoſimus lib.* 3. *Socrates lib.* 3. *c.* 21. *Theodoretus lib.* 3. *c.* 25. ubi modeſtè, ut aliâs quoque, de hac cæde pronuntiat. Præter hos rerum Juliani Scriptores ſunt *Ammianus*, *Zonaras*, *Libanius* doctiſſimus declamator, *Tom.* 2. A *Zoſimo* nominatur quoque Julianus ipſe, quòd pleraque de ſe ſcriptis & epiſtolis ediderit.

E Pa-

Digitized by Google

E Patribus *Gregorii Nazianzeni Invectiva in Julianum* extat. Periit anno ætatis 32. biennio poſt quàm Auguſtus appellatus eſt; adeoque verum fuit, quod prædixerat Athanaſius, *nubeculam eſſe citò tranſituram.* Scripta Juliani, quorum ſupra mentio injecta, poſtrema editione prodierunt Lipſiæ 1696. curante *Ezechiele Spanhemio.*

A. C. 363. JOVIANVS deinde, non *Jovinianus*, ut quidam nominant, ab exercitu Imperator electus ſucceſſit, qui pacem ignominioſam cum Perſis fecit. Caterùm fœderis illius cum Perſis turpitudo ad Julianum referenda, cujus fiducia Jovianus eduxit exercitum, teſte *Ammiano*, aliiſq; Scriptoribus Eccleſiaſticis. Patres quoque certatim laudant Jovianum, & Juliano imputanda eſſe aſſerunt, quæ Jovianus poſt mortem ejus infeliciter geſſerit. Mortuus inventus eſt nocte, & creditur cubiculum recens calce illitum ei mortem maturaſſe. Vid. *Ammianus lib.* 25. qui factum id eſſe inſidiis ſuorum, obſcurè innuit. Quanquam de mortis genere diverſum tradant *B. Chryſoſtomus Homil.* 15. *in Epiſt. ad Philipp.* & alii, teſte *Zonara*: quos & ſequutus *Suidas* in Ἰοβιανός. *Ammiano* tamen ſubſcribunt *B. Hieronymus in Epiſt. ad Heliodorum*: *Sext. Aurelius Victor in Cæſaribus*: *Oroſius lib.* 7. *c.* 31. *Socrates lib.* 3. *c.* 22. *Sozomenus lib.* 6. *c.* 6. & alii complures. Exceſſit vita poſt octavum imperii menſem, ut habet *Zoſimus lib.* 3. Alii brevius aſſignant tempus. Præter *Zoſimum* conſulendus *Nazianzenus in Orat.* de hoc Imperatore: *Ammian. Marcell. lib.* 25. Vetus *Eutropii* textus in hoc deſinit, ſed à *Paulo Diacono in Hiſtor. Miſcell.* pertexitur. *Theodoreti (in Hiſtor. Eccleſ. lib.* 4. *c.* 1.) hoc de Joviano eſt judicium: *Vir clarus ac nobilis, egregiis facinoribus celeber, corpore ingens, animo excelſo, in bello ac gravibus certaminibus ſemper victor: fidem Nicenam ſequebatur.* Add. *Rupertus p.* 440. *ſeqq.*

A. C. 364. VALENTINIANVS hinc ſuffragiis militum electus ad imperium, (de qua electione vid. *Ammianus lib.* 26. *princ.*) illud altero poſt menſe cum fratre VALENTE communicavit, ita ut *Valentinianus* in Occidente, *Valens* in Oriente præeſſet. NB. Et hæc prima fuit diviſio Imperii in Orientale & Occidentale. Nam quanquam jam ante aliquoties pari poteſtate Principes imperarunt, tamen illud conſortium potius imperii, quàm divortium fuiſſe cenſendum eſt, neque unquam id effecerat, ne unum ejus corpus maneret. Poſtquam autem Valentinianus communicatis cum fratre Valente faſcibus, Orientales provincias illi aſſignavit, Conſtantinopoli ſedem habituro; ipſe retentis ſibi Italia & reliquis Occidentem verſus provinciis, Mediolanum elegit, ubi reſideret, rectè Imperium ex eo tempore diviſum dici, vixque amplius pro uno cenſeri poteſt. Quanquam enim *Theodoſius M.* illud iterum ſublatis tyrannis à ſe vindicatum, ſolus aliquandiu tenuit,

Digitized by Google

nuit, ſub filiis tamen ejus *Arcadio* & *Honorio* repetita eadem diviſio fuit; ex quo tempore nunquam deinceps in unum corpus coaluit; Imperatoribus in Oriente ſeparatas rationes habentibus ab his, qui Occidentali præerant: quod quin damnoſum fuerit, & inter cauſas Occidentalis Imperii non diu pòſt ſecutam ruinam accelerantes, numerari debeat, non eſt dubitandum. Vid. *Artopœi Diſſert.7. de Summu Orb. Imp.* §.6. Vtilius fuit conſilium, quòd Valentinianus poſt tertium imperii annum, filium ſuum *Gratianum* Auguſtum appellavit, cùm nonum annum ageret: quod inſtitutum ex idoneis rationibus laudat *Zoſimus* & *Ammianus*. Fuit *Valentinianus* Catholicus, ſed *Valens* Arrianus, & perſecutor Catholicorum in ſuis ditionibus. *Valentiniano* multum negotii fuit cum Alemannis Galliæ incumbentibus, quos ægrè repreſſit: dum interim *Theodoſius* Britanniam à Pictis & Scotis vendicat. Fuerunt tùm quoque aliæ irruptiones gentium in Rom. orbem, Sarmatarum, Quadorum, quos ægrè compeſcuit Valentinianus; & Valens in ſuis partibus cum Perſis, mox cum Iſauris, Hunnis, Scythis, Gothis, varia bella geſſit: de quibus *Ammianus lib.* 31. *Zoſimus lib.* 4. *Sozomenus lib.* 6. *c.* 36. *Socrates lib.* 4. *c.* 35. 37. ex quibus auctoribus, nec non ex *Hiſtor. Miſcell. Zonara, Athanaſio in Hiſtor. Eccleſ.* reliqua quoque de his Imperatoribus petenda. Add. *Rupertus p.* 443. *ſeqq.* Mors *Valentiniani* incidit in A. C. 375. Alii apoplexia, alii ſanguinis vomitu periiſſe tradùnt anno ætatis 55. imperii 12. minus 100. diebus, ut ait *Ammianus lib.* 30. *ſub fin. Valens* pugnans contra Gothos in tugurio combuſtus eſt A. C. 378. ætatis ferè 50. imperii paulò minus 14. nec uſquam deinde repertus. Ingens prælium illud fuit cum Gothis, in quo exercitus Rom. cæſus ita, ut vix tertia ejus pars evaſerit. *Ammianus lib.* 31. *ſub fin. Jornandes de rebus Gothicu*, alii. Quomodo jam ante de Succeſſore ejus quidam magicæ curioſitatis magiſtri inquiſiverint, & per ſortes invenerint initiales literas nominis *Theod*, unde multorum cædes, hiſtoriam memorabilem vid. apud *Zoſimum lib.* 4. *Ammianum lib.* 29. *Sozomenum lib.* 6. *c.* 34.

A. C. 375. GRATIANVS à Valentiniano I. patre Auguſtus dictus eſt, cum adhuc intra pubertatem eſſet, ut ſupra monuimus, & 8. ferè annos ipſo adhuc vivente imperavit. Alemannos ad Argentoratum ingenti prælio vicit, cæſis eorum 40000. Valenti deinde patruo adverſus Gothos adfuturus, in Orientem profectus eſt; ſed antequam ſe ei conjungeret, victus Valens periit. Fuit Gratianus princeps alioqui pius, ſed nimium venationibus deditus. Hic primus religionis Chriſtianæ intuitu recuſavit Pontificis Maximi ſtolam accipere, cùm omnes ante eum Principes, etiam Chriſtiani, fuerint Pontifices

Digitized by Google

fices Maximi. Occiſus eſt Gratianus apud Lugdunum Galliæ inſidiis Maximi, qui in Britannia imperium arripuerat, A.C. 384. cùm in univerſum imperaſſet annos 17. vixiſſet 25. Scriptores ſupra laudati: quibus addi poſſet *Auſonius in gratiarum actione ad Gratianum pro conſulatu. Ammianus Marcellinus* in eo deſinit Tyrannos, qui in Valentiniani I. Valentis & Gratiani tempora referendi ſunt, recenſet *Rupertus p. 445. ſeqq.*

VALENTINIANVS II. ſeu *Junior* non eſt confundendus cum altero Valentiniano COS. à quo hunc accuratè diſtinxit *Valeſius*, Ammiani Marcellini Commentator. Cujus diſtinctionis breviter quoque mentionem facit *Rupertus p. 450.* Hic Imperium ſuſcepit A.C. 375. idque geſſit partim cum Valente & Gratiano, partim cum Theodoſio & Arcadio. Poſtquam CL. MAXIMVS *tyrannus Gratianum peremit*, ut ſupra dictum, & in Tab. noſtra ſpeciatim notatur, ipſe quoque Valentinianus Maximum pro hoſte habuit, ad quem bis legatione functus eſt Ambroſius, tum ut corpus Gratiani repeteret, tum ut eum ad pacem ſolicitaret. Sed Maximus operam dedit, ut Valentinianum in inſidias pertraheret, quod cùm perficere non poſſet, aggreſſus eſt eum in Italia, & ejecit. Valentinianus fuga ſalutem quærens apud Theodoſium M. qui tunc temporis in Oriente præerat, ejus auxilia facile contra Maximum impetravit: quanquam *Zoſimus*, utpote acerbiore ſtylo Theodoſium ſtringens, luxuriâ eum detentum fuiſſe ſcribit, quò minus ſtatim auxilium ferret. Sed Scriptores Chriſtiani memorant, illum ſtatim ſe accinxiſſe ad ferendum auxilium, & ab initio quidem conatum fuiſſe, Maximum avertere, ut regionibus occupatis Valentiniano cederet; ſed poſtquam pacificis rationibus nihil effecit, ſtrenuè armis Maximo obſtitiſſe, eumque viciſſe, ipſe *Zoſimus* refert. Maximus ergo cum filio, quem Nobiliſſimum & Imperatorem vocabat, interficitur. Ipſe Valentinianus Imp. ab *Arbogaſte* Franco, qui militum benevolentia munitus ipſi etiam Imperatori gravis eſſe cœperat, apud Viennam in Gallia occiſus eſt: quod his verbis Tab. noſtra notat:

VALENTINIANVS *ab Arbogaſte ſtrangulatur*: ut nimirum videretur ſe ipſum interfeciſſe, laqueo illum ſuſpenderunt. Rem narrat *Zoſimus lib. 4. prope fin. Hiſt. Miſcell. lib. 13. c. 11.* Vnde etiam reliqua Valentiniani II. petenda ſunt, juncto *Zonara* & *Marcellini Comitis Chronico.* Add. *Rupertus p. 448. ſeqq.*

A.C. 379. THEODOSIVS verò cognomento M. ob res geſtas poſtea dictus, primùm à Gratiano Imperatore ex Hiſpaniâ evocatus Magiſter militum factus eſt, inde partâ victoriâ Gothicâ, quam deſcri-

Digitized by Google

bit *Paulus Diaconus lib.* 12. *c.* 19 meruit, ut Auguſtus diceretur. *Victor Epit. c.* 4. Inter res ejus geſtas hic ſpeciatim memorantur de tyrannis *Maximo* & *Eugenio*, victoriæ. Vocatus enim ut dixi, à Valentiniano in auxilium Theodoſius, & cum exercitu Italiam ingreſſus, Maximum Aquilejæ oppreſſum, vivum cepit, & carnifici traditum vitæ & tyrannidis finem facere coëgit: de quâ re ſupra. Cæterùm Valentiniano per Arbogaſten occiſo, ſolus jam Imperator Theodoſius EVGENIVM *tyrannum vicit*, quem Arbogaſtes ex Grammatico Imperatorem fecerat. Celebris hæc Theodoſii victoria fuit, quam tempeſtas etiam adjuvit: de qua re elegantes ſunt *Claudiani* verſus *in Paneg. de III. Conſ. Honorii v.* 95.

O nimium dilecte DEO, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Præter *Zoſimum* & *Hiſtor. Miſcell.* videatur *Marcellinus in Chron.* &c. Fuit alioquin hic Theodoſius princeps pius, & Chriſtianiſmi, quantum in ipſo fuit, magnus propagator. Nam & in Ægypto omnia fana claudi curavit, & Deorum cultum prohibuit, & idem Senatum hortatus eſt, ut abolito Deorum cultu Chriſtianam fidem amplecterentur: ſed cùm nihil proficeret, ſacrificia tamen publico ſumtu fieri vetuit, atque ſic primus religioni gentilium alimenta ſubtraxit. Præterea Romæ lupanaria omnia ſuſtulit, teſte *Socrate lib.* 5. *c.* 18. & *Hiſtor. Miſcell. lib.* 13. *c.* 2. Ab Ambroſio tamen aliquando ſacris excluſus eſt, ob admiſſam lanienam Theſſalonicenſem. Mortuus eſt Theodoſius A. C. 395. imperii 17. vitæ 50. ſecundùm *Hiſt. Miſcell. lib.* 13. *c.* 16. ubi videantur etiam laudes hujus Principis. Scriptores de eo extant *Zoſimus*, qui eum vitæ luxurioſæ arguit, quod & *Suidas* confirmare videtur. Verùm *Zoſimus*, utpote Chriſtianiſmo infenſus, hic non attendi debet. *Suidas* autem etſi fuit Chriſtianus, ſæpe tamen loca veterum abſque judicio deſcripſit, quibus in concinnando opere ſuo uſus eſt. De Zoſimo tamen notandum, quoties aliquid, quod ad mutationem reip. pertinet, recenſet, magno eum judicio & felicitate uſum eſſe. Cæteri Scriptores ſunt *Hiſtor. Miſcell. Zonaras, Symmachi* quoque *Epiſtolæ*, maximè Juris Civilis Studioſis commendandæ, multa ad mores iſtorum tempora pertinentia continent. Ex *Ambroſii* Scriptis inprimis huc referri debet *Theodoſii laudatio funebris*. Pertinent huc quoque Orationes Themiſtii, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, *Theodoretus, Socrates, Sozomenus* &c. Theodoſii M. geſta & laudes etiam breviter exponit *Auguſtinus de Civ. Dei lib.* 5. *c.* 26.

Digitized by Google

Arcadivs & Honorivs fratres, ille in Oriente, hic in Occidente poſt Theodoſii patris mortem imperarunt. Sic enim imperium diviſerunt. Sed res illorum pleræque, inprimis Honorii, ad ſeq. Seculum pertinent: quas tamen à ſe invicem in enarratione disjungere non eſt animus. *Arcadius* à patre Theodoſio Imperator appellatus eſt jam A. C. 383. vivo adhuc Gratiano: *Honorius* A. C. 393. Valentiniano Juniori ſubſtitutus. Apud Arcadium Ruffinus, apud Honorium verò Stilico omnia poterant, cùm ipſi Imperatores ſegnes & à rebus gerendis alieni eſſent. Quæ igitur horum Imperatorum in Codice Juſtinianeo complures extant Conſtitutiones, ſi veros earum auctores reſpiciamus, non ab ipſis, ſed à præcipuis eorum miniſtris conditæ ſunt, in Oriente quidem à Ruffino, apud quem ſumma imperii erat, in Occidente à Stilicone. Sed uterque poſtea, cùm ipſos Principes ſuos imperio dejicere conarentur, barbarorum ad hoc auxiliis uſi, pœnas dederunt. Ruffinus quidem ab exercitu, quem ſibi favere credebat, conſpirante occiſus eſt. Sed dux ejus exercitus Fl. Gainas, indignatus Eutropium Spadonem in aula Arcadii omnia poſſe, & ipſe contra Imperatorem bellum civile movit, obtinuitque tandem, ut Eutropius ſibi dederetur: factuſque hinc inſolentior, cùm non deponeret arma, inter Cherſoneſum & Helleſpontum victus, & in fuga interfectus eſt. Præter Hiſtoricos, qui hæc memorant, infra nominandos, conſulendus Claudianus Poëta σύγχρονος *in Ruffinum libris II.* & *in Eutropium libris II.* *Arcadius* obiit A. C. 408. decimo quarto poſt mortem patris anno, vitæ vero 31. relinquens filium ſeptennem Theodoſium; de quo pòſt.

Honorivs verò diutius imperium tenuit, ancipiti quidem fortunâ. Sub eo enim, ut Tab. XVI. ſub titulo Váriorum notat, *Gothi primùm Radagaiſo, inde Alarico R. ducibus in Italiam irruperunt, ſtipati Hunnis.* Sed Radagaiſus, quanquam 200000. exercitu inſtructus, ope aliorum Gothorum & Hunnorum victus à Stilicone captuſque & occiſus eſt: quod itidem in Tab. ſpeciatim notatur his verbis: *Stilico Radagaiſum occidit.* Rem præter alios prolixè narrat *Oroſius lib. 7. c. 37.* Add. *Auguſtinus de Civ. Dei. lib. 5. cap. 23.* Sed biennio pòſt cùm imperium affectaret, vel filio ſuo *Pulcherio* comparare vellet, immiſſis Honorio barbaris gentibus, *Stilico Honorii juſſa perimitur.* Alios tyrannos, qui ſub Honorio fuerunt, exequitur *Rupertus p. 458. ſeqq.* inter quos præcipuè notandus Constantinvs, qui in Gallia imperium aliquandiu tenuit, cujuſque hiſtoria ſæpius confunditur cum Conſtantinis ſuperioribus. Nec mirum, multos in his locis ejus & *Conſtantis* filii nummos viſi, tam vicina Gallia, in cujus urbe Arelate illi ſedem fixerunt.

Digitized by Google

runt. Bellum quoque cum Gildone in Africa, qui per Maſcizelem fratrem oppreſſus eſt, notandum, de quo *bello Gildonico* ſcripſit Claudianus. Deceſſit *Honorius* A. C. 423. ætatis 40. imperii poſt patris mortem geſti 28. Scriptores horum Imperatorum ſunt *Zoſimus*, qui ſtatum aularum iſtarum, Conſtantinopolitanæ & Romanæ, atque Ruffini & Stiliconis artes diligenter & cum judicio politico deſcribit, initio *lib. 6. Paulus Diaconus in Hiſtor. Miſcell. Claudianus Paneg. de III. & IV. Conſulatu Honorii,* & in *Laud. Stiliconis* (quibus quidem laudibus alii non omnino aſſentiumtur) & *de bello Getico & Gildonico*: *Zonaras*: *Oroſius. Jornandes de rebus Geticis*: *Marcellinus in Chronico* : *Aurelius Victor* : quibus add. *Olympiodorus Thebanus*, cujus opus ſi ſupereſſet, haud dubiè præcipuum in his temporibus foret; ſed tantùm fragmenta quædam nobis conſervavit *Photius in Biblioth.* quæ ad Supplementum hiſtoriæ horum temporum pertinent. Cônjungendus ex recentioribus *Rupertus p. 455. uſq; ad 467.*

Inter RES ECCLESIÆ, quæ ſub poſteriore parte Seculi IV. notantur, eſt ad

A. C. 351. SYNODVS SIRMIENSIS *Hæreticorum.* Fuit hæc Synodus convocata Sirmii in Pannonia à Conſtantio Imp. in eaque Photinus quidem damnatus, ſed Arrianiſmus ſtabilitus fuit. Ibi nova Confeſſio adornata, cui tormentis adacti ſunt ſubſcribere *Hoſius* jam nonagenario major, & *Liberius*, qui præterea in damnationem Athanaſii conſenſit, quod Hoſius facere conſtanter renuit. Sed hæc Synodus ad A. C. 357. referenda eſt. Vid. *Sulpitius Severus lib. 2. Hiſt. S.* ex recentioribus *Arnold. Hiſt. Eccleſ. & Hæret. lib. 4. c. 8. p. 192.*

A. C. 355. HILARIVS *Pictavorum Epiſcopus relegatur*; à Conſtantio nimirum Imper. quòd in Mediolanenſi Synodo noluiſſet cum aliis ſubſcribere damnationi Athanaſii, Orientem relegatus eſt, unde ad ipſum Conſtantium literas ſcripſit, quibus illum reprehendit, & Arrianorum malitiam & errores detegit. Scripta Hilarii recenſentur ab *Hieronymo in catalogo Script. Eccleſ. Bellarmino de Script. Eccleſ. p. 83. ſeqq. Sixto Sen. Biblioth. S. lib. 4. p. 110. Bebelio Antiq. Eccleſ. Sec. 4. Art. 1.* & partim adhuc ſuperſunt. Inter alios ſunt *libri XII. de Trinitate*, in quibus contra recepta Eccleſiæ dogmata aſſerit, *nullum fuiſſe ſenſum doloris in Chriſto, cùm pateretur*; & *Verbum receſſiſſe ab humana natura, cùm Chriſtus clamaret*; DEVS meus, quare me dereliquiſti. Scripta ejus, quæ ſuperſunt, 1652. Pariſ. in fol. edita ſunt. Vid. etiam *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 4. c. 4. p. 148.*

A. C.

Digitized by Google

A.C. 357. LIBERIVS *Papa R. Arrianæ hæreſi ſubſcribit*: coactus nimirum tormentis ad ſubſcriptionem confeſſionis Sirmienſis Arrianæ, ut ſupra dictum: quem tamen *Baronius in Martyrologio* fruſtra ab hæreſi vindicare conatur. Vid. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib. 2. p. 322. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. IV. Art. 1. p. 283. Heidegger. in Hiſtor. Papatus*: præter veteres Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, *Socratem, Sozomenum, Theodoretum* &c. & qui vitas Pontificum conſignarunt.

A C. 359. ARIMINENSIS & SELEVCIENSIS SYNODI *hæreticorum*. Prior ex his Synodus Arimini in Galliâ ciſalpinâ ab Occidentalibus Epiſcopis habita eſt numeroſiſſima: nam 400. ferè convenerunt: in quâ confeſſio Sirmienſis abrogata, & Nicena fides denuò confirmata eſt. Sed cùm legatos è concilio ad Imper. Conſtantium miſiſſent, indicaturos quid decreverint, ille detentis legatis, & concluſis Arimini Patribus, per Taurum prætorii Præf. ne dilabi poſſent, aliam formulam propoſuit, in qua vox ὁμοούσιος ſeu conſubſtantialis omiſſa eſt; quam non ſolùm legati, ſed & Patres Ariminenſes approbare coacti ſunt. Atque hactenus ea Synodus hæretica fuit. Hiſtoriam vid. apud *Sulpitium Severum Hiſtor. S. lib. 2.* Altera Synodus Seleuciæ in Iſauria ab Orientalibus Epiſcopis 160. congregata, in quâ eadem fidei formula rurſus obtruſa eſt. Damnati interim *Acaciani*, qui docebant, Chriſtum Patri tantùm voluntate eſſe ſimilem, non eſſentia. *Sulpitius Severus l. c.*

VALENS *Imp. Catholicos vehementer perſequitur.* Arrianus enim fuit Valens, uti diximus, quod virus imbiberat ab Eudoxio Epiſcopo Conſtantinopolitano, à quo baptizatus fuit. Hinc perſecutor Eccleſiæ orthodoxæ eſſe cœpit. Vid. *Sozomenus lib. 6. c. 120. ſeq. Socrates lib. 4. c. 13.*

BASILIVS M. *Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, & GREGORIVS NAZIANZENVS*, uterque Juliano Apoſtatæ Imperatori familiares fuerunt, à quo tamen blandimentis ad abnegandam fidem permoveri non potuere. *Baſilius* poſtea factus Cæſareæ Epiſcopus in Cappadocia, multa ſcripſit, quæ adhuc extant in IV. tomos diviſa. Extat editio Pariſienſis cum notis *Frontonis Ducæi* anno 1618. in II. volum. & altera Pariſ. 1638. III. volum. curâ *Montacutii.* Catalogus Scriptorum ejus videatur in *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib. 2. p. 338.* quem etiam contexuit ipſe σύγχρονος & amicus ejus *Gregorius Nazianzenus*; cujus ſcripta itidem multa ſunt, quæ recenſentur in eadem *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. l. c. p. 339.* Conf. *Bellarmin. in Catal. Script. Eccleſ.* de Baſilio *p.* 88. de Gregorio Nazianzeno *p.* 90. *Sixtus Senenſis in Biblioth. S. lib. 4. Sculletus Medull. PP. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 4. p. 38. ſeqq. & p. 234.* De Baſilio & Gregoriis Nyſſeno & Nazianzeno vid. etiam *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 4.*

 c. 4.

c. 4. *p.* 160. *& ſeq.* De Baſilio eique adſcriptis Operibus vid. etiam *Rivetus Crit. S. lib.* 3. *c.* 20.

AMBROSIVS *Mediolanenſis* ex Præfecto Inſubriæ factus Epiſcopus circa A. C. 369. nec baptizatus, nec quicquam tale cogitans: de qua electione *Sozomenus lib.* 6. *c.* 24. *Socrates lib.* 4. *c.* 25 30. *Theodoretus lib.* 4. *c.* 7. Quantæ fuerit auctoritatis ſuo tempore, tùm ex aliis, tùm etiam hinc patet, quòd Imperatorem Theodoſium 8. menſium ſpatio ad eccleſiam non admiſit, eò quod ille, propter occiſum à Theſſalonicenſibus præfectum, 7000. eorum tribus horis contrucidari fecerat: pœnitentem tamen poſtea iterum recepit. Ambroſii ſcripta multa ſunt, quæ ſolent V. Tomos diſpeſci. Elegantiſſima eorum editio eſt, quam PP. Benedictini procurarunt Pariſiis 1691. Extant *vita Ambroſii* ſcripta à *Paulino*, & ex recentioribus *vitam Ambroſii* ſcripſit *Baronius.* Hymnus, *Te Deum laudamus*, fertur ab Ambroſio & Auguſtino alternatim decantatus eſſe, cùm iſte baptiſmum ab Ambroſio recepiſſet; toto populo, qui canentes audiebat, obſtupeſcente: uti refert *Dacius* Epiſcopus Mediolanenſis *in Chronico.* De Ambroſio ejuſque ſcriptis vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 93. *Sixtus Senenſis Bibliotb. S lib.* 4. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *p.* 11. *Rivetus Crit. S. lib.* 3. *c.* 16. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 4. *c.* 4. *p.* 147. *ſeqq.*

MARTINVS *Epiſcopus Turonenſis* in Gallia, miles primùm fuit ſub Conſtantio in bello contra Magnentium, baptizatus tunc, quòd nonniſi Chriſtianos milites, in exercitu habere vellet Conſtantius, & poſtea factus Epiſcopus Turoni in Gallia. Vid. *Sulpitius Severus in Vita S. Martini.* Vbi inter alia etiam notat faſtum ejus Clericalem, ſupra Imperatorem ſe efferentis; quando à Maximo, qui tunc in Gallia Imperium arripuerat, adhibitus convivio, & ab eodem bibere juſſus, rato fore, ut ſibi, utpote Imperatori, poculum propinaret, Diacono primùm ſuo propinavit: mirante faſtum ejus Maximo. Vitam & miracula S. Martini Epico carmine complexus eſt *Venantius Fortunatus*, quatuor libris. Scripſit & *Gregorius Turonenſis de Miraculis S. Martini.* Eſt & *Fridem. Bechmanni Diſſert. de S. Martino.*

GREGORIVS NYSSENVS, ſic dictus à Nyſſa Cappadociæ metropoli, cujus Epiſcopus fuit & Baſilii M. frater. Interfuit Concilio I. Conſtantinopolitano & ſcripſit Symbolum fidei in eo editum, ut refert *Nicephorus lib.* 12. *c.* 13. & præterea ſcripſit multa, quæ in editione Pariſienſi anni 1638. in III. Tomos diviſa ſunt. Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 100. *Sixtus Senenſis lib.* 4. *Biblioth. S. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *p.* 238. *ſeqq.* Gregorii nomen ut plurimis commune fuit, ita inter PP. Eccleſiæ 3. fuerunt hoc nomine, Nazianzenus, Nyſſenus & Thaumaturgus

Digitized by Google

turgus ſeu Neocæſarienſis, de cujus vita & miraculis hic Gregorius Nyſſenus ſcripſit.

A. C. 381. SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA *Oecumenica II. damnat Macedonium.* Duæ præterea hoc Seculo Synodi fuerunt Conſtantinopoli, ſed Arrianorum. Hæc vero œcumenica fuit, & quidem poſt Nicenam altera; ſed ejus tamen acta interciderunt. Canones Græcos exhibet *Tilius Volum. Concil. p.* 24. Huic Concilio à Theodoſio convocato ex Orientalibus Epiſcopis interfuere 150. ex Occidentalibus nemo. Adſuere etiam Macedoniani 36. quorum doctrina, Deitatem & perſonalitatem Spiritûs S. negantium, in hoc concilio damnata. Vid. *Socrates lib.* 5. *c.* 8. *Sozomenus lib.* 7. *c.* 7. *Nicephorus lib.* 12. *c.* 12. Add. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *Artic.* 10. *Sect.* 4. *p.* 1112. *ſeq.*

PRISCILLIANISTARVM SECTA *in Hiſpania*, qui erronea quædam à Manichæis & Gnoſticis mutuò ſumta docebant, & nefandis libidinibus ſacra ſua miſcebant: adverſus quos hoc tempore Cæſarauguſtæ in Hiſpania conventus habitus. Vid. *Sulpitius Severus in Hiſtor. S. lib.* 2. Multa de iis etiam *Hieronymus* σύγχρονος, qui tamen dubitat, utrum Priſcilliano, ejus Sectæ auctori, omnes errores imputari debeant, quorum cauſa damnatus, & poſtea in Treviris juſſu Maximi decollatus eſt. Nec S. Martinus Turonenſis ſupplicium ejus approbare voluit. Add. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *Art.* 11. *p.* 1360. *ſeqq. Sagittarius Introd. ad Hiſtor. Eccleſ. c.* 33. *Sect.* 61. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Heret. lib.* 4. *c.* 8. *p.* 199. *ſeqq.*

HIERONYMVS Stridonenſis, quippe natus Stridone in Dalmatia, celebre inter Doctores Eccleſiæ nomen habet: de quo ejuſque Scriptis longè plurimis vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 104. *Sixtus Senenſis Biblioth. S. lib.* 4. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *Art.* 1. *p.* 245. *ſeqq.* ubi etiam de eo judicia in utramque partem. *Neu in Acceſſionibus ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *pag.* 260. 261. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Heret. lib.* 5. *c.* 3. *p.* 225. Vitam ejus accuratè deſcripſit *Eraſmus*, quo curante etiam Baſileæ 1516. edita ſunt opera ejus. Inſignis verò præter cæteras eorum editio eſt, quæ ſub auſpiciis Ducis Saxo-Gothani prodiit Francofurti XII. Tomis 1684.

RVFFINVS Presbyter Aquileienſis, Hieronymi quondam amiciſſimus, deinde æmulus factus, ſcripſit *libros II. Hiſtor. Eccleſ.* quos addidit ad Hiſtoriam Euſebii Cæſarienſis à ſe converſam ex Græco. Scripſit & alia, de quibus vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 115. *Sixtus Senenſis Biblioth. S. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *Art.* 1. *p.* 309. *ſeqq.*

A. C. 397. S. AMBROSIVS *obit.* De hoc Patre jam ſatis dictum. Conferimus nos potius ad Tit. VARIORVM ſub quo notatur:

NISIBIS

Digitized by Google

Niſibis à Sapore *Perſâ ter fruſtra obſeſſa.* Sapores hic eſt, qui 70. annos, i. e. inde à vitæ initio regnavit apud Perſas. Ab eo oppugnatam Niſibin, ſed nonniſi ſemel invenio; idque irrito conatu De triplici obſidione hujus urbis per eundem Saporem, nuſquam legi. De bello ipſo Perſico jam dictum, ubi de ipſo Conſtantio.

A. C. 354. Gallus *Cæſar capite mulctatur à Conſtantio.* Hic Gallus natus erat patre Conſtantio, Conſtantini M. fratre; matre Galla: adeoque Conſtantii Imperatoris patruelis fuit, & ab illo etiam Cæſar factus, habebatque ejus ſororem in matrimonio. Cur autem Conſtantius de eo occidendo conſilium inierit, & quomodo in oppido Iſtriæ Pola eum capite multari juſſerit, præter cæteros fusè narrat *Ammianus lib.* 14. *ſub fin.* Periit Gallus anno ætatis 29. poſtquam Cæſar factus eſt quarto.

Jovianus *cum Perſis pacem iniit, tradita Niſibi & magna parte Meſopotamiæ.* De hac pace, ignominioſa quidem Romanis, ſed neceſſaria, jam diximus; culpam ſcil. ejus potius in Juliani temeritatem referri debere. Vid. præter Scriptores proprios, *Ammianum, Eutropium*, qui negotio ipſe interfuit, *Zoſimum. Zonaram* &c. qui ex his collegit *Rupertus p.* 440. Traditæ autem ſunt Perſis per illam pacificationem quinque transtigritanæ regiones cum urbe Niſibi, ſed incolis vacuâ.

Wisigothi *Valentis permiſſu in Thracia ſedes ponunt.* Hi nimirum Hunnorum & Alanorum metu alias ſedes quærentes Danubii ripam occupaverant, & à Valente precibus obtinuerunt, ut illis in Thracia ſedes concederet. Sed cum victus illis ex promiſſo Imperatoris ſuppeditari deberet, variis modis Romanorum ducum prævaricatione vexati, tandem alia poſt aliam pars arma coacti arripuerunt, & provincias latè populati ſunt. Videatur inprimis *Ammianus lib.* 31. *princ.* Add. *Hiſt. Miſcell. lib.* 12. *c.* 12. ubi etiam de origine diviſionis Gothorum in Viſigothos ſeu Weſtgothos & Oſtrogothos. Vtriquè verò ex eo tempore paulatim ſe diffuderunt in omnes Rom. orbis provincias, ut in ſeqûentibus dicetur.

Vlphilas *S. Scripturam in linguam Gothicam traducit.* Fuit hic Vlphilas Gothorum eo tempore Epiſcopus, ſed Arrianiſmo addictus, ſicut & Rex illorum Fridigernus. Nam alia tunc Gothorum pars, quorum Rex Athalaricus, adhuc pagani erant. De verſione verò S. Scripturæ in linguam Gothicam ab Vlphila elaborata, vid. *Socrates lib.* 4 *Hiſtor. Eccleſ. c.* 33. & *Sozomenus lib.* 6. *c.* 37. Meminit & *Paul. Diac. in Hiſtor. Miſcell. lib.* 12. *c.* 12. Scripſit *in Vlphilæ* hujus *Evangelia Gothica* commentarium Georgius Stiernhelm, Nobilis Suecus, qui linguam Gothi-

Digitized by Google

Gothicam eandem cum Suedica facit. Conſ. *Kortholt. de variis Scripturæ S. editionibus cap.* 29.

A. C. 384. SYMMACHVS *de ara victoriæ inſtauranda Valentinianum interpellat quem refellit Ambroſius.* Fuit hic Symmachus Orator, (quem ſui Seculi penè Ciceronem habitum, dicit *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 1. *c.*13. *n.* 24.) & Proconſul Africæ, mox Præfectus urbi, & denique Conſul ordinarius anno 391. Sed ethnicus & ſuperſtitionis propugnator acerrimus. Is abuſurus Juvenili ætate Valentiniani II. à quo nihil non impetraturus ſibi videbatur, libellum ei obtulit pro reſtituendo Deorum cultu, præſcripto Senatus & magiſtratuum nomine, inprimis pro ara victoriæ reſtituenda illum interpellans (vid. *Socrates lib.* 5. *c.*14.) quæ relatio hodieque in Operum Symmachi libro X. inter cæteras ejus relationes legitur: contra quam Ambroſius apud Imp. literis interceſſit. Vid. *Ambroſius Epiſt.* 30. Scripſit verò etiam contra illum *Prudentius* Poëta Chriſtianus; de quo poſtea. Ipſius Symmachi habemus libros 9. *Epiſtolarum*, & decimum *Relationum*, de quo dixi. De editionibus Symmachi vid. *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.*14. *n.*14.

JEZDEGIRDES *Rex Perſarum.* Hic eſt, quem Arcadius Imp. moriens filio ſuo Theodoſio tutorem conſtituit, quod *Procopius de bello Perſico lib.*1. laudat. *Agathias vero in rebus Juſtiniani lib.* 4. reprehendit, quòd non tantùm hominem peregrinum, ſed infeſtum etiam Romanis, & gentili cultui deditum, filio Chriſtiano præpoſuerit. Sed ille tamen bene adminiſtrando hanc tutelam effecit, ut non pœnitendum fuerit hoc conſilium. *Socrates lib.* 9. *c.* 1. *Sozomenus lib.* 7. *c.* 1. *Hiſtor. Miſcell. lib.* 13. *c.* 24. &c.

Inter VIROS CELEBRES hac poſteriore parte Seculi nominantur:

LVCIFER CALARITANVS. Nempe Epiſcopus fuit Calaritanus in Sardinia, confeſſione fidei orthodoxæ inſignis, niſi quod ob nimium etiam rigorem ſchiſmati occaſionem dedit: de quo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores paſſim. Vitam ejus ſcripſit & edidit Barcinone *Dimas Sarpius*, 1600. De hoc Lucifero ejuſque ſcriptis vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 350. *p.* 81. ubi etiam veterum Hiſtoricorum de illo loca notantur. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *p.* 285. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 4. *c.* 4. *p.*156. *& c.* 8. *p.* 193.

A. C. 356. ANTONIVS *Monachus obit.* Hic idem eſt, qui ab initio hujus Tab. notatur, *Antonius Eremita*: de quo eo loco ſatis dictum. Obiit annos natus 105.

Digitized by Google

APOLLINARIS ſeu, ut Græci terminant, Apollinarius, fuit Epiſcopus Laodiceæ in Syria, & ſcripſit multa tum ipſe, tum pater ejus cognominis, pleraque carminicè. Scripta eorum recenſet *Sixtus Senenſis Biblioth. S. lib.* 4. *p.* 145. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 365. *p.* 88. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *p.* 23. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 18. *p.* 251. & *de Poët. Græc. c.* 9. *p.* 76. De *Sidonio Apollinari* Arvernorum Epiſcopo, qui ſub finem Seculi ſequentis floruit, eo loco dicitur.

AVRELIVS VICTOR eſt Scriptor hiſtoricus, cujus extat geminus libellus, alter *de Viris Illuſtribus* à Proca uſque ad Julium Cæſarem; qui quidem aliàs vel Corn. Nepoti, vel Plinio Juniori, vel Suetonio tribui ſolet: alter continet *Vitas Cæſarum*, uſque ad Juliani tertium conſulatum. Paulò junior eſt Victor alter, qui *Epitomen de Vitis Imperatorum Rom.* ſcripſit: quanquam nonnulli pro eodem habent. Vid. ſupra, ubi de Nerva Imp. qui in *Victoris Cæſaribus* Cretenſis fuiſſe dicitur, in *Epitome* verò Narnienſis. De eo vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 2. *c.* 8. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 167. *ſeqq. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 12. *Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 22. *fin.* & *Neuius in Acceſſ. p.* 139.

EVTROPIVS auctor *Breviarii rerum Romanarum,* quo hiſtoriam Rom. ab V. C. libris X. breviter pertexuit, uſque ad Fl. Valentem Aug. cui & opus ſuum dedicavit. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 2. *c.* 8. *p.* 196. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 170. *ſeqq J. C. Neu in Acceſſion. ad Whear. Relect. Hiem. p.* 141.

PROÆRESIVS celebris Sophiſta fuit, cujus Vitam exhibet *Eunapius*, diſcipulus ejus, inter Vitas Sophiſtarum.

THEMISTIVS Philoſophus & Orator ethnicus, ſed Chriſtianis non iniquus, cum quo etiam Gregorio Nazianzeno familiaritas fuit, & dicta ejus hinc inde à Chriſtianis allegantur. Fuit præfectus urbi ſub Juliano Apoſtata, & ſcripſit *Paraphraſes in* omnes propè *Ariſtotelis libros,* quarum & bona pars adhuc ſupereſt. Præterea *orationes* ejus adhuc hodie extant. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *Art.* 1. *p.* 316. *Morhoffius Polyhiſt. Literar. libr.* 6. *c.* 2. *n.* 21. & *Polyhiſt. Philoſ. libr.* 1. *c.* 9. *n.* 5.

HILLEL *Hanaſi Calendarij Judaici auctor.* Hunc Hillelis computum Judæi ubique terrarum unanimiter ſequuntur, intercalationeſque ſuas ad ejus normam inſtituunt, maximè quia exemplo ſuo viri celeberrimi præiverunt, Hilleliſque Calendarium reliquis omnibus prætulerunt. Vid. de eo *Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 4. *Sect.* 3. qua de Judaiſmo agit, *p.* 203. *Jul. Bartolocc. Biblioth. Rabbin.* Fuerunt autem plures Hillelis nomine Judaici Doctores, inter quos unus antiquior celebris famæ eſt, qui paulò ante natum Chriſtum floruit.

PAVLVS

Digitized by Google

PAVLVS EREMITA *obit.* Hic Paulus jam Seculo præcedente medio in eremum abierat anno ætatis 23. ibique 90. annos exegit. Mortuus ergo eſt, cum vixiſſet annos 113. De eo ſupra dixi plura. Vid. tamen *Baronius ad ann.* 253. §. 11.

OPTATVS MILEVITANVS Epiſcopus in Numidia, ſcripſit libros VI. contra *Donatiſtas*: quanquam hodie etiam ſeptimus legitur, quem tamen alterius eſſe credunt ex eo, quod *Hieronymus*, & *ipſe Optatus* tantùm de 6. libris memorant. Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.*365. *p.*87. & præcipuè *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.*4. *Artic.*1. *p.*296. & alibi paſſim eo libro. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.*4. *c.*4. *p.*155.

CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS ſcil. Epiſcopus, ſcripſit quædam quæ *Cyrillia* veteres appellabant: inter ea ſunt *Catecheſes*. Vid. *Bellarminus l. c.* & fuſius *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec.* 4. *Art.* 1. *p.* 82. *ſeqq.* ubi etiam judicia de eo. *Arnoldus Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.*4. *c.*4. *p.*149.

EPHREM SYRVS, Diaconus Edeſſenus, ſanctitatis nomine olim celebris fuit, cui egregia elogia paſſim apud Veteres ſuſpenduntur. Imò ſcripta ejus, teſte *Hieron. in Catal.* in quibuſdam Eccleſiis publicè poſt lectionem Scripturarum legebantur: quæ qualia ſint, & quid de iis judicetur, vid. apud *Bebelium Antiq. Eccleſ. Sec.*4. *Art.*1. *p.*92. *ſeqq.* *Fabricium Biblioth. Græc. lib.*5. *p.*319. *ſeqq.* ubi accuratè de Scriptis ejus. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 4. *c.* 4. *p.* 160.

A. C. 371. ATHANASIVS *obit.* De hoc S. Patre jam aliqua diximus ad lemna illud ſub Rebus Eccleſiæ hujus Seculi: *Athanaſius ex Presbytero Epiſcopus Alexandrinus.*

ORIBASIVS Sardus vel Sardianus, Medicus fuit, & Imper. Juliani archiater; qui ſcripſit medica multa, quorum meminit *Suidas*. De ſuperſtitibus ejus ſcriptis vide *Geſnerum in Biblioth.*

EVNAPIVS Sardianus, Sophiſta, Medicus & Hiſtoricus inſignis, ſed Chriſtianis infeſtus fuit: cujus habemus elegans opus *de Vitis Sophiſtarum.* Plura de eo vid. apud *Voſſium de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 18. *p.* 252. *Morhoſſium Polyhiſt. Philoſ. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 2. & quos *Mœller. in Hypomn.* ad illum locum annotat.

AMMIANVS MARCELLINVS Hiſtoricus, ſæpe hactenus à nobis laudatus, ſcripſit Hiſtoriarum libros 31. quorum 13. priores perierunt. Superſtites ordiuntur à temporibus, quibus Conſtantius II. jam ſolus Imperator Gallum Cæſarem nominavit, & perducti ſunt uſque ad Valentis interitum. Etiamſi dictio horridior, quippe homo Græcus Latine ſcripſit, tamen propter veritatis ſtudium & prudentiam magnopere commendandus. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 2. *c.* 9. *Morhoſ-*

Digitized by Google

ſius Polyhiſt. Liter. lib. 4. c. 13. n. 12. Whear. Relect. Hiem. Part. 1. Sect. 23. p. 95. & Neu in Acceſſ. p. 147.

PHILASTRIVS Brixienſis Epiſcopus fuit, & ſcripſit librum *de Hæreſibus* ad ſua uſque tempora: de quo tamen hoc obſervandum, quòd, pleriſque judicantibus, multos retulerit inter hæreticos, qui non ſunt. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. 2. c. 9. p. 201.* & quos ibi citat. Add. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 4. Art. 1. p. 304. Arnoldus in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret.*

EVAGRIVS. Duo fuerunt per hæc ipſa tempora Evagrii, alter Antiochenus Epiſcopus ſeu Papa, ut vocat *Hieronymus in Vita Malchi*; alter *Evagrius* Ponticus, à Ponto Euxino patria ſic dictus. Ille *Vitam B. Antonii* ex Græco in Latinum ſermonem tranſtulit: hic ſcripſit *Vitas Patrum*: quas multi Hieronymi eſſe crediderunt. De utroque & ſcriptis illorum vid. *Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 4. Art. 1. p. 203.* & *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. 2. c. 19. p. 256.* & *de Hiſtor. Latin. lib. 2. c. 9. p. 201. Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. lib. 6. c. 3. p. 264.*

EPIPHANIVS, Salaminæ ſeu Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, is eſt, cujus *Panarium ſeu de Hæreſibus* libros habemus, & præterea *Ancoratum*: item *de menſuris & ponderibus & de lapidibus*: ſcil. quorum in ſacris literis fit mentio. Alia partim dubia, quæ ei tribuuntur, vid. in *Riveti Crit. S. lib. 3. c. 28. ſeqq. Bellarmin. de Script. Eccleſ. ad ann. 370. p. 92. Bebelii Antiq. Eccleſ. Sec. 4. Art. 1. p. 95. ſeqq. Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Part. 1. p. 263. Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 4. c. 4. p. 193.* ubi ſiniſtrum de eo judicium, & ipſius ut & *Philaſtrii libri de Hæreſibus* multarum falſitatum arguuntur. Extat *Vita Epiphanii* ſcripta à *Joanne* diſcipulo ejus.

PRVDENTIVS. Aurel. Prudentius Clemens, Calaguritanus Poëta Chriſtianus fuit, cujus opera carmine ſcripta, pleraque Eccleſiaſtica, adhuc habentur in pretio. Vid. de eo *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann. 390. p. 116. Voſſius de Poët. Latin. c. 4. p. 57.* & *de Hiſtor. Latin. lib. 2. c. 10. Rivetus Crit. S. lib. 3. c. 26. Bebelius Antiq. Eccleſ. c. 4. Art. 1. p. 307. Fabricius Biblioth. Græc. Append. p. 33. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 4. c. 14. n. 17.*

DIDYMVS ALEXANDRINVS cæcus fuit à pueritia, ſed oculis ſolùm corporis, non mentis, quippe quâ fuit perſpicaciſſimus, teſte *Theodoreto lib. 4. c. 26.* De eo ſcriptiſque, quæ multa dictavit, ſed unum duntaxat *de Spiritu S.* ſupereſt, ab *Hieronymo* diſcipulo ejus Latinè verſum, vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann. 361. p. 86. Bebelius Antiq. Eccleſ. Sec. 4. Art. 1. p. 86.*

FL. VEGETIVS. Hic eſt, qui ſcripſit *libros de re militari*, quos præter alios *Stewechius* commentario illuſtravit. Item, *de re veterinaria ſeu de mulo-medicina*: quem librum edidit *Sambucus*. Plura de eo *Fabricius Biblioth. Latin. p. 195.* & *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 4. c. 14. n. 13.*

MACRO-

Digitized by Google

MACROBIVS ſcripſit multa, quæ ad Grammaticam pertinent; ut *de Differentiis* & *Societatibus Græci Latiniq; verbi*: *Cenſuram* quoque ſcripſit *ſuper Virgilium*, *Commentarium ſuper Somnium Scipionis*, *Saturnalia*, & alia nonnulla: quæ hodie ſuperſunt. Vid. de eo *Fabricius Biblioth. Latin. p. 197. ſeqq. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 4. c. 14. n. 19.*

CLAVDIANVS Poëta ultra genium temporis ſui floridus & numeroſus, cujus opera vaſto commentario illuſtravit *Barthius*, digna certe quæ à Poëtices amantibus legantur; in quibus multa etiam ad hiſtoriam horum temporum pertinentia, in panegyricis præſertim, continentur. Vid. de eo *Voſſius de Poët. Latin. c. 4. p. 57. Fabricius Biblioth. Latin. p. 200. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 4. c. 14. n. 16.* Nonnulli Chriſtianum fuiſſe volunt, plerique tamen negant. Vid. *Auguſtinum de Civ. DEI lib. 5. cap. 26.* & ad eum Commentatores, *Lud. Vivem* & *Leon. Coqueum.*

AVSONIVS Burdigalenſis, pro illa ætate non contemnendus Poëta, gentilis tamen fuit: quanquam *Bellarminus de Scriptor. Eccleſ. ad ann. 420. p. 137.* eum inter Chriſtianos refert, propter carmina quædam, quibus Chriſtum celebrat; ſed perperam illi tributa: ut judicat *Voſſius de Poëtis Latin. c. 4. p. 55.* De Claudiano idem judicium eſt. Habetur etiam *Auſonii Gratiarum actio pro Conſulatu ad Gratianum Aug.* in proſa panegyrico ſtylo concepta. Illuſtravit ejus Opera præcipuè *Scaliger in Auſonianis. Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 4. c. 14. n. 15. Fabricius Biblioth. Latin. p. 173. ſeqq.*

MANILIVS quoque huc refertur, quem tamen alii Auguſti temporibus vixiſſe cenſent, in quam ſententiam propendet *Voſſius de Poët. Latin. c. 2. p. 36.* & *Fabric. Biblioth. p. 43.* Scripſit Ἀςρονομικῶν libros V. ad eumque extat commentarius *Joſephi Scaligeri*, qui itidem ad Auguſti tempora refert. Vid. ejus *Prolegomena ad Manilium*, & *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib. 4. c. 12. n. 1.*

TAB. XVI. & SEC. V.

IN Tab. ſeq. prima duo lemmata *Stiliconis victoriam de Radagaiſo*, & *ejuſdem Stiliconis cædem* notant; de quibus tamen rebus jam diximus ſub Honorio. In Oriente verò Patri ſuo Arcadio ſucceſſit

A.C. 408. THEODOSIVS II. ſeu Junior, ad differentiam Theodoſii prioris, avi hujus, dictus. Hic Theodoſius ſeptennis fuit, cùm pater moreretur. Sed Perſarum Rex Jezdigerdes per teſtamentum patris ei tutor datus, ſuſceptam pueri tutelam ſolicitè adminiſtravit. Hujus Principis laudes vid. in *Hiſtor. Miſcell. lib. 14. fin.* quas tamen ille aliqua labe corrupit, quando omnia eunuchis committebat. Vxorem

Digitized by Google

duxit Eudoxiam, Leontii Philoſophi Athenienſis filiam, quæ ante baptiſmum Athenais vocabatur, & à patre ſuo exheredata fuerat. De qua videatur hiſtoria non injucunda apud *Zonaram, Tom. 3.* & *Nicephorum Calliſtum lib. 14. c. 23.* Imperavit Theodoſius Junior annos 48. Secundùm *Hiſtor. Miſcell. c. 23.* vixit 49. quod ſi eſt, imperii ejus initium ducendùm non à Patris morte; (nam tunc ſeptennis erat) ſed ab altero à nativitate anno: quo nimirum ſolenniter Imperator appellatus eſt a. d. 17. Cal. Febr. docente *Onuphrio.* Imò *Marcus Gazenſis Diaconus* apud *Baronium ad ann. 401. n. 24.* ſtatim poſtquam in hanc lucem editus eſt, purpurâ indutum fuiſſe ſcribit. Vid. *Rupert. p. 468.* Scriptores ſunt *Zoſimus* ex parte; nam Scriptor ille hic deficit, qui nobis hactenus egregiam operam præſtitit. Nominandus ergò deinceps *Zonaras Tom. 3. Hiſtor. Miſcell. lib. 14. Agathias* (qui inter Scriptores Hiſtoriæ Byzantinæ Pariſiis editus eſt cum *Procopio*) *Suidas* quoque tempora hæc attingit: unde vero ſumſerit, quæ de Theodoſio habet, non conſtat, cum plerique iſtorum temporum Scriptores perierint. Ad Theodoſii II. res pertinet, quod deinde in Tab. noſtra memoratur

A.C. 414. PVLCHERIAM *Sororem Auguſtam appellat*, novo ſcil. exemplo, ut hic honos etiam Sorori Imperatoris communicaretur; quæ poſtea in aula omnia moderabatur. Deinde

Perſicum bellum contra Waranem, Regem ſcil. Perſarum geſſit, cui victo pacem tamen obtulit, tantùm ut parceret Chriſtianis in Perſide habitantibus, quorum deinceps perſecutio ceſſavit: teſte *Paulo Diac. Hiſtor. Miſcell. lib. 14. c. 7.* & *Nicephoro Calliſto lib. 14. c. 19.*

A.C. 425. CODEX THEODOSIANVS *editur Conſtantinopoli.* Vt erat princeps literis deditus Theodoſius, ſuis auſpiciis Codicem hunc legum ex Conſtitutionibus Conſtantini M. & ſequentium colligi atque edi curavit, libris XVI. diſtinctum: qui exinde *Theodoſianus* vocatus eſt. Vid. *Prolegomena Commentariorum Jac. Gothofredi in hunc Codicem*, ubi hiſtoriam ejus exequitur. Prodiit hæc editio Lugduni 1665. fol. 4. tomis. *Fabricius Biblioth. Latin. Append. p. 127.* Quid verò de hoc Codice Theodoſiano, quem nunc habemus, ſentiendum ſit, dubitant eruditi. Vid. *Seldenus Diſſert. ad Fletam. c 5. Morhoſſius Polyhiſt. Tom. 3. lib. 6. n. 5.*

BLEDA & ATTILA *Illyricum & Thraciam populantur.* Ea tunc tempeſtas à Septentrione incubuit in provincias Romanas, Bleda & Attila fratribus Hunnorum Regibus innumerabiles copias infundentibus; quorum tamen Bleda à fratre Attila, qui ſolus rerum potiri cupiebat, paulò poſt interfectus eſt. Et tunc quidem intra Thraciam ſubſtitit hic turbo, & Imperator Theodoſius pacem ab illis redimere coactus datis 6000. librarum ut retrogrederentur, inſuper annuum tributum 1000. libra-

Digitized by Google

librarum pendere pollicitus eſt, teſte *Hiſtor. Miſcell. lib.* 14. *c.*17. Sed poſtea latiſſime Occidentem pervagatus Attila, omnibus gentibus terrori fuit. De cujus Regis feris moribus mira quidem narrant Scriptores plerique, inter quos vide *Paul. Diaconum Hiſtor. Miſcell. lib.* 15. *c.* 2. Attilam tamen contra hæc Romanorum iniqua judicia defendit *Rupertus in Obſerv. ad Synopſ. Beſoldi* idem qui etiam de origine ejus, & ferali titulo conſulendus; item, de gladio Martis, qui ipſi animum addiderit; de quo tamen etiam videri poſſit *Lambertus Schaffnaburgenſis in Tom. Schardii p.*187. Merentur autem omnino legi, quæ de hoc Attila diſſerit *Rupertus p.* 473. uſque ad 486. *Vitam Attilæ* ſcripſit *Callimachus Experiens* & *Nicolaus Olahus.* De prælio in campis Catalaunicis poſtea dicendum, ubi plura de hoc Attila, cujus hiſtoria potiſſimum ex Hiſtoricis Hungaricis petenda. Inter noviſſimos eſt *Otrokócſi* in libro Franekeræ 1693. edito, cui titulus: *Origines Hungaricæ*; ubi prolixè de Attila. Nos, dilato interim ad alteram partem Seculi Marciano,

Ad OCCIDENTIS IMPERATORES revertimur; inter quos hic nominatur

A. C. 420. CONSTANTIUS *conſors Imperii*, cujus cùm egregiâ operâ uſus eſſet Honorius in bellis contra Tyrannos, ei poſtea Gallam Placidiam ſororem, à Wallia Gothorum Rege, qui eam ceperat, redditam, deſpondit; ex quo matrimonio natus eſt Valentinianus, poſtea Imperator. Ipſe verò Conſtantius ab Honorio in conſortium imperii adſcitus, ſeptimo menſe pòſt morbo extinctus eſt, quem referente *Ruperto p.* 472. ex *Olympiodoro*, ex ægritudine animi contraxit, & quidem inde, quod Theodoſius Junior electionem, qua ab Honorio in conſortium imperii receptus eſt, approbare nollet, commodè tamen & ſine læſione dignitatis in ſtatum priſtinum redire non poſſet. *Zonaras* tamen *Tomo* 3. interfectum eſſe tradit. Vid. de eo *Hiſtor. Miſcell. lib.* 14. *pr.* & *Rupert. l. c.*

A. C. 425. VALENTINIANUS III. filius hujus Conſtantii, ut dixi, fuit ex Placidia Honorii Sorore. Is anno jam ætatis quinto in Galliam ab Honorio miſſus, & Cæſar appellatus eſt, eoque extincto Auguſtus dictus à Theodoſio, Occidentis provincias regendas ſuſcepit. Hunc *Zonaras* deſcribit ut hominem vitæ inſolentis & flagitioſæ, qui in ſtupris & adulteriis volutabatur, divinationibus etiam & præſtigiis deditus fuerit. Imperium certè ejus fuit infeliciſſimum, irrumpentibus undiquaque gentibus; & verè hunc ultimum Occidentis Imperatorem dixeris: cùm qui ſequuti ſunt minorum gentium principes uſque ad Auguſtulum, partim ut tyranni conſiderandi ſint, qui imperium affectarunt; partim Patritiatus nova & ſingulari appellatione, miſſi

miſſi plerumque ab Imperatoribus Orientis Marciano & Leone, horum quaſi auſpiciis regerent, & utcunque res in Occidente ſuſtentarent. Præcipua ſub eo geſta partim ad hunc titulum, partim ad titulum Variorum ſpeciatim notata, deinceps recenſebimus: quò meretur etiam referri, quod Valentinianus Gothis Aquitaniam attribuit: qua verò illi non contenti, Arvernos quoque & Narbonem poſtea occuparunt. Vnde etiam hodie ille tractus Galliæ appellatur *Languedoc*, quaſi dicas, Land der Gothen. Hiſpaniæ quoque à Gothis occupatæ ſunt. Sed hæc ſi particulatim exequi vellemus, nimis longum foret. Cæterùm Valentinianus III. interfectus eſt anno imperii 30. ab amicis Aëtii, inſtigante Anicio Maximo Conſulari, cujus uxorem ſtupraverat.

AETIVS *contra Francos, Burgundiones, Gothos, Hunnos rem Rom. utcunq; ſuſtentat, Imperatori per calumniam ſuſpectus occiditur.* Erat Aëtius præcipuus eo tempore dux, & propè neceſſarius reip. & revera pro ultimo Romanorum ducum habendus. Sed is alienæ vindictæ immolatus eſt. Nam Maximus, cujus, ut paulò ante dixi, uxorem Valentinianus violaverat, muneribus aliquos induxit, qui calumniis efficerent, ut Valentinianus ſua manu Aëtium occideret. Quo facto facilè perſuaſit Satellitibus Aëtii, ut fortiſſimi ducis mortem ignavi Imperatoris ſanguine expiarent. Et hæc cædes Aëtii facta eſt poſt prælium cum Attila in campis Catalaunicis, in quo ſcil. Aëtii non poſtrema opera fuit; quanquam in Tab. noſtra per πρόληψιν memoratur ante illud prælium: quod ideò monendum fuit, ne quis hoc ordine rem geſtam credat, quo hic notatur. Videantur *Caſſiodorus, Idacius,* & *Marcellinus in Chronicis, Evagrius lib. 2. Procopius lib. 1. Vandal.*

A. C. 446. PICTI & SCOTI *Britannos infeſtant.* Britenni quidem hactenus Romanæ ditionis fuerant. Sed Romanorum viribus alibi occupatis, & ad propiora defendenda non ſufficientibus, Picti interim & Scoti, qui in Septentrionalioribus inſulæ habitabant, perpetuis irruptionibus Britannis graves, eos opprimebant. Contra eos cùm fruſtra ab Aëtio duce Romano, de quo ſupra, ſubſidia flagitaſſent, tandem aliunde auxilia accerſere coacti ſunt. Accerſiti ergo ab illis Angli ſeu Saxones ex Germania, expulerunt quidem Pictos, ſed cum ſe potiores viderunt, ſubjugatis etiam Britannis inſulam ſui juris fecerunt. Et hic eſt (qui paulò inferius ſub titulo Variorum notatur) *Saxonum in Britanniam adventus.* Vid. *Beda lib. 1. Hiſtor. Angl. c. 15. Paul Diac. Hiſtor. Miſcell. lib. 14. Wilhelm. Malmeſbur. in Rebus Anglicis. Gildus* cogn. *Sapiens in libello de Excidio Angliæ.* Hinc jam incipit Anglici regni hiſtoria: cujus Scriptores poſt *Bedam* præcipuos edidit collectim *Henr. Savilius,* impreſſos Francofurti 1601. Sunt etiam Hiſtoriæ Anglicanæ Scriptores XIV. editi Londini 1652.

Inter

Digitized by Google

Inter RES ECCLESIÆ hujus Seculi memoratur:

INNOCENTIVS I. *Epiſcopus Rom. pro primatu laboravit ſtrenuè*, qui ſcil. ob damnatum Chryſoſtomum, Eccleſias Orientales ipſumque Imp. Arcadium excommunicare auſus eſt. *Socrates lib 6. Sozomenus lib.* 8. *Nicephorus lib.* 13. *c.* 33. & 34. Idem jejunium inſtituit in diebus Sabbathi, ex ea ratione, quòd Chriſtus per eum hebdomadis diem in ſepulchro jacuerit. Quòd pro primatu laboraverit ſtrenuè, additamentum eſt Interpolatoris: neque enim in primâ editione extat, à *Schradero* ipſo procuratâ.

A. C. 407. JOH. CHRYSOSTOMVS *obit in exilio*. Hujus viri vita & facta prolixius deſcripta leguntur apud Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, *Sozomenum lib.* 8. *cap.* 2. & 3. &c. *Socratem lib.* 6. *Nicephorum lib.* 13. *Elmacinum Hiſtor. Eccleſ. Palladium in Vita Chryſoſtomi*. Eſt etiam *Vita Chryſoſtomi à Kœpkenio* edita 1702. In exilium ejectus eſt Chryſoſtomus ab Imp. Arcadio ob ſeverius exercitam diſciplinam eccleſiaſticam, præſertim in Imperatrice Eudoxia: in eoque exilio mortuus eſt circa A. C. 407. 14. Sept. anno ætatis 52. cùm epiſcopatum Conſtantinopolitanum tenuiſſet, annos 3. menſes 5. De ſcriptis ejuſdem vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 118. *Rivetus Crit. S. lib.* 4. *c.* 1. 2. 3. *Arnoldus Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 5. *c.* 3. *p.* 227. In Græcam operum Chryſoſtomi editionem Londinenſem *Henricus Savilius*, qui eam curavit, 25000. roſarum nobilium impendiſſe dicitur.

A. C. 411. *Collatio contra Donatiſtas Carthagine, coram Marcellino tribuno*. Sub finem prioris & principium hujus Seculi quinti aliquot Concilia Carthagine celebrata ſunt, de Donatiſtis pœnitentibus in Eccleſiam recipiendis: quorum hiſtoriam exhibent *Centuriatores Magdeb. Cent.* 4. *cap.* 9. Vid. *Auguſtinus ad Donatiſt. poſt Collat. cap.* 21. Inter ea concilia etiam eſt alterum ex his, quæ mox memorantur:

A. C. 416. PELAGII & COELESTII *errores Carthagine & Milevi damnantur*. Pelagius, cujus diſcipulus Cœleſtius fuit, & propagator ejus hæreſeos, qualia dogmata habuerit, vid. apud *Auguſtinum ad Quodvultdeum cap.* 88. De ipſo Pelagio multa legi poſſunt in *Jac. Vſſerii Antiq. Eccleſ. Britann.* Add. *Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. c.* 5. *Sect.* 5. *p.* 298. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 5. *c.* 5. *p.* 239. *ſeqq.* Concilia autem 2. *Carthagine* eo tempore habita ſunt, quorum poſteriori 217. Epiſcopi interfuefuerunt, à quibus Pelagii errores examinati & rejecti ſunt. *Milevi* autem in Numidia per id ipſum tempus, & Dioſpoli quoque in Palæ-

ſtina celebrata ſunt contra Pelagium Synodi, quarum in poſtrema ipſe ſuos errores recantavit.

A.C. 420. S. HIERONYMVS *annos natus 91. obit.* De hoc Hieronymo jam dictum ad præcedentem Tabulam. Comparatio inſtituta inter Hieronymum & (qui nunc ſequitur) Auguſtinum legitur in *Epiſtola Eraſmi ad Eccium, collectione Epiſtolarum ejus lib. 2. fol. 97.* ubi Eraſmus Hieronymo prærogativam aſſerit.

A.C. 430. S. AVGVSTINVS *anno ætatis 67. obit.* Magni hujus Eccleſiæ Doctoris vitæ curriculum per compendium exhibet *Bucholzerus* ad A.C 430. Auguſtino emortualem. Natus eſt anno 354. Ab anno 19. ad 28. ſeducebat & ſeducebatur, (ut ipſe ſcribit) Manichæorum deliriis addictus Anno ætatis 32. vel 33. ab Ambroſio baptizatur. Anno 34. redit in Africam, amiſsâ interim in illo itinere matre, piâ & orthodoxâ Monicâ. Domi per triennium ſtudia ſacra in paternis agris tractavit. Ætatis anno 37. fit Presbyter in Eccleſia Hipponenſi, cui per annos ferè 40. præfuit, diſputans interea contra Arrianos, Manichæos, Donatiſtas, Pelagianos, & contra Gentiles *libris de Civitate Dei*: quod opus, ut ſcribit, eum per aliquot annos tenuit. Obiit die 28. Aug. Genſerico Vandalorum Rege tum maximè Hipponem obſidente. Vitam Auguſtini ex veteribus *Poſſidius Calamenſis Epiſc.* ex recentioribus dedit *Eraſmus Præfat. in Opera Auguſtini.* Vid. & *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 5. c. 3. p. 226.* De Scriptis ejus vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 121. ſeqq. Rivetus Crit. S. lib. 4. cap. 10. ſeqq.*

A.C. 431. SYNODVS EPHESINA *contra Neſtorium.* Neſtorius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſtatuebat Chriſtum, cùm naſceretur, hominem nudum fuiſſe; qui deinde meritis & profectu divinitatem inhabitantem acquiſiverit; ſic tamen inhabitantem, ut naturarum ea non ſit facta communicatio, quâ Homo Deus verè eſſe, vel factus eſſe dicendus ſit, quæque alterius naturæ ſint propria ad alteram pertinere reapſe queant. Contra hunc, petente Clero & Archimandritis, Synodus indicta eſt Epheſum à Theodoſio Imp. in Pentecoſte anni 431. in qua Neſtorii doctrina examinata, &, annitente inprimis Cyrillo Alexandrino, damnata fuit: & ipſe Neſtorius poſtea ab Imper. Theodoſio ab epiſcopatu dejectus, & in inſulam Oaſin relegatus eſt. Plura circa hanc Synodum acta qui volet, adeat *Socratem lib. 7. c. 33. Evagrium libr. 1. c. 3. Acta Concilii Epheſini in Tom. Concil. Cyrill. in Epiſtolis.* Add ex recentioribus *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. lib. 2. p. 382. ſeqq. Ludovicus Doucin Hiſtoire du Neſtorianiſme.*

A. C. 432. PATRICIVS *Hibernos docet fidem Chriſtianam.* Hic S. Patritius, Hibernorum Apoſtolus, nunc eorundem Divus tutelaris eſt,

Digitized by Google

eſt, quatenus ſunt Pontificii. Nam hodie maxima pars incolarum ejus inſulæ religioni Anglicanæ addicta eſt. Hujus Patritii Purgatorium in inſula quadam occidentalis partis Hiberniæ oſtendunt variiſque extollunt viſionibus: quod inter Catholicos ſingulari ſcripto illuſtravit *Lucas Walſingham*, Hibernus. Vid. *Rob. Carve in Annal. Hibernicis.* Ipſe Patritius à S. Martino, Epiſcopo Turonenſi, magiſtro ſuo, ad Hibernos miſſus eſt, ut illis evangelium prædicaret. Vid. de eo *Sigebertus Gemblacenſis ad ann.* 432. Vitam Patritii 2. libris deſcripſit *Beda.*

A. C. 440. LEO *ordinatur Epiſcopus R.* Hic Leo M. dicitur, primus hujus nominis Papa, cui Sixtus nono epiſcopatus ſui anno ſedem Rom. ceſſit, quam Leo tenuit annis 21. minus 32. diebus. Hic eſt Leo Papa, qui occurrens Attilæ in Italiam cum exercitu irruenti, illum auctoritate ſua flexit, ut retrò cederet, functus legatione Valentiniani populique Romani. Leonem hunc Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus poſtea, convocatis per Ægyptum Epiſcopis, excommunicavit, quòd Synodum Epheſinam ſecundam, quippe Eutychanam, damnaſſet. Plura de actis hujus Leonis qui volet, conſulat Eccleſiaſticos illorum temporum Scriptores, & qui Vitas Pontificum conſignarunt. De Scriptis ejus vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. p.*150.

Ad titulum VARIORVM progredientibus occurrunt notatæ irruptiones gentium, per hæc tempora in Imperii Occidentalis provincias factæ.

Et *Gothi primùm Rhadagaiſo, inde Alarico Rege ducibus, in Italiam irrumpunt, ſtipati Hunnis.* De Rhadagaiſi quidem expeditione in Italiam, & ut victus ingenti prælio & occiſus ſit à Stilicone, ſupra diximus. Stilico tamen, & ipſe Vandalus natione, ex ambitione imperii, quod ſibi, vel potius filio ſuo Eucherio, comparare cupiebat, Alanos, Suevos, Gothos, Hunnos adverſus Honorium excitavit, ſperans, ſub hac neceſſitatis circumſtantia ſe genero ſuo Honorio imperium extorquere poſſe, & in filium ſuum transferre. Et de Gothorum quidem ſub Alarico in Italiam irruptione paulò poſt dicemus. At *Alani, Vandali, Suevi, Burgundiones Gallias & Hiſpanias invadunt.* Neque hæ barbaræ gentes tàm facile potuerunt comprimi, ut Stilico cogitabat, quàm commoveri. Et Vandalos quidem cum Suevis & Alanis Galliam pervagatos, Viſigothorum Rex Alaricus inde expulit, & in Hiſpaniam egit; ubi Suevi quidem regnum conſtituerunt; Burgundiones verò in Gallia: *Vandali & Alani* paulò poſt *Africam duce Genſerico penetrarunt*; (ut in Tab. noſtra notatur) *invitati ſcil. à Bonifacio Comi-*

Digitized by Google

te, ut arma pro ſe adverſus Romanos caperent. Sed hoc poſterius factum eſt, A. C. 427. Interim anno 10. Seculi *Roma capitur ab Alarico*, bis eodem anno, priore quidem obſidione ad extremam famem adacta, pacem multo auro argentoque redemit. Attalum deinde Imperatorem creavit Alaricus; cui tamen poſtea detracta iterum imperii inſignia, ad Honorium miſit. Sed ab hoc cùm nihilominus non impetrare poſſet pacem æquis conditionibus, iterum Romam contendit, occupatoque portu, tandem eam per proditionem occupavit. Et quanquam Alaricus eà victoriâ moderatè uſus eſt, & urbi, quantum fieri potuit, pepercit; tamen magna fuit ea calamitas Vrbis olim Dominæ, & vaſtatio ex hac barbaræ gentis irruptione. Memorabile eſt, quod ex *Procopio*, *Nicephoro*, *Socrate*, *Sozomeno*, *ad Auguſtinum de C. D. lib.* 1. *c.* 1. annotat *Leonh. Coqueus pag.* 7. divinitus impulſum fuiſſe Alaricum, ut Romam everteret: cùm enim pius quidam monachus in Italia ei Romam properanti conſuluiſſet, ut parceret Vrbi, nec ſe tantorum malorum auctorem conſtitueret, reſpondiſſe dicitur: ſe hoc invitum aggredi; ſed eſſe quendam, qui ei quotidiè moleſtiam exhiberet, imò vi impelleret ac diceret: Iter capeſſito, urbem Romam vaſtato. Ipſe verò Alaricus ex illa egreſſus tertio die, vaſtatis Italiæ provinciis, dum in Siciliam tendit, ſubita morte defungitur. Itaque

A. C. 411. *Alarico ſuccedit Athaulphus, aſſumta in uxorem Placidia Honorii Sorore*: qui uxoris blanditiis perſuaderi ſibi paſſus eſt, ut facta pace Hiſpaniam peteret. Athaulpho paulò poſt Barcinone à ſuis occiſo ſucceſſit *Segericus* Rex: at huic eodem fato peremto *Vallia*. De his irruptionibus barbarorum in Italiam, Gallias, Hiſpanias, videndus *Oroſius*, Scriptor *σύγχρονος*, *lib.* 7. *c.* 37. *ſeqq. uſq; ad fin. Zoſimus lib.* 5. *& 6. Procopius de rebus Vandalicis lib.* 3. *Jornandes de rebus Geticis. Hiſtor. Miſcell. lib.* 13. *cap.* 25. 26. 27. & multa de ea clade etiam *Auguſtin. lib.* 1. *de* C. D. capitibus primoribus, &c. Seorſim de Expugnatione urbis per Gothos, ex veteribus ſcripſit *Olympiodorus*, teſte *Photio Biblioth. Cod.* 80. Ex recentioribus ſpecialia hujus hiſtoriæ narrant *Baronius in A.* C. 410. *Barthius Adverſ. lib.* 60. *p.* 2832. Epicum poëma de capta Roma, imitatione Virgilii, ſcripſit ſua lingua *de Scudery*, celebris Gallus, & Chriſtianæ Reginæ Suecorum tanquam ex Gothica ſtirpe oriundæ, inſcripſit, cui titulum fecit: *Alaric, ou Rome vaincue.*

PHARAMUNDUS *primus Rex Francorum.* Nondum quidem ipſam Galliam, quæ nunc Francia dicitur, occupaverant Franci ſub Pharamundo, ſed hærebant adhuc in finibus ejus circa Rhenum, & in Gallia Celtica, occupatis etiam ſub præcedente duce Waramiro Treviris. Sed poſtea paulatim fines ſuos extenderunt. Primus tamen

ex

Digitized by Google

ex eorum ducibus Pharamundus regium titulum aſſumſiſſe, quo priores abſtinebant, & 7. annos regnaſſe dicitur. Sed hujus Regis hiſtoria non eſt ſatis liquida. Videatur *Raphael de Beauchamps in Synopſi Hiſtoriæ Franco-Merovingicæ*; *Roricon Monachus*; *Gregorius Turonenſ. in Tom. 1. Scriptorum Gallicorum du Cheſne*; *Proſper in Chron. Aimoin. lib. 1.* Regni autem Francici hiſtoria ab hoc jam tempore incipit: cujus Scriptores collectim ediderunt *Andr. & Franc. Du Cheſne* tomis V. Item *Marquardus Freherus*: item *Pithæus*. Conſignavit & *Andr. du Cheſne* la *Bibliotheque des auteurs, qui ont écrit l'hiſtoire & topographie de France*, à Paris 1617. 8°.

A. C. 429. CLODIUS *Pharamundi filius, trans Rhenum in Gallias erumpens, ab Aëtio reprimitur.* Hunc Clodium ſeu Clodionem, ut alii vocant, cognomine Comatum, aliquoties quidem repreſſit Aëtius; quò pertinet illud, quod in Tab. noſtra ſub titulo Rerum Rom. notatur: *Aetius contra Francos* &c. vid. ſupra. Sed Clodio tamen dicitur Arteſiam, Cameracum, Turnacum cepiſſe, & Ambianis ſedem regni conſtituiſſe. Mors ejus ponitur in A. C. 447. Vid. Scriptores Rerum Francicarum ſupra commendati, præſertim *Gregorius Turon. lib. 2.*

A. C. 446. MEROVEUS *Francorum in Gallia ſedem firmat.* Hic Meroveus Clodionis ſucceſſor unà cum Aëtio Romano, & Theodorico Viſigothorum Rege contra Attilam in campis Catalaunicis pugnavit. Viſus deinde occaſione, quòd diminutæ eſſent Romanorum vires in eo prælio contra Hunnos, & ſecuta etiam Aëtii cædes, regnum ſuum longè lateque ampliavit, ſubacta Picardia, Neuſtria, & tota ferè Inſula Franciæ: ab altera verò parte Moguntiacum uſque progreſſus. Ab hoc Meroveo prima ſtirps Regum Franciæ denominatur, Merovingarum ſcil. Mortuus eſt A. C. 458. Scriptores ſupra laudati: quibus add. *Valeſ. in Geſtis veterum Francorum.*

VIRI CELEBRES hoc ſeculo floruerunt,

SEVERUS SULPITIUS, Scriptor librorum duorum de *S. Hiſtoria*, quos habemus. Præterea ſcripſit *Vitam S. Martini Turonenſis*, & *Dialogum de converſatione orientalium Monachorum.* Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 420. *p.* 139. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 2. *c.* 12. *p.* 209. *Fabricius Biblioth. Latin. Append. p.* 59. & *Morhoff. Polyh. liter. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 20. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 5. *c.* 3. *p.* 232. Ejus elogia vid. in *Wheari Relect. Hiem. part.* 1. *Sect.* 32. *p.* 122. & *Neu in Acceſſ. p.* 222.

SEXTUS AURELIUS VICTOR, alius, ut videtur, ab illo, qui Vitas Cæſarum ſcripſit, de quo ſupra. At hic ſcripſit *Epitomen de Vitis Impera-*

Digitized by Google

peratorum Rom. eamque ad Theodoſii uſque exceſſum perduxit. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib. 2. c. 15. p. 221. Fabricius Biblioth. Latin. p. 169.*

SYNESIUS *Cyrenenſis Epiſcopus*, ſeu Ptolemaidis, ex Platonico Philoſopho factus Chriſtianus, à ſanctitate prædicatur. Opera ejus prodierunt Pariſiis 1612. de quibus videatur *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 420. *p.* 137. *Petavius in Notis ad Syneſium.* Vitam ejus ſcripſit *Camerarius.* Vid. & de eo *Arnold Hiſtor. Eccleſ. & Heret. lib. 5. c. 3. p.* 132.

PAULUS OROSIUS, Presbyter Hiſpanus, S. Auguſtini diſcipulus, ſcripſit ad ipſum S. Auguſtinum libros VII. Hiſtoriarum ab orbe condito, in quibus potiſſimum clades Rom. deſcribit, quas dum idola colerent, acceperunt. *Bellarm. ad ann.* 425. *p.* 141. *Voſſius de Hiſtor. Lat. lib. 2. c.* 14. ubi prolixius de hoc Scriptore agit. *Fabricius Biblioth. Lat. App. p.* 59. *Neuius in Acceſſ ad Wheari Relect. Hiem. p.* 151.

SEDULIUS Presbyter Scotus, ſcripſit *Explanationem in omnes Epiſtolas Pauli*, & præterea *libros 5. Carminum,* & *Hymnos 2. de Chriſto. Bellarm. ad ann.* 430. *p.* 141. *Voſſius de Poët. Latin. c.* 4. *p.* 60. *Fabricius Biblioth. Latin. App. p.* 38.

CYRILLUS ALEXANDRINUS Epiſcopus, diſtinguendus à Cyrillo Hieroſolymitano, (de quo ſupra) ſanctitate vitæ & ſcriptis clarus, qui in Concilio Epheſino I. contra Neſtorium ſtrenuè pugnavit, utque dogma ejus damnaretur, effecit. Opera ejus 2. tomis comprehenduntur: de quibus vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 430. *p.* 141. *ſeqq. Rivet. Crit. S. lib.* 4. *c.* 19. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Haret. lib. 5. c.* 3. *p.* 129.

THEODORETUS Epiſcopus Cyri fuit, urbis in Syria, cujus inter cætera habemus V. libros *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ,* à Conſtantino M. uſque ad Theodoſium Juniorem. Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ p.* 144. ubi de reliquis quoque ejus operibus: & *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. 2. c.* 20. *p.* 260. *Whear. in Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 35. & *Neu in Acceſſ. p.* 267.

PROCLUS *Epiſc. Conſtantinopol.* ſcripſit *Epiſtolam de fide ad Armenos*: item *de traditione divinæ liturgiæ.* Vid. de eo *Socrat. Hiſtor. Eccleſ. lib.* 7. *c.* 40, *ſeqq. Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 430. *p.* 145.

POSSIDIUS *Calamenſis Epiſc.* (quem *Honorius Auguſtodunenſis de Luminaribus Eccleſiæ* Poſſidonium vocat) ſcriptam reliquit *Vitam Auguſtini, & Indiculum Scriptorum ejus. Voſſius de Hiſtor. Latin. lib. 2. c. 16. p.* 223.

PAULINUS Epiſcopus Nolanus ſcripſit *Epiſtolas* & *Poëmata*, de quibus vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 420. *p.* 138. & inprimis *Voſſius de Hiſtor. Latin. lib. 2. c.* 12. qui eum *ibid. c.* 13. diſtinguendum eſſe monet à *Paulino* autore *Vitæ Ambroſii.* Elogium Paulini Nolani vid. apud

Auguſtin.

Digitized by Google

Auguſtin. lib. 1. *de* C. D. *cap.* 10. Add. *commentar. ad eum locum Lud. Vivis & Leonh. Coqui*: ubi plura de hoc Viro.

VINCENTIVS LIRINENSIS vel Lerinenſis, Monachus nempe Cœnobii Lerinenſis in Provincia, ſcripſit *Commonitorium adverſus profanas novitates. Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 441. Plura *Rivetus Crit. S. lib.* 4. *c.* 24. *p.* 467. *Georg. Calixtus in Diſſertatione ſumta ex Ejuſdem Prooemio in Auguſtini libros de Doctrina Chriſtiana*: quæ Diſſert. præfixa eſt noviſſimæ Editioni hujus Commonitorii, quæ Bremæ 1688. junctim cum Salviano procurata eſt.

SOCRATES & SOZOMENVS, Hiſtoriæ Eccleſiæ Scriptores, quam deduxerunt inde ab eo tempore, uſque ad tempora Theodoſii Junioris; ille VII. libris, hic IX. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *p.* 259. *Whear. in Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 35. & *Neu in Acceſſ. p.* 265. *ſeqq.*

ZOSIMVS, Comes & Exadvocatus Fiſci, ſcripſit Hiſtoriæ libros ſex, quorum primo Cæſares ab Auguſto uſque ad Diocletianum percurrit; cæteris V. fuſius exequitur res Rom. uſque ad Romam iterum ab Alarico obſeſſam. Quanquam iniquior videtur Chriſtianis, quippe homo gentilis, tamen ob pragmaticam hiſtoriam valde commendandus eſt. Latinè converſus eſt à *Leunclavio.* Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 20. *p* 260. *Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 35. *p.* 92. & *Neu in Acceſſionibus p.* 145.. Vtrum idem ſit hic Hiſtoricus Zoſimus cum eo, qui libros *de Chymia* ad Theoſchiam ſcripſit, contra *Reineſium* diſputat *Morhoffius Polyhiſt. Liter. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 40.

OLYMPIODORVS Thebanus Hiſtoriarum libros XXII. condidit, ex quibus luculenta Excerpta nobis conſervavit *Photius.* Vid. *Voſſius d.l.* & *Neu in Acceſſionibus ad Wheari Relect. Hiem. p.* 150.

JOANNES CASSIANVS ſcripſit *de Habitu Monachorum*, & alia, quæ recenſet *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 148. *ad ann.* 440.

PHILOSTORGIVS Cappadox ſcripſit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros XII. teſte *Photio in Biblioth. Cod.* 40. ubi plura de Philoſtorgio; cujus Hiſtoriam idem *Photius* in compendium redegit. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 20. *p.* 261. *Neu in Acceſſ. ad Whear. Part.* 1. *p.* 270. *Arnold. lib.* 5. *c.* 3. *Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. p.* 223.

ISIDORVS PELVSIOTA ſcripſit *Epiſtolas* plurimas, Græcè & Latinè, impreſſas Pariſiis 1585. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 440. *p.* 149.

IDACIVS ſeu, ut alii ſcribunt, Itacius, compoſuit *Chronicon* ab obitu Valentis uſque ad Leonis I. Imp. tempora. De quo vid. plura apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. lib.* 2. *c.* 17. *p.* 230. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. pag.* 153.

Inter

Digitized by Google

Inter RES IMPERII OCCIDENTALIS in altera parte Tab. memoratur ad

A. C. 451. ATTILÆ *clades in campis Catalaunicis*; quæ memorabilis fuit, vixque unquam ullis Seculis majus prælium commiſſum legitur. Occaſionem, quâ in Galliam cum ingentibus copiis penetravit Attila, & utriuſque partis Socios, indicat *Rupertus*. Nos h. l. notamus inſignes Chronicographorum quorundam errores, quos inter eſt *B. Rhenanus lib. I. Strumpffius*, & hos ſecutus *Lehmannus Chron. Spir. lib. I. c. 31. p. 50.* qui crediderunt, in tranſitu, per Germaniam, dum in Galliam penetrat Attila, plures Germaniæ Vrbes ab eo vaſtatas eſſe; ſed falsò. Quò pertinet etiam quod de Argentorato circumfertur, diruiſſe Attilam ejus mœnia, & feciſſe per Vrbem eine Straſſe/ eamque ſanguine impleviſſe, indeque dictam eſſe Straßburg. Teſtimonii cauſa addunt, in Turri des Cronenburger-Thors/ quam Galli hodie la porte de Zaberne vocant, exhiberi effigiem Attilæ, cum hac inſcriptione: *Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.* Illa enim facies penitus diſcrepat à vultu Attilæ, qui in nummis exhibetur. (Sed hæc in gratiam Argentoratenſium tantùm obiter dicta ſunt) Cæterùm campi Catalaunici, ubi prælium hoc commiſſum eſt, ab aliquibus in Campania propè oppidum Chalons, ab aliis prope Toloſam, ab aliis alibi collocantur. Certè in Gallia res acta eſt. In eo prælio utrinque 180000. vel, ut ii qui minimum ponunt, 162000. cæſa ſunt, exceptis 90000. Francorum & Gepidarum, qui ante hanc pugnam mutuis vulneribus conciderant. Etiam Burgundionum Rex, antequam ſe Romanis & Gothis conjungeret, exercitu & vita exutus erat ab Attila. Theodoricus verò Gothorum Rex in ipſo prælio victor cecidit. Quò minus debellaretur, Aëtii conſilium, Gothorum nimiam potentiam ſuſpectantis, obſtitit. Vnde permiſſum Attilæ retrocedere: qui recollectis in Pannonia viribus, Italiam ingreſſus, captâ poſt triennii obſidionem Aquileiâ, cùm ulterius Romam verſus tenderet, auctoritate Leonis Epiſcopi Rom. flecti ſe paſſus eſt, ut retrocederet. Denique hic Attila, qui flagellum DEI ſe vocabat, in nuptiali thoro, intercluſo ſanguine ſuffocatus eſt; quod infra ſub titulo Variorum notatur. Videantur de eo *Jornandes de rebus Geticis: Procopius de bello Vandalico lib. 3. Paulus Diaconus Hiſtor. Miſcell. lib. 15.* &c. Vitam Attilæ ſeorſim ſcripſerunt *Callimachus Experiens*, Italus, & *Nicolaus Olahus*, Archiepiſcopus Strigonienſis. Quibus addantur cæteri rerum Hungaricarum Scriptores, & ſupra in hoc laudatus *Rupertus in Obſervat. ad Synopſ. Beſoldi p. 437. ſeqq.* qui

qui Attilam contra dicam nimiæ feritatis defendit. Eſt etiam *Rudolphi Roſhii Diſſertatio* Jen.æ habita 1671. cui titulus *Attila Hunnorum Rex.*

Sequuntur jam poſt Valentiniani III. mortem minorum gentium IMPERATORES,

uſque ad occaſum Occidentalis Imperii, quos breviter enarrabimus; ſicut & breve ſingulorum imperium fuit: quippe quorum IX. numero ſucceſſivè intra 20. annos fuerunt.

A. C. 455. MAXIMVS, Valentiniano ipſius inſidiis interfecto, imperium arripuit. Eudoxiam deinde, Valentiniani viduam, invitam in matrimonium duxit, & Palladio filio, Cæſari à ſe creato, filiam ejuſdem dedit. Cùm autem Maximus amore Eudoxiæ ei confeſſus eſſet, ſe in Valentiniani mortem conſpiraſſe, illa hoc indignè ferens, Genſericum Vandalorum Regem ex Africa in Italiam evocavit; cujus adventu territus Maximus, à ſuis in fugâ laniatus eſt, & in Tiberim projectus, vix altero imperii menſe confecto. Plura de eo videre licet apud *Procopium lib. 3. Vandal.* & *Paul. Diacon. Hiſtor. Miſcell. lib. 15. c. 5.*

A. C. 456. AVITVS à Maximo anteceſſore ſuo Præfectus Prætorio factus eſt, occiſo autem eo, à Senatu populoque Rom. Imperator creatus. Verùm non multò poſt imperio ſe abdicavit, & Placentiæ Epiſcopus ordinatus eſt. Scriptores: *Diaconus in Hiſtor. Miſcell. lib. 15. c. 9. Evagrius 2. 7. Sidonius Apollinaris lib. 3. Ep. 1.*

A. C. 457. MAIORIANVS apud Ravennam à militibus Occidentalis Imperator factus eſt; & quarto imperii anno apud Dertonam Hiſpaniæ civitatem, fraude Severi occiſus. *Hiſtor. Miſcell. lib. 15. c. 6.* & *Rupertus p. 492.*

A. C. 461. SEVERVS (quem *Paulus Diaconus* Severianum vocat) poſtquam à 7. Auguſti, quo cæſus eſt Majorianus, uſque ad 10. Novemb. interregnum fuiſſet, ope Fl. Ricimeris (de quo vid. *Rupertus p. 499.*) ad imperium Occidentale evectus, ejuſdem dolo, poſtquam per quadriennium præfuiſſet, occiſus eſt *Hiſtor. Miſcell. 15, 6. Rupertus p. 492.*

A. C. 467. ANTHEMIVS deinde à Leone Orientis Imperatore miſſus, Marciani Imp. gener, Occidentis partibus præfuit. Sed ſexto imperii anno à Fl. Ricimere genero ſuo, cum ſumma clade Rom. Vrbis occiſus eſt. *Jornandes in Geticis c. 101.* & quos citat *Rupertus p. 493.*

A. C. 472. OLYBRIVS à Ricimere ſuffectus, ſeptimo Imperii menſe defunctus eſt, ut ex *Marcellino, Idacio, Caſſiodoro* & *Paulo Diacono* notat *Rupertus p 493.* *Paulus Diaconus* tamen à GLYCERIO remotum fuiſſe dicit.

Digitized by Google

A. C. 474. JUL. NEPOS, Nepotiani filius, à Leone Juniore Orientis Imperatore miſſus, & Imperio Italiæ deſtinatus eſt, poſt auditam Anthemii cædem. Quia verò jam Imperator creatus erat GLYCERIUS, ingentibus copiis inſtructus venit, & Glycerium poteſtate exuit, qui deinde, teſte *Paulo Diacono*, Portuenſis Epiſcopus factus eſt.

ORESTES Patritius viciſſim Nepotem, à quo contra Gothos in Galliam miſſus erat, imperio detruſit. Et Oreſtis filius

A. C. 475. AUGUSTULUS Occidentis Imperator à patre conſtitutus, haud diu præfuit: etenim ab Odoacro Herulorum Rege, nondum finito primo imperii anno, eodem exutus, atque in Campaniam relegatus eſt. *Hiſtor. Miſcell. Petavius Rat. Temp. Part.* 1. *lib.* 6. *c.* 18. atque ſic

A. C. 476. ODOACER *Herulus Italiam occupat.* Odoacer hic à *Paulo Diacono* Turcilingorum & Rugorum, ab aliis Scyrorum & Herulorum Rex vocatur, certè populorum, quos Septentrio effudit. Is occupato Ticino, & pervaſa Italia, cùm Oreſtem Placentiæ interemiſſet, Romanam Vrbem cepit, quarta jam vice ex quo condita fuerat, pulſoque in exilium Auguſtulo, Regem ſe nominavit Italiæ. Fatum Auguſtuli deſcribunt *Zonaras, Nicephorus Calliſtus, Candidus apud Photium, Procopius in Gothicis lib.* 1. *Anonymus Valeſii, Hiſtor. Miſcell.* Et hic

FINIS IMPERII OCCIDENTALIS fuit;

Et Imperatorum nomen, quod in Auguſto cœperat, in Auguſto extinctum eſt. Ademta quoque Senatui Rom. auctoritas, Conſulibus dignitas; ſed quam Odoacer poſtea reſtituit. Et qui olim tot potentiſſimos Reges velut unâ manu vicerunt, & precariò regnare paſſi ſunt, iis vitam precariam & leviſſimam priſcæ dignitatis umbram venientes ab obſcuro Septentrionis angulo permiſere. Vis & poteſtas omnis penes Herulos, mox Gothos, denique Longobardos fuit, uſque ad Carolum M. qui totius Occidentis Monarcha potentiſſimus, à Populo Rom. Imperator ſalutatus, idem magnâ virtute reſtituit. Quæ verba ſunt *Ruperti Obſerv. ad Synopſin Beſoldi cap.* 15. *p.* 497. *ſeq.* Sequuntur ergo

REGES ITALIÆ, quorum primus fuit ODOACER Herulorum Rex, quem tamen

A. C. 439. THEODORICUS *Oſtrogothorum Rex evertit*, miſſus à Zenone Orientis Imp. Is interfecto Odoacro Italiam ſibi aſſeruit, atque inde aliquandiu ibidem regnavit, dependens ab Imperio Orientis: poſtea tamen proprium ſibi imperium Gothi fecerunt, uſque ad A. C. 553. quo à Beliſario & Narſete Juſtiniani ducibus ejecti ſunt. Hinc

Hinc incipit EXARCHATVS *Beliſarii* & poſtea *Narſetis*; à quo invitati in Italiam Longobardi, ſibi deinde Imperium vindicarunt ſub *Alboino* A. C. 570. & hinc ſucceſſit *Longobardorum imperium*; de quibus poſtea ſuo loco dicetur. *Theodoricus* autem Oſtrogothus, Rex Italiæ, qui à capta poſſeſſaque Veronâ *Veronenſis* cognominatus eſt, poſt occiſum apud Ravennam Odoacrum regnum Italiæ tenuit annos 33. princeps vix ulli Cæſarum moderatione, prudentia, liberalitate ſecundus. Ejus hiſtoriam exhibent *Procopius*, *Jornandes*; *Auctor Anonymus Excerptorum ab Henrico Valeſio cum Ammiano Marcellino editorum*; *Chronicon Marcellini*; *Ennodius Ticinenſis Epiſcopus in Panegyrico Theodorici*, & in *Vita Epiphanii Epiſcopi*; *Evagrius*; *Caſſiodorus in Variis*; *& in Chronico*. Προσωπογραφίαν ejus exhibet *Sidonius Apollinaris lib.* 1. *Epiſt.* 2. Addatur ex recentioribus qui ſuam hiſtoriam ex iſtis aliiſque collegit, *Sigonius de Imperio Occidentali*; & *Bœclerus in Differt.* cui titulus: *Theodoricus Oſtrogothus Italiæ Rex*, quæ reperitur Tom. 2. Diſſertationum ejus p. 102.

Nunc ad ORIENTIS IMPERATORES nos conferemus; ex quibus, quem diſtulimus hactenus,

MARCIANVS Seculi anno 50. i. e. ejuſdem medio, ad imperium pervenit. Is neque geſtis magiſtratibus clarus, neque illuſtri genere natus, ſed ſolâ pietate & modeſtiâ commendatus, poſt mortem Theodoſii II. Pulcheriæ ejus Sorori Auguſtæ placuit quem in thorum & imperium adſciſceret jam admodum ſenem, ipſa virgo quinquagenaria, ſuffragante inſuper exercitu. Princeps fuit laudatiſſimus, cum quo qui comparari poſſit poſt Conſtantinum M. ſe non reperire ait *Baronius ad A.* C. 457. *n.* 2. Memorabile augurium, quod ei cùm adhuc miles eſſet gregarius, imperium portendit, memorat *Zonaras Tom.* 3. & *Nicephorus Calliſtus lib.* 15. *c.* 1. Ejus auſpiciis habita eſt Synodus Chalcedonenſis, de quâ poſtea. Mortuus eſt poſtquam imperaſſet annos 6. cum dimidio. Præter Zonaram videndus *Marcellinus Comes*, *Idacius* & *Caſſiodorus in Chron. Hiſtor. Miſcell. lib.* 14. *fin.* & *lib.* 15. *princ. Nicephorus Calliſtus lib.* 15. *c.* 1.

A. C. 457. LEO THRAX ſecutus eſt, qui cùm militari agmini Selymbrianiſque cohortibus præeſſet, ſtudio Aſparis Patritii Orientale imperium adeptus eſt. Hic etiam imperii Occidentalis florem acquirere denuo inſtituit; ſed fruſtra. Scriptores ſunt *Zonaras*, *Marcellinus Comes*; *Nicephorus Calliſtus*; qui quidem fabulis admodùm deditus eſt; eo tamen carere non poſſumus. Eximium quoque *Fragmentum Candidi* extat apud *Photium Cod.* 79. *Hiſtor. Miſcell.* Poſt Leonem Thracem ſtatim hic ponitur ad

Digitized by Google

A. C. 474. ZENO, quanquam alii intermedium ſtatuunt LEONEM JUNIOREM, Zenonis ſucceſſoris ſui filium, Leonis anteceſſoris ex Ariadna filia nepotem; qui à Leone avo nominatus eſt Imperator, & vivus adhuc patrem Zenonem Imperatorem creavit. Sed puer adhuc mortuus eſt, non multò poſt avum Leonem Thracem. Itaque Zeno Iſauricus deinceps Imperator factus eſt. Cum Leo Senior hunc Auguſtum facere vellet, populus ejus imperium recuſavit. Sed tandem à filio Leone Juniore Imperator ſalutatus eſt. Hic Zeno corpore animoque turpis fuiſſe dicitur, & altero ſtatim imperii anno pulſus à fratre Baſiliſco exul profugit: at hic rurſus imperio detruſus, & Zeno reſtitutus eſt. Et hoc eſt, quod in Tab. noſtra notatur ad

A. C. 477. BASILISCUS *imperii invaſor perit*, nimirum fame, poſtquam in Cappadociam relegatus in caſtello quodam incluſus fuit; uti *Suidas* refert. Quanquam *Zonaras Tom.* 3. dicit, Baſiliſcum poſt amiſſum imperium, inter Lectores in Blachernis profiteri cœpiſſe. Zeno poſt hæc adhuc 14. annos imperavit, in univerſum verò 16. teſte *Hiſtor. Miſcell.* ut mirer illi in Tabula noſtra 18. annos tribui, qui haud dubiè numerantur ſtatim ab obitu Leonis Senioris. Hic Imperator juſſu uxoris vivus ſepultus eſſe dicitur. De quo fato ejus vid. *Rupertus p.* 494. ex *Zonara* & *Cedreno*. Præter jam nominatos conſulatur *Nicephorus Calliſtus, Evagrius, Procopius, Candidus in Fragment.*

A. C. 491. ANASTASIUS cognomento *Dicorus* ob pupillas oculorum bicolores dictus, ſtudiis Ariadnes Zenonis uxoris, quamvis nondum Senator eſſet, ad imperium evectus eſt. Multa præclarè geſſit, inter conditores quoque Juris Juſtinianei referendus, multæque ejus Conſtitutiones inſertæ ſunt Codici. Eutychianiſmi tamen ſuſpectus fuit. Ictus fulmine periit; ut plerique tradunt; ut *Anonymus Valeſii*, morbo extinctus eſt, poſtquam imperaſſet annos 27. vixiſſet 88. De ejus bello cum Cabade Perſa poſtea dicetur. Scriptores: *Zonaras, Candidus, Cedrenus, Procopius, Agathias, Idacius, Hiſtoria Miſcell. Anonymus Valeſii, Theodorus Lector.* His add. *Rupertus p.* 502. *Petav. Rat. Temp.* 1, 7, 1.

Ad RES ECCLESIÆ pertinet

A. C. 451. SYNODUS CHALCEDONENSIS *contra Eutychem.* Eutyches Archimanedrites ſeu Abbas in cœnobio quodam Conſtantinopolitano, docebat Chriſtum è duabus quidem ante unionem conſtitiſſe naturis; poſt eam verò ex una tantum; neque carnem noſtræ ſimilem habere, nec ſimilem matri Mariæ, ſed talem, quæ facta ſit Verbum, h. e. in Verbi ſubſtantiam tranſmutata, in qua carne ipſa divinitas

cru-

Digitized by Google

crucifixa, ac ſepulchro mandata reſurrexerit. Hujus cùm aſſeclæ eſſent multi ex Epiſcopis, interque eos præcipuè Dioſcorus Alexandrinus, contradicentibus Orthodoxis; Martianus Imp. ad compeſcenda hæc diſſidia, Chalcedone Concilium indixit, quod Oecumenicum quartum fuit; inque eo comparuere Epiſcopi 530. & ipſe Imperator præſedit. Damnatus eſt Dioſcorus Alexandrinus Eutychis propugnator, definitumque, manere in Chriſto divinam humanamque naturam. Vid. *Zonaras Tom. 3. Evagrius lib. 2. c. 4. Nicephorus Calliſtus lib. 15. c. 2. & ſeqq. paſſim. Narratio de Synodo Chalcedonenſi Tom. I. Concil.* Add. *Rittershuſii lib. 2. Lect. Sacr. c. 11. Sagittarii Introd. ad Hiſtor. Eccleſ. cap. 33. Sect. 31. Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Haret. lib. 5. c. 4. p. 237.*

Perſecutio Vandalica ſub Arrianis Regibus fervet in Africa. Cœpta à *Genſerico* Rege, qui captâ Carthagine, templa Catholicis ademta Arrianis tradidit ipſe Arrianus. Major tamen fuit crudelitas filii ejus *Hunerici* in Africa ſævientis in Catholicos (ſicut inferius notat Tab. noſtra) qui inſuper cædibus, tormentis & exiliis graſſatus eſt. Et hæ perſecutiones, per intervalla quidem recrudeſcentes, durarunt quoad regnum Vandalicum in Africa ſtetit. Eas deſcripſit *Victor Uticenſis* tribus libris *de Perſecut. Vandal.* qui extant. Add. *Proſper in Chronic. Procopius, Iſidorus in Hiſtor. Vandal.*

A. C. 461. LEO *Epiſcopus Rom. obit.* De hoc Leone M. jam ſupra aliquid diximus. Ejus extant *Epiſtolæ* numero 97. & *Homiliæ* eloquentiſſimæ de præcipuis ſolennitatibus. Vid. ſupra. Mortuo ſucceſſit in Sede Rom. *Hilarius.*

A. C. 472. SIDONIUS APOLLINARIS *Arvernorum Epiſcopus creatur.* Hujus extant libr. IX. *Epiſtolarum* ad varios ſcriptarum, & *Carmina.* Vita ejus ſcripta à *Savarone*, & præfixa editioni Operum ejus ab *Elmenhorſtio* adornatæ: cui etiam ſubjunguntur elogia.

De HUNERICO *R. in Africa ſæviente in Catholicos* jam diximus.

A. C. 494. GELASIUS *P. R. qui libri authentici, qui apocryphi habendi, declarat.* Celebravit ille Romæ concilium 70 Epiſcoporum, in quo non ſolùm cenſuram edidit de libris ſacris utriuſque Teſtamenti, qui pro canonicis, qui pro apocryphis habendi: ſed & de Doctorum Eccleſiæ ſcriptis, quatenus illa vel ſacris literis conveniant, vel iiſdem repugnent. Quæ cenſura extat in *I. Tomo Conciliorum,* unà cum ejuſdem epiſtolis nonnullis, libroque de vinculo anathematis. In eadem Synodo aſſeruit primatum Romanæ ſedis, quam proximè ſequantur Patriarchatus Antiochenſis & Alexandrinus; Conſtantinopolitano veri[illegible]emum locum tribuit. Decrevit idem de S. Cœnæ uſu, eam

Digitized by Google

eſſe integram ſumendam, aut prorſus ab ea abſtinendum, reprehenditque graviter, ſiqui à calice ſacrati cruoris abſtineant. Extat Gelaſii Sanctio in *Decreto, Diſt. 2. Can. Comperimus.*

CLODOVÆUS *Rex Francorum initiatur Chriſtianiſmo.* A Jornande vocatur Lodoin, & idem eſt cum hodierno nomine Ludovici. Is à Conjuge ſuâ Clotilde, Burgundiæ Regis filia, ad Chriſtianiſmum incitatus, cùm hactenus diſtuliſſet profiteri, in prælio contra Alemannos, laborante exercitu, vovit uxoris ſuæ fidem ſe amplexurum, ſi DEUS ſibi victoriam de hoſtibus largiretur. Factus ergo voti compos, à Remigio Epiſcopo Rhemenſi baptizatus fuit, & ſubditos exemplo movit, ut & ipſi Chriſto ſe addicerent. Ad hujus Regis baptiſmum etiam pertinent ſacra illa imperii Francici pignora, ampulla Rhemenſis, Scutum liligerum, & Auriflamma, ſeu Vexillum S. Dionyſii, quæ vel Angelorum miniſterio tunc allata, vel de cœlo delapſa eſſe traduntur, & adhuc religiosè ſervantur. Quanquam ſuperſtitioſas de his cimeliis traditiones, ſuperioribus ſeculis creditas, hodie ipſi Galli explodunt. Vid. *J. C. Becmann. Hiſtor. Orb. Part. 2. c. 3. §. 6.* Etiam titulorum Chriſtianiſmi & Primogeniti Eccleſiæ filii huic Regi primum tributum eſſe volunt. De quo vid. *Becmann. d. l. & Notit. Dignitat. Illuſtr. Diſſ. 2. Cap. 2. § 3. ſeq.* De Rege ipſo ad Chriſtianiſmum converſo, *Gregor. Turon. Hiſt. Franc. lib. 2. c. 29 ſeqq. Aimoinus lib. 1. c. 22. Hincmarus in Vitâ Remigij. Ivo Carnotenſis ſub Leone. Sigebertus ſub Anaſtaſio.*

VENETIARUM ORIGO, cui occaſionem dedit Attila. Nam cùm ille Italiam ingreſſus Aquilejam obſideret, ex vicinis locis plerique potentiores, adventum ejus formidantes, relicto continente in æſtuaria & inſulas maris Adriatici confugerunt, ibique paulatim ſtructis ædibus, urbem denique exſtruxerunt ampliſſimam, & futura Reip. quam ſequentia ſecula florentiſſimam viderunt, fundamenta jecere. Vid. *Jornandes de rebus Geticis c. 42. 49.* Add. *Volaterranus lib. 4. Geograph. Blondus Decad. I. lib. 3. Sabellicus Dec. 1. Bonfinius Decad. 1. lib. 6. Bernhardus Juſtinianus de origine Urbis Veneta.* Cæterùm ſiquis plura de Venetâ civitate, ejus origine, ſitu, gubernatione, legibus, incremento, &c. ſcire deſiderat, conſulat Scriptores citatos à *Camerario Oper. Subciſiv. Cent. 2. c. 48. fin.*

A. C. 455. GENSERICUS *ex Africa in Italiam evocatus Romam diripit.* Dictum ſupra, quòd Eudoxia vindictæ cupiditate Genſericum Vandalorum Regem ex Africa acciverit; qui eâ occaſione uſus, cum claſſe validâ venit, & fugato occiſoque à ſuis Maximo, Urbem captam per 14. dies diripuit, miſereque deformavit. Eudoxiam verò cum filiabus Gallâ & Placidiâ multiſque captivorum millibus in Africam aſportavit. Vid. *Procopius lib. 3. de Bello Vandalorum. Evagrius lib. [illegible] Hiſtor.*

cap.

Digitized by Google

cap. 7. *Paulus Diaconus lib.* 15. *Jornandes de Rebus Geticis, Marcellinus, Nicephorus.*

A. C. 476. *Genſerico in Africâ ſuccedit* HVNERICVS, acerrimus Catholicorum perſecutor: de quo videatur *Procopius* & *Iſidorus in Hiſtoriâ Vandalicâ.*

ATTILA *ſanguine ſuffocatus.* Cùm nuptiis celebratis (puellæ nomen, quam duxit, fuit *Hildico*) vino largius ſe invitaſſet, & ſupinus noctu quieſceret; eruptione ſanguinis, qui de naribus aliàs ſolitus erat effluere, ſuffocatus & extinctus eſt: ut ſcribit *Paulus Diaconus*, teſte *Ruperto p.* 489. Ego tamen hoc apud *Paulum Diaconum* non invenio, qui ſimpliciter, mortuum fuiſſe, dicit. Genus autem mortis memorat *Procopius lib.* 3. *Bell. Vandal.* Cæterùm *Marcellinus* ait, hortatu Aëtii à muliere noctu confoſſum.

A. C. 484. *Hunerico ſuccedit* GVNDAMVNDVS, in regno Africæ Vandalico; quem alii *Gundabundum* vocant; ſicut & Hunericus à *Paulo Diacono* 15, 8. Honorius vocatur, ſed perperam. Hic Gundamundus Chriſtianos imitatione ſuorum ſuppliciis etiam gravioribus afflixit, ut loquitur *Procopius lib.* 3. *de Bell. Vand.*

A. C. 495. THRASIMVNDVS *Vandal. Rex*, anteceſſoris ſui frater, Chriſtianos non pœnis corporis aut ſuppliciis, ſed præmiis & honoribus omnibus ad deferendam fidem invitabat: non auſcultantes verò minimè plectebat. Vid. *Procop. Bell. Vand. lib.* 3. *Victor Vticenſis de Perſecut. Vandal.*

A. C. 499. BVLGARI *in Romanos fines incurrunt*, ſecundo Anaſtaſii anno, ut habet *Paul. Diaconus lib.* 15. *c.* 10. Circa hæc temporà fertur gens Bulgarorum, ignota prius, in Illyricum & Thraciam impreſſionem feciſſe: ait *Zonaras Tom.* 3. ubi & porrò memorat inſignem Bulgarorum de Romanis victoriam. Et gens hæc Bulgarorum ex eo tempore Orientis Imperio multum negotii fecit ab illâ parte incumbens, ſicut ab alterâ Saraceni.

Enarrandi reſtant VIRI CELEBRES, qui hac poſteriore parte Seculi V. floruerunt, in quibus nominatur

PROSPER AQVITANVS, Epiſcopus Rhegienſis (quanquam ejus Epiſcopatum in dubium vocat *Philippus Labbeus* & alii, idque meritò, ut judicat *Fabricius Biblioth. Latin. Append. p.* 39.) interfuit Concilio Carthaginenſi, & ſcripſit multa, pleraque Theologica, inprimis pro Gratiâ Chriſti contra Pelagianos. Idem continuavit *Chronicon Euſebii & Hieronymi.*

nymi. Vid. *Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſt. p.* 152. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *c.* 17. *p.* 228. ubi inprimis de ejus Chronico. & *Nevii Acceſſ. ad Wheari Relect Hiem. p.* 153. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ & Hæret. lib.* 5. *c.* 3. *p.* 234.

MAXIMVS TAVRINENSIS, ſcil. Epiſcopus, ſcripſit homilias multas, quas recenſet *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 470. *p.* 136. qui tamen paulò antiquiorem facit, & ſub Honorio ac Theodoſio Juniore vixiſſe tradit ex *Gennadio de Viris Illuſt.*

PAVLVS ÆGINETA, Medicus, ſcripſit diverſos libros medicinales, teſte *Suida.* Vid. *Geſnerus in Biblioth. Lindenius de Script. Medicis.*

ÆTIVS AMYDENVS, Medicus itidem fuit, cujus ſuperſunt *Sermones* ſeu libri XVI. in quibus cuncta, quæ ad curandi artem pertinent, congeſta ſunt, ex omnibus, qui uſque ad ejus tempora ſcripſerant, diligentiſſimè excerpta. *Geſnerus in Biblioth. Van der Linden de Script. Medic.*

PETRVS CHRYSOLOGVS Epiſcopus Ravennas ſcripſit, CXXII. *Homilias* breves, ſed diſertas. Habetur etiam ejus *Epiſtola ad Eutychetem* hæreſiarcham; & alia inter Epiſtolas, quæ præcedunt Chalcedonenſe Concilium. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 150. *ad ann.* 440.

SALVIANVS *Maſſilienſis* Epiſcopus fuit, cujus ſuperſunt libri VIII. egregii *de Providentiâ & Judicio DEI*, & libri IV. *de Eccleſia* vel *adverſus avaritiam*: in quibus exaggerat vitia Chriſtianorum, inprimis Clericorum ſui temporis; & præterea VIII. ejus *Epiſtolæ.* Vid. *Gennad.* σύγχρονος *in Catalogo Viror. Illuſtr.* qui & alia quædam ejus ſcripta memorat. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 154. *ad ann.* 460. Elegans Operum ejus editio eſt Bremæ procurata 1688. cum Commentar. *Rittershuſii* & notis Variorum, juncto, ut ſolet, *Vincentio Lirinenſi.* Vid. de eo & *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.* 5 *c.* 3. *p.* 234. qui eum laudat.

CÆSARIVS *Arelatenſis* ſcil. Epiſcopus, cujus extant *Homiliæ* XLVI. in *Bibliothecâ SS. Patrum*, Tom. 2. editionis ſecundæ. Vitam ejus conſignavit *Cyprianus* diſcipulus, apud *Surium* d. 27. Auguſti. *Gennadius in Catalogo cap* 68.

A. C. 460. *Obit* SIMEON STYLITES, ὁ θαυμαςὸς. Monachus fuit hic Simeon, Stylites dictus, quia habitavit in columna, ſuper quâ ſibi parvam ædiculam fieri fecit, annis 30. ut alii dicunt, 81. Vixit autem ultra 100. annos, ab Imperatoribus omniſque conditionis hominibus cultus frequentatuſque: quem ſequutus eſt Daniel, de quo *Nicephorus* 15, 22. qui à Simeonis morte eandem columnam conſcendit, ſitam ad oſtia Ponti, non longè à Conſtantinopoli, victurus ſcil. vitam humanâ ſublimiorem. Extat liber *Simeonis de morte aſſiduè cogitandâ*, in *Biblioth. PP.* Tom. 2. edit. 2. Vitam ejus ex parte deſcripſit *Theodoretus in Hiſtoriâ Patrum.* Adde *Evagrium lib.* 1. *Hiſtor. Eccleſ. c.* 13. *Nicephorum*

Digitized by Google

pherum 14, 51. Item *Hiſtor. Eccleſ. Cothar. lib.* 2. *p.*403. ubi plura de ſuperſtitionibus tunc invaleſcentibus. Fuit ſequente Seculo & alius Simeon Stylites Junior, eandem vitæ rationem ſequutus, de quo *Evagrius lib.* 5. *c.* 22.

FAVSTVS *Rhegienſis* Epiſcopus fuit, cujus ſuperſunt libri 2. *de Gratiâ & Libero arbitrio*, in quibus ſe Semipelagianum fuiſſe prodit: relati proinde inter apocrypha à Gelaſio. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 154. *ad ann.* 480.

GELASIVS *Cyzicenus* ſcripſit *Hiſtoriam de Actis Nicenæ Synodi*, tribus libris comprehenſam, quæ extat in *Tom.* I. *Concil.* De eo vid. *Rivetus Critic. S. lib.* 4. *c.*26. *p.*477. Vtrum etiam auctor ſit libri *de duabus Naturis Chriſti* contra Eutychetem, an verò Gelaſio Papæ ille tribuendus, dubitatur. Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 495. *p.*159.

De SIDONIO APOLLINARI jam diximus ad illud ſub Rebus Eccleſ. *Sidonius Apollinaris Arvernorum Epiſc. creatur.*

ÆNEAS GAZÆVS vir doctiſſimus, ſcripſit *Dialogum* inſignem *de Animæ Immortalitate & Corporis reſurrectione*, quem inſcripſit *Theophraſtum*, quia perſona principalis in Dialogo nominatur Theophraſtus. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 490. *p.* 155.

VICTOR VTICENSIS Epiſcopus ſcripſit libros III. *de Perſecutione Vandalicâ*; quanquam illa hiſtoria Victoris alibi etiam in IV. aut V. imò & in VI. libros diviſa reperitur, obſervante *Caveo Sec. V. pag.* 263. Vid. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* I. *p.* 269. *Bellarminus d. l. Voſſius de Hiſtor. Latin* 2, 18.

ENNODIVS TICINENSIS ſeu *Papienſis* Epiſcopus is eſt, cujus extant *Epiſtolarum libri XII. Orationes ac Declamationes XXX. Panegyricus dictus Theodorico Gothorum Regi* (de quo ſpeciatim *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 123.) *Apologeticus pro quarta Synodo Rom. ſub Symmacho Papa, Vita Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi, & B. Antonii Cyri, Monachi Lerinenſis*: denique *Poëmatum & Epigrammatum* libri II. Edidit Opera ejus *Jacobus Sirmondus*, & notis illuſtravit Pariſ. 1611. Vid. *Voſſius de Hiſtor Latin.* 2, 17 *p.* 234.

GENNADIVS *Maſſilienſis* Presbyter fuit, cujus ad nos pervenit liber *de Dogmatibus Eccleſiaſticis*, Gelaſio Papæ dicatus. Item liber *de Illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus*. Vid. *Voſſius de Hiſt. Latin.* 2, 17. *p.* 235. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* I. *pag.* 270.

PROCLVS LYCIVS Philoſophus Platonicus fuit, & Scholæ præfuit Athenis, celebratiſſimus operibus ſuis, quæ multa edidit, philoſophica pleraque; nonnulla & Grammatica & Poetica. Scholam ejus, præceptores, diſcipulos prolixè deſcribit *Jonſius de Scriptorib. Hiſtor. Philoſ.* Conf. *Geſneri Biblioth.* & pluribus *Morhoffius Polyhiſt. lib.* 1. *c.*7. *n.*5. ubi tamen

Digitized by Google

men quod ait, vixiſſe eum Theodoſii & Leonis Thracis ætate, non omnino convenit cum Tab. noſtra, quæ ad finem Seculi ponit. Atqui Theodoſius II. octavo Seculi quinti anno imperare cœpit, interque eum & Leonem Thracem fuit Marcianus. At ſi *Schraderum* audimus, ſub Anaſtaſio demum floruerit Proclus Lycius. Extat *Vita Procli à Marino Neapolitano* ſcripta, quam integram (nam antea mutila prodierat,) edidit *Jo. Alb. Fabricius*, Hamburgi in 4. 1700. cum verſione Latina, notis, prolegomenis & elencho ſcriptorum Procli. Vid. *Moller. Hypomn. ad Morhoff. Polyh. d. l.*

Fulgentius Carthaginenſis, Epiſcopus Ruſpenſis, S. Auguſtini diſcipulus, ſcripſit plura, teſte *Iſidoro in libro de Viris Illuſtribus*, quorum multa perierunt. Quæ hodie extant, recenſet *Bellarm. de Script. Eccleſ. p. 161.* Add. *Rivetus Critici Sacri libro 4. c. 25.*

TAB. XVII. & SEC. VI.

In Rebus Seculi Sexti repetemus primò quæ ad IMPERIVM ORIENTALE pertinent, præſertim adhuc ſub ANASTASIO geſta.

Anastasivs *cum Perſarum Rege Cabade bello conflictatur*: &, quod ſub titulo Variorum extat, eodem referendum: Cabades *Perſa Orientalem Imperii limitem infeſtat.* Nam hac cauſa fuit, cur Anaſtaſius eum bello repellere cogeretur. In eo bello Perſis Amidam ab ipſis occupatam multo labore tandem extorſit; Daras quoque caſtellum in Rom. Imperii finibus munivit, & à ſuo nomine Anaſtaſiopolin appellavit, teſte *Cedreno*. Videndus *Procopius in Perſicis lib. 1. Niceph. Calliſt. lib. 16. c. 36. & ſeq.*

Vitaliani *Gothi contra Imp. inſtructa claſſis Procli ſpeculis æreis conflagrat.* Eſt is ipſe *Proclus*, de quo paulò ante, Philoſophus ethnicus, de cujus ſpeculis æreis rem ita narrat *Zonaras Tom. 3.* Anaſtaſius Vitaliano Thraci, qui Myſis & Scythis ſibi conciliatis ſeditionem movebat, & ex agro Byzantino prædas agebat, & claſſe urbem obſidebat, per Marianum præfectum reſtitit, navalique pugnâ commiſſâ, ex machina quadam à Proclo, Viro excellentiſſimo, facta (is enim tum & in Philoſophia & in mechanicis florebat, neque Archimedis duntaxat, celeberrimi artificis, cognorat omnia, ſed & ipſe nova quædam adinvenerat) claſſis hoſtium debellata eſt. Nam ſpecula ex ære fabricaſſe uſtoria fertur Proclus, eaque de muro è regione hoſtilium navium

vium ſuſpendiſſe; in quæ cum ſolares radii impegiſſent, ignem inde fulminis inſtar erumpentem, claſſiarios ipſaſque naves hoſtium combuſſiſſe; quod olim Archimedem excogitaſſe, Romanis Syracuſas obſidentibus, Dion refert. Add. *Jornandes de Regnorum ſucceſſione.*

A. C. 518. JVSTINVS *Thrax, primùm ſubulcus, pòſt miles.* (Epitheton eſt ab Interpolatoribus) Quomodo ad Imperium pervenerit Juſtinus, ſingulari calliditate uſus, narrat *Zonaras Tom.* 3. Quippe cùm Amantius pecuniam ei dediſſet, pro Theocritiano militibus diſtribuendam, Juſtinus ſuum egit negotium, poteſtatemque alteri cupitam ſibimet acquiſivit. *Marcellinus* tamen in *Chronico* ſcribit, illum legitimo modo à Senatu Imperatorem factum: vid. *Rupertus*, qui etiam de genere Juſtini conſulendus. Ipſe Juſtinus Chalcedonenſis Concilii defenſor relegatos ab Anaſtaſio Eutychianorum fautore reduxit, & Arrianos Eutychianoſque exiliis multavit. Cum Cabade Perſ. Rege bellum geſſit, in quo *Zeliobis*, Hunnorum Regis, infidelis utrique parti ſocietas punita fuit. Sopitum ex eo bellum recruduit occaſione *Zati*, Lazorum ducis, quem baptizatum prius Juſtinus Lazorum Imperatorem appellaverat. Ipſe Juſtinus analphabetus fuit. Quatuor ante obitum menſibus Sororis ſuæ filium Juſtinianum Imperatorem declaravit. Imperavit annos 9. ab A. C. ſcil. 518. uſque ad 527. quo mortuus eſt. *Paulus* tamen *Diaconus* in *Hiſtor. Miſc. lib.* 15. *c.* 22. imperaſſe eum dicit annos 11. *Zonaras* verò annos 4. dies 20. imperii ei tribuit. Qui proinde neque inter ſe, neque cum aliis conveniunt. Præter jam nominatos de Juſtino conſulendi ſunt Scriptores, *Marcellinus in Chronico, Cedrenus, Victor Tununenſis, Anonymus Valeſianus, Procopius, Agathias,* & ex Scriptoribus Eccleſ. *Evagrius lib.* 4. *Niceph. lib.* 17. His add. *Rupert. c.* 15. *p.* 504. *ſeqq.* qui Juſtinum in gratiam nepotis & ſucceſſoris Juſtiniani maſculè, contra *Procopium* inprimis, defendit.

A. C. 527. JVSTINIANVS Princeps pace & bello inclytus, ſub quo imperium iterum movit lacertos, anteceſſoris ſui Juſtini ex Sorore nepos fuit, ut paulò ante diximus, non ex filio ſeu fratre, ut quidam errant. Imperare cœpit A. C. 527. annos tum natus 45. vel uno minus. *Petav. Rationar. Temp. Part.* 1. *lib.* 7. *c.* 5. *p.* 418. Initia ejus imperii exhibet *Paulus Diaconus lib.* 16. *c.* 1. & *Zonaras Tom.* 3. Cæterùm vivo Juſtino, comprobante Senatu, vel etiam ſupplicante, (*Rupert. p.* 544.) Juſtinianus Cæſar creatus eſt, & brevi pòſt Juſtino mortuo ipſe ſolus imperavit. Bella ejus, per Beliſarium & Narſetem duces geſta, poſtea ſeorſim memorabuntur. Fuit autem ipſe legiſlator nobiliſſimus, unde & plurimi, qui vitam ejus conſignarunt, prolixius

Digitized by Google

de legislatione ejus ſcripſerunt. Vulgaris opinio eſt, ac ſi literarum fuiſſet ignarus & rudis, qui error originem & occaſionem ſumſit ex *Suida in voce Juſtinianus*: verùm ex alio ipſius loco colligi poteſt, non de eo, ſed de Juſtino locum iſtum agere, nempe in voce ἀναλφάβητος, ubi de Juſtino eadem verba habet. Oſtendit id quoque *Nicol. Alemannus in Notis ad Procopii* Ἀνέκδοτα. Scriptores de hoc Imperatore extant quam plures, inter quos etiam eſt *Procopius*, qui libros *de Bellis Juſtiniani*, & opus *de Juſtiniani ædificiis* ſcripſit: in quibus operibus eum laudat. Sed reliquit deinde ἀνέκδοτα, i. e. inedita, ſeu *Hiſtoriam arcanam*, quæ poſt reliqua ejus opera ex Bibliothecâ Vaticanâ in publicam lucem protracta eſt à *Nicol. Alemanno*, in quo libro valdè criminatur Juſtinianum. Fuerunt quidam, inter quos *Eichelius*, qui dubitarunt, eſſetne hiſtoria illa à *Procopio* ſcripta, an potius alicujus recentioris Scriptoris. Verùm hic omninò Procopii fœtus eſt. Stylus enim ipſe prorſus homogeneus eſt. Itaque alii in hujus libri auctoritatem inquiſiverunt, oſtenderuntque ab inimiciſſimo hoc opus profectum eſſe. Fuit autem *Procopius* gentili perſuaſioni deditus, unde motus eam hiſtoriam ſcripſit & verum preſſit. Hinc etiam auctoritatem hujus libri convelli poſſe, oſtendit *Thomas Rivius in Apologiâ Juſtiniani*. Præter Procopium commendandi ad ejus hiſtoriam *Agathias*, *Zonaras Tom. 3. Evagrius*, *Marcellinus Comes*, *Chronicon Alexandrinum*. Ex recentioribus *Ægidius Perinnus Armarenſis, in Vitâ Juſtiniani*, *Thomas Rivius*, *Eichelius*, *Rupertus Obſervat. ad Synopſin Beſoldi, c. 15. à pag. 54. ad 379.* qui pleraque ex *Nicolao Alemanno* deſumſit. *Giphanius* quoquè JCtus *Vitam Juſtiniani* deſcripſit, & *Franc. Guyetus* junctus cum Giphanio. *Gottfr. Arnoldus*, ut amat magnorum virorum laudes deterere, Juſtinianum hunc vadè reprehendit, cùm in cæteris, tum in religione: in ſeiner Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie *lib. 6. c. 1. p. 253. ſeqq.*

A. C. 529. BELISARIUS *contra Cabadem Perſam mittitur.* De Beliſario hoc, nobiliſſimo Duce, vide quæ notavit *Rupertus p. 576. ſeq.* Bellum contra Perſas in ſextum annum tractum eſt, in quo tribus ſucceſſivè præliis victi ſunt Perſæ. Primum commiſſum eſt in Meſopotamia, felici pro Romanis eventu; cùm vi ventorum Perſarum ſpicula, cæteraque miſſilia, in Romanos intorta, præpedirentur atque inefficacia rederentur; contra verò impetu validiore Romanorum jacula vibrarentur. Quale quid olim Theodoſio M. pugnanti adverſus Eugenium tyrannum contigit. Altero prælio in Armenia majore, & tertio ad Daram Romani victores extitere. Bellum hoc fuſè exequitur *Procopius in Perſicis.*

A. C.

Digitized by Google

A. C. 534. BELISARIVS *Africam recipit*, annis ſcil. 96. poſt occupatam à Vandalis Carthaginem, 108. poſt ingreſſum eorundem in Africam. Regnabat tum apud eos *Gilimer*, qui fratrem *Childericum* regno, & denique etiam vita exuerat. Hunc ergo aggreſſus Beliſarius, fame in poteſtatem redegit, & argenteis catenis oneratum in triumpho adduxit. Africam deinde Juſtinianus in 7. provincias, 3 conſulares, 4. prætorias diſtribuit. Vid. *Procopius de Bell. Vandal. lib. 3. Marcellin. Chron.*

A. C. 536. *Idem Romam recuperat, & poſt Vitigem capit.* Ortum hoc bellum contra Gothos, ob occiſam à Theodato Amalaſuntham, quæ ſe clientelæ Juſtiniani commiſerat. Primùm extorta Gothis Sicilia; poſtea trajecto exercitu etiam Neapolis & Roma capta, denique Vitiges (quem Gothi occiſo ob ſocordiam Theodato Regem creaverant) à Beliſario obſeſſus Ravennæ, captuſque cum urbe, & Conſtantinopolin abductus eſt. *Procopius de Bell. Goth. Jornandes de Rebus Geticis.*

A. C. 540. *Idem contra Coſroëm Perſam & ſubinde contra Totilam mittitur.* Bellum à Coſroë Perſ. Rege excitatum, captis ab eo & incendio deformatis aliquot Syriæ urbibus (quod ſub Rubrica Variorum notatur ad ann. Sec. 40. *Coſroes Perſa Syriam vaſtat*) dum interim Romani adverſus Gothos occupati ſunt, ſemel iterumque recruduit. Et Juſtinianus quidem primò pacem pecuniâ & pactione tributi annui redemerat. Sed cùm Perſæ fœdus rumperent, miſſus contra eos Beliſarius, quò minus aliquid memoratu dignum efficeret, morbo in exercitum ingruente impeditus eſt. Anno autem ſequente, Gothorum prævalentibus armis in Italiam revocatus eſt adverſus Totilam, qui Romam occupaverat. A Perſis Juſtinianus inducias redemit 5. annorum; quibus finitis reſumta arma, & Romani turpiter victi in Colchis, ignominiam eam ſeq. anno ingenti victoria expiarunt. Pax deinde Perſis petentibus data, ad mortem uſque Juſtiniani duravit. Vid. *Agathias lib. 3. & 4. Procopius in Perſicis.* De bello contra Totilam poſtea plura dicentur.

THEODORA *Auguſta obit.* Fuerat hæc muliercula ſcenica, ſed ob formam excellentiſſimam adamata à Juſtiniano, & in uxorem ducta, muliebri faſtigio multum abuſa eſt, etiam marito Imperatori imperans; qui & in ejus gratiam multas leges pro commodo ſequioris ſexûs tuliſſe dicitur. Plura de hac Theodora *Rupertus Obſerv. ad Synopſ. Beſoldi c. 15. p. 520. ſeqq. ex Giphanio.*

Globus, cui crux ſuperius infixa, pro Imperij inſigni primùm adhibitus. Auctorem hujus rei Juſtinianum Imperatorem facit, cum *Arumæo Diſcurſ. 6. ad A.B. n. 30.* & aliis quibuſdam noſtrarum Tabb. Auctor, vel potius

Interpolatores; (nam hoc in prima & genuina *Schraderi* editione non habetur) non aſſentientibus tamen viris doctis, quibus antiquior globi crucigeri uſus videtur; certè in nummis priorum Imperatorum jam comparet. *Lipſius lib. 3. de Cruce.* Ad Theodoſium referunt nonnulli, ut *Schefferus* eumque ſecutus *Loccenius.* Mos autem ille geſtandi globum cruciferum (den Reichs-Apffel) ab Orientis Imperatoribus ad Occidentales tranſiit. Vide plura de hac re in *Commentatione de S. Rom. Imperii Summis Officialibus & Subofficialibus* p. 191. ſeq. quam ſub præſidio celeberrimi *Wagenſeilii* in Academia Altorffina ad diſputandum propoſuit *Guilielmus Welſerus*, Patritius Noribergenſis.

Nunc repetemus breviter, quos hucuſque diſtulimus REGES ITALIÆ EX GOTHIS, uſque ad regni ejus finem.

A. C. 526. ATHALARICUS *ſub matris Amalaſuntha tutelâ.* Theodorico avo materno ſucceſſit adhuc puer, regni gubernacula interim tenente Amalaſunthâ, fœminâ probè literis eruditâ. Athalarico verò in adoleſcentia mortuo, ab Amalaſuntha in regnum adſcitus eſt

A. C. 534. THEODATUS (quem *Caſſiodorus lib.* 10. *Ep.* 3. Theodahatum vocat) Theodorici Veronenſis ex ſorore Amelfreda nepos, qui Amalaſuntham mores ipſius liberius increpantem, in balneo ſtrangulari juſſit. Quod factum vindicaturus Juſtinianus Imp. bellum ei intulit, perque Beliſarium Siciliam, Neapolim & ipſam Romam recepit. Theodatus igitur à Gothis necatur, & Rex factus eſt

A. C. 536. VITIGES, cum quo congreſſus ad Ravennam Beliſarius eum vicit, & captum Conſtantinopolin duxit. In regno Gothorum ſuffectus

A. C. 539. ILDIBALDUS, quem alii *Theobaldum.* vel *Theudibaldum* vocant, uno anno præfuit, trucidatus à ſuis; ejuſque ſucceſſor ERARICUS nonniſi trimeſtre regimen habuit, ſimiliter interemtus. Sed qui hunc excepit

A. C. 541. TOTILAS, aliàs Baduilla dictus, res Gothorum in Italia iterum confirmavit, victis ad Veronam Romanis, & capta Neapoli. Idem poſtea *Romam bis capit.* Et priore quidem vice fame domitam, atque à 4. Iſauris proditam, intravit, partem murorum diruit, excidio tamen abſtinuit, monitus à Beliſario, ne vel victor propria, vel victus aliena perdidiſſe diceretur. Vrbs per aliquot dies deſolata manſit; quam poſtea Beliſarius exercitum nact⸗s recuperavit, & exſtructâ pro muris dirutis munitione, eam defendere cœpit. Sed Beliſario ex Italia revocato ad bellum Perſicum, Totilas denuò ab Iſauris pro-

proditam Romam occupavit, eamque velut ſuam munivit, commeatu quoque invecto. Miſſus deinde à Juſtiniano Narſes Dux in Italiam venit, qui adſcitis in auxilium Longobardis Gothos pugna proſtravit, & pauló poſt Totilas quoque in Tuſcia prælio inferior, accepto vulnere occubuit.

A. C. 553. TEIAS deinde, quem reliquiæ Gothorum ſibi Regem conſtituerant, poſt unius anni principatum, ad Cumas gravi prælio interemtus eſt, anno belli Gothici 22. & hoc eſt ſimul illud, quod ſub rubrica Imp. Orient. extat ad ann. 552. *Narſes Totilam inde & Tejam debellat.* Atque hic eſt *Finis Regni Gothorum in Italia*; quod per 60. ferè annos tenuerunt. Petenda hæc ſunt amplius ex *Procopii de bello Gothico libris, Agathia lib.* 1. & *Jornande de rebus Geticis.*

Inter RES ECCLESIÆ notatur:

FVLGENTIVS *Ruſpenſis Epiſcopus à Thraſamundo in Sardiniam relegatur.* De hoc *Fulgentio* ejuſque ſcriptis jam aliquid diximus: inter quæ etiam III. libri extant ad hunc ipſum Thraſamundum Vandalorum Regem. Ab eo, quippe Arriano, cum 70. aliis Epiſcopis expulſus, & in Sardiniam relegatus eſt.

A. C. 518. *Tumultus Conſtantinopoli contra Anaſtaſium Imp. exortus ob triſagii hymni interpolationem.* Triſagii, i. e. hymno ſolenni; *Sancte DEVS, Sancte Fortis, Sancte Miſericors!* Anaſtaſius adjici præceperat illud Petri Gnapheos ſeu Fullonis; *qui crucifixus es pro nobis.* Cumque ea ſuſpicionem præbuiſſet, quaſi Deitatem ſentiret crucifixam, cruentæ hinc ſeditiones extitere in Vrbe Conſtantinopolitanâ, in quibus multa millia hominum perierunt; nec remedium afferri potuit, donec poſito diademate Anaſtaſius coram populo culpam deprecaretur. Memorat rem *Evagrius lib.* 3. *c.* 44. *Paul. Diaconus Hiſtor. Miſcell. lib.* 15. *c.* 11. *Niceph. Calliſt. lib.* 16. *c.* 45.

HILDERICVS *Rex Vandalorum Africanis Eccleſiis pacem dedit.* Erat hic Hildericus vel Childericus ex Eudoxia captiva, Valentiniani III. Imp. filia, natus, qui non patris Thraſamundi, (licet juramento obſtrictus ab eo morituro, ut Catholicos perſequeretur;) ſed matris Catholicæ monita ſequutus, orthodoxos ab exilio revocavit, iiſque præcepit, ut Eccleſias reformarent, ſeptuageſimo quarto anno poſtquam ab avo ejus Genſerico Arrianiſmo erant contaminatæ. Vid. *Hiſtor. Miſcell. lib.* 15. *c.* 16.

A. C. 529. ARAVSICANA SYNODVS *contra Pelagium.* Concilium hoc Arauſicanum II. (quod juxta *Poſſevini* recenſionem *Appar. Sacr. p.* 114. quartum foret, Auctor noſter ad hunc annum refert, ſequutus *Baronium*, quem vid. in *Append. ad Tom. X. Annal.* quanquam de hujus

Concilii

Digitized by Google

Concilii tempore inter Scriptores non ſatis convenit, pleriſque antiquius facientibus. Vid. omnino *D. Derſchet Diſſert. de Concilio Arauſicano II. § 9. ſeqq.* In eo potiſſimum de Gratia & Libero Arbitrio actum, & Pelagii error damnatus. Canones ejus exhibent *Magdeb. Centur. 5. Cap. 9.* & *Carantza in Summa Conciliorum p. 240.*

S. BENEDICTUS *Caſſinenſe Cœnobium condit.* Hic Benedictus Nurſinus ſub finem Seculi præcedentis, anno ætatis 14. ex ludo literario Rom. in ſolitudines abierat. Hujus verò Seculi anno 30. Caſſinenſe Cœnobium condidit: primuſque fuit, qui certis regulis & legibus monachatum adſtrinxit; teſte *Pantaleone in Chronico. Regula* autem Ordinis Benedicti 73. capitibus comprehenſa fuit, de quibus vid. *Hoſpinianus de Origine Monach. lib. 4. p. 113. ſeq.* Cœnobium Caſſinenſe religionis hujus caput eſt, cujus aureorum 40000. reditus fuere: urbibus opibuſque plurimis, ſi per tyrannorum rapinam licuiſſet, dominabatur. Regna potius, quam cœnobia Vir ſanctus poſteris reliquit, ignorans nimirum, non tam ſe pauperibus hoſpitium, aut Chriſti ſervis ad divina myſteria ſubſidium, (uti ſperabat) quam clericis ac Sacerdotibus otium ac luxuriam pariturum: quæ verba ſunt *Raphaelis Volaterrani lib. 21.* Fuit autem Caſſinum ſeu Mons Caſſinus oppidum in Campania; hodie nihil niſi monaſterium ſupereſt. Hi Monachi Benedictini paulò poſt ſe ex Italia latè diffuderunt in Galliam, Germaniam, Britanniam, Hiſpaniam. Vid. *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. Cap. 6. Sect. 1. p. 311.* & *Hoſpinianus de Orig. Templorum libr. 3 c. 5. p. 93. ſeq.* Benedicti res geſtas pleraſque conſignavit *Gregorius* in libris *Dialogorum.* Vid. *Chronicon Montis Caſſini*, quod 1603. prodiit, & hiſtoriam hujus Ordinis ab anno 542. uſque ad 1138. complectitur. Ejus libri III. priores *Leonem Oſtienſem*, quartus *Petrum Diaconum* auctorem habet.

JOHANNES PHILOPONUS *Grammaticus Alexandrinus XVIII argumenta Procli ſcripto confutat.* Fuit hic Joannes Philoponus inter celebratiſſimos Ariſtotelis Interpretes; quem alii ad Seculum præcedens referunt. Dictus Philoponus i. e. laboris amans, ob multitudinem ſcriptorum: ex quibus extant *ejus commentarius in prima analytica*; item *poſteriora analytica.* Item, *Explanatio in libros IV. Phyſicorum Ariſtotelis in libros Ariſtotelis de generatione & corruptione: in primum meteororum Ariſtotelis: Annotationes in III. Ariſtotelis libros de Anima.* Vid. *Morhoffius Polyhiſt. Philoſ. lib. 1. c. 9. n 5.* Hic Joh. Philoponus cùm multa utiliter de fidei negotio ſcriberet, poſtea tamen deſcivit non ſolùm ad Eutychianos, negando poſt duarum in Chriſto naturarum unionem, naturas adhuc diſtinguendas eſſe; ſed & reſurrectionem ejuſdem carnis inficiatus eſt, docens quòd animæ, cœleſti gloria fruituræ, nova corpora ex nihilo creanda

Digitized by Google

creanda ſint habituræ. Is verò, cujus 18. argumenta confutavit Joh. Philoponus, fuit Proclus Lycius, Philoſophus Platonicus, de quo ad ſuperius ſeculum diximus. Vid. *Voſſius de Poët. Græc. p. 79. Suidas in Lexico. Photius in Biblioth. Niceph. Calliſt. lib. 18. c. 47. ſeq.*

Sub Rubrica VARIORVM quæ continentur, hæc ſunt:

CABADES *Perſa orientalem Imperii limitem infeſtat.* Dictum ad res Imp. Orient. ubi de Anaſtaſii Imp. cum hoc Rege bello; cui hæc irruptio in limitem Imperii occaſionem dedit, ex *Procop. lib. 1. Perſ. Niceph. lib 16. c. 36. ſeq.*

A. C. 507. CLODOVEVS *Alarico Wiſegotho debellato Lutetiam regni ſedem conſtituit.* AMALARICVS *fil. in Hiſpaniam fugiens, hanc & partem Galliæ retinet.* Hic Clodoveus, de quo ad ſuperius Seculum aliquid diximus, primus ex Franciæ Regibus Chriſtianus, Alaricum II. Regem Gothorum in Hiſpania & parte Galliæ, prælio vicit prope Toloſam, & ſua manu equo dejecit; quem reſurgere conantem Franci confoderunt. Ex eo tempore Gothis parum reliqui manſit in Gallia: itaque filius ejus Amalaricus adhuc pupillus (pro quo interim tutorio nomine Theodoricus III. Rex Italiæ, avunculus Amalarici, regnum adminiſtravit, dum ipſe adoleſcens ſedem regni, quæ prius Toloſæ fuerat, conſtituit Barcinone in Catalonia, quam dictam volunt quaſi Gothalaniam. Poſt hæc Clodoveus Lutetiam regni à ſe amplificati ſedem conſtituit: quæ hodie urbs Galliæ princeps eſt. Vid. *Gregor. Turonenſis Hiſtor. Franc. lib. 2. Aimoinus lib. 1. Iſidor. in Chronico Gothorum, Jornandes in Get.*

A. C. 522. HILDERICVS *Vandalorum Rex orthodoxis benignus.* Hic Hildericus, Genſerici ex Hunerico filio nepos, matrem habebat Eudoxiam, Valentiniani III. filiam, cujus monita ſequutus, Catholicis ecclesias in Africa reſtituit, & Epiſcopos ab exilio revocavit. Vid. *Paul. Diac. Hiſtor. Miſcell. lib. 15.* At

Hildericum hunc *Vandalum regno exuit* GILIMER, (ut paulò infra ad ann. 30. notatur) ſcil. eum apud Vandalos calumniis oneravit, quaſi gentem ſuam ſimul cum tota ditione Juſtiniano prodere vellet. Itaque à Vandalis captus & necatus eſt, ſucceſſore ipſo Gilimere; quem Beliſarius Juſtiniani dux victum cepit, & Vandalorum in Africa regnum deſtruxit. Et hic eſt *Finis Regni Vandalici in Africa,* 108 annis poſt ingreſſum Vandalorum, 96. annis poſt occupatam ab illis Carthaginem, ut ſupra dictum. *Zonaras Tom. III. Iſidor. in Chron. Goth. Marcellinus in Chronico.*

Digitized by Google

A. C. 526. *Antiochia terræ motu penè omnis evertitur.* Intra biennium geminam ex terræ motu cladem ſenſit Antiochia, & vix unquam ab omni hominum memoria extitit tam grave iræ Dei in urbem aliquam exemplum. Prior hic terræmotus ad A. C. 526. omne urbis decus ſuſtulit, collapſis templis, & Euphraſio quoque urbis Epiſcopo coobruto. Anno 28. novo terræmotu concuſſa eſt, multaque iterum ædificia conciderunt, & 4870. homines ruina oppreſſi perierunt. Videantur memorabilia de his terræmotibus apud *Evagr. Hiſtor. Eccleſ. libr. 4. c. 5.* & *Cedrenum.* De alia ſimili calamitate Antiochenorum, quæ poſtea imperante Tiberio illis accidit, vid. idem *Evagrius libr. 5. c. 17.*

A. C. 529. CODEX JUSTINIANUS *publicatur.* Inter civiles curas Juſtiniani Imperii hæc præcipua fuit, ut Jus vetus per immenſa volumina ſparſum in paucos libros digereret. Ex quo inſtituto non minorem, quàm ex bellis gloriam ſibi comparavit. Quanquam non deſint, qui id carpant, *Lipſius*, *Salmaſius*, alii, etiam non è vulgo JCti, qui malè meritum eſſe de Juriſprudentia Juſtinianum autumant, quod in compendium aut velut ad Locos Communes redegerit JCtorum ſententias. *Morhoff. Polyh. Tom. 3. libr. 6. Sect. 1. n. 4.* Primùm igitur Reſcripta Principum atque leges, tribus libris comprehenſas, Gregoriano, Hermogeniano, Theodoſiano, in unum contexuit volumen, & ſub titulo *Codicis Juſtinianei* A. C. 529. *Digeſta* deinde, quæ & *Pandectarum* nomine cenſentur, quadriennio pòſt, i. e. A. C. 533. promulgavit, in quibus ſcil. ex Veterum Sapientum ſcriptis collectos Legum centones pulchrè digeſſit. Et jam eodem anno *Inſtitutiones* quoque *Juris* ediderat. In his omnibus colligendis operâ uſus eſt cùm aliorum, qui paſſim nominantur, tum præſertim Triboniani. Acceſſit denique opus peculiare *Novellarum Conſtitutionum*, quod per omnia Juſtiniani nomen ac titulum præfert. Inſtituit præterea Juſtinianus tria Gymnaſia, in quibus doceretur illud Jus, Romæ, Conſtantinopoli & Beryti in Syria. Sed de his præter veteres rerum Juſtiniani Scriptores, *Procopium*, *Agathiam* &c. & *Præfat. Codicis*, videatur omnino *Gipphanius* JC. *in Vita Juſtiniani*, qui eâ de re præ cæteris accuratè agit. Item. *Franc. Balduini Juſtinianus ſeu libri 4. commentariorum de Jure novo.* quo libro pertexit hiſtoriam omnium illarum conſtitutionum, quæ à Juſtiniano ſunt conceptæ.

A. C. 540. COSROES *Perſa Syriam vaſtat.* Dictum ſupra ſub Rebus Imp. Orient. ex *Agathiæ libr. 3. & 4.* & *Procop. Perſic. 2.*

A. C. 548. *Berytus Phœniciæ ſtudiorum mater terræmotu evertitur.* Beryti tum temporis Schola erat Juriſperitorum, à Juſtiniano inſtituta,

tuta, ut paulò ante monui. Sed urbe terræmotu vaſtatâ, Doctores Sidonem conceſſerunt. *Sethus Calviſius ad A. C. 555. ex Agathia.*

VIRI CELEBRES hoc ſeculo floruerunt,

SYMMACHVS & BOETHIVS. Placet enim hos conjungere, ſocerum ſcil. & generum: nam Symmàchi filiam nomine Ruſticanam Boethius in matrimonio habebat. Symmachus patritius, Senator & Conſularis fuit, magnæque vir auctoritatis ſub Theodorico Veronenſi, Rege Italiæ; diſtinguendus à Symmacho præfecto Vrbis, homine gentili, qui ſub finem Seculi quarti floruit. Hujus gener Severinus *Boëthius*, & ipſe Senator & Conſularis fuit, vir magnæ eruditionis, judice *Caſp. Barthio Adverſ. lib.* 17. *c.* 13. Ejus ingenium neque ante ſe multos, neque poſt ſe aliquem toto Rom. Imperii tempore habuit ſimilem. De illuſtri ejus genere & operibus, quæ ſcripſit in Logicis, Rhetoricis, Arithmeticis, Muſicis, Geometricis, Metaphyſicis, Mechanicis, videatur Præfatio P. Bertii, quæ præmittitur editioni Variorum Operis *de Conſolatione Philoſophiæ*, quæ prodiit Lugd. Bat. ex officina Hackianâ 1671. Libri illi *de Conſolatione Philoſophiæ* pulcherrimi ſunt, partim proſâ partim carminè concepti, & hodie in omnes propemodum linguas translati habentur. Scripſit illos, cùm Ticini in cuſtodia èſſet, quò illum Theodoricus relegaverat: qui tandem ipſum unà cum ſocero Symmacho interfecit, ob ſuſpicionem affectatæ libertatis: quanquam alii hanc quoque cauſam fuiſſe aſſerunt, quòd in Arrianos invectus eſſet, quorum labe Theodoricus Rex erat inquinatus. Memorant, Theodorico poſt occiſos Symmachum & Boëthium cœnanti, cùm eſſet caput piſcis oblatum, horrendam in illo viſam Symmachi faciem, quæ ſibi torvis oculis minaretur; quo aſpectu adeò conterritus ſit Rex, ut in ardentiſſimam febrim incidens, paulò poſt expiraverit. Vid. *Paul. Diaconus*, *Procopius* & *Caſſiodorus*, inprimis etiam hujus elegantiſſima epiſtola, quam Boëthio inſcribit, quæ eſt libri I. *Variarum Epiſt.* 45. de Boëthio vid. etiam *Voſſium de Poet. Latin. c.* 5. *p.* 63. *Fabricius Biblioth. Latin. p.* 210. ubi de variis ejus Scriptis, & eorum editionibus. Add. *Arnold. in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 6. *c.* 3. *p.* 267.

FERRANDVS *Diaconus* Carthaginenſis fuit, & ſcripſit *Paræneticum ad Reginum Comitem*, qui extat in Bibl. PP. Tom. V. editionis ſecundæ. Scripſit etiam *Epiſtolas*, quæ extant Romæ impreſſæ; & *Compendium Sacrorum Canonum. Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 504. *p.* 162. *Arnold. d. l. p.* 65.

HESYCHIUS MILESIUS cogn. Illuſtris, quod Græci ſua linguâ efferebant Ἰλλάστριος, ut Nobilis Νωβίλιος &c. Scripſit exiguum libellum *de iis qui eruditione floruerunt*; quem Hadrianus Junius in linguam Lat. vertit, & breves aliquas notas addidit; quod poſtea fecit & Meurſius: qui & primus libellum ejuſdem *Heſychii de rebus patriis Conſtantinopoleos* ex Bibliotheca Palatina in lucem produxit. Plura de eo *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr. 2. c. 22. p. 268. Jonſ. Hiſtor. Philoſ. libr. 3. c. 19. Hanck. de Script. rerum Byzant. Part. 1. c. 4. p. 149. Guil. Cave Hiſtor. Liter. Script. Eccleſ. Part. 2. p. 108.*

NONUS *Panopolita*, Ægyptius, cujus habemus *Dionyſiacῶν* libros 48. Græco carmine heroico ſcriptos, & *Paraphraſin Evangelii ſecundùm Johannem.* De ætate ejus vid. *Voſſius de Poet Græc. p. 79.*

AVITUS ALCIMUS Epiſcopus Viennenſis fuit, quem Hormiſdas Papa Vicarium in Galliis conſtituit. Ejus ſuperſunt *in Geneſin & Exodum* libri V. verſu hexametro ſcripti; ut & liber *de caſtitate ad Sororem.* Extat etiam in proſa ejus *Homilia de Feſto Rogationum*, & primâ ejus inſtitutione. Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ ad ann. 520. p. 163. Voſſius de Poet. Latin. c. 5. p. 63. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 6. c. 3. p. 265.*

DIONYSIUS EXIGUUS *æræ Chriſtianæ conditor.* Hic Dionyſius Monachus ſeu Abbas Romanus fuit, ſed natione Scytha; qui, cùm hactenus in Imperio Rom. iiſque provinciis, quæ olim ad illud pertinebant, vel Conſulibus notarentur anni (ultimum autem Conſulatum Romæ geſſit Fl. Baſilius ſine collega A. C. 541.) vel ab æra Diocletiani numerarentur, convenientius hoc Chriſtianis eſſe ratus, in cyclo Paſchali, quem confecit, à nativitate Chriſti numerare docuit: quæ hinc Æra Dionyſiana vocatur, quâque adhuc utimur. Quanquam ipſum hujus æræ auctorem eſſe, in dubium vocat *Wilh. Langius de Annis Chriſti libr. 1. c. 1.* Ab eo ergo tempore hæc Epocha publicè recepta eſt: etſi in eâ terminum à quo biennio vel ad minimum uno anno ſerius poſitum eſſe, peritiſſimi Chronologorum putant, *Scaliger libr. 6. de Emend. Temp. Tit. de Natali Chriſti*, & hunc ſequutus *Calviſius. Chronol. c. 76.* aliique. Plura de hoc Dionyſio petantur ex *Caſſiodori de divinis Lectionibus cap. 23. Voſſius de Hiſtoricis Latin. libr. 2. c. 19. p. 239. Bellarm. de Scriptor. Eccleſ. ad ann. 525. p. 164. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 6. c. 3. p. 265.*

JOANNES MAXENTIUS, Monachus, & ut creditur, Presbyter Antiochenus, ſcripſit multa ad fidem pertinentia, quæ extant in Tomo IV. Bibl. PP. Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. p 163. ad ann. 520.*

MARCELLINUS *Comes* Illyricianus, auctor *Chronici*, quod deduxit à temporibus Valentis uſque ad quartum Conſulatum Juſtiniani,

i. e.

Digitized by Google

i. e. Chriſti annum 534. Vid. de eo *Caſſiodor. divin. Lect. c.17. & 25. Voſſius de Hiſtor. Latin. lib. 2. c. 19. Neuius Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. p. 156.*

CASSIODORVS, ſeu Magnus Aurelius Caſſiodorus, jam ante quidem floruit ſub Anaſtaſio, & conſul fuit anno 514. Sed poſtea quoque celebrior factus, & à Theodorico Veronenſi inter Patritios allectus, ejus Conſiliarius fuit. Scripſit *Chronicon* breve ab orbe condito ad hunc uſque Theodoricum: de quo vide quid judicet *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 19. p. 238.* ſunt etiam ejus *Variarum Epiſtolarum libri 52. Divinarum Lectionum libri 2. Commentaria in Pſalmos & Canticum Canticorum*: item *libri 12. de Rebus geſtis Gothorum*; qui quidem ipſi non amplius extant. Eos verò *Jornandes* in epitomen redegit, quæ ſupereſt. Edidit & Caſſiodorus *Hiſtoriam tripartitam*, jam Monachus factus, quam ex *Socrate, Sozomeno* & *Theodoreto* collegit. Præterea jam nonagenario major libellum *de Orthographia* ſcripſit. Plura de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 19. p. 237. Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann. 530. p. 65. Morhoff. Polyh. liter. libr. 4. c. 14. n. 24.* & præſertim *Fabric. Biblioth. Latin. p. 206.* qui omnia ejus opera recenſet. Add. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. p. 156. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 6. c. 3. p. 267.*

EPIPHANIVS *Scholaſticus* eſt is, qui *Socratis, Sozomeni* & *Theodoreti Hiſtoriam Eccleſ.* Latinè vertit, unde poſtea *Caſſiodorus Hiſtoriam Tripartitam* confecit: ipſo teſte in *præf. Hiſtor. Tripart.* & *Sigeberto in Catal. c. 12.* de ætate ejus vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 19. p. 237.*

ANASTASIVS SINAITA Epiſcopus Antiochenus fuit; de quo vid. *Evagr. lib. 4. c. 39.* Ex multis quæ ſcripſit, extat tantùm ejus ὁδηγὸς *contra Acephalos*; item *Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron* libri II. & *de Fidei dogmatibus* libri V. *Bellarm. de Scriptor. Eccleſ. ad ann. 544. p. 166.*

ARATOR Subdiaconus S. R. E. ſcripſit II. libros *Carminum*, quibus Acta Apoſtolorum complexus eſt. Eos libros Vigilio Papæ obtulit, & publicè, eodem Papa annuente, recitavit. Extant in Bibliotheca PP. Tomo VIII. *Bellarm. l. c.* De ætate ejus *Voſſius de Poet. Latin p. 65.*

PROCOPIVS Cæſarienſis, Rhetor, ſcripſit *Hiſtoriarum* libros VIII. quorum duo primi ſunt *de Bello Perſico*; duo ſequentes *de Bello Vandalico*; quorum omnium σύνοψιν exhibet *Agathias in præf.* de quo paulò pòſt. His IIX. libris nonum poſtea addidit *Procopius*, eumque, quia res continebat ante ineditas, ἀνέκδοτα appellavit, in quibus invehitur in Juſtinianum. Ea ἀνέκδοτα primus edidit *Nicol. Alemannus*, & notis hiſtoricis

ſtoricis illuſtravit, in quibus fidem Procopii ſtabilire nititur. Sed contra hunc defenſionem Juſtiniani ſuſcepit *Thomas Rivius*, Advocatus Regis Angliæ, & *Joh. Eichelius*, Profeſſor Helmſtadienſis: quod ipſum agit etiam *Rupertus ad Synopſin Beſoldi*. Vid. de Procopio *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr. 2. c.22. p.269. Whear. Relect. Hiem. Part. 1 Sect. 24. p.93.* & *Neu in Acceſſ. pag.161. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 6. c. 3. p. 267. ſeq.* ubi præſertim diſquirit, an Chriſtianus fuerit Procopius.

PRISCIANVS patriâ Cæſarienſis, celebris fuit Grammaticus, & ſcripſit multa ad artem Grammaticam pertinentia, quæ ſimul edita, & à *Putſchio* etiam in corpus veterum Grammaticorum relata ſunt. Vid. *Geſnerus in Biblioth. Fabricius Biblioth. Latin. Append. p. 89.*

AGATHIAS Scholaſticus dictus, ſcripſit libros V. *de Imperio & rebus geſtis Juſtiniani*, exorſus ubi Procopius deſinit. Præterea *Epigrammata* multa, quæ in *Anthologia* continentur. Scripſiſſe etiam carmine *Daphniaca* tum ipſe indicat in præfatione Hiſtoriæ ſuæ, tum *Suidas* teſtatur. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.2. c.22. p.270. Neuius in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. p.164.*

MARINVS *Neapolitanus*, ex urbe Samariæ Neapoli, Procli diſcipulus & in ſchola ſucceſſor, fuit Philoſophus & Rhetor ſuo tempore clariſſimus. Præceptoris ſui vitam proſa & verſibus ſcripſit: de quo vid. *Suidas*. *Vitam Procli* in proſa ſcriptam *à Marino*, cum pars tantùm ejus hactenus extitiſſet, integram edidit Hamburgi 1700. *D. Jo. Albert. Fabricius*, cujus *ibidem Prolegomena* vide.

AMMONIVS Hermeas Philoſophus fuit, & inter commentatores Ariſtotelis: cujus & vitam ab Ammonio ſcriptam habemus, editam cum copioſis & eruditis ſcholiis à *Petro Joanne Nunneſio*. Scripſit hic Ammonius *commentarios in Ariſtotelis Categorias & de Interpretatione*: item *in Porphyrii librum de V. vocibus. Suidas in Hermea. Jonſius de Script. Hiſtor. Philoſoph.*

TRIBONIANVS JCtus fuit & Quæſtor, cujus opera uſus eſt Juſtinianus in colligendis Pandectis & Codice, ut ſupra diximus; ſummaque Imperatoris gratiâ floruit. Nonnulli eum arguunt fuiſſe avarum, & pretio fixiſſe leges ac refixiſſe. Certè laudatur ab his, culpatur ab illis. Vid. *Suidas in voce Tribonianus*: *Procopius lib. 1. de bello Perſ.* Add. *Alciat. Diſpunct. lib. 4. c 7. Eichel. Animadverſ. ad* Ἀνέκδοτα *Procopii, p.279. ſeq. Bernandinus Rutilius in Vitis JCtorum veterum p.174.*

DAMASCIVS DAMASCENVS, Philoſophus fuit, qui, teſte *Photii Biblioth. Cod.* 130. reliquit IV. libros Παραδόξων. Vid. eundem *Phot. Cod.* 180. *Voſſium de Hiſtor. Græc. lib. 2. c. 22. p. 272.*

VIGILIVS

Digitized by Google

Vigilius ſcripſit libros V. contra Neſtorium & Euphratem, pro defenſione Epiſtolæ S. Leonis, & Concilii Chalcedonenſis. Vid. *Bellarmin. de Script. Eccleſ. p. 160. ad ann. 495.*

Jornandes, quem *Sigebertus* Jordanum vocat, Gothus natione & Epiſcopus Ravennæ fuit. Ejus habemus librum *de Rebus Geticis*, quo complexus eſt, quæ *Caſſiodorus* fusè erat perſequutus libris XII. ejuſdem argumenti. Scripſit & *librum de regnorum & temporum ſucceſſione*, in quo res à Romulo uſque ad Auguſtum, potiſſimum ex *Floro* excerpſit. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 20. Whear. Relect. Hiem. Part. 1. Sect. 24. pag. 95. & Neu in Acceſſ. p. 160.*

In altera parte Tabulæ, poſt finem regni Gothici in Italia notatur:

A. C. 568. Alboinus *Longobardorum Rex Italiam invadit*, invitatus à Narſete; quem Juſtinus Imp. Juſtiniani nepos, ex Italia revocaverat, Sophia verò conjux ejus etiam contumeliis irritaverat; ſcribens ei, ut domum rediret, ad penſa in gynecæo abſolvenda: quibus verbis ei exprobabat, quod eunuchus eſſet. At ille reſcripſit; ſe talem telam exorſurum, quam nec ipſa, nec Imperator ipſius maritus retexere poſſet. Itaque vindictæ cupidus, Alboinum cum Longobardis vocavit in Italiam. Alboinus ergo accepta conditione, occupataque primo impetu Gallia Ciſalpina, Longobardiæ ei nomen intulit, quæ hodie corruptè Lombardia vocatur; & poſt Mediolani expugnationem à ſuis Rex Italiæ ſalutatus eſt. Ticinum deinde toto triennio & 6. menſibus obſeſſam tandem cepit, regnique ibi ſedem conſtituit: cui deinde Papiæ nomen inditum. Ipſe quarto regni anno fraude conjugis Roſimundæ occiſus eſt ab Helmige & Peredeo ducibus. Quam hiſtoriam ſanè memorabilem cum cæteris Alboini rebus vide apud Scriptorem proprium *Paulum Diaconum lib. 2. de Geſtis Longob.* Add. *Sigon. de Regno Italiæ libr. 1. p. 8.*

A. C. 574. Clepho nobiliſſimus ex Longobardis, poſt necem Alboini à popularibus Rex electus, multos Romanorum potentia aut natalibus claros gladio aut exiliis punivit, & ipſe, poſt 18. menſium regimen, à puero ex familia occiſus eſt. *Paul. Diac. de Geſtis Longob. lib. 2. c. 17. Sigonius de Regno Italiæ libr. 1. p. 9.*

Interregnum decenne. Nimirum poſt Clephi vel Clephonis mortem Longobardi, ut quondam habuerant, duces iterum pro Regibus ſibi crearunt, qui ſinguli ſingulis civitatibus præeſſent. Hi non tantum Italiam latè ſubegerunt, ſed & in Galliam excurrendo, multas ei in-

ei intulerunt clades, & viciſſim receperunt. *Paul. Diac. de Geſt. Longob. libr.* 2. *c.* 18. *& libr.* 3. *cap.* 1. *ſeqq. Sigon. de Regno Italiæ libr.* 1. *p.* 9. *ſeqq.*

A. C. 585. AVTHARIS Clephonis filius, quem alii Autharit vocant, Romano prænomine adſcito Flavius dictus, Theodelindam Bajoariæ Regis filiam uxorem duxit. Primus Longobardorum Rex Chriſtianam fidem recepit; ſed Arrianiſmo tamen infectam. Cum Childeberto Francorum Rege, quem Mauritius Imp. contra eum conduxerat, bellum varia fortuna geſſit. Sub eo Italia diluvio inundata, & peſtilentia ingenti vexata fuit. Autharis ipſe veneno accepto periit. *Paul. Diac. de Geſt. Longob. libr.* 3. *Aimoinus libr.* 3. *c.* 35. 37. *Sigebert. Chron. Sigon. de Regno Ital. libr.* 1. *p.* 12.

A. C. 591. AGILVLFVS deinde à Theodelinda vidua, cui optionem permiſerant Longobardi, electus in maritum & Regem, cùm prius Taurinatium dux fuiſſet, in diuturno imperio bella multa cum Romanis Exarchis geſſit, donec tandem adnitente potiſſimum Gregorio M. Pontifice pax facta Italiam recreavit. Sub eo quoque Caganus, i. e. Avarum Rex cum ingenti multitudine incurſans Longobardiam, Forojulium proditione Romildæ, quæ Giſulphi ducis Longobardi conjux erat, cepit. Theodelinda à Gregorio M. informata perſuaſit etiam marito, ut abdicato Arrianiſmo ad Catholicam religionem accederet. Sed plura de hoc Rege ſatis celebri apud *Paul. Diac. libri.* 3. *fin.* & *lib.* 4. *Sigon. de Regno Italia libr.* 1. *p.* 19. *ſeqq. & libr.* 2. *princ.*

Nunc reliquos in hoc Seculo IMPERATORES ORIENTIS enarrabimus.

Juſtinianum anno 575. mortuum excepit

JVSTINVS II. *à bello alienus, legum amans & juſtitiæ.* Hæc enim ei adjungit elogia Tab. noſtra. Fuit Juſtiniani ex Pignoliza ſorore (alii Vigilantiam vocant) nepos. In gerendo bello improvidus & ignavus fuit, pacemque cum Avaribus & Perſis, magno cum reip. damno, ſolvit. Vt uxor ejus Sophia Narſetem eunuchum contumelia irritaverit, à quo deinde Longobardi in Italiam invitati, ejus magnam partem occupaverint, ſupra dictum, ubi de Alboino. Juſtinus alioquin juſtitiæ & legum amans, in civilibus laudabilior fuit. Inſigne hujus rei exemplum refert è *Cedreno Petav. Part.* 1. *Ration. Temp. libr.* 7. *c.* 9. De initio ejus conſulendus *P. Diacon. Hiſtor. Miſc. libr.* 16. *c.* 9. de morte *Idem libr.* 16. *c.* 35. In morte memorandum venit teſtamentum ejus, de quo *Zonaras Tom.* 3. in quo Tiberium ſucceſſorem nominavit. Obiit autem anno imperii 14. nondum completo. Scriptores

Digitized by Google

ptores præter jam nominatos ſunt *Evagrius, Marcellinus Comes, Chronicon Alexandrinum*: quibus add. *Rupertus p. 580. ſeqq.*

A.C. 578. TIBERIUS II. *Princeps lenis, juſtus, munificus, Pius.* Hic Curopalates fuerat ſub Juſtino, & ab eo adoptatus & Cæſar factus, adhuc 4. annos cum ipſo imperavit. Rationem adoptionis deſignat *Paul. Diac. lib. 17. c. 1.* Fuit natione Thrax, Perſas duce Mauritio feliciter repreſſit, & Narſetis Theſauros invenit. Munificentia ejus in pauperes inſignis fuit; quam cùm Sophia Aug. tanquam prodigalitatem reprehenderet, ille non defuturum dixit fiſco pecuniam, quoad ipſe Chriſti ſequutus præcepta, in cœlo theſauros colligeret, egenorum defectibus ſuccurrendo. Cùm deinde tabulam marmoream cruce inſignitam, ne pedibus conculcaretur, tolli de pavimento juſſiſſet, defoſſa invenit multa auri talenta. Solus imperavit per annos ferè 4. De morte ejus vid. *Hiſtor. Miſcell* 17, 6. ubi ei tribuuntur anni imperii 6. menſes 10. dies 8. *Zonaras* tamen eum annos 4. imperaſſe dicit, in menſibus & diebus convenit. Scriptores reliqui ſupra laudati; quibus tamen addendus nunc eſt *Theophylactus Simocatta*, qui in rebus Perſicis illorum temporum multa nobis reſervavit. Nominatim conſulatur *Evagrius libr. 5. c. 13. ſeqq.* & *Paul. Diaconus de Geſt. Longobard. libr. 3. c. 11. 12. Nicephorus libr. 18. c. 1. ſeqq. Cedrenus p. 322. ſeq.* ex recentioribus *Rupertus p. 582. ſeq.*

A.C. 582. MAURITIUS *Cappadox virtutes reliquas labe avaritiæ deformavit.* Hic gener Tiberii fuit, & jam ab eo vivo Cæſar, & mox Auguſtus creatus, mortuo ſucceſſit. Virtute & peritia rei militaris conſpicuus fuit, cujus ille jam ante principatum documenta dedit adverſus Perſas. Imperatorem factum excepit iterum

Bellum Perſicum, ab Hormiſda Rege motum: contra quem Philippicus primùm Mauritii gener miſſus, rem feliciter geſſit. Poſt dejectum regno Hormiſdam, cùm Coſroes filius voluntate popularium ſucceſſiſſet, etiam hic, invaleſcente Baræ ducis factione, à ſuis deſertus ad Mauritium confugit, à quo adoptatus, & victo Bara in regnum reſtitutus eſt. Hinc pax in Oriente fuit.

Bellum Avaricum non minus grave motum eſt à Cagano, occupata Sirmio. Cùm deinde ad 80000. auri, quæ quotannis à Rom. accipiebant Avares alia 20000. addi poſtularent, impetrarunt primùm. Sed cùm paulò poſt alia rurſus 20000. exigerent, negatum eſt. In eo bello multæ Illyrici urbes ab Avaribus captæ, & acceptæ illatæque clades. Multa quoque millia militum ab Avaribus ſeu Bulgaris capta, cùm exigua pecunia redimere nollet Mauritius, omnes à Cagano occidione occiſi ſunt. Mauritius verò & ob hoc, & ob ſtipendium imminu-

Digitized by Google

minutum militibus inviſus, paulò poſt iratum avaritiæ ſuæ DEVM ſenſit. Phocas enim contra eum ab exercitu Imperator ſalutatus eſt: ipſe verò cum tota domo interfectus. Forti tamen animo tulit hanc calamitatem, proferens illud divini Pſaltis: *Juſtus es, Domine, & recta ſunt judicia tua.* Nec admiſit piam fraudem nutricis, quæ occultato filiolo ejus natu minimo, ſuum pro illo ſubjiciebat: & occiſus infans omnium lachrymas movit. Theodoſius quoque ejus filius, qui jam Imperator factus erat à Patre, morienti comes ivit. Memorabile eſt ſomnium ejus, quod narrat *Zonaras Tom.* 3 ſi modò ei fides habenda. Præter hunc de rebus Mauritii conſulenda *Hiſtor. Miſcell. libr.*17. *Evagrius libr.* 6. *Nicephorus libr.* 18. &, qui præcipuè hujus Imperatoris geſta conſignavit, *Theophylactus Simocatta libris* 8.

Inter RES ECCLESIÆ poſteriore parte hujus Seculi memoranda venit ad

A. C. 553. Synodus Constantinopolitana II. *Oecumenica quinta, Theodori Mopſveſteni libros, Ibæ Edeſſeni Epiſtolam & Theodoreti commentarium contra Cyrilli Anathematiſmos damnat.* Poſtquam Eutychiani damnati ſunt, fautores Neſtorianiſmi viciſſe ſe putantes Theodori Mopſveſteni, Theodoreti & Ibæ illa ſcripta in medium reduxerunt. Itaque de tribus Capitulis (ſic vocabantur illa ſcripta de quibus vid. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ & Hæret. lib.* 6. *c.* 5. *p* 273.) exorta inter Catholicos diſputatio, occaſionem dedit Juſtiniano Imp. ut adſcitis in conſilium Epiſcopis, illa tria Capitula examinaret: quæ cùm à pluribus improbarentur, ſua quoque ſententia damnavit: conſentiente damnationi Vigilio Papa, qui tùm Conſtantinopoli erat. Multis tamen Epiſcoporum contradicentibus, etiam Vigilius aſſenſum ſuum revocavit, & Imperatorem permovit, ut Synodum Conſtantinopoli agendam indiceret A. C. 553. In eâ convenerunt ex Orientalibus maximè 165. Epiſcopi, à quibus octo inſtitutis collationibus, tria illa Capitula damnata ſunt. Lata etiam ſententia eſt contra Didymum & Evagrium, Origenis dogmatum Sectatores. Vigilius licet Conſtantinopoli præſens, in Synodum tamen venire conſtanter recuſavit, varia quidem prætexens, revera autem, quòd, quem ambiebat, primum in Synodo locum obtinere non potuit. Contradixit etiam damnationi Capitulorum, eumque ſequuti ſunt Epiſcopi quidam Africani & Illyriciani: unde factum, ut multi unà cum Vigilio ipſo in exilium à Juſtiniano ejecti ſint. Vid. *Acta Synodi V.* Item, *Evagrius libr.* 4. *c.* 37. *Anaſtaſius Bibliothecarius. Nicephorus libr.*17. ex recentioribus *Cent. Magd. Cent.* 6. *cap.* 9.

Spon-

Digitized by Google

Spondanus ad ann. 553. qui tamen cautè legendus; & *Arnoldus Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 6. *c.* 4. *p.* 268.

A. C. 591. GREGORIVS M. *eligitur Papa*, primus hujus nominis, qui quidem electus, literas ad Mauritium Imp. dedit, rogans, ne electioni ſuæ conſentiret. Sed ſubſtitutis à Præfecto Vrbis epiſtolis, quibus confirmatio electionis petebatur, invito honor eſt impoſitus. Hic Papa vel ſanctitate vitæ, vel diligentia in rebus agendis, vel doctrina etiam, neminem ætate ſua ſuperiorem, atque ita non ſine cauſa Magni cognomen habuit. *Vitam Gregorii M.* ſcripſit *Paulus Diaconus*, qui etiam electionis ejus meminit *libr.* 13. *de Geſt. Longob. c.* 11. Add. *Evagrius lib.* 4. Scripta ejus recenſet *Bellarminus p.* 196. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 23. *Arnoldus libr.* 6 *c.* 3. *p.* 268.

A. C. 596. *In Britannia Picti à Columbano, Anglo-Saxones ab Auguſtino Monacho docentur fidem Chriſtianam.* Britanni quidem jamdudum Chriſtianiſmum receperant; ſed poſtquam gens Anglorum Imperium Inſulæ invaſit, gentiliſmus, cui & veteres incolæ, Picti Scotique, magnam partem adhuc erant addicti, Britannicas eccleſias vaſtavit, quanquam multi interim Anglorum Chriſtiani fuerunt. Hac verò tempeſtate Columbanus, qui etiam Bojos convertit, ad Pictos profectus, illis perſuaſit, ut fidem Chriſtianam reciperent: & Auguſtinus quidam Monachus Benedictinus cum Sociis miſſus à Gregorio M. Papa in Inſulam, & ab Ethelberto Rege Angliæ ſuſceptus, Evangelium quidem gentilibus prædicavit eo cum ſucceſſu, ut ſequenti anno in feſto Nativitatis Chriſti ad 10000. Anglorum ſint baptizati. Sed cum ad Romanos ritus arctius adſtringerentur, libertatem eccleſiaſticam pertinaciter defendentes Ethelbertus Rex, inſtigante Auguſtino, bello compeſcuit. Legendus hac de re *Beda Hiſtor. Anglic. libr.* 1. *Vſſerius Armachanus in Antiq. Eccleſiarum Britannicarum. Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 6. *c.* 1. *p.* 251.

In VARIIS notatur:

Monachi translatu ex India bombycum ovis ſerici conficiendi rationem docent Europæos. Occaſionem præbuit David ſeu Adad Axumitarum Indorum Rex, qui cùm viciſſet Homeritas, ex voto Chriſtianiſmum ſuſcepit, Epiſcopumque Conſtantinopoli petivit. Cum eo Monachi in Indiam profecti; quorum duo poſtea allatis inde bombycum ovis, monſtrataque vermium generatione, Romanos docuerunt telam ſericam texere. Nam antea Serica veſtis à Perſicis mercatoribus adferebatur, ignorantibus Romanis, vermium telam eſſe, qua tantum hæc mortalitas inſoleſcit. Vid. *Cedrenus* & *Nicephorus libr.* 17. *c.* 32. *Zonaras*

Tom. 3. *ex Procopio. Photius Cod.* 64. *Excerpt. ex Theophane,* quæ habentur etiam in *Excerptis Legationum Labbei.* Dicit autem *Theophanes* hic, à Perſa quodam ex Serum Regione profecto didiciſſe Græcos pariter & Romanos bombycum ortum & texendi artificium. *Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *cap.* 22.

A. C. 558. HUNNI *Thraciam vaſtantes à Beliſario reprimuntur.* Eos Zaberga in Peloponneſum & Græciam immiſerat, ſed Imperator illis oppoſuit Beliſarium, quanquam jàm ſenem & incurvum, qui tamen ſtrenuè hoſtes repulit. *Agathias libr.* 5.

NARSES *ab Imperatrice contumelioſè ad colum revocatus Longobardos in Italiam vocat.* (Etiam hoc non extat in prima editione Tabb. noſtrarum.) Narſes hic fortiſſimus Dux, & liberator Italiæ, ſed eunuchus erat. Eum Juſtinus II. Imp. à Romanis, quòd gravior ipſis eſſet dominus, quàm Gothi, literis revocaverât ex Italia, quibus inſignem contumeliam adjecit Sophia Imperatrix, ſibi ſemiviro in gynecæo opus eſſe: illic ad colum inter nentes jura daturum, & penſa in quaſillos diviſurum. His Narſes vehementer irritatus, exordiar ſanè telam, inquit, quam nulla Penelope, nec quicquid eſt uſquam muliebrium Sophiarum, retexere poſſit. Itaque Alboinum Longobardorum Regem è Pannonia evocavit, ut Italiam, quam ipſe felicibus armis à Gothis vindicaverat, occuparent. Narrat *Paul. Diaconus de Geſt. Longob. libr.* 2. *c.* 5. Sed *Conſtantinus Porphyrogennetus de adminiſtrando imperio cap* 28. paulò aliter refert, & ipſam Auguſtam non Sophiam, ſed Irenen vocat.

Longobardis in Italia dominantibus Ravennam tenent EXARCHI. Exarchi dignitatem inſtituit Juſtinus II. quam primus tenuit Longinus, in Narſetis locum in Italiam miſſus. Exarchi autem hi vices Imperatoris in Italia ſuſtinebant, ſedeſque eorum erat Ravennæ. Duravit hic exarchatus annos 183. uſque ad A. C. 750. quo Aiſtulphus Rex Longob. Ravennam expugnavit, & Græcos hac quoque parte Italiæ exuit. Vid. *Eryc. Puteanus libr.* 12. *Hiſtor. Inſubr.* p. 110. *Sigonius libr.* 1. *de Regno Ital.* Item, *Ægid. Strauchius in Hiſtoria Exarchatus.*

A. C. 547. ALBOINUS *fraude uxoris Roſimundæ perit, quæ coacta ab ipſo ex ſui patris bibere cranio.* (Poſtrema verba ſunt ab interpolatore) Alboinus, qui primus ex Longobardis in Italia regnum conſtituit, Gepidarum Regem Cunimundum in prælio occiderat, filiam verò ejus Roſimundam uxorem duxerat. Poſtea cùm ſolenne convivium celebraret Veronæ in Italia, pateram, quam ex prædicti Cunimundi cranio fieri fecerat, proferri juſſit, & cùm ducibus præſentibus, tum etiam Reginæ propinavit, jubens ut cum patre læta biberet. Adeò excanduit ad hæc verba impotens mulier, ut ſtatim vindictam ſpirans, de

occi-

occidendo marito Alboino conſilia iniret; quæ cùm Helmigi & Peredeo Ducibus fortiſſimis communicaſſet, per eoſdem executa eſt; Alboino intra cubiculum ſuum cæſo. Ipſi parricidæ ablatis ſecum theſauris fugientes, ad Longinum Exarchum venerunt. Brevi tamen omnes ſceleris ſui pœnas dederunt. Extat hiſtoria memorabilis apud *Paul. Diaconum libr. 2. de Geſt. Longob. cap. 14. & Sigon. de Regn.* [illegible] *libr. 1.*

Hoc tempore deſitum Romæ Latinè loqui. (Hoc lemma iterum non à Schradero eſt, ſed ab alio adjectum.) Non tamen ſubitò, ſed paulatim hoc factum eſſe, credibile eſt, diuturno cum barbaris gentibus commercio, quæ Italiam ipſamque adeò Romam occupaverant, Linguam Latinam corrumpente: cujus uſus non ſimul & ſemel ſublatus, ſed ſubinde magis exolevit, & hæc quæ nunc eſt Italica lingua ſuccrevit.

A. C. 591. HORMISDÆ *Perſarum Regi in carcerem detruſo ſurrogatur* COSROES II. Cùm Hormiſda ducem ſuum Baram, poſt expugnatos Turcos, & ſtipendiarios ſibi factos, in Lazicam & Colchidem ablegaſſet, eumque ibi Romanus, Mauricii Imp. Prætor, gravi affeciſſet clade, veſtem Baræ muliebrem ludibrii cauſa miſit, eumque ducatu privavit. Hac contumelia Baras irritatus, conciliatis ſibi militibus, Hormiſdam capit, & in vincula conjicit convocatoque Perſarum Senatu, Hormiſdam ob crudelitatem & mota temerè bella indignum regno pronuntiat; & Coſroem filium, occiſo altero, quem ipſe ſibi ſucceſſorem deſtinaverat, Regem conſtituit, à quo pater captivus primùm benignè habitus, poſtea tamen occiſus eſt. *Hiſtor. Miſcell. libr. 2. c. 19. Agathias libr. 4.*

Inter VIROS CELEBRES nominatur

GILDAS SAPIENS: Anglus Monachus & Abbas fuit Bannochorenſis Cœnobii, cujus habemus libellum *de Excidio Britanniæ*: item *Reprehenſionem acrem in Britanniæ Clerum.* Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 159.* qui tamen eum antiquiorem facit, ad A. C. 495. referens, quem refellit *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 21.* ubi prolixè de hoc Scriptore.

SIMPLICIVS magni nominis Philoſophus fuit, ſed gentilis adhuc: cujus ſunt Commentarii in Ariſtotelem, in Epictetum, & alia ſcripta philoſophica, quæ recenſet *Geſnerus in Biblioth.* quem pluribus de hoc agentem vide, ut & *Suidam in Damaſcio,* & *Morhoffium in Polyhiſt. Philoſ. libr. 1. c. 9. n. 6.* ubi de ætate quâ vixit, & operum ejus editionibus.

LIBERATVS, Archidiaconus Eccleſiæ Carthaginenſis, collegit *Breviarium* cauſæ Neſtorianorum & Eutychianorum, quod conſtat capiti-

bus 24. & Tom. 2. Concil. invenitur. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 20. *p.* 242. & quos ibi allegat.

PROCOPIVS GAZÆVS Sophiſta ad hanc ætatem videtur pertinere, cujus edita ſunt *commentaria in Octateuchum* & *in Jeſajam. Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſt. ad ann.* 560. *p.* 167.

A. C. 554. BELISARIVS *obit.* De hoc fortiſſimo Juſtiniani duce pluſcula jam diximus. Hic tantùm illud monemus quod vulgò traditur, Beliſarium hunc tandem ex invidia ab Imper. Juſtiniano excæcatum, eòque inopiæ redactum fuiſſe, ut panem ſuum his verbis mendicare cogeretur: Date Beliſario obolum, quem virtus extulit, invidia verò depreſſit. Sed hoc falſum eſſe, oſtendit *Alciatus in Parergis libr.* 4. *c.* 24. Neque *Procopius*, neque *Agathias*, neque *Suidas* quicquam tale de eo memorant. Autor fabulæ eſt *Petrus Crinitus libr.* 9. *de Hon. diſc. c.* 28. quem ſequuti ſunt *Pontanus*, *Volaterranus* &c. Hoc conſtat ex Scriptoribus Hiſtoriæ Byzantinæ, quòd Beliſarius aliquando inſimulatus proditionis in Imperatorem, & domi aſſervatus fuerit; ſed paucis pòſt diebus reſtitutus.

CORIPPVS Africanus, Grammaticus, Poëma hiſtoricum reliquit *de Laudibus Juſtini Auguſti Junioris.* De eo vid. plura apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. lib.* 3. *cap.* 3. *& de Poët. Latin. cap.* 5. *p.* 66. *Neuium in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. p.* 158. *Part.* 1.

VENANTIVS FORTVNATVS, Epiſcopus Pictavienſis, & nobilis ſuo tempore Poëta, cùm proſa tùm carmine multa ſcripſit, inprimis etiam Vitas Sanctorum, & alia, quæ in Eccleſia celebrantur. Conſulendus de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 22. & *de Poët. Latin. c.* 5. *p.* 65. *ſeq. Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 168. *ad ann.* 570.

EVAGRIVS Scholaſticus ſcripſit *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* libris VI. ab eo tempore, quo deſiit *Sozomenus*, uſque ad annum XII. Mauritii Imp. i.e. A. C. 597. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr.* 2. *c.* 23. *p.* 274. *Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 35. *p.* 142. & *Neu in Acceſſ. p.* 271

A. C. 596. GREGORIVS TVRONENSIS *obit.* Hic Gregorius Turoni in Gallia Epiſcopus fuit, & præter alia complura ſcripta reliquit *Hiſtoriam Francorum*, quam ad ſua uſque tempora perduxit, X. libris comprehenſam; quibus à *Fredegario* adjectus undecimus. Deſinit in Caroli M. obitu. Plura de eo ſcriptiſque ejus pete ex *Bellarmino de Script. Eccleſ. p.* 196. *ad ann.* 596. & inprimis *Voſſio de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 22. *p.* 253. & quos ibi citat. Adde *Neuium in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. p.* 54. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 6. *c.* 3. *p.* 266. ubi nimia ejus credulitas taxatur.

TAB.

Digitized by Google

TAB. XVIII. & SEC. VII.

A. C. 602. PHOCAS *imperium eâdem immanitate, quâ quæſierat, adminiſtrat, & perdit.* Quomodo ad imperium pervenerit, ſupra diximus. Nempe cùm Mauricius exercitum parcius & rigidius haberet, juberetque in hoſtili Sclavinorum ſolo hibernare, coortâ ſeditione, Phocas de more in clypeum ſublatus, ſalutatus eſt Imperator, & Mauritium poſtea cum omni ſtirpe occidit. Sævitiam deinde continuavit, multis nobilium cædibus perpetratis: inter quos Narſes dux (alius ab Eunucho, qui Gothicum regnum evertit) præter datam fidem, vivus crematus eſt. Ipſe Phocas octavo imperii anno expleto, ab Heraclio captus & interfectus eſt. Scriptores ſunt *Zonaras Tom. 3. Hiſtor. Miſcell. libr. 17. Aimoinus libr. 4. Theophanes, Cedrenus, Poſtellus in Chron. Alexandrino.* Adde his *Rupertum. p. 548.* & *Petavium p. 403.*

A. C. 610. HERACLIVS Dux Africæ, in ea Imperator appellatus, Conſtantinopolin venit, & Phocam occidit & combuſſit. Rem fuſius narrat *Hiſtor. Miſcell. libr. 18. princ. Nicephorus libr. 18. cap. 55. & ſeq.* Hic diſſolutam tyrannide remp. tardè quidem, ſed tamen reſtituit. Sub imperio hujus erupit Monothelitarum error, in quem Heraclius quoque prolapſus eſt, teſte *Theophane.* Mortuus eſt Heraclius A. C. 641. ætatis 60. cùm imperaſſet annos 30. menſes 4. dies 6. *Petav. Rat. Temp. Part. 1. libr. 7. c. 13.* De geſtis ejus deinceps dicemus. NB. Hic deſinunt Imperatores, qui in nummis oſtendi ſolent.

A. C. 614. *Perſæ Hieroſolymam occupant, Ægypto & Lybia potiuntur.* COSROES Rex, qui ope Mauritii in regnum reſtitutus erat, immemor beneficii Damaſcum primùm, mox totam Palæſtinam occupavit, nec legatos de pace admiſit; captâ quoque Hieroſolymâ crucem Chriſti abſtulit. Sequenti anno Perſæ totam Ægyptum & Lybiam uſque ad Æthiopiam occupaverunt. Carthaginem tamen capere tum non potuerunt, quæ verò capta eſt anno pòſt altero. Cùm itaque Heraclius ſupplex pacem peteret, Perſæ reſponderunt, tum demum ſe conceſſuros, ſi crucifixum abnegarent DEVM, & Solem adorarent. Duodecimo igitur imperii anno *Heraclius* contra Perſas movet, & *in Armenia Perſas cædit, & in Perſidem penetrat, ſanctamq; crucem recipit,* ut habet Tab. noſtra. Sed hæc toto ſexennio geſta ſunt. Poſt multa enim cum ducibus Perſarum proſpera prælia, tandem A. C. 627. interiora Perſiæ ingreſſus, editâ latè ſtrage, hoſtem compulit pacem petere. In eo bello Turci quoque ad ſocietatem armorum invitati ab Heraclio, perruptis Caſpiis portis Perſiam invaſerunt quidem, ſed poſtea tamen Impera-

perato-

Digitized by Google

peratorem deſeruerunt; cùm interim à Perſis in ſocietatem belli pertracti *Avares* non *Thraciam* tantùm *infeſtarent*, ut in hac Tab. ſub titulo Variorum extat, ſed & ipſam Conſtantinopolin obſiderent; brevi tamen re infectâ diſcedere coacti. Poſt hæc igitur

A. C 627. SIROES *Perſarum R. pacem reddit Romanis.* Coſroes enim cùm Merdaſan filium Regem conſtituere vellet, à Siroë primogenito comprehenſus, poſt multas contumelias in carcere necatus fuerat. Siroes ergo Rex factus cum Imperatore paciſcitur, redditis captivis, cum cruce Chriſti, deductis etiam ex Palæſtina præſidiis. Heraclius ergo triumphans Conſtantinopolin, & hinc Hieroſolymam redit, crucemque Chriſti ſumma cum veneratione illuc transfert. In cujus pompæ memoriam inſtitutum eſt Feſtum Exaltationis Crucis A. C. 629. ad diem 14. Sept. Hæc omnia prolixius narrat *Zonaras Tom.* 3. *Cedrenus p.*334 *ſeqq. Hiſtor. Miſcell. libr.* 18. *Anaſtaſius Bibliothecarius*, *Theophanes.*

A. C. 641. CONSTANTINUS filius Heraclii ſucceſſione paterna imperium tenuit, ſed brevi tempore: quarto enim menſe à novercâ Martina veneno ſublatus eſt. *Zonaras Tom.* 3. *Hiſtor. Miſcell.* 18, 70.

HERACLEONAS deinde ſucceſſit, matre Martina, ſed eodem patre natus. Huic poſt ſemeſtre imperium, ex Senatus decreto naſus, matri verò lingua præſciſſa eſt. *Hiſtor. Miſcell. lib.* 18. *fin. Zonaras Tom.* 3. *Cedrenus. Conſtantinus Manaſſes in Annalibus carminicè ſcriptis.*

CONSTANS occiſo Heracleona imperium adeptus, imperavit annos 27. infelix bello, quod contra Saracenos in Oriente, & contra Longobardos in Occidente geſſit. In Sicilia per 6. annos commoratus, quòd ſe Conſtantinopoli exoſum videbat, ideoque Romam transferre imperium volebat, ibidem in balneo occiſus eſt. Vid. *Zonaras Hiſtor. Miſcell. libr.* 19. *Theophanes, Cedrenus.* De bello ejus contra Longobardos, & ut Romam expilaverit, vid. *Paul. Diaconus de Geſtis Longob. libr.* 5. *c.* 4. & 5.

In ſerie REGVM ITALIÆ, poſt Agilulphum hoc Seculo ſequitur

A. C. 616. ADALWALDVS filius, qui cùm patre mortuo adhuc puer eſſet, Theodelinda mater ſimul cum eo regnum adminiſtravit. Sub his compoſitæ Italiæ res, & nihil magnopere geſtum, niſi quod eccleſias largiter dotarunt. Adalwaldus verò in inſaniam incidens, poſt decem regiminis annos à Longobardis pulſus, & in ejus locum conſtitutus eſt.

A. C.

Digitized by Google

A. C. 626. ARIOVALDVS, qui contra Iſaacium Exarchum & Honorium Papam, Adalwaldum vi reducere conantes, regnum ſibi confirmavit. De cætero Arrianæ hæreſi addictus fuit, & pacem cum Romanis ſervavit. Poſt ejus mortem electus à Longobardis

A. C. 693. ROTARIS Rex, leges Longobardorum primus ſcripto comprehendit. Idem provincias in Italia Imperatori adhuc ſubjectas bello aggreſſus, Alpes Cottias & Opitergium cum omnibus oppidis uſque ad Tarviſium occupavit, & Exarchum congredi auſum magno prælio vicit. Neque deinceps ullum inter Romanos & Longobardos bellum fuit uſque ad Luitprandum. Ipſe Rotaris Arrianorum fautor, quantus non ante eum quiſquam fuit. Poſtquam annos 16. & menſes 4. regnum tenuerat, vita decedens ſucceſſorem reliquit Rodoaldum filium. De Regibus his vid. *Paul. Diaconus de Geſt. Long. libr.* 4. *c.* 10. *ſeqq Sigonius de Regn. Ital. libr.* 2.

RES ECCLESIÆ hujus Seculi memorantur:

A. C. 604. GREGORIVS M. *P. Rom. obit, primus ſe nominat* SERVVM SERVORVM DEI. (Vltima verba *de titulo Servi Servorum &c.* ſunt ab Interpolatore adjecta.) De ipſo Gregorio jam ſupra diximus. Is verò Joanni Conſtantinopolitano, Patriarchæ Oecumenici, i. e. univerſalis titulum affectanti, animosè reſtitit, & non ſolùm hunc ei titulum decreto abrogavit, ſed &, ne ipſe tam ſuperciliosi axiomatis ſtudioſus videretur, primùs voluit *Servus Servorum* appellari. Interim ita dignitatem hanc Conſtantinopolitano Epiſcopo negavit, ut tamen ſuas ſubinde rationes pro majeſtate Sedis Rom. inſeruerit, ſimulans interim ſummam humilitatem. Videantur ipſius *Epiſtolæ* ad Joannem alioſque Orientis Epiſcopos ſcriptæ *libr.* 4. *Epiſt.* 32. 34. 36. 38. *&* 39. Add. *Evagrius, Hiſtor. Miſcell. Anaſtaſius.* Mortuo Gregorio ſucceſſit SABINIANVS in breve tempus. Hujus vero Succeſſor

BONIFACIVS III. *primatum in Eccleſia hactenus controverſum à Phoca obtinuit.* (Etiam hoc lemma non eſt in prima editione *Schraderi.*) Cùm enim primatum hunc etiam Conſtantinopolitanus Patriarcha, ut diximus, affectaret, cui nuper admodùm ſe ſtrenuè oppoſuerat Gregorius M. non veritus etiam ominari, eum Anti-Chriſti præcurſorem futurum, qui ſe univerſalem Epiſcopum nominaſſet (*libr.* 4. *Epiſt.* 33.) tamen poſt paucos annos ſucceſſor ejus Bonifàcius III. id egit apud Phocam, ut Sedi Romanæ eam prærogativam aſſereret. Cujus favore cum Imperator putaret ſibi opus eſſe ad retinendam Italiam, conſenſit ut Eccleſia Romana eſſet caput omnium Eccleſiarum, ac Epiſcopus ejus

Digitized by Google

Oecumenicus & univerſalis diceretur. *Sigebertus Gemblacenſis.* item, *Regino Prumienſ. Chron. libr.1. Aimoinus libr.4. c.4. Blondus Dec.1. libr. 9 Platina & Onuphrius in Vita Bonifacii. Heideggerus in Hiſtor. Papatus.* Hoc initium fuit Primatus Romani, à quo ita ſuccrevit auctoritate, ut non modò Eccleſiaſticam, ſed etiam civilem ad ſe poteſtatem traxerit, ac ſummos Imperatores atque Reges ſubjecerit. *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap. 7. p. 356.*

Pantheon Mariæ rotundæ conſecratur. (Etiam hoc adſutum eſt ab alio) Bonifacius IV. ſucceſſor Tertii ab Imp. Phoca impetravit, ut Pantheon tempore Auguſti ab Agrippa exſtructum S. Mariæ rotundæ conſecrare poſſet. Vid. *Cedrenus & Marianus Scotus libr. 2.*

A. C. 614. *Capta Hieroſolyma lignum crucis in Perſidem aſportatur, Chriſtianorum ad XC. millia Judæis venduntur.* De ligno crucis à Coſroe Perſa aſportato, ſed poſtea etiam ab Heraclio victore recepto, jam dictum eſt. Occupatâ ergò à Perſis Palæſtinâ & Hieroſolymâ, Judæi redemtos ab his vili pretio Chriſtianos captivos ad nonaginta millia occiderunt. *Hiſtor. Miſcell. libr. 18. c. 5.*

A. C. 630. CANTABRIGIENSIS ACADEMIA *à Rege Sigiberto inſtituitur.* Alii Eduardo I. hoc tribuunt. Hujus Academiæ Cantabrigienſis in Anglia hodie quoque magna eſt celebritas, etiam ob bibliothecam Manuſcriptis abundantem. *Beda Hiſtor. Anglic. libr. 2. Camdenus in Britannia Magna.*

A. C. 630. *Initium Sectæ* MONOTHELETARUM. Hæc Secta Eutychianiſmi quædam propago fuit, ad confuſionem naturarum in Chriſto tendens. Docebant enim illi addicti, unam eſſe in Chriſto voluntatem & operationem. In quem errorem etiam Heraclius Imp. inductus eſt per Athanaſium, adſtipulantibus quoque Sergio Conſtantinopolitano & Cyro Alexandrino Patriarchis. Vid. de Origine Monatheletarum *Zonaras Tom. 3. in Heraclio. Hiſtor. Miſcell. libr. 18. c. 54.* Add. *Theophanes, Photius, Anaſtaſius.* Extat quoque *Diſputatio Pyrrhi Monotheletæ cum Maximo Monacho habita in Africa, appendicis loco annexa Tomo VIII. Annal. Baronii.*

CONSTANS *Orthodoxis juxta ac Monotheletis ſilentium imperat.* Fuit Conſtans Imp. ipſe Monotheletis obnoxius, ſuaſuque Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani edixit, ne quis controverſiam de Voluntatibus in Chriſto moveret, ſed utraque pars de ea taceret. THEODORUS autem Papa convocato Romæ concilio, in Monotheletas & Paulum Epiſcopum excommunicationis ſententiam tulit. Quod imitatus ſucceſſor ejus MARTINUS anno ſeq. & ipſe Concilium Romæ 105. Epiſcoporum convocavit, eoque Conſtantis edictum, quod Typus vocatum

eſt,

Digitized by Google

eſt, condemnavit. Imperator ubi de Concilio inaudivit, Olympium Exarchum cum exercitu Romam miſit, qui Epiſcopos vi cogeret ad Typum approbandum: verùm id fruſtra fuit. Auctor eſt *Theophanes.*

Ad Titulum VARIORVM progredientibus occurrit hoc lemma:

COSROES *Perſa Romanos fines populatur.* Cædem Mauritii ulturus in Phocam hoc bellum ſuſcepit Coſroës, ſtatimque totam Syriam, Palæſtinam & Phœnicen occuparunt Perſæ: Cappadociam verò Paphlagoniam & Galatiam excurſionibus vaſtarunt, ad Chalcedonem uſque, quæ ex adverſo Conſtantinopolis eſt, progreſſi; dum interim Avares Europam deprædantur. Vid. *Nicephorus libr.* 18. *c.* 43. *Zonar. Tom.* 3. *ſub Phoca. Hiſtor. Miſcell. libr.* 17. *c.* 57.

A.C. 612. FRANCORVM REGES *civili bello colliduntur.* Regnum Francorum poſt mortem Clodovæi A. C. 514. in quatuor regna diviſum fuit, pro numero filiorum Clodovæi: regnum nimirum Franciæ, cujus ſedes erat Lutetia Pariſiorum; regnum Belgicæ, ſeu Sueſſionenſe, cujus ſedes Sueſſionum urbs; regnum Aureliæ, cujus ſedes Aurelia; & regnum Auſtraſiæ, cujus ſedes Metis erat; donec tandem poſt aliquoties repetitam diviſionem ſub unum caput coiit. Hi ergo Reges inter ſe colliſi bello, inprimis Theodebertus & Theodoricus Auſtraſiæ Reges, avia Brunichilde perpetua inter eos diſcordiarum ſemina ſpargente, quam poſtea Clotharius II. captam & caudæ indomiti equi alligatam membratim diſtrahi fecit. Vid. *Fredegarius Contin. Gregorii Turon.* Item, *Aimoinus libr.* 4. *Sigebertus Gemblac. ad ann.* 617. *&* 618.

A.C. 613. CLOTARIVS, *toto Francorum regno potitur.* Fuit hic Clotarius hujus nominis II. ſub quo vel potius filio ejus Dagoberto I. totum Francorum regnum ſub unum caput redactum eſt. Vid. *Gregorii Turon. libr.* 11. *à Fredegario additus. Aimoin. libr.* 4.

AVARES *Thraciam infeſtant.* Avares Hunnorum propago, ex Scythia progreſſi, ripas Iſtri excurſionibus pervagati per hæc tempora, ſedes tandem poſuerunt in Orientali Dacia. Et jam inde à Phocæ tempore Caganus (ita illorum princeps vocari ſolet) Thraciam prædæ habebat; quo impeditus etiam fuit Heraclius Imper. quò minus in tempore Orientales provincias à Perſis vindicare poſſet. Vid. *Hiſtor. Miſcell. libr.* 18. *Zonaras Tom.* 3. *Agathias libr.* 1.

A. C. 622. MVHAMMEDES *Arabum princeps ob novam Sectam Mecha profugit.* Hic eſt ille Muhammedes, qui genere quidem obſcuro ortus & pauper, ſed matrimonio poſtmodùm ditatus, ut erat aſtutus &

 audax,

Digitized by Google

audax, propter animi promtitudinem facilè ſibi auctoritatem conciliavit; quam conſecutus novum doctrinæ genus, rationi valde jucundum, ſed magna ſui parte ridiculum & ineptum propoſuit, quò religione obſtrictos animos ſibi magis devinciret, & principatum ſibi firmiorem faceret: quem teſte Hiſtor. Miſcell. anno 15. Heraclii inter Arabes conſecutus eſt. Is autem Meccâ Arabiæ urbe pulſus metu civium ſuorum, aliò conceſſit; & ab hac fuga Pſeudoprophetæ ſui poſtea Saraceni & Turcæ Epocham annorum ſuorum numerant, quos annos Hegiræ vocant, i. e. fugæ ſeu exilii. Incipit hæc Epocha ab A. C. 622. & per annos lunares numeratur. Plura de Muhammede, deque nova ejus Secta &c. vid. apud *Zonaram. Tom. III. Chalcocondylam libr. 3.* Add. *Leunclavius Hiſtor. Muſelmann. p. 32. & Joh. Cotovicus in Itinerar. c. 1. Baronii Annal. in A. C. 630. Jacobi Struckhuſii Syntagm. Hiſtor. Saraceno-Turcica. Hottingeri Hiſtor. Orient.* ubi ex ſcriptis Arabum Muhammedis vita ſuccinctè repræſentatur: & Idem *Hiſtor. Eccleſ. cap. 7. Sect. 2. Vitam Mahomethi* ſcripſit *Humphredus Prideaux*, & *Joh. Galenſis*, uterque Anglus, *de Origine & progreſſu Mahomethi.* Vid. etiam de Muhammede ejuſque nova religione *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 7. c. 1. p. 375.*

DAGOBERTUS *Rex Francorum* hujus nominis I. de quo jam diximus, quòd Clotarii II. filius fuerit, & totum regnum Franciæ obtinuerit, ex *Aimoino libr. 4.* & *Fredegario,* Continuatore *Gregor. Turon. cap. 17. ſeq.*

A. C. 631. *Muhammedes obit. Succeſſores illius* SARACENI *paulatim Palæſtinam, Syriam, Ægyptum occupant.* Mortuus eſt Pſeudo-propheta Medinæ, non (ut quidam volunt) Meccæ, annò ætatis 63. Fabuloſum eſt, quod de ſarcophago ſeu arca ferrea, in qua corpus ejus conditum, tradunt, quod attracta ab ingenti magnete in laquearibus templi, pendeat in aëre: quanquam id aſſerit *Laonicus Chalcocondylas.* Conſtituerat autem Muhammedes IV. Prætores, quos Amiras vocabant, iiſque provincias adminiſtrandas dederat Ipſi verò mortuo ſucceſſit in principatu Arabum Ebubezer; & huic poſt biennium & ſemeſtre mortuo, Haumar. Sub his ſtupendos progreſſus fecerunt Saraceni, & occupata Palæſtina, Syria, Meſopotamia, Ægypto, tandem etiam

A. C. 640. HORMISDA *fugato Perſidem ſibi ſubjecerunt*, intra decennium latiſſimum in Oriente imperium conſecuti, quod poſtea etiam in Occidentem extenderunt. Et tunc quidem Haumar deſcribi juſſit provincias, quæ ſub ejus imperio erant. Vid. *Hiſtor. Miſcell. libr. 18. à cap. 58. uſq; ad 70. Zonaras Tom. III. Cedrenus.* Add. *Cælius Auguſtinus Curio libro de Hiſtoria Saracenorum,* & *Wolffg. Drechslerus in Compendio Hiſtor. Saracenica.*

A. C.

A. C. 644. *Dagoberto ſuccedunt filii* CLODOVÆVS II. & SIGEBERTVS. Clodovæus major natu ex filiis Dagoberti regnum quidem Auſtraſiæ fratri Sigeberto conceſſit. Sed & hoc regnum mortuo fratre anno 658. ad ipſum rediit: & ſucceſſores hujus Clodovæi univerſam Franciam deinceps indiviſam poſſederunt. *Aimoinus libr. 4. Fredegarius.*

VIRI CELEBRES memorantur:

ISYCHIVS *Ep. Hieroſolymitanus* ſcripſit *in Leviticum* libros VII. Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 170.

THEOPHYLACTVS SIMOCATTA condidit libris VIII. *Hiſtoriam de Rebus geſtis à Mauritio*, ac prioribus V. libris agit de bello ejus contra Perſas; reliquis tribus tractat de iis, quæ geſſit adverſus Avares & Sclavos: item, de miſerabili Mauritii & liberorum cæde. Præterea ſuperſunt ejus *epiſtolæ morales, ruſticæ & amatoriæ*; item, *Phyſica problemata*. Vid. plura de eo apud *Voſſium de Hiſtor. Græc. libr. 2. c. 23. p. 275. Wheari Relect. Hiem. Part. 1. Sect. 35. p. 143. & Neu in Acceſſ. 273. ſeq.*

JOANNES Ἐλεήμων. Hic Joannes Epiſcopus, cognomento Eleemoſynarius, admirabili vita claruit, quam literis conſignavit, qui poſt hunc in Tab. noſtra ponitur, LEONTIVS. Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 171. ad ann. 630.*

SOPHRONIVS Epiſcopus Hieroſolymitanus, gravis adverſarius Monotheletarum fuit: cujus extat Epiſtola ad Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum: item II. Sermones, unus de Natali Domini, alter de Angelis. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann. 630. p. 171. ex Baronii Annal. Tom. VIII. Voſſius de Hiſtor. Græc. lib. 2. c. 23. p. 278.*

JOANNES MOSCHVS, alias Eviratus, ſcripſit ad ſupradictum Sophronium Epiſcopum Hieroſolymit. librum, qui dicitur *Pratum Spirituale*, in quo narrat Vitas SS. qui circa tempora Heraclii floruerunt. *Bellarminus & Voſſius ibid.*

A. C. 636. ISIDORVS HISPALENSIS *obit*. Fuit hic Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in Hiſpania, qui & Synodo Hiſpalenſi, & Quintæ Sextæque Synodo Toletanæ præſedit. Ingenium & eruditionem ſuam teſtatam fecit, multis ad literaturam, multis item ad S. Scripturam pertinentibus ſcriptis, quæ recenſet *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann. 630. p. 172. ſeq.* Commendantur inprimis ejus *Origines* & *Chronicon*. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 25. p. 262. ſeq. Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. p. 158.* De ejus laude & ſcriptis etiam *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 7. c. 3. p. 283.*

ANTIOCHVS MONACHVS 129. *Homilias* ſcripſit, quibus deploravit ingentem illam calamitatem, quæ contigit anno 14. Heraclii, cùm Hieroſolyma à Perſis capta fuit. *Bellarminus d. l.*

In altera parte Tabulæ ad RES IMPERII ORIENTALIS redeuntibus occurrit hoc lemma:

A. C. 654. CONSTANS *ad Lyciæ littus infeliciter pugnat adverſus Saracenos.* Nocte hoc prælium præcedente Conſtans Imp. ſomnium habuerat, quo ſibi viſus erat veniſſe Theſſalonicam; quod cùm conjectori expoſuiſſet, ille cladem ejus futuram ſignificari dixit, per vocem, θὲς ἄλλῳ νίκην, i. e. concedas alteri victoriam. Commiſſo deinde prælio victus eſt Conſtans, tanta Romanorum cæde, ut mare eorum ſanguine purpuraſceret, atque ipſe Imperator vili circumdatus amiculo, inque diſſimulationem ſui compoſitus, vix ægrè hoſtiles elaberetur manus. Tunc etiam Rhodo Inſulà ſubactà, celebratum in ea coloſſum demoliti ſunt Saraceni, cujus æs Judæus quidam mercatus, 900. camelis fertur aſportaſſe. Vid. *Zonaras Tom. 3. in Conſtante & Hiſtor. Miſcell. lib. 19. c. 6.*

A. C. 668. CONSTANTINVS POGONATVS, i. e. Barbatus, ita dictus, quòd barbatus è Sicilia rediit, cùm antea imberbis eam ingreſſus eſſet. Fuit anteceſſoris ſui Conſtantis filius, Conſtantini nepos, Heraclii pronepos. Interfecto patri ſtatim in imperio ſucceſſit, idque felicius obtinuit. Sub eo Mezius, ſeu Mezizius, ſeu Mezentius imperium invaſit: ſed ſtatim oppreſſus eſt. Imperavit annos 17. Scriptores ſunt *Zonaras Tom. 3. Hiſtor. Miſcell. libr. 19. Theophanes. Conſtantinus Manaſſes. Georg. Cedrenus.* Add. *Rupertus p.* 588. Sub eo

A. C. 676. *Saraceni obſeſſa nequicquam Conſtantinopoli, inducias XXX. annorum paciſcuntur.* Per 7. annos obſeſſa tunc eſt à Saracenis Conſtantinopolis, qui cùm re infecta diſcedere cogerentur, tempeſtatibus inſuper claſſis eorum male multata fuit. Denique etiam igne Græco, quem Callinicus mathematicus invenit, omnis eorum claſſis combuſta eſt, & 30000. perierunt. His cladibus fracti Saraceni pacem fecerunt in XXX. annos, tributi nomine 365. aureorum millia, & quinquagenos viros totidemque equos pendere pacti. *Zonaras Tomo 3. Hiſtor. Miſcell. libr. 19. c. 15. ſeqq.*

A. C. 685. JVSTINIANVS II. ῥινότμητος, *barbarus & immitis.* Succeſſit patri Conſtantino. Hic poſtquam anteceſſore & parente ſuo mortuo, imperium jam per decennium obtinuiſſet, à Leontio, quem

ad

ad regendam Helladem ex carcere dimiſerat, inſtinctu duorum Monachorum (*Petavius Rat. Temp.* 1, 8, 3. *p.* 468.) ab imperio detruſus eſt, abſciſſiſque naribus in Cherſoneſum relegatus; cumque per annos 10. in exilio vagatus eſſet, tandem ope Trebellii Bulgarorum Regis reſtitutus, Leontium & Abſimarum (qui hactenus imperio præfuerant) in vinculis præfecto naſo per urbem circumductos, ludiſque Circenſibus ſpectaculo exhibitos, capite plecti juſſit. Tandem cùm nimis crudeliter imperaret, (cujus crudelitatis in Cherſonenſes maximè exemplum dedit) anno 6. poſt reditum interfectus eſt. Vid. *Hiſtor. Miſcell. libr.* 20. *Zonaras Tom.* 3. *Conſtantinus Manaſſes in Annalibus. Cedrenus. Theophanes.*

Induciis Saracenicis temerè & infeliciter renuntiat, anno ſcil. imperii 7. cùm è Sclavicis gentibus evocaſſet 30000. armatorum, quem populum περιούσιον appellabat, elatus robore copiarum, Saracenicam pacem rupit Juſtinianus, prætexens monetam non pendi ſua ſignatam imagine. Saraceni implorato perjurii ultore DEO, ſcriptas pacis conditiones haſtæ alligarunt, quas cùm inſtar vexilli in acie præferrent, commiſſo cum Romanis prælio, primo quidem congreſſu inferiores fuerunt, mox corrupto Sclavorum duce, & viginti eorum millibus ad ipſos tranſeuntibus, Juſtinianum victum profligarunt, & ex eo tempore impune Romanas incurſarunt provincias; Armeniam etiam, quam cognitâ Imperatoris clade Sabbatius prætor eis tradiderat, ſuæ ditionis fecerunt. Vid. *Zonaras Tom.* 3.

A. C. 695. LEONTIVS *Juſtinianum naſo mutilatum relegat*; uti jam dictum. Ita acceptum imperium per triennium qualitercunque tenuit. Eo enim exacto

A.C. 698. TIBERIVS ABSIMARVS *Leontium naſo truncat.* Abſimarum hunc exercitus in Africa à Saracenis victus, & offenſionem Imperatoris veritus, Auguſtum ſalutavit, addito nomine Tiberii; cùm prius Cybyrræorum Drungarius fuiſſet. Is ergo Byzantium profectus, proditis ſibi clavibus urbem occupavit; Leontium verò defecto ſimiliter, ut ipſe Juſtiniano fecerat, naſo, cuſtodiæ tradidit, ac principibus, qui ab illius partibus ſtabant, exilio damnatis, imperio potitus eſt. Sub eo magnâ clade affecti Saraceni: de quo poſtea ſub Variis. Sed cùm Juſtinianus, qui interim apud Chaganum, & deinde apud Trebellium Bulgarorum Regem commoratus erat, hujus ope reductus, urbem Conſtantinopolin per aquæductum intraſſet, Abſimarus captus excæcatuſque, & unà cum Leontio ex carcere educto, poſt multa ludibria interfectus eſt. Atque ita (quod in principio ſequentis Tabulæ notatur) *Juſtinianus imperium recuperat.* Is poſthæc, quoties truncas emun-

emungebat nares, unum aliquem, qui ex Abſimari fuiſſet partibus, ad ſupplicium juſſit rapi. *Zonaras Tom.* 3. *Paul. Diaconus de Geſt. Longob. libr.* 6. *cap.* 10. *Hiſtor. Miſcell. libr.* 20.

In ſerie REGVM ITALIÆ ex Longobardis poſt Rotarim ſequitur

A. C. 654. Rodoaldus filius, qui de cætero laudabiliter regnavit, niſi quod Arrianâ hæreſi maculatus, Catholicos perſequebatur. Is cùm uxorem cujuſdam Longobardi ſtupraſſet, ab eo interfectus eſt, poſt regiminis annos 5. & dies 7. *Paul. Diaconus de Geſt. Longob. libr.* 4. *c.* 16. & 17. *Sigonius de Regno Ital. libr.* 2. *p.* 41. *ſeq.*

A. C. 660. Aripertus deinde ſucceſſit, Gundoaldi filius fratris Theodelindæ, per Comitia Longobardorum electus: cujus res geſtæ nullæ commemorantur.

Ab eo relicti filii Partharitus & Gundipertus, quorum *ille* Mediolani, *hic* Ticini ſedem conſtituit; inter quos exortæ diſcordiæ regnum diſſiparunt. Eâ occaſione uſus, Grimoaldus, Dux Beneventanus, cum exercitu Ticinum veniens, Gundipertum fraude circumventum occidit, & Partharito ad Chaganum fugiente, toto regno, ipſorum Longobardorum voluntate, potitus eſt. *Paul. Diaconus de Geſt. Longob. libr.* 4. *c.* 18. *Sigonius de Regno Ital. libr.* 2. Hic Grimoaldus cum Francis, Partharitum in regnum reducere conantibus, bellum geſſit, eoſque in Italia, per vinum incautius ſumtum, ad internecionem cecidit. *Paul. Diaconus libr.* 2. *cap.* 3. Alterum bellum geſſit cum Conſtante Imper. (*Paul. Diaconus* Conſtantium vocat) qui trajectis in Italiam copiis, Longobardicum regnum aggreſſus eſt, ſed infelici ſucceſſu. Victus enim, expilatâ Româ in Siciliam tranſiit, & ibi occiſus eſt: ut ſupra diximus. Grimoaldus poſtquam regnaſſet annos 9. deceſſit,

Relicto filio Garibaldo, quem puerum etiamnum, tertio pòſt menſe revocatus ex fugâ in Britanniam Partharitus, ſuperioris Gundiperti frater, regno exturbavit. Hunc Partharitum *Diaconus* laudat, ut virum pium & catholicum, & beneficum in pauperes. Octavo regni anno filium ſuum Cunipertum in regni ſocietatem adſcivit, cum quo deinde adhuc 10. annos regnavit. Mortuo hinc patri ſucceſſit *Cunipertus* ſolus, contra quem *Alahis* dux inſurrexit, eumque Ticino expulſum aliquandiu deliteſcere coëgit. Sed per eoſdem, quorum ope Alahis tyrannidem occupaverat, Cunipertus reductus, & aliquandiu cum Alahe bello conflictatus eſt: donec is tandem victus prælio & occiſus eſt. Ipſe Cunipertus poſtquam ſolus regnaſſet annos duodecim, deceſſit, filium *Luitperthum* ſucceſſorem relinquens.

Ad

Ad RES ECCLESIÆ pergentibus hæc occurrunt ad

A. C. 657. CLODOVÆVS *in ſumma annonæ penuria aurum & argentum ſepulcru abradi,* & *in pauperes dividi jubet.* Erat hic Clodovæus II. qui totum regnum Franciæ tandem obtinuit. Is rectè exiſtimans, ſatius eſſe vivorum corpora illo auro argentoque ſervari, quàm mortuorum ſepulcra ornari, ita pauperum penuriæ ſuccurrit. Dicitur enim in magna rerum caritate argentum illud, quo pater Dagobertus templum S. Dionyſii texerat, inde ablatum diſtribuiſſe inter pauperes. Vid *Aimoin. Hiſtor. Franc. libr.* 4.

A. C. 662. BATHILDIS *Clodovæi uxor Corbeienſe monaſterium condit.* Corbeia oppidum eſt in Picardia, in quo S. Bathildis monaſterium condidit & dotavit, cujus poſtea magna celebritas fuit. Ad ejus exemplar poſt 150. ferè annos, Ludovicus Pius Corbeienſe monaſterium in Saxonia condidit: de quo poſtea ſuo loco. De conditu autem hujus monaſterii in Picardia, vid. iterum *Aimoin. libr.* 4. *Sigebert. ad A. C.* 662.

A. C. 680. SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA III. *œcumenica damnat Monotheletas, & in his Honorium, R. Pontificem.* Hanc Synodum ipſe Imperator indixit *Conſtantinus Pogonatus,* uti conſtat ex ejus Divalibus Epiſtolis, ad Georgium Conſtantinopoleos Epiſcopum, & ad Donum Papam, ea de re ſcriptis; in quarum inſcriptione illum quidem Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, & univerſalem Patriarcham, hunc verò antiquæ Romæ Archiepiſcopum & univerſalem Papam vocat. De Patrum numero in illa Synodo Auctores non conſentiunt. In catalogo tamen eorum, qui ſubſcripſerunt, reperiuntur 162. Locus, in quo convenerunt, erat Secretarium S. Palatii, nomine Trullum. Congreſſus ſeu Actus fuere 18. quibus controverſia de duabus in Chriſto voluntatibus excuſſa eſt, & Monotheletæ damnati, interque eos præter Macarium Patriarcham Antiochenum alioſque, Honorio quoque Papæ nominatim anathema dictum, ejuſque Epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum ſcripta, inter reliquos hæreticorum libellos dogmaticos cremari juſſa eſt, præſentibus & in id conſentientibus Apoſtolicæ ſedis legatis, imò ipſo Leone II. Pontifice Acta Concilii approbante. Vid. *Acta Synodi Sextæ*, item *Zonaras Annal. Tom.* 3. & *Hiſtor. Miſc. libr.* 19. *c.* 22. *ſeq.* & *Paul. Diac. de Geſt. Long. libr.* 5. *c.* 2. ubi inter alia hæc habet: Ea hora, (qua hæreſis Monotheletarum damnata eſt) tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, ut omnes miraren-

Digitized by Google

rarentur; ac per hoc ſignificatum eſt, quod ſordes hæreticæ pravitatis depulſæ ſint. In *Catalogo Teſtium Veritatis libr. 7. p. 622.* habetur Epitome Decretorum hujus Concilii. Conf. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 8. c. 4. p. 298.*

SCHISMA ORIENTALIS ET OCCIDENTALIS ECCLESIÆ. (Hoc lemma non eſt à SCHRADERO) Ortum eſt hoc Schiſma ex controverſia de Canonibus Synodi Quiniſextæ, quam Imperator Juſtinianus Ῥινότμητος Conſtantinopolin convocaverat, ut adderentur definitioni fidei Canones etiam Eccleſiaſtici, ſicut in reliquis Conciliis œcumenicis, præterquam Quinto & Sexto factum erat: qua de cauſa hanc Synodum Quiniſextam vocare conſueverunt, tanquam in Quintæ & Sextæ Supplementum inſtitutam. In iis Canonibus nonnulli Rom. eccleſiæ ritus nominatim carpebantur: ideoque non eſt mirum, quod neque à Sergio Papa, neque à reliquis Pontificibus unquam fuerint approbati. Ipſum Sergium, acta Synodi approbare recuſantem, Juſtinianus per Zachariam Protoſpatharium capi, & Conſtantinopolin duci præceperat. Et factum fuiſſet, niſi interventu Exarchi, qui Pontificis partes tuebatur, ille ereptus fuiſſet. Memorant rem *Theophanes, Cedrenus*, & *Anaſtaſius Bibliothecarius, in Vita Sergii.* Conf. *Frid. Spanhemius in Epitome Iſagogica ad Hiſtor. Novi Teſtam. p. 465.* & Idem *in Exercitatione Hiſtorico-theologica de Eccleſiæ Græcæ & Orientalis à Romana & papali perpetuâ in hunc diem diſſenſione.*

A. C. 690. EGBERTVS *Eboracenſis Archiepiſcopus*, WILLEBRORDVM, SVIBERTVM, LEBVINVM *alioſq; in Friſiam ad Evangelium docendum mittit.* Qua de re vid. *Beda Hiſtor. Angl. libr. 1.* Singulare eſt, quod de Friſiorum tunc Rege Radbodo narratur in *Vita Wolffranni* à *Jonâ Fontanellenſi ſcripta apud Surium Tom. 2. d. 20 Martii,* quòd cùm baptizandus jam eſſet, interrogaverit, utrum majores ſuos Friſiorum Reges putarent in cœlo jam degere, an in inferno; cumque eſſet reſponſum, haud dubiè in inferno, pedem è baptiſterio retraxerit, præoptans cum his apud inferos verſari, quàm cum paucis quibuſdam Chriſtianis in cælo.

Sub VARIORVM Titulo hæc habentur:

A. C. 653. *Saraceni* RHODVM *occupant.* Dictum ſupra ad illud de IMPP. ORIENT. *Conſtans ad Lyciæ littus* &c. ubi etiam notatum de Coloſſo Solis, à Saracenis dejecto, cujus æs Judæus quidam redemtum 900. camelis avexerit, ex *Zonara Tomo 3.*

MVAVIA

Digitized by Google

MVAVIA *Saracenorum Calipha princeps victorioſus.* Hic enim Halin, qui Perſiam obtinebat, vicit, & eo mortuo ſolus omnes Saracenorum provincias occupavit, conſtitutâ Damaſco ſede regni. Nec minus felix in bello contra Chriſtianos, multas eis regiones extorſit: de qua re jam ex parte diximus. Præfuit autem Saracenis annos 24. Vid. *Hiſtor. Miſcell. libr. 19. c. 7. ſeqq. Zonaras Tom. 3.* cui Mabias vocatur.

A. C. 660. *Francorum Regibus in luxum & inertiam ſolutis,* PALATII PRÆFECTI *pleraq; omnia deinceps adminiſtrant.* Reges Franciæ tunc temporis ſola tituli eminentia contenti, à reip. adminiſtratione abſtinebant, & in gynecæo plerumque deliteſcentes, ſatis habebant, ſi ſemel quotannis, Calendis ſcil. Maji, circumgeſtarentur, & populo ſe oſtenderent. Vnde paulatim Præfecti Palatii, qui Majores Domûs vocati ſunt, cùm ſoli res adminiſtrarent, potentiam ſibi acquiſiverunt; donec tandem ſub Childerico PIPINVS, cognomento Brevis, Caroli M. Pater, ex Majore Domûs ad regnum evectus eſt, ſequentis Seculi medio. De Majore Domûs vid. *Franc. Hottomannus in Franco-Gallia c. 12.* Nominatur ibi Palatii Magiſter, & dignitas ei tribuitur eadem, quæ fuit Præfecti Prætorio apud Romanos, qui alio nomine Aulæ Præfectus vocabatur. Sunt & alia nomina, quæ Majoribus Domûs tribuuntur, ut Præfecti Aulæ, Comites Palatini, quin etiam aliquot poſt Seculis Seneſchalli Franciæ appellati ſunt. Hoc verò tempore Major Domûs erat ſub Rege Clotario III. Theodorico III. & Childerico II. Ebroinus. Videantur Hiſtoriæ Francicæ horum temporum Scriptores, inprimis *Aimoinus* ſeu Ejus *Continuator. Annal. Fuldens. ad A. C. 751. Paul. Diaconus de Geſtis Longob. libr. 6. c. 5. Sigebertus ad ann. 662.*

A. C. 670. *Saraceni* SYRACVSAS *expugnant.* Factum hoc, poſtquam Mezizius ſeu Mezentius, qui imperium arripuerat, ab exercitu Conſtantini Pogonati in Sicilia victus eſt. Itaque rebus tum adhuc in Sicilia turbatis, ex Ægypto cum claſſe advenientes Saraceni, facile Syracuſas occuparunt, & maximâ parte incolarum cæſa, prædam quoque omnem, quam Conſtans Imp. expilatâ Româ illuc tranſtulerat, ſecum navibus Alexandriam abduxerunt. Vid. *Paul. Diac. de Geſtis Longob. libr. 5. c. 6.*

A. C. 677. BVLGARI *Wolga fluvii accolæ Thraciam vaſtantes, pacem Imperatori vendunt, pactione annui tributi.* De his Bulgaris, eorumque origine & ſedibus, nec non de Conſtantini Pogonati infelici cum illis bello, quod nonniſi pactione annui tributi pendendi compoſitum eſt, vid. *Hiſtor. Miſcell. libr. 19. c. 18. & ſeqq.*

Digitized by Google

A. C. 691. PIPINUS *Anſegiſi filius Auſtraſiæ & Neuſtriæ regnorum magiſterium per 27. annos gerit.* Dictum ſupra de potentia Majorum Domûs in Francia, ſupra ipſos Reges excreſcente. Ebroino occiſo, in dignitatem & potentiam ejus ſucceſſit hic Pipinus, quam ſub Regibus Clodovæo, Childeberto & Sigeberto Tertiis ſtabilivit, Carolo Martello filio Notho relicturus. Vid. Hiſtoriæ Francicæ Scriptores.

A. C. 698. *Saraceni* CARTHAGINEM *evertunt.* Subegerunt Africam Saraceni, jam anno Leontii tertio, quos quidem miſſus à Leontio Joannes Patritius inde rurſus expulit; ſed ipſe paulò poſt à Saracenis, majori cum exercitu advenientibus, viciſſim expulſus, & Carthago caput regionis everſa eſt. Vid. *Zonaras Tom. 3. ſub Leontio. Hiſtor. Miſcell. libr. 20. c. 1. & 2. Paul. Diac. de Geſtis Longobard. libr. 6. c. 4.*

A. C. 700. *Saraceni in Syria, Armenia & Cilicia latè cæduntur.* Factum hoc eſt anno ſecundo imperii Abſimari, & videndus eâ de re *Zonaras Tom. 3. & Hiſtor. Miſcell. libr. 20. c. 4.*

Inter VIROS CELEBRES floruit medio hoc Seculo,

AUDOENUS *Epiſcopus Rotomagenſis.* Hic ſanctitate vitæ ſuo tempore claruiſſe dicitur; cujus mortem ad annum 690. refert *Sigebertus Gemblacenſis in Chronico.*

HILDEPHONSUS *Epiſcopus Toletanus* in Hiſpania, ſcripſit librum *de Virginitate B. Mariæ,* & alium *de perpetua Ejus Virginitate*; item *de Scriptoribus Eccleſiaſticis: de origine Gothorum.* Plura de eo, etiam fabuloſa, vid. apud *Bellarm. de Scripr. Eccleſ. p. 175. ad ann. 658.* Ipſius Hildephonſi vitam ſcripſit civis ejus *Julianus Pomereus, in Append. ad Hildephonſi libellum de Scriptor.* De eodem vid. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Haret. libr. 7. c. 3. p. 284.*

MAXIMUS *Monachus Conſtantinopolitanus,* Martyr. De hoc Maximo & Scriptis ejus videndus *Bellarm. d. l. ad ann. 650.*

JONAS *Scriptor Vitæ Columbani.* Extat hæc Vita apud *Surium d. 21. Novembris Bellarm. ad ann. 630.*

JULIANUS, *Archiepiſcopus Toletanus,* dictus alias Pomerius ſcripſit III. libros *adverſus Judæos,* & III. alios libros de futuro ſeculo, quos *Prognoſticon* vocavit. *Bellarmin. ad ann. 680.*

TABULA

Digitized by Google

TAB. XIX. & SEC. VIII.

In Tabula, quæ nunc ſequitur, poſt primum lemma, de quo jam diximus, in ſerie IMPP. ORIENT. nominatur ad

A. C. 711. PHILIPPICVS BARDANES, qui propter ſomnium à Juſtiniano in exilium miſſus erat. Is ergo à Cherſonenſibus, apud quos exulabat, Imperator proclamatus, Juſtinianum unà cum filio Tiberio interfecit, A. C. 711. exeunte, vel ineunte 712. ut *Rupertus* notat *p.* 590. Sed *auctor Hiſtor. Miſcell.* anno 704. ad imperium evectum eſſe ſcribit, eique ſucceſſiſſe Artemium anno 706. Cum imperium negligenter adminiſtraret, ab aliquot conjuratis arreptus oculiſque privatus eſt, poſtquam id tenuit annos 2. & aliquot menſes. Si *Zonaram*, *Cedrenum* & *Hiſtoriam Miſcell. libr.* 20. audimus, variis hic Imperator vitiis contaminatus fuit. Sed hi Scriptores, *Zonaras* præſertim, qui ipſum omnium propè ſcelerum reum facit, & *Hiſtoriæ Miſcellæ Auctor* videntur ei præcipuè ob hoc infenſi fuiſſe, quòd ſextam Synodum abrogavit: de quo poſtea ſub Rebus Eccleſiæ. Præter jam nominatos videatur etiam *Anaſtaſius Bibliothecarius.*

A. C. 713. ARTEMIVS *mutato nomine* ANASTASIVS *dictus.* 2. ita enim ſe poſt adeptum imperium dici voluit. Acceſſum ad imperium huic fecit officium, cui apud Philippicum præerat. Erat enim Secretarius ejus. Sed poſt biennium imperii inſignia depoſuit, & in monaſterium ſe contulit: poſtquam nimirum

A. C. 715. THEODOSIVS Adramytenus, antea tributorum exactor, quaſi per ludum & jocum Imperator factus eſt. Inde etiam poſt biennium Leoni Iſauro ſponte ceſſit, & in clericum detonſus, reliquum vitæ in otio tranſegit. Conſulatur *Zonaras Tom.* 3. & *Hiſtoria Miſcella libr.* 20.

A. C. 717. LEO ISAVRVS, ante imperium Conon appellatus, imperante adhuc Theodoſio à militibus Imperator creatus eſt; cumque hic imperii inſignia depoſuiſſet, ſolus imperavit. Maxima hic Imperator bella, præſertim navalia geſſit, in quibus igne Græco feliciſſime uſus eſt, contra Saracenos, quo eorum totam propemodum claſſem incendit. Hujus ergo ope, cùm inſuper & fames & peſtis Saracenos affligeret, *Conſtantinopolin à Saracenis obſeſſam fortiter defendit.* Sub hoc quoque Imperatore Baſilius quidam Onomagulus, mutato nomine Tiberius dictus, imperium invaſit; quem quidem paulò

poſt miſſus à Leone Paulus Patritius oppreſſit. Malè tamen omittitur à *Ruperto* inter Anti-Cæſares. Quod deinde in Tab. noſtra notatur,

Ad A. C. 727. *Romani relicta fide Imperatoris in fidem ſe Rom. Pontificis Gregorij II. dedunt* cum eo conjungenda ſunt duo illa lemmata ſub Rebus Eccleſiæ: A. C. 726. *Leo Imp. incipit εἰκονομαχεῖν; & Gregorius II. Papa Rom. Imperatorem anathemate ferit.* Hæc enim cohærent. Nimirum ſub hujus Leonis imperio potiſſimùm controverſia de imaginibus tolerandis orta eſt, quæ deinceps in Occidentem quoque tranſiit. De Iconoclaſtis & controverſia hac circa Imaginum cultum vid. etiam *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 8. *c.* 5. *p.* 300. *ſeq.* Originem ejus deſcribit *Hiſtor. Miſcella libr.* 21. & *Zonaras* in rebus Leonis Iſauri; quæ tamen meræ ſunt fictiones monachales, ut eò major invidia in Leonem concitetur. Referunt enim Judæum quendam auctorem fuiſſe, cui quicquid à ſe petierit, ejus ſe facturum participem promiſerit Imperator; cumque Judæus imaginum abolitionem petiiſſet, Imperatorem juſſiſſe, ut tollerentur. Sed ſi quis reliqua ab hoc Leone Iſauro geſta conferat, de fide narrationis hujus meritò dubitabit. Jam ſub Philippico Bardane, in Synodo ſub eo habita, ea quæſtio mota eſt de abrogandis Imaginibus; quod cùm impium eſſe doceret Pontifex, hinc Leo ulterius inquirendi occaſionem ſumſit, an conſecratas Imagines habere licitum ſit? adeoque Judæis uſus eſt, qui ipſi dicta adverſus Imagines ex veteri Teſtamento explicarunt. Meliora ergo edoctus prohibuit ſtatuas & imagines religioſâ veneratione coli. Vnde occaſionem arripuit Pontifex Rom. ut non tantùm Imperatorem anathemate feriret, ſed & Italiam omnem cum Vrbe Roma, & reliqua parte Imperii Occidentalis (quæ quidem à barbaris non occupata erat) excepta Sicilia & Apulia Calabriaque fretum Siculum verſus, ab Imperatorum Conſtantinopolitanorum obſequio ſubduceret, Leonem Iconomachum hæreticum declarans, & ſanctarum Imaginum perſecutorem. Neque ex eo tempore Imperatores in urbe Roma multum valuerunt. Leo quidem eam ignominiam vindicaturus, in Italiam bis claſſem induxit, ſed ſemper impeditus eſt, partim naufragiis, partim aliis incommodis. Memorant hæc *Zonaras Tom.* 3. *Hiſtor. Miſcell. libr.* 20. *Anaſtaſius* & *Theophanes*, qui poſtremus non ſolùm de Imaginum, ſed & reliquiarum cultu & Sanctorum interceſſione tunc motam eſſe controverſiam teſtatur.

A. C. 741. CONSTANTINVS COPRONYMVS, Leonis filius, ita cognominatus, quod ventris onus in baptiſmum eliſerit. (*Cuſpinianus* putat, quod manibus ſuis excrementa ſæpius tractaverit.) Eo abſente

Digitized by Google

te per bellum Saracenicum, Artabaſdus Curopalates, Sororis ejus maritus, annitente ſimul Anaſtaſio Patriarcha, qui Neſtorianiſmum Conſtantino imputabat, imperium ſibi ſumſit, & imagines reſtituit, vulgi favore elatus. Sed victus à Conſtantino poſt triennale ferè bellum, & cum filiis excæcatus, ludibrioque expoſitus eſt, ut & Anaſtaſius Patriarcha, quem Imperator, verſo ad aſini caudam capite, ignominiosè per urbem circumduci juſſit. *Hujus* Conſtantini uxor Irene Cagani Avarum Regis filia fuit, quæ ſacris imbuta Chriſtianis Irenes nomen acceperat, cujuſque gratia Conſtantinus in urbem Bulgaros Imperatricis cognatos traduxit. Ipſe Conſtantinus imperare cœpit A. C. 741. ætatis 22. deceſſit A. 778. cùm imperaſſet annos 34. menſes 3. Vid. *Petavius Rat. Temp. Part. 1. lib.* 8. *c. 6.* Dum Saraceni domeſticis conflictantur diſſidiis, Syriam & Aſſyriam felicibus armis pervaſit, & rem Chriſtianam paſſim reſtituit: princeps non malus, niſi bonitatem cauſæ ſævitia corrumperet: ut loquitur *Rupertus p. 592.* Inter præcipua enim ejus opera hoc erat, quod quidem in altera parte Tabulæ memoratur: *Imperator Iconolatras graviter perſequitur.* Scilicet hic quoque, perinde ac pater ejus Leo, Iconomachus fuit, & non Imaginibus modò, ſed & Monachorum ordinibus perpetuum indixerat bellum, optionem faciens viris fœminiſque monaſticam profeſſis aut nubendi, aut erutis prius oculis in exilium migrandi Cyprum, ubi Saracenorum incurſionibus eſſent expoſiti. Multi exilium, plures conjugium elegerunt. Ipſe monaſteria totâ ſuâ ditione vendidit, aut in fiſcum redegit. De Synodo ob Imaginum cultum ab eo convocatâ, poſtea dicemus ſub Rebus Eccleſiæ.

Idem A. C. 763. *Bulgaros vincit ad Anchialum & triumphat.* Anno imperii viceſimo ſecundo, occaſione arrepta è Bulgarorum diſcordiis, qui Principes ſuos per ſeditionem interfecerant, Zeletinem novum eorum Regem prælio devicit memorabili; qui eam ob cladem necatus à ſuis, ſucceſſorem habuit Sabinum, mox propter quæſitam pacem regno pulſum à popularibus. Ejus ſucceſſor Telerichus cum ad pacem petendam adactus, fraudulenter poſtmodum ageret, nova expeditione petebatur à Conſtantino, niſi ille in ipſo apparatu belli, ardenti febre correptus, deceſſiſſet. Hiſtoria Conſtantini Copronymi, & quæ hactenus dicta ſunt uberius petantur ex *Hiſtor. Miſcell. libr.* 22. *Zonara Tom.* 3. *Anaſtaſio, Theophane, Sigeberto.* Sed notandum, quod Conſtantinus hic præter meritum peſſimè audiat apud Scriptores, ob reprobationem Imaginum, & perſecutor eccleſiæ, Diocletianus, Dæmonum Socius, hoſtis Sanctorum proclametur, ſed ab iis, qui operibus humanarum manuum colendis addicti, imperitorum more,

Digitized by Google

more, niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum putat: ut loquitur *Cluverius in Epitome Hiſtoriarum*, ſub Conſtantino V.

In ſerie REGVM ITALIÆ hoc Seculo ſequitur

A.C. 703. LVITPERTVS puer etiamnum à Cuniperto relictus, cujus proinde nomine *Aſprandus* 8. menſium ſpatio regnum adminiſtravit. Sed & hunc Aſprandum magno prælio ſuperavit, & Luitpertum regno vitaque exuit.

RAGVMPERTVS, Taurinatium Dux, Gundeberti olim Regis filius, cui tamen eodem anno mortuo ſucceſſit

A.C. 704. ARIPERTVS filius. Sed A.C. 712. ASPRANDVS ſupra dictus, cum Bajoariorum, ad quos confugerat, auxiliis reverſus, Aripertum bello aggreſſus eſt, eoque cum theſauris fugiente, & in aquis ſuffocato, regni Longobardici habenas, ſed non diu tenuit. Mortuo enim poſt tres menſes

Succeſſit filius LVITPRANDVS, cujus diuturnius regnum fuit. Is evitatis domeſticis inſidiis, ad priores leges Longobardicas, à Rothari conſtitutas, alias adjecit, & Jus Longobardicum abſolvit. Donationem Alpium Cottiarum, ab Ariperto Rege paulò ante factam Pontifici, confirmavit; ab eodem quoque contra Exarchum in auxilium vocatus. Hic Luitprandus ceperat quidem Ravennam, ditione illa omni in ducatum mutatâ: ſed paulò poſt ope Venetorum Paulus Exarchus Ravennam recepit, & Longobardos rurſus expulit. Solicitatus deinde ab Eutychio Exarcho contra Pontificem, Romam ipſam obſidione cinxit; oratione tamen Pontificis ſe deliniri paſſus eſt, ut deſiſteret. Aliquando & Carolo Martello contra Saracenos auxilio profectus fuit. Cùm graviter ægrotaret, Longobardi ſolennibus ceremoniis in regnum ſublimarunt nepotem ejus Hildebrandum: quod ille convaleſcens quanquam ægrè ferret, tamen confirmavit, & deinceps regni conſortem habuit. Hæc ſumta ſunt ex *Sigonio de Regno Italiæ libr. 3.* & *Paulo Diacono de Geſt. Longob. libr. 6.* qui hic deficit.

A.C. 740. HILDEBRANDVS, poſt Luitprandi avi mortem tantùm 7. menſes imperavit, à Longobardis ejus pertæſis deſtitutus, in ejuſque locum

RACHIS, Dux Forojulienſis, ob virtutis præſtantiam in regnum evectus eſt. Hic oblitus pacis vicennalis, quam juramento firmarat Pontifici Zachariæ, Peruſiam obſidebat. Ad eum in caſtra profectus Papa, muneribus eum delinivit, blandaque deinde oratione adeò perculit

culit animum regium, ut violatam jurisjurandi religionem conaretur monaſtica eluere pœnitentia, depoſitiſque inſignibus, cum filiis & uxore cœnobium intraret. Et hoc eſt, quod ſub Rebus Eccleſiaſt. extat: *Rachu è Longobardorum Rege Monachus Caſſinenſis. Sigonius de Regno Ital. libr 2. Anaſtaſius in Zacharia.*

A. C. 750. AISTVLPHVS, frater ejus, Longobardorum voluntate regno potitus, diverſâ inceſſit viâ. Hic expugnatâ Ravennâ totum Exarchatum in ſuam redegit poteſtatem, *Eutychio Exarcho* Byzantium fugato, ânnis 182. poſtquam in Italiâ conſtitutus eſt Exarchatus. Inde Aiſtulphus ademtis Pontifici, qnas ille ad jura D. Petri pertinere dicebat, civitatibus, nullis, eas ut redderet, precibus movebatur. Quare accenſus Papa Stephanus ad Francicas opes confugit: de qua re poſtea. Vid. iterum *Sigonius libr. 3. & Anaſtaſius.*

Inter RES ECCLESIÆ hujus Seculi notatur:

A. C. 706. *Saraceni Chriſtianis Damaſci primarium templum adimunt.* Eccleſiæ Saracenorum jugo oppreſſæ retinuerunt quidem aliquandiu publici cultus libertatem: quæ tamen paulatim Chriſtianis ademta eſt. Nam primùm Damaſci, ubi tunc ſedes Principum Saracenicorum erat, templum primarium invaſerunt; mox omne religionis exercitium ſuſtulerunt: quod factum eſt anno 718. cùm Haumar depulſus Conſtantinopoli, quam oppugnaverat maxima ſuorum militum jactura, ex cupiditate vindictæ, in ſuis ditionibus ſub capitis pœna interdixit, ne quis Chriſtianos ritus obſervaret, teſte *Theophane*; qui & plures ob hoc martyrium ſubiiſſe ait. Conf. quæ in ſcriptis ſuis memorat *Joannes Damaſcenus*, qui hoc ipſo tempore Scribam Principis Saraceni, Damaſci reſidentis, agebat: de quo poſtea in Viris Celebribus plura.

A. C. 707. SYNODVS TRVLLANA *Quini-Sexta.* Hanc Conſtantinus Ρἱνότμητος convocavit, ut jam ſupra diximus, ſuaſu Callinici Patriarchæ, ex iiſdem Epiſcopis, qui in Sexta œcumenica congregati fuerant. *Trullana* dicta eſt à loco, in quo convenerunt, Trullo nomine, quod erat Secretarium S. Palatii Conſtantinopoli: *Quini-Sexta* verò ideo, quòd quaſi in Quintæ & Sextæ Synodi Supplementum inſtituta erat; ut adderentur ſcil. definitioni fidei etiam Canones Eccleſiaſtici, ſicut in reliquis Conciliis œcumenicis, præterquam in his duobus factum erat. Canones in eo feruntur ſanciti eſſe 103. qui reperiuntur in *Canonum Synodicorum Codice Græco*, quem *Joannes Tilius* Engoliſmenſis

Digitized by Google

ſmenſis Pariſiis editum Cardinali Turnonio nuncupavit. Videatur & *Nicetas Choniates, Theodorus Balſamon,* & *Hugo Æ hereanus libro de Conciliis.* In nonnullis eorum Canonum Rom. Eccleſiæ ritus nominatim carpuntur. Plura de hac Synodo vid. apud *Theophanem, Cedrenum, Anaſtaſium.*

A. C. 712. PHILIPPICVS *Sextam Synodum abrogat.* Philippico Monotheletarum quidam anteſignanus imperium prædixerat, monito, ſi id conſequeretur, ut Sextam Synodum abrogaret: quod & ſtudioſè fecit, convocato in regiam Vrbem Concilio Epiſcoporum, qui veriti, ne Imperatoris iram provocarent, à quo jam Cyrus Patriarcha orthodoxus in exilium ejectus fuerat, in abrogationem conſenſerunt. Vid. *Hiſtor. Miſcell. libr. 20. c. 20. Zonaras Tom. 3. Sigebertus Gemblac. in Chron. Regino libr. 1. Cedrenus, Anaſtaſius in Vita Conſtantini Papæ.*

BONIFACIVS *ex Anglia Monachus, Bavaros, Francos Orientales, Haſſones ac Thuringos docet fidem Chriſtianam. Annal. Fuldenſes ad ann.* 719. Hic Bonifacius ante Epiſcopatum Wunfridus dictus, Germanorum Apoſtolus fuit, à Pontificibus Rom. poteſtate prædicandi evangelium inſtructus, quem & Gregorius II. Germaniæ Epiſcopi titulo inſignivit, cujus ad hunc Bonifacium extat Epiſtola. Ipſius quoque Bonifacii paucæ ad Gregorium & Zachariam Papas Epiſtolæ ſuperſunt. Poſtea hic *S. Bonifacius Moguntinenſi Eccleſiæ præfectus. Fuldenſe monaſterium condidit. Annales Fuld. ad A. C.* 744. Ejus monaſterii Abbas hodieque inter Principes Imperii connumeratus, olim tam potens fuit, ut 60000. militum ſuis ſumtibus alere poſſet. Succeſſit autem in Epiſcopatum Moguntinum, in locum Gervilii (quem *Aventinus* Gebolibum vocat) propter malos mores depoſiti. Et poſtea *Idem in Bavaria quatuor, in Francia Orientali duos inſtituit Epiſcopatus.* In Bavaria quidem Salisburgenſem, Friſingenſem, Ratisbonenſem & Paſſavienſem (olim Fruxinenſis, Reginoburgenſis, Bathavienſis dicti ſunt Epiſcopatus à ſuis urbibus) in Franconia Wirciburgenſem & Eichſtetenſem. *Annal. Fuld. ad ann.* 746. Ipſe Bonifacius poſtea cùm Eccleſias Friſiæ inviſeret à ſe fundatas, occiſus eſt à Friſonibus pietatis Chriſtianæ deſertoribus. *Annal. Fuld. ad ann.* 754. quod notatur in Tab. noſtra ſub titulo Vir. Celebr. ad hunc annum. Plura de hoc Bonifacio vid. apud *Baronium Tom. 9. Annal. ad ann.* 755. & *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 29.* Vitam hujus Bonifacii ſcripſerunt multi. Supereſt *Wilibaldi* Epiſcopi Eichſtetenſis primi, *de Vita S. Bonifacii* liber, in HAGIOLOGIO *Georg. Wicelii* item in *Henr. Caniſii Tomo 4. Antiq. Lect. Part. 2.* quam etiam *Serarius Epiſtolis Bonifacii* adjunxit. Eſt & ab *Athlone* Monacho Fuldenſi ſcripta *Vita Bonifacii,* quam

Digitized by Google

quam exhibet itidem *Caniſius d. l.* & *Laur. Surius Tom.* 3. Ex recentioribus *Lezueri Hiſtoria Bonifacii*, der Teutſchen Apoſtel genant. Add. *M. Cyriaci Spangenbergii* Kirchen-Hiſtorie ꝛc. quæ impreſſa eſt Smalcaldiæ 1603. & *Nic. Serarii Res Moguntiacæ*, quibus & Vitam Bonifacii inſeruit, & multis annotationibus illuſtravit. *Reimmannius in Hiſtor. Liter. German. Sect.* 1. *quæſt* 77. *Arnoldus* in ſeiner Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *libr.* 8. *c.* 1. *p.* 290. Conſulatur autem de hoc Bonifacio *Jo. Aventinus in Annal. Bojis libr.* 3. ubi Epiſtolæ Gregorii Papæ commendatitiæ pro eo exhibentur, nec non una ad ipſum, omnia ex ſuis auctoribus. Ibidem quoque de baptiſmo ab imperito Epiſcopo adminiſtrato, in nomine Patriæ & Filiæ & Spiritus S. Item de Vergilio Epiſcopo depoſito, quod Antipodes ſtatuiſſet: unde ruditas ejus ſeculi, & eximia ſcil. Eccleſiaſticorum eruditio cognoſci poteſt.

A. C. 747. CAROLOMANNVS *è Rege Monachus Caſſinenſis.* Carolomannus hic abuſivè Rex vocatur. Erat enim Major Domûs, penes quem quidem vis principatus, inane verò Regis nomen adhuc penes Childericum fuit. Pipinus demum, frater Carolomanni, plenum Regis titulum accepit: de quo poſtea. Hic ergo Carolomannus abdicato principatu, Seculo valedixit, & in monaſterium Caſſinenſe in Italia, à Benedicto olim inſtitutum, conceſſit, cujus exemplum triennio poſt ſequutus eſt *Rachis è Longobardorum Rege Monachus Caſſinenſis* factus; ſicut ſtatim in Tab. noſtra ſubjicitur: de quo jam dictum. De Carolomanno teſtantur hoc *Annales Fuldenſes* ad ann. 746.

Sub titulo VARIORVM notatur ad

A. C. 712. *Saraceni* HISPANIAM *occupant*, *cæſo* RODERICO *Rege.* Julianus Septæ Comes, cujus filiæ Rodericus, ultimus in hac ſerie ex Gothis Rex, vim intulerat, Saracenos in Hiſpaniam invitavit, ut domus ſuæ caſum patriæ ruinis ulciſceretur. Itaque ex Africa, cujus omnem eam partem, quæ hodie Barbaria vocatur, Saraceni obtinebant, duce primum Taricho tranſportati, in monte Calpe caſtra muniverunt, qui dein à Duce Gebel Tarich vocatus, nunc corruptè Gibraltar dicitur. Cum his congreſſus Rodericus Rex, primò quidem victor videbatur, mox verò ipſe cæſis Gothorum multis millibus in prælio cecidit, & Saraceni ſeu Mauri totam ferè Hiſpaniam occuparunt, ſolis Aſturibus libertatem ſuam adverſus barbaros maſculè defendentibus. Et hic finis fuit potentiæ Gothorum in Hiſpania, quam totam continuis tribus ſeculis tenuerunt. Nam ſequentes quoque Reges, qui in ſingulis provinciis exorti ſunt, ex Gothica

ſtirpe erant. Mutationis autem hujus præſagia in famoſa illa apud Hiſpanos fatali arca extitiſſe, paſſim docent Hiſpanici Scriptores: Palatium Toleti fuiſſe occluſum, & validis vectibus ac ferro munitum, famamque tenuiſſe, reſeratum Hiſpaniæ exitio futurum. Rodericum verò id riſiſſe, & theſauros occultari ratum, ſeras perfringi curaſſe. Tum theſauros nullos, ſed arcam fuiſſe repertam, in arca linteum, & in eo inſolentes hominum facies veſteſque depictas, atque ipſos militari habitu graſſantes, verbaque Latina inſcripta; à tali gente exitium Hiſpaniæ imminere. Vid. *Lipſ. Monit. Pol. cap. 5. Mon. 5. n. 6.* De hac Saracenorum in Hiſpaniam irruptione, & regni Gothici in ea occaſu, videantur Scriptores in *Hiſpania Illuſtrata*; *Ildephonſus, Rodericus Toletanus, Lucas Tudenſis*, &c.

A. C. 714. PIPINVS *obit. Succedit in regni præfectura* CAROLVS MARTELLVS. Ad hunc ipſum annum referunt *Annales Fuldenſes* ſtatim in principio. Huic ſe oppoſuit Eudo Comes Aquitaniæ, qui & Saracenos ex Hiſpania contra ipſum in auxilium vocavit. Sed eos cum innumerabili multitudine Franciam inundantes ingenti ſtrage cecidit Carolus, & Aquitaniam denique mortuo Eudone ſine bello recepit. *Ann. Fuld. Fredegarius.*

A. C. 717. ASTVRES *Pelagio Gotho duce Saracenos latè vincunt in Hiſpaniâ.* Quanquam Saracenorum potentia ſe latiſſimè in Hiſpania extendebat, tamen ſeptentrionaliores ejus partes aliquanto liberiores erant ab oppreſſione barbarorum, Aſturia ſc. Biſcaja & Gallicia. Itaque Pelagius, Gothici Regis Chindavinti nepos, cujus ſororem (ſecundùm alios, filiam) Præfectus Saracenicus apud Aſtures ſtupraverat, quinto poſt victum Rodericum anno, contracta ex popularibus in montanis Aſturiæ, parva manu, numeroſas Saracenorum copias cecidit; iiſque expulſis, novo regno Legionenſi initium fecit, cujus ſedes tunc quidem Oviedo, poſtea ipſa urbs Legio fuit. Id verò eo facilius illi fuit, quòd Saraceni 400000. ſuorum in Franciam miſſis vires exhauſerant; præſertim cùm illis à Carolo Martello propè internecione cæſis, vix 30000. redierint. Itaque Pelagius infirmitate eorum ſtrenuè uſus, ſe paulatim ſtabilivit. Vid. præter alios *Joannes Vaſæus in Chronico Hiſpaniæ.*

ALPHONSVS CATHOLICVS *Gothorum regnum in Hiſpania accipit.* Hic erat gener Pelagii, & quia Arrianiſmum inter ſuos denuò ſerpentem ſtrenuè laboravit extinguere, hinc Catholici cognomen, antehac Reccaredo datum, rurſus accepit. Sed hoc cognomen poſtea demum in ſolennem titulum Regum Hiſpaniæ abiit, cùm Ferdinandus Catholicus ſub finem Seculi XV. extirpatis in Hiſpaniâ Mauris, expulſis Judæis &in-

Digitized by Google

& introductâ Inquiſitione Hiſpanicâ, zelum ſuum pro Pontificia religione magnis documentis comprobaſſet. Sed hoc poſtea factum. Hic autem Alfonſus occaſione diſſidiorum inter Saracenos exortorum, fines ſuos latiùs extendit verſus Galliciam & Biſcaiam. Regnavit annos 19. Vid. *Lucas Tudenſis, Jo. Vaſæus in Chron. Hiſp.* &c.

CAROLVS MARTELLVS *Saxones, Bavaros, Alemannos, Saracenos cadit.* Victoriam ejus de Saracenis partam ad Narbonam, jam ſupra memoravimus. De geſtis contra Saxones, Bavaros & Alemannos, item, ut ea quæ Gothi adhuc in Francia habebant, nec non Provinciam uſque ad mare ſubegerit, vid. in *Annal. Fuldenſ. ab anno* 720. *uſq; ad* 741. quo anno mortuus eſt victorioſus hic Princeps. Et hinc

A. C. 741. *Carolo Martello ſuccedunt duo filii* CAROLOMANNVS *&* PIPINVS: qui obtentu MajorDomatus totius Franciæ regnum ſuſceperunt, & inter ſe diviſerunt. *Annal. Fuld. ad ann.* 741. ubi poſtea de eorum geſtis contra Heraldum Aquitaniæ Ducem, item contra Saxones, Alemannos & Bavaros (quibus poſtremis Pipinus Sororis ſuæ filium Taſſilonem ducem conſtituit) plura ad ſequentes annos notantur. *Carolomannus* quidem ſeptimo poſt anno in cœnobium Caſſinenſe ſe condidit; *Pipinus* verò tandem regio titulo totum Francorum regnum ſuſcepit: de qua re, item, Pipini geſtis contra Longobardos in Italia in defenſionem Pontificis poſtea dicetur.

A. C. 742. CHILDERICVS *poſtremus ex Merovei poſteris Rex Francorum.* Hic cùm & ſtupidus eſſet, &, exemplo anteceſſorum ſuorum, ignavo otio tempus terens, reipubl. curam Majoribus Domûs relinqueret, qui tunc eâ poteſtate pollebat Pipinus cum Papâ Zachariâ egit, ut depoſito Childerico, inque monaſterium detruſo, ipſe regio axiomate ornaretur. Ita Childericus in Monachum detonſus, & (ut in Tab. noſtra ad annum Seculi LII. notatur, & ſub Rebus Eccleſ. ad eundem annum.)

PIPINVS *Caroli Martelli filius ex Palatii Præfecto Rex Francorum exauctorato Childerico* factus, decretoque Pontificis in civitate Sueſſionum à Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino in Regem unctus eſt. *Annal. Fuld. ad ann.* 751. *Eginhard. in Vitâ Caroli M. Adelmus in Annal. Francorum anno* 750. &c. *Jo. Tilius de Rebus Galliæ libr.* 1. In hoc igitur Childerico deſiit prima ſtirps Regum Galliæ ex Merovingis, quæ, ſi inde à Pharamundo deducatur calculus, 334. annis Francico regno præfuit. Itaque qui ſequuntur Reges à Pipino Pipivingi, ſeu potius à Carolo ejus filio, qui etiam axioma Imperii ad Francos tranſtulit, Carolovingi dicti ſunt, quorum ultimus Ludovicus V. ſeu Ignavus fuit. Pipini ſtemma ex *Puteano libr.* 3. *Hiſtor. Inſubr.* exhibet *Rupertus p.* 596.

Digitized by Google

Atrox peſtis Græciam, Italiam &c. *populatur.* Sexto ſeptimoque Conſtantini Copronymi anno hæc peſtis Calabriam, Siciliam, Græciam Thraciamque pervagata, inprimis Conſtantinopoli tantam induxit ſolitudinem, ut cadaveribus veſpillones non ſufficerent, & jumentis impoſita catervatim urbe exportarentur humanda; teſte *Cedreno.*

Inter VIROS CELEBRES hoc Seculo floruit

BEDA, dictus Venerabilis ab epitaphio à diſcipulo ejus conſcripto, quod epitheton ad numeros verſiculi implendos infarſum eſſe ab Angelo credunt. Scripſit multa, quæ recenſet *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 720. *p.* 177. *ſeqq.* Præcipuè hic notari meretur Eccleſiaſtica Anglorum Hiſtoria, quam complexus eſt libris V. & ad A. C. 731. perduxit. Plura de eo vide apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 28. *p* 276. *ſeqq.* & quos ibi citat auctores, inprimis *Matthæum Weſtmonaſterienſem* ad annum 734. quo anno *Beda obiit,* ut ſeorſim in Tabula noſtra notatur. Add. *Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 41. *& Neu in Acceſſionibus p.* 184. *&* 309.

JOH. DAMASCENVS *ſcribit contra Imp. pro ſacris imaginibus.* Hic Joannes Damaſcenus cognomento *Chryſorroas* & *Manſur*, inter Saracenos claruit, & Damaſceni Principis ſcriba fuit, ipſe quidem Chriſtianus. Scripſit librum *de Hæreſibus* ſeu Catalogum Hæreſium; item *Orationes pro defenſione Imaginum* adverſus Leonem Imper. & ſub ejus ſucceſſore Conſtantino Copronymo multa pertulit. De reliquis ejus Scriptis, & ætate quâ vixit, vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 731. *p.* 182. & *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr.* 2. *c.* 34. *p.* 280. Vitam ejus ſcripſit *Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus. Neuius in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *pag.* 284. *Arnoldus Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 7. *c.* 3. *p.* 284. ubi Bedæ laus & ſcripta.

A. C. 730. GERMANVS *Epiſcopus Conſtantinopolitanus obiit in exilio*, in quod à Leone Iſauro pulſus erat, ob pertinacius defenſam iconolatriam. De ſcriptis ejus vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 720. *p.* 177.

A. C. 737. WILLEBRORDVS *primus Epiſcopus Trajectenſis obit.* Scripſit librum de peregrinatione ſua. Vitam ejus *Alcuinus*, brevius autem *Jo. Beka* ſcripſit. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 27. *p.* 275.

In

Digitized by Google

In altera parte hujus Seculi, in ſerie IMPERATORVM ORIENTIS poſt Conſtantinum Copronymum ſequitur

Ad A.C. 775. LEO IV. qui quòd puerulus purpuram induiſſet, conſors factus imperii, ſicut & pater, Porphyrogenneti nomen tulit. Filium ſuum Conſtantinum ex Irene genitum, flagitantibus proceribus, imperii participem fecit. Nicephorum fratrem ad imperium adſpirantem cum auctoribus rebellionis, exilio multavit. Bellum Saracenicum ſtrenuè propulſavit. Sed poſt annos 5. imperii deceſſit, relicto filio impubere. *Hiſtor. Miſcell. libr. 23. Zonaras Tom. 3. Cedrenus.*

A.C. 780. CONSTANTINVS VII. & ipſe Porphyrogennetus, (non confundendus tamen cum poſteriore Conſtantino Porphyrogenneto, principe literatiſſimo) quòd adhuc minorennis eſſet, ex diſpoſitione paterni teſtamenti, *una cum matre Irene* imperare cœpit. Hæc Irene εἰκονολατρείας fautrix, reſtituit imagines, & plebis favorem hinc promeruit. Viribus Saracenorum impar, quorum princeps Aaron, tributum pacta eſt. Filio ſuo *Rotrudim* ſeu *Rotildam* Caroli M. filiam deſponderat quidem, ſed poſtea ei invito *Mariam* quandam Armeniam uxorem obtruſit. Hoc cùm ægrè ferret Juvenis, & videret matrem ſe excluſo omnia pro arbitrio agere, adactis inſuper ſacramento legionibus, ne ſe vivâ Conſtantino dicto eſſent audientes; ope Armeniacorum exercituum, qui ipſi conſtanter adhæſerant, & reliquos quoque exemplo trahebant, matrem à gubernaculis removit, & in Eleutheriano palatio, quod ipſa conſtruxerat, regaliter haberi juſſit: atque ita

A.C. 790. CONSTANTINVS *Irene in ordinem reductâ ſolus regnat.* Altero tamen poſt anno, cùm pararet expeditionem adverſus Bulgaros & Saracenos eandem dignitati reſtituit; ſuo magno malo. Octavo enim poſthæc anno mulier impotens & mater impia *Irene filium excæcatum imperio dejicit*: qui effoſſis crudeliter oculis excruciatus, confeſtim extinctus eſt, poſtquam cum matre & ſolus 18. imperaſſet annos. Vid. iterum *Hiſtor. Miſcell. libr. 23. Zonaras Tom. 3. Cedrenus.*

Ex REGIBVS ITALIÆ ſupereſt ad

A.C. 756. DESIDERIVS *ultimus Longobardorum Rex.* Hujus anteceſſor *Aiſtulphus*, de quo ſupra, jam tum Exarchatum, in quo pars & reliquiæ Imperii Occidentis reſidebant, in ſuam ditionem redegerat.

Eam

Digitized by Google

Eam ob rem *Stephanus* Pontifex ſibi de Roma quoque metuens, Conſtantinpolin miſit petendi auxilii cauſa à Copronymo; ſed deſtitútus eſt Pontifex, ut ratio ei ſubnata videatur, quà alium in regnum Italiæ vocare potuit. A Pipino igitur Francorum Rege auxilium petiit, qui Aiſtulphum Exarchatu rurſus expulit: quapropter deinde à Copronymo ſolicitatus eſt, ut reſtitueret ſibi, quæ Longobardi eripuiſſent: quod ille recuſavit. Aiſtulphus A. C. 755. à pace cum Pipino inita defecit; verùm ab eo iterum ad pacta deditionemque coactus eſt, & ſeq. anno mortuus. Hujus ergo ſucceſſor fuit Deſiderius, qui cùm Hadriano Papæ regiones, quas Pipinus Eccleſiæ Rom. donaverat, eripere tentaret, Pontifex à Carolo M. Pipini filio, Rege Franciæ auxilium petiit. Deſiderius interim cùm neque deprecationibus neque donis flecti ſe paſſus eſſet, à Carolo cum exercitu Alpes tranſgreſſo, fugatus & Ticini incluſus obſidetur. Denique fatigatus diuturna obſidione ſeq; & ſua dedit, & in Galliam cum uxore mittitur. Atque ſic

A. C. 774. Carolus M. *capto Deſiderio Rex Italiæ* factus eſt, eâ ſcil. per hanc victoriam universâ potitus, præter Neapolin & cæteras, quæ Siciliam ſpectant provincias, quæ Imperatorum Orientalium ditioni adhuc ſubjectæ erant. Et Carolus quidem Exarchatum & Pentapolin reddidit Hadriano Pontifici, coactaque Romæ Synodo, Patritius creatus eſt, ac jus ei tributum Epiſcopos inveſtiendi addita lege, ne quis niſi à Rege Carolo laudatus probatuſque acciperet Epiſcopatum. Adelgiſus Deſiderii filius Conſtantinopolin ad Imperatorem Conſtantinum Copronymum fugit.

Hic ergo eſt Finis Regni Longobabrdorum in Italia, quod 206. annis duravit ab Alboino uſque ad Deſiderium. De his rebus & temporibus vid. *Paul. Diaconus in Longobardicis libr. 6. c. 61.* editionis Freheri & Lindebrogii, cui luculentum fragmentum attextum eſt. *Gothofredus Viterbienſis*; *Annal. Franc. Fuld. Carolus Sigonius libr. 3. de Regno Italiæ* &c.

Inter RES ECCLESIÆ hac poſteriore parte Seculi notatur

Ad A. C. 752. S. Bonifacius, *Præſul Moguntinus*, Pipinum *in Regem Francorum perungit.* Depoſito ſcil. & in monaſterium detruſo Childerico ſtupido, ultimo ex Merovei poſteris Rege. Conſultus enim Papa Zacharias per Pipini legatos de ſtatu regni Galliæ, audaciſſimè pronuntiaverat: Childericum in monaſterio includendum, & Pipinum

num in Regem Franciæ inungendum eſſe: quod proinde factum eſt à Bonifacio Ep. Moguntino, (de quo ſupra ſatis dictum) liberique pronuntiati ſunt per Zachariam ſubditi à juramento, quo Regi Childerico erant obligati: pro quo beneficio Pipinus Eccleſiæ Rom. utilem ſæpe operam præſtitit, bis in Italiam cum exercitu profectus, ut Aiſtulphum Longobardorum Regem, per quem Exarchatus Ravennatenſis ſubverſus eſt, ab invaſione Romanæ urbis arceret. Dicitur etiam urbes Longobardis ereptas, quæ ad Exarchatum pertinebant, Romano Pontifici donaſſe. Sed de his rebus jam ante dictum. Conſulantur *Annal. Franc. Fuld.* ad ann. 751. & 752. *Eginhardus in Vita Caroli M. Adelmus in Annal. Franc. ann.* 750. *Anaſtaſius Bibliothecarius in Zacharia*; *Leo Oſtienſis, Platina in Zacharia, Naucler. Gener.* 26.

A. C. 754. SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA 338. *Epiſcoporum damnat imaginum in templis uſum.* Hæc Synodus œcumenica dicitur, quanquam Decreta ejus ab occidentalibus eccleſiis non recepta, in Oriente tamen publicata ſunt. Etenim ipſe Patriarcha Conſtantinopolitanus Conſtantinus, præſente Imperatore, pluribuſque Coëpiſcopis, in foro coram omni populo, venerandarum Imaginum cultum interdixerunt, idololatras eos, qui colebant illas, appellantes: uti verba habent apud *Zonaram* Tom. 3. ſub Conſtantino Copronymo.

LEO *Imp. in reprimendo imaginum cultu patrem avumq; æmulatur.* De Zelo hujus principis adverſus imaginum cultum, ex quo Theophanem & alios hujus ſuperſtitionis propugnatores pœnis affecit, etiam in aulicis & ipſa conjuge ſua Irene eam damnans. Vid. *Hiſtor. Miſcell. libr.* 23. *c.* 7. *Zonaras Tom.* 3. *Cedrenus in Synopſi.*

A. C. 780. OSNABRVGENSIS ECCLESIA *prima in omni Saxonia à Carolo conſtituta.* Carolus M. Rex Francorum non belli magis quàm pacis artibus inclytus fuit; inprimis autem pietatis cultor eximius, cui nihil magis curæ cordique fuit, quàm ut ſacra Chriſtiana propagaret promoveretque; idololatriam deſtrueret, cultum divinum ordinaret. Nam & domitos à ſe Saxones & toties rebelles, nonniſi Chriſtiani pactione ritus in gratiam recepit eorumque idola deſtruxit: & multos in Saxonia Epiſcopatus inſtituit dotavitque, quorum nomina juxta alphabethi omnes literas recenſentur. Inter hos primus fuit inſtitutus Epiſcopatus Oſnabrugenſis in eâ parte Saxoniæ, quæ Weſtphalia dicitur. Præterea Scholis conſtituit reditus, atque Italia evocavit, qui his præeſſent, bonaſque artes docerent. Videatur *Eginhardus in Vita ejus. Albertus Crantzius in Metropoli libr.* 1. *c.* 2. & in *Saxonia libr.* 2. *c.* 11. *Oſnabrugenſe Chronicon*, quod *Ertuinus Erdmannus* cum notis & continuatione edidit.

Digitized by Google

A. C. 787. SYNODVS NICENA II. *contra Iconoclaſtas.* Inſtituerat quidem Irene Auguſta cum filio Conſtantino Synodum Conſtantinopoli habendam, qua decretum de tollendis imaginibus abrogari debebat: ſed ea diremta eſt ſeditione militum; cùm nonnulli in reſtitutionem quidem conſentirent, adorationem tamen earum improbarent. Anno verò Chriſti 787. Niceæ convocata eſt ſeptima œcumenica Synodus falſò dicta, ubi convenere 350. Epiſcopi, à quibus Imaginum cultus ſancitus eſt, & quæ à tribus Auguſtis, Leone Iſauro ejuſque filio ac nepote circa imagines decreta fuerant, & præcedentium Synodorum roborata auctoritate, omnia ſunt abolita. Ei Synodo præfuerunt legati Hadriani Pontificis. Vid. *Zonaras Tom. 3. Auctor Hiſtoriæ Miſcellæ libr. 23. c. 20. 21. 22.* qui quidem & ipſi iconolatræ hanc Synodum probant. Sed *Auctor Annalium Franc. Fuld.* ad annum 794. Pſeudo-Synodum vocat. *Pſeudo-Synodus*, inquit, *Græcorum pro adorandis imaginibus habita, & falſo ſeptima vocata, ab Epiſcopis damnatur.* Vid. de eâ & *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 8. c. 4. p. 299.*

A. C. 791. PARISIENSIS ACADEMIA *à Carolo M. inſtituitur.* Hoc inter præcipua curarum habuit magnus ille princeps, ut paſſim ſcholas fundaret, in quibus bonæ artes excolerentur. Itaque & Lutetiæ, conſilio Alcuini præceptoris ſui, inſtitutam Scholam inſignibus privilegiis inſtruxit: cujus ſequentibus temporibus tanta celebritas fuit, quantam vix ulla alia Academia adepta eſt. De inſtitutione hujus Academiæ vid. *Eginhardus in Vita Caroli M. Vincentius Speculo Hiſtoriali. Sabellicus Ennead. 8. libr. 9. Gaguinus libr. 4. c. 1. Jac. Middendorp. libr. 2. de Acad. Orbis Chriſtiani. Claudius Hemeræus, Doctor* Sorbonicus, in Tractatu *de Academia Pariſienſi, qualis primùm fuit in inſula & Epiſcoporum Scholis, edito 1637. Lugduni 4.° Launoy Tract. de Scholis celebrioribus*; cujus pars maxima de Academia Pariſienſi agit. Eſt & *Ejuſdem Hiſtoria Regii Navarræ Gymnaſii Pariſienſis.*

A. C. 794. SYNODVS FRANCOFVRTANA *præſente Carolo Felicem & Elipandum Hiſpanos Epiſcopos, cultum item Imaginum damnat.* Poſtquam Hadrianus Papa Decreta Synodi Nicenæ ad Carolum miſiſſet, hic Francofurtùm convocavit concilium 300. ferè Epiſcoporum, tum eâ ſuper re, tum ut Elipandi Toletani & Felicis Orgelitani in Hiſp. Epiſcoporum dogma examinaretur; qui Chriſtum hominem minori dicebant afficiendum honore, quàm DEVM, adeoque Neſtorianiſmum reducere velle videbantur. In ea igitur Synodo Francofurtanâ horum dogmate damnato, decernitur, Chriſtum etiam ſecundùm carnem dicendum non adoptivum, ſed verum DEI filium. Vid. *Arnold. Hiſtor Eccleſ. & Hæret. libr. 8. c. 5. p. 301.* Præterea damnata eſt Imaginum

ginum veneratio tanquam impia & divinis legibus contraria, & Synodus Nicena II. tanquam ſpuria, rejecta. *Annal. Fuld. ad ann.* 794. Conf. *Jac. Vſſerius de Chriſtianarum Eccleſiarum ſucceſſione & Statu cap.* 2. qui libellus ad hanc Eccleſiaſticæ hiſtoriæ partem, eorumque quæ ſequuntur ſeculorum, omnino pertinet. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib.*8. *c.*4. *p.*299.

Ad VARIA tranſeundum, in quibus memorantur hæc:

A. C. 752. PIPINVS *Caroli Martelli filius, ex Palatii Præfecto Rex Francorum, exauctorato Childerico.* Jam notatum ex ſuis auctoribus ad illud: *Childericus poſtremus ex Merovei poſteris* &c. & ad illud *ſub Tit. Rer. Eccleſ. S. Bonifacius Præſul Moguntinus* &c.

PARLAMENTVM PARISIENSE *inſtitutum.* (Ab interpolatoribus hoc eſt.) Parlamenta quidem in Gallia hodie ſunt XI. Sed inter ea ſupremum eſt Pariſienſe, à quo & edicta regia confirmari, ſeu, phraſi uſitatà, verificari ſolent. Confirmatum poſtea novis legibus, & Pariſienſi Vrbi conſtanter affixum fuit per edictum Philippi Pulchri anno 1302. Quanquam noſtro tempore multum diminuta eſt auctoritas ejus priſtina. Hoc igitur Parlamentum primitus Pipinus inſtituit, teſte *Fredegario.* Ex recentioribus conſulendi ſunt Galli præſertim, qui de hoc argumento ſcripſerunt, *Cl. Fauchet dans ſes Origines des Dignités & Magiſtrats de France*: *Pierre de Miraumont Memoires ſur l'origine & inſtitution des Cours Souveraines,* &c.

A. C. 762. TVRCÆ *portis Caſpiis effuſi Armeniæ incumbunt, & Saracenos oppugnant.* Turcæ primùm ſub Heraclio Imp. noti eſſe cœperunt, qui eorum auxiliis uſus eſt in bello Perſico, ut ſupra diximus. Hoc verò tempore (quanquam *Auctor Hiſtoriæ Miſcell.* ad annum 24. Conſtantini Copronymi refert, qui eſt A. C. 765.) eruptionibus factis ex portis Caſpiis, Armeniam perſultarunt, inde & Iberiam, uſi occaſione diſſidiorum inter Saracenos exortorum, & præda graves reverterunt domum. *Cedrenus. Hiſtor. Miſcell. lib.*22. *c.*37. Nondum tamen hinc eorum potentiæ initium fuit; ſed Seculo demum undecimo ſub Romano Argyro vel Conſtantino Monomacho, Orientis Imperatoribus, Saracenis oppreſſis prævaluerunt. De origine autem Turcorum videatur ex vetuſtioribus *Laonicus Chalcocondylas Hiſtor. Turc. lib.* 1. ex recentioribus *Leunclavius in Hiſtor. Muſulmanica*, & *in Pandectis Turcicis. Rupertus Obſerv. ad Synopſin Beſoldi p.* 616.

A. C. 768. CAROLVS M. *Rex Francorum coronatur*, patris ſcil. Pipini in regno Franciæ ſucceſſor, quod primò quidem cum Carolo-

 manno

manno partitus, ſed ſequuto ejus poſt biennium obitu ſolus obtinuit, princeps verè magnus, de quo aliqua jam occupavimus dicere, & deinceps dicemus, ſecundùm ea lemmata, quæ in Tab. noſtra conſignata ſunt. Vberius autem ejus res petendæ ſunt ex auctoribus, qui eas ſcripſerunt, *Eginhardo in Vita Caroli, & in Annalibus*, item, *Annalibus Franc. Fuld. Annal. Aſtronomi ejus ætatis, Scriptore Anonymo a Pithoeo edito, Poëta Anonymo de rebus geſtis Caroli M. Religioſo cœnobii Engeliſmenſis in Vita Caroli M. Reginone lib. 2.* Ex recentioribus *Vitam Caroli M.* ſcripſit *Donatus Acciajolus,* quæ ſolet addi Vitis Plutarchi ab ipſo in Latinum converſis. Eſt etiam inter Diſſertationes *Bœcleri Hiſtoria Caroli M. Tom. II. p.* 138. Add. laudati modo *Bœcleri Hiſtoria Seculi IX.* ſtatim ab initio. Item de Carolo M. ejus religione, pietate & virtutibus, nec non ſuperſtitione & vitiis vid. *Arnold. in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. lib. 9. c. 1. p. 302. ſeqq.* Tempus coronationis ejus in Regem Francorum ſpeciatim denotant *Annales Fuld.* ad hunc annum & *Regino lib. 2.*

A. C. 772. INITIA BELLI SAXONICI *per annos 33. continuati.* Contra Saxones quidem vicinos etiam pater Caroli Pipinus & avus Carolus Martellus bella geſſerant. Hoc verò anno, qui eſt Seculi 72.dus, à Carolo id ſuſceptum bellum, & quia Saxones, quamvis magnis prœliis victi, ad quaſcunque defectionis occaſiones id reparabant, in longum tractum eſt; donec tandem Witechindus M. Saxonum Angrivariorum Dux fidem Chriſtianam ſuscepit, Bardovici baptizatus, & reliquiæ belli non magno negotio per Caroli duces profligatæ ſunt, edomitis Saxonibus, & ad fidem Chriſtianam adactis. Vid. inprimis *Eginhardus in Vita Caroli M.* & reliqui quos ſupra allegavi Scriptores rerum Caroli. Ex recentioribus nemo diligentius hanc partem hiſtoriæ executus eſt, quàm *Carion in Chronico*, quod ad hæc tempora à *Philippo Melanchthone* deſitum, continuavit, & auxit *Peucerus.* Pertinet etiam ad hiſtoriam hujus belli Saxonici illuſtrandam inter Diſſertationes Bœclerianas ea, cui titulus eſt: *Witikindus Magnus. Tom. II. p* 83. Eo bello durante, alia quoque confecit Carolus, inter quæ eſt

A. C. 778. CAROLI *in Hiſpaniam contra Saracenos expeditio* Profectus enim in Hiſpaniam, feliciter rem geſſit contra Saracenos, & totam citeriorem Hiſpaniam uſque ad Bætin fluvium recepit. Rediens autem in ſaltibus Pyrenæis per inſidias graviſſimè cæſus fuit à Vaſconibus, populo Aquitaniæ: ubi etiam Rolandum, ſororis ſuæ filium amiſit, decantatiſſimum heroëm; cui & epitaphio latinè ſcripto parentavit: quod exhibetur in *Carionis Chronico.* Præter ſupra nomina-

nominatos videatur *Jo. Turpinus*, qui, ut eſt fabulis deditus, mira multa narrat.

A. C. 730. *Carolus* WITEKINDVM *Saxonem ſuperat*. Duobus maximè præliis ipſe Carolus de Saxonibus & Witekindo victoriam reportavit, & quidem uno menſe commiſſis, paucorum dierum intervallo: uno ad montem, cui Sacellum poſtea impoſitum, Divini auxilii nomine; altero ad fluvium Haſam. Vtriuſque prælii locum adhuc hodie incolæ monſtrant. Vide Scriptores ſupra indicatos, & præſertim *Diſſertationem Bæclerianam de Witekindo M.* in quam multa ex *Monumentis Paderbornenſibus* excerpſit. Nec non C. S. *Schurzfleiſchius Witekindum M.* ſingulari *Diſſertatione* expoſuit, quæ in *opere* ejus *Hiſtorico-politico* 1698. recuſa extat.

A. C. 791. *Carolus* AVARES *ad Rabam fl. magnâ ſtrage fundit*. Avares & Hunni regnum Bojorum, quod paulò ante Carolus victo Taſſilone òccupaverat, ductis in illud exercitibus populabantur. Hos ergo Carolus 8. annorum continuo bello primùm debilitatos, tandem edomitos, & toto eo tractu, quem incolebant Bojis vicinum, ſubmotos depulit ultra Arrabonem amnem, qui antiquitus ſuperiorem Pannoniam ab inferiore diſcrevit. Primo belli anno, qui fuit A. C. 791. maximam partem nobilitatis Hunnorum felici prælio delevit, cui ipſe & adfuit & præfuit: (idque eſt prælium, quod hic notatur) reliquis 7. annis adminiſtrationem rei bellicæ commiſit Ludovico filio ſuo. Scriptores qui ſupra. Add. *Chronicon Carionis*, ubi plura de Avaribus, & regionibus iis, quas poſſidebant.

A. C. 800. CAROLVS *Romæ a Leone III.* IMPERATOR AVGVSTVS *declaratus* 14. *annos imperat*. Carolus quidem non electione neque Pontificis neque populi Rom. ſed jure belli ad imperium pervenit, quod tamen novo titulo inſcriptum eſt, nempe Populi Romani conſenſu & Pontificis coronatione; quamvis titulus hic tantùm ad ſolennitates pertineat. Alii aliter hac de re loquuntur. Scriptores, qui hoc totum auctoritati Pontificis tribuunt, Populum Romanum, cujus tanquam primarius civis in hoc negotio conſiderandus ſit Pontifex, dicunt aliquod jus habuiſſe, ex antiquo ſuo jure relictum, transferendi Imperium ſuum ſive Imperii jus: quorum tamen neutrum amplius habebat, quippe quod alii juſtis bellis jam acquiſiverant. Vid. *Artopœus Diſſ. 8. de S. mm. Or. Imp. §. 3. Rupertus in Obſerv. ad Synops. Beſold: pag.* 627. ita pronuntiat: Populus Rom. Caroli Franc. Regis fortitudine multis ſeditionibus aliiſque calamitatibus explicitum ſe videns, ac propterea de futuris ſolicitus, hoc velut fulcrum rebus ſuis prudenti conſilio ſubjecit, & dictum Principem manu & bene-

dictione Leonis Pontificis uſus, Auguſti nomine ac titulo conſecravit, ipſo Natalis Dominici die A. C. 800. Vide eundem *Rupertum* pluribus de hac coronatione agentem *d. l.* Quomodo autem hæc coronatio peracta ſit, amplius notat *Eginhardus in Annal. ad A. C.* 801. & *Regino ad eundem annum*, & cæteri à *Ruperto p.* 628. notati. Add. *Conring Exerc. de Imp. Rom. Germanico.* Suſcepit autem hoc axioma imperii Carolus, cùm jam 32. annos Rex Francorum eſſet: & Imperator ſupervixit annos 14. De finibus autem Imperii, ut & de titulo hoc tranſegit poſtea cum Imperatoribus Conſtantinopolitanis. Videatur *Theophanes in Chronicographia.* Conf. *Carion in Chronico.*

VIRI CELEBRES hoc Seculo reſtant,

S. BONIFACIVS *à Friſiis interficitur.* Notant *Annales Franc. Fuld. ad ann.* 754. De ipſo Bonifacio jam ſatis diximus.

THEODORVS STVDITES, Monachus fuit, & imaginum propugnator, qui, quod improbabat divortium Conſtantini Imper. cum Maria conjuge, in exilium ab eo miſſus eſt. Ejus extant quædam *Epiſtolæ* in Bibliotheca PP. *Catecheſes* item, & *Homiliæ de Cruce.* Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. p.* 188. *ad ann.* 820. Scripſit & *Vitam S. Platonis Abbatis. Voſſius de Hiſtor. Græc. libr.* 2. *c.* 24. *p.* 283. *Arnold. in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 9. *c.* 3. *p.* 313.

ALCVINVS ALBINVS Caroli M. Præceptor, atque eidem poſtea ab eleemoſynis & Sanctioribus Conſiliis fuit: vir, ut tunc erat Seculum, doctiſſimus. De quo & ſcriptis ejus videatur pluribus *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 30. *p.* 289. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 780. *p.* 186. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 8. *cap.* 3. *pag.* 298. Nonnulli, interque eos *Simlerus in Bibliotheca*, ipſi tribuunt *Vitam Caroli M.* quæ aliàs Eginhardi foetus creditur. *Neu in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. Sect.* 4. *p.* 58. Vita ejus à coævo quodam ſcripta, Operibus ejus, quæ Pariſiis junctim edita ſunt, annexa eſt.

PAVLVS DIACONVS Aquilejenſis, Deſiderio ultimo Longobardorum Regi à ſecretis fuit, & ſub finem vitæ Monachus Caſſinenſis. Scripſit præter alia libros VI. *de Geſtis Longobardorum*, Continuavit etiam *Eutropium* in *Hiſtoria*, quæ *Miſcella* vocatur, undecim ejus libris additis V. aliis; nam qui ſequuntur à decimo ſeptimo, non ſunt ipſius, ſed à *Landulpho Sagace* additi creduntur. De cæteris ejus ſcriptis vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 774. *p.* 185. Inprimis verò conſulatur de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 30. *p.* 290. *Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 24. *& Neu in Acceſſ. p.* 159. *& in Mantiſſa pag.* 58.

A. C.

Digitized by Google

A. C. 781. WILLIBALDVS *primus Eichſtetenſis Præſul obit.* Scripſit hic Willibaldus *Vitam S. Bonifacii,* cujus ex Sorore nepos fuit. Item *Vitam Walpurgæ* ſororis ejus. Plura de eo vid. apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 29. p. 286.*

GEORGIVS SYNCELLVS Monachus fuit, & Syncellus Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani. Nam hoc nomen eſt officii, ejus qui Patriarchæ proximus, & deſignatus defuncto ſucceſſor, ut hodie Coadjutor in Epiſcopatibus. Scripſit hic Georgius *Chronicon,* quod morte præventus perduxit ad Maximianum & Maximinum tyrannos. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr. 2. c. 24. p. 284. Neu. in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. pag. 261. ſeq.*

GEORGIVS THEOPHANES priori Syncello familiaris, cujus & *Chronicon* continuando pertexuit uſque ad obitum Nicephori Logothetæ; & initium Michaelis Curopalatæ. *Voſſius* Chronicon ejus uberrimum vocat: quod interpretatus eſt *Anaſtaſius Bibliothecarius.* Vide ipſum *Voſſium de Hiſtor. Græc. libr. 2. c. 24. p. 285. Neuium in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. p. 168.*

JOANNES SCOTVS, diſtinguendus à Joanne Duns Scoto, qui demum Seculi XIV.ti initio floruit. Hic verò Bedæ diſcipulus fuit, & Alcuini æqualis. Scripſit in *Evangelium Matthæi* libros III. *De Officiis Humanis* librum I. *De Diviſione Naturæ libr. I.* teſte *Geſnero in Biblioth.* Miror hunc Scriptorem omiſſum eſſe à *Bellarmino.*

A. C. 795. HADRIANVS I. *Papa Rom. obit.* Hic ideo memoratur inter Viros Celebres, quia præter Epiſtolas aliquammultas, etiam ſcripſit librum pro defenſione Synodi Nicenæ II. quam Pontificii Synodum Septimam œcumenicam vocant, & reſponſionem ad librum miſſum è concilio Francofurtano, quem inficiantibus licet Pontificiis, ipſe Carolus conſcripſit. Librum hunc Carolo abjudicat etiam *Bellarminus*: quem vide *De Scriptoribus Eccleſ. p. 184. ad annum* 772.

TAB. XX. & SEC. IX.

In Tabula XX. ſub IMPP. OCCID. memoratur:

A. C. 801. CAROLVS M. *Saxones Tranſalbinos in Galliam transfert, Danos & Venetos comprimit.* Saxones Tranſalbini, alias Nordalbingii, ita dicebantur, quod ultra Albim ad Septentrionem habitabant, ubi nunc Holſati & Stormari. Eorum magnam partem in Franciam tranſtulit Carolus, & pagos eorum Obotritis & Vandalis conceſſit habitandos. *Annal. Franc. Fuld.* & *Regino libr. 2. ad annum* 804.

Hanc

Digitized by Google

Hanc Caroli expeditionem adverſus Nordalbingios Saxones vicinus Daniæ Rex Godefridus ægrè ferens, fines ſuos vallo munivit, utriuſque Oceani complexus litora. Biennio poſt idem Godefridus Friſiam invaſit, ſed occiſus à ſatellite ſuo, ſucceſſorem habuit fratris filium Henningum, cum quo Carolus anno ſeq. pacem fecit. Præter ſupra dictos vid. *Saxo Grammaticus in Hiſtor. Dan. libr.* 8. Venetos autem cum Beneventanis repreſſit Carolus per Pipinum filium Italiæ Regem, reſtitutaque Nicephoro Orientis Imp. Venetia, pacem cum Græcis fecit. *Regino libr.* 2. ad A. C. 802. & 803. *Annal. Fuld. ad eoſdem annos. Annal. Adelmi.*

A. C. 805. *Filiis hæreditatem tripartitò dividit.* Habebat Carolus tres filios ex Hildegardi uxore ſuſceptos, Carolum, Pipinum, Ludovicum, inter quos, teſtamento facto in Theodonis villa, quod à Proceribus regni ipſoque Papa, cui tranſmiſit, confirmatum eſt, regnum diviſit, ut ſciret quiſque, quam partem tueri & regere deberet, ſi patri ſuperſtes eſſet. *Regino* & *Annal. Fuld.* ad A. C. 806. Sed Pipino Italiæ Rege & Carolo, cui Germania in partitione ceſſit, ante patrem mortuo, ſuperſtes fuit

A. C. 814. LUDOVICUS PIUS 27. quem prius Galliæ & citerioris Hiſpaniæ Regem fecerat pater, imo etiam in conſortium imperii aſſumſerat; quod quando factum ſit, notat *Eginhardus in Annal. & Vita Caroli.* Spectant huc quoque quæ habentur in *Annalibus Francicis*, qui Aſtrologo cuidam Ludovici Pii vel Caroli tribuuntur. Carolo igitur mortuo, poſtquam vixiſſet annos 72. ſolus imperio præfuit Ludovicus. Etſi enim Bernhardus ipſius ex fratre nepos Italiam haberet, illi tamen velut Superiori jure dignitatis Auguſtalis ſubjectus fuit; quod obſequium cùm is exuere vellet, bello victus captuſque & oculis privatus eſt à Patruo, ex quà injuria paulò poſt deceſſit. Et hoc eſt, quod in Tab. noſtra ſeorſim notatur:

A. C. 817. BERNARDUS ITALIÆ REX *à patruo Imp. deſciſcens bellum movet infeliciter.* Eo facinore in ſuum ex fratre nepotem Ludovicus Impii potius quàm Pii cognomen meruiſſe cenſendus eſt. Sed hoc elogium ei tributum eſt ob dotationes Eccleſiarum ac Cœnobiorum exſtructiones, ac reliquam in Clerum benignitatem, potius quàm ob ſolidæ pietatis ſpecimina. Secuta deinde eſt

A. C. 830. CONIURATIO PROCERUM *contra Ludovicum Imp.* ſeu filiorum potius, qui à Proceribus quibuſdam & inprimis Epiſcopis impulſi, odia & clandeſtinas molitiones novercæ prætexentibus, in patrem inſurrexerunt. Susceperat enim Ludovicus ex priore matrimonio cum Hermingarde tres filios, Pipinum, Lotharium, & Lu-

dovicum

Digitized by Google

dovicum, interque eos initio ſic regna diviſerat, ut Pipino Aquitaniam regendam daret, Ludovico Italiam, Lotharium Franciæ Regem & Socium in Imperio crearet. Cùm verò ex alterâ conjuge, Welphi Comitis filia, deinde Carolum Calvum ſuſcepiſſet, & hinc aliquam regnorum partem de cæterorum partibus decerptam attribuere vellet, priores filii Patri rebellarunt, eique in ordinem redacto regnum abrogarunt, novercâ in cœnobium etiam incluſâ. Ope tamen Procerum Germaniæ potiſſimùm Imperator captivitate exemtus, & in regnum reſtitutus eſt. Factum hoc eſt inſtitutis in eam rem comitiis A. C. 830. Sed ſequuta eſt triennio pòſt

NOVA FILIORVM CONTRA PATREM IMP. CONSPIRATIO: quæ duæ conjurationes probè ſunt diſtinguendæ. Ad hanc poſteriorem conjurationem pertinet querela Ludovici de perfidiâ militum & horrendo ſcelere filiorum in ejiciendo Patre: quæ querela edita eſt à *du Cheſne Tom. 2. p. 136.* Cauſabantur autem filii ex priore conjugio nati patrem novercæ ſuggeſtionibus, pro ſuo filio nimis laborantis, plus debito deferre; atque hinc inter filios & patrem bellum natum, ac denuò Ludovicus regno dejectus eſt: ſed tunc quoque, conventibus Procerum & Epiſcoporum ſuper ea re habitis, Imperium ei reſtitutum eſt, & filii ab eo in gratiam recepti. Quorum Pipinus ante Patrem mortuus eſt: reliquis tribus filiis, nova inſtituta diviſione, Pater deinde per teſtamentum reliquit, Lothario quidem Italiam cum Provincia & Gallia Belgica à Moſa uſque ad Rhenum; Ludovico quicquid trans Rhenum fuit; Carolo quicquid à Moſa ad Oceanum & Pyrenæos montes. Lothario etiam Imperatoria jura ac titulos aſſignavit. Vnde apparet, Imperium tunc hereditarium & ſucceſſivum, Franciæ verò regnum etiam Patrimoniale fuiſſe. Mortuus eſt Ludovicus Pius A. C. 840. Imperii 27. ætatis 64. Scriptores rerum hujus Imperatoris ſunt *Theganus* à Du Cheſne & Pithœo editus, qui præcipuus eſt; *Scriptor Anonymus Vitæ Ludovici* à Pithœo editus, *Annales Bertiniani, Annales Fuldenſes, Regino.* Add. *Commentar. Bœcleri de Ludovico Pio in Hiſtor. Sec. IX.*

A. C. 840. LOTHARIVS (15.) igitur Imperator declaratus à Patre, qui & in conſortium Imperii eum admiſerat jam anno Chriſti 823. quo Romæ coronatus eſt à Paſchale Pontifice, non contentus hac prærogativa imperii, qua præ cæteris fratribus inſignitus fuit, Ludovici quoque invaſit portionem, mox etiam Caroli, velut jure ſuperioritatis: nondum enim Francicum Imperium ſic diviſum erat, ut diſtincta re-

gna haberentur; ſed ut minores natu fratres illi, qui imperatorium habebat axioma, certis legibus obligarentur. Hinc ergo

A. C. 841. FUNESTUM INTER REGES FRATRES, LUDOVICI PII FILIOS, DISSIDIUM natum, bellumque conflatum eſt, quo totius Francici imperii robur & vis omnis concidit. Lotharius autem bis victus à fratribus, ſemel ad Fontinatam villam anno 841. in quo prælio utrinque plus quàm 100000. Francorum ceciderunt; rurſus ad Argentoratum, Matiſconem denique confugiens, ut repararet exercitum dilapſum, interventu Procerum ad concordiam diviſionemque regnorum adactus eſt. Tùm demum in 4. portiones Francorum diviſa eſt potentia; Ludovico, qui exinde Germanicus dictus eſt, quicquid trans Rhenum erat ceſſit, & præterea civitates 3. cis Rhenum, vini gratia, ut dicebant, Moguntia, Spira, Wormatia: Carolus Calvus occidentalem Galliam ſortitus eſt à Moſa uſque ad Oceanum: Pipino & Carolo Pipini filiis Aquitania eſt conceſſa, è qua poſtea à Carolo expulſi, & in clericorum ordinem redacti ſunt: Lotharius verò Provinciam, Burgundiam, atque unà Galliam Belgicam, quæ inter Moſam & Rhenum eſt, accepit, exceptis 3. illis urbibus, quas ſupra diximus, & præter hæc Italiam cum axiomate Imperii: quæ omnia ex *Nithardo*, qui & bella fratrum, juſſu Caroli Calvi deſcripſit, & tractationi pacis interfuit, nobis conſtant. Fuit autem *Nithardus* hic Caroli M. nepos ex Bertha filia ab Eginhardo ſuſceptus. In hæc ergo tempora congruit prima regni Francici diviſio: coëgerunt enim fratres Lotharium, ut regnum divideret, & paciſceretur, nec poteſt jam ſub Lothario affirmari, imperium ſub uno fuiſſe, ſicut ſub Ludovico. Vide *Annales Bertinianos ad A. C. 844. & 851. & Bœcleri Cæſares p.* 105. Lotharius verò tandem malorum conſiliorum pertæſus, imperium Ludovico filio contulit cum Italia, & inter filios Lotharium & Carolum regnum diviſit. Lotharingia nomen accepit, non à Lothario Seniore, quod tamen *Regino Prumienſis* aſſerit A. C. 812.

Ipſe dehinc *Lotharius imperio ſe abdicat, & ex Imp. Monachus, in Prumienſi cœnobio obit*: ut in Tab. noſtra partim ſub hoc titulo, partim ſub rubrica Regum Eccleſiaſticarum extat. Mortuus autem eſt, nondum hebdomade una in cœnobio exacta, cùm poſt Patrem imperaſſet annis circiter 15. Scriptores ſunt præter *Nithardum* ſupra dictum, qui hic proprius eſt, *Anſegiſus Abbas cœnobii Lobienſis*, à quo Caroli M. & Ludovici Pii *Leges eccleſiaſticæ & mundanæ*, ut vocat, collectæ ſunt. Cæteri ſupra dicti. *Bœcler. Hiſtor. Sec. IX. in Lothario.*

Venimus

Venimus ad IMPERATORES ORIENTIS, qui Carolo M. Ludovico Pio & Lothario, occidentalibus, coævi fuerunt. Inter hos primo Seculi hujus anno ad Imperium pervenit

NICEPHORVS LOGOTHETA *dejecta Irene.* Hic cùm eſſet Patritius, comparata ſibi factione, & decepto per mendacium populo, Irenen primùm cuſtodiæ mancipavit, mox in Inſulam Lesbon relegavit, ubi illa in exilio mortua; ipſe coronatus eſt Imperator. Bardanem deinde, quem exercitus invitum creaverat Imperatorem, amovit; à Saracenis ſub pactione tributi pacem per dedecus redemit, & mox perfidè violavit. Cum domi tyrannice & avarè imperaſſet annos 9. in expeditione contra Grunnum Bulgarorum principem, ipſe cum toto exercitu interneciva clade periit, & malè geſti imperii malum exitum habuit. Ex ejus cranio poculum confecit Grunnus. Filius quoque ejus Stauracius Cæſar in collo vulneratus evaſit quidem, paucis tamen poſt menſibus ex eo vulnere deceſſit. Vid. *Hiſtor. Miſcell. libr. 23. fin. & libr. 24. Zonaras Tom. 3. Theophanes. Cedrenus.* De Imperio verò Conſtantinopolitano generaliter hoc notandum eſt, quod ab hoc tempore ferè nonniſi ignavos Principes habuerit, & ſubinde magis defecerit. Compendioſiſſimam rei Conſtantinopolitanæ, uſque ad noviſſimum tempus, deſcriptionem exhibet *Rupertus ad Synopſin Beſoldi p. 599. ſeqq. ex Freheri Tom. 2. Rerum Germanicarum*, quæ meretur legi, & pro generali σκιαγραφίᾳ ſufficere poteſt. Nobis quoque in enarrando hos Imperatores, deinceps brevioribus eſſe licebit, niſi ubi ſingularia aliqua occurrent, aut connexio cum rebus Occidentis uberiorem deductionem requiret.

A. C. 811. MICHAEL CVROPALATES voluntate populi factus eſt Imperator, & tertiò poſt occiſum Nicephorum menſe coronatus. Prius tamen ab eo Nicephorus Patriarcha chirographum exegit, quo promittebat manus abſtinere à clero & monachis. Ad Carolum M. legationem miſit, unam ex filiabus ejus uxorem petens filio ſuo Theophylacto, quem & coronari fecit. Etiam hic cum Bulgaris infeliciter bellum geſſit, & cum offerenti pacem Grunno iis quas ferebat conditionibus, concedere noluiſſet, victus denuò & ſpoliatus exercitu, imperium cum monaſtico habitu commutavit, poſtquam id biennio geſſerat. *Hiſtor. Miſcell. libr. 24. Zonaras Tom. 3. Cedrenus. Theophanes.*

Digitized by Google

A. C. 813. LEO V. ARMENIUS (*Iconomachus*) ad imperium invitatus, primò recuſavit, poſtea tamen accepit. Sexto ejus imperii die Grunnus exercitum ipſi Conſtantinopoli admovit. Hic Leo ut acer & vigilans in adminiſtranda republ. à *Zonara*, quanquam propter Imaginum oppugnationem infenſo, laudatur, ob quam etiam Nicephorus, quod ei adverſaretur, patriarchatu pulſus, & in ejus locum Theodotus ſuffectus eſt. Ipſe Leo tragicum exitum habuit, à factione Michaelis Balbi, quem majeſtatis reum in cuſtodia haberi juſſerat, ſupplicium tamen ejus, ſuaſu Imperatricis, diſtulerat, ipſo natalis Dominici die inter ſacra interfectus. Præter *Zonaram*, unde hæc maximè petenda, vid. *Theophanes. Cedrenus.* De initiis Leonis etiam *Hiſtoria Miſcella*, quæ hic deficit.

A. C. 820. MICHAEL BALBUS, Græcis Τραυλὸς, vel Ψελλὸς, quod perinde eſt, ut vult *Leo Allatius in Diatriba de Pſellis Sect.* 1. Hic in compedibus, cùm clavis inveniri non poſſet, adductus, & ut Imperator adoratus eſt. Iconomachus & ipſe fuit, & videtur hoc ex odio ejus confictum à *Zonara*, cùm religionem ejus ex Judaica & aliis confuſam fuiſſe dicit. Thomam, qui res novas molitus erat, victum & captum omni crudelitatis genere laniavit. Mortuus eſt cùm 3. annos & inſuper 9. menſes imperaſſet. Scriptores, qui ſupra, præter *Miſcellam*.

A. C. 829. THEOPHILUS *Iconolatrarum perſecutor*; filius Michaelis Balbi. Is Leonis percuſſores, quique patri ſuo ad regnum obtinendum adjumento fuerant, egregio commento exploravit, deque illis ſupplicium ſumſit. Juſtitiam præterea ſeverè adminiſtravit. Ab imaginum cultu & ipſe abhorruit, & cultores frequentibus expeditionibus varioque Marte repreſſit. Morbo ex mœrore contracto ob non receptos captivos, deceſſit. *Zonaras, Theophanes, Cedrenus.*

A. C. 841. MICHAEL III. *vecors & ſævus*, filius Theophili, ſub matris tutela per 14. annos imperavit. Bardas primùm Curopalates, dein Cæſar, omnia in aula poteſt, & Theodoram Imperatricem ab adminiſtratione removet, & Michaële res imperii negligente, imperat. Tandem tamen quod ſpeciatim in Tab. noſtra notatur:

BARDAS *Cæſar occiditur*, & BASILIUS MACEDO, Michaëlis conſenſu Imperator creatur: qui metuens inſidias à Michaële, ut præverteret, ebrium occidit. Poſtquam præter annos illos 14. cum matre, ſolus adhuc 11. imperaſſet. *Scriptores iidem.*

Ad

Digitized by Google

Ad RES ECCLESIÆ pergentibus occurrit

A. C. 809. SYNODVS AQVISGRANENSIS, convocata à Carolo M. in quâ quæſitum fuit, an rectè ab Hiſpanis additæ fuerint Symbolo Conſtantinopolitano 4. hæ Syllabæ, *Filioq*: (ſcil. in quæſtione de Proceſſione Spiritus S.) & cùm ſententia ipſa per ſe ſit vera, num liceat idem canendo proferre, etiamſi id vel Romæ vel alibi inuſitatum? Conſultus ea de re Concilii nomine Leo Papa, Symbolum illud ſuaſit paulatim obliterari, & abſque additione hac cani, quod teſtantur *Acta Concilii*. Eodem tamen adhuc Seculo Romæ cani cœptum eſſe illud additamentum, certò conſtat, tempore Schiſmatis, quo utraque Eccleſia inter ſe diſſidebat. Vid. *Eginhard. in Annal. & Vita Caroli.* Item, *Annal. Fuld. ad ann.* 809.

TOLOSANA & PAPIENSIS ACADEMIÆ *conſtitutæ.* Toloſæ in Aquitania (quæ Academia ſecunda eſt in regno Franciæ) & Papiæ ſeu Ticini in Lombardia, hæ Academiæ inſtitutæ ſunt, utraque à Carolo M. vid. *Middendorp. de Orbis Chriſtiani Academiis. libr.* 2. Papienſem Academiam poſtea Carolus IV. renovavit, in eaque celebres JCti, *Baldus, Jaſon, Alciatus* docuerunt. *Anton. Gatti in Gymnaſii Ticinenſis Hiſtoria & Vindiciis.*

A. C. 822. CORBEIENSE COENOBIVM *in Saxonia conditur*, ad imitationem Corbeienſis Cœnobii in Picardia; primuſque in eo Rector ſeu Abbas ordinatus, qui ex illo Picardienſi cœnobio prodierat, S. Anſgarius. Corbeia hodie urbs eſt ad Viſurgim ſita, ubi primò tantùm cœnobium hoc nomine conditum fuit à Ludovico Pio, & Schola in eo conſtituta eſt, in qua bonæ literæ propagarentur, ipſiſque Canonicis vitæ ac laborum norma præſcripta. Hujus Cœnobii Abbas hodiè Eccleſiaſticis Imperii Principibus annumeratur. De ejus conditu vid. *Annal. Adelmi ann.* 823. *Anonymi Vita Ludovici à Pithoeo edita c.* 10. *Letzneri* Corbeyiſche Chronick.

A. C. 824. SYNODVS PARISIENSIS *de Imaginibus memoriæ gratia retinendis.* Etiam Ludovicus Imp. in Imaginum negotio occupatus fuit, cui occaſionem dedit Imperatoris Græci legatio. Ludovici ergo auctoritate Pariſiis Synodus doctiſſimorum virorum convenit, in quâ concluſum, habendas ad memoriam imagines, neutiquam verò adorandas eſſe. *Aimoin. libr.* 5. *c.* 11.

A. C. 826. HARALDVS *Daniæ Rex cum uxore & Sociis Moguntiæ baptizatur.* Ebbo Rhemorum Archiepiſcopus publico conſilio ad Danos Chriſtianâ fide imbuendos profectus effecit, ut Haraldus Rex,

Digitized by Google

qui opibus Ludovici Cæſaris dudum in Daniam reductus erat, cum magna multitudine Moguntiam veniens, Chriſtianiſmo initiaretur. Sed idem Haraldus paulo poſt à Godefridi filiis, ſuperſtitioni gentili adhuc addictis, denuo pulſus regno, pro eo Friſiam accepit ab Imperatore. *Annal. Fuld. ad ann 826. Saxo Grammat. libr. 9.*

Michael Imp. *ſacras imagines reſtaurat.* Mortuo nimirum Theophilo Iconoclaſta, filius ejus Michael ſub matre Theodora ſuſcepto imperio, imagines reſtituit, exules revocavit, & viciſſim Joannem Patriarcham in exilium egit, Methodium è carcere ad Patriarchatum evexit. Vid. *Zonaras Tom. III. in Michaele III. ſtatim ab initio.*

A. C. 847. Rabanvs Mavrvs *fit ſextus Epiſcopus Moguntinus.* Fuerat ille primùm Abbas Fuldenſis, deinde Epiſcopus Moguntinus factus eſt, vir inter ſui Seculi doctos facile principem locum obtinens: de quo poſtea plura. De eo ſic *Auctor Faſcic. Temp.* Rabanus Poëta & Monachus, pòſt Abbas Fuldenſis, deinde Archiepiſcopus Moguntiæ.

Sub Titulo VARIORVM hæc habentur:

Normanni *Friſiorum, Gallorum, Scotorum littora infeſtant.* Normanni, quaſi dicas, viri Septentrionales, iidem ſunt cum Danis, ut ex *Adamo Bremenſi Albertus Stadenſis* refert. *Helmoldus libr. 1. c. 7.* ex Danis, Suenonibus & Norveis collectam fuiſſe multitudinem ſcribit: quod credibilius. Nam apud Veteres Scriptores Dani ut pars illorum memorantur. Vid. *Annal. Fuld. ad ann.* 891. & *Sigebertus ad ann.* 882. Horum cùm eo tempore haud exigua eſſet potentia, excurſionibus per mare factis longè lateque littora vaſtabant. De Godofredo Rege, qui cum ducentis navibus in Friſiam advectus, victis Friſonibus tributum imperavit, jam ſupra dictum. Angliam verò aliquoties claſſe adorti, magnas ex ea prædas egerunt. In Galliam ſæpius advecti, juſtis denique expeditionibus graves Francis, ſub finem hujus Seculi in ea parte Galliæ, quæ Neuſtria vocabatur, & hodiè ab illis Normannia dicitur, ſedes obtinuerunt à Carolo Craſſo. Sed hæc poſtea geſta. Vid. *Saxo Grammat. Hiſtor. Dan. libr. 8. & 9. Frodoard. in Chronico. Ind. Chronolog. Vſſer. ann. 818.*

A. C. 813. Bulgari *capiunt* Adrianopolin, primo Leonis Armenii anno. Vid. *Hiſtor. Miſcell. libr. 24. fin.* & *Zonaras Tom. III.* ſub Leone Armenio.

A. C. 820. S. Marci *corpus Alexandriâ Venetias transfertur.* Factum hoc eſt imperante Leone Armenio, cùm mercatores quidam Vene-

Digitized by Google

Venedi D. Marci Evangeliſtæ corpus ex templo Alexandrino furto ſurreptum, Venetias detulerunt, ut ſcribit *Calviſius ad ann.* 810. Teſtatur idem ejus rei monumentum in Bibliothecâ Vaticanâ aſſervatum. Atque hinc primùm, ait *Platina in Gregorio IV.* Veneti Marci imaginem urbis Patroni in vexillis retulere. S. Marci primarium templum eſt Venetiis, marmore auroque ſplendidiſſimum, in quo conditus eſt theſaurus S Marci inæſtimabilis. Vid. *Becmann. Hiſtor. Orb. p.*189. & de theſauro S. Marci *Camerar. Meditat. Hiſtor. Cent.* 1. *c.* 64. *p.* 309.

A. C. 823. SARACENI HISPANIENSES *Cretam occupant.* Ex Hiſpania trajicientes hi Saraceni, Cretam, quæ hodie Candia, occuparunt, claſſes quoque à Michaële Balbo Imper. contra eos miſſas profligarunt. Vid. *Zonaras Tom. III. ſub Michaele Balbo.*

A. C. 828. SARACENI AFRICANI *Siciliam ſubigunt.* Euphemio quodam prodente, qui propter raptam monialem àd ſupplicium quæſitus, ad Africæ Amiram confugit. Hiſtoriam vid. apud *Zonaram* & *Cedrenum.* Ex eo tempore Calabria, Apulia & Italiæ pleraque Saracenis paruerunt.

A. C. 841. NORDMANNORVM *in Galliam juſta expeditionis initium.* De his paulò ante dictum. Erant autem ethnici & graves Chriſtianæ fidei hoſtes, à quibus per hæc tempora inprimis Gallia multas clades pertulit. Vid. *Annal. Fuldenſ. ad A. C.* 851. *Regino libr.* 2. *ad A. C.* 853. *Aimoin. libr.* 5. *c.* 20.

Inter VIROS CELEBRES nominatur primus

VSVARDVS, monachus natione Gallus. Is juſſu Caroli M. ſcripſit *Martyrologium*, quod hodieque extat, non exiguo hiſtoriæ eccleſiaſticæ bono, ut ait *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 31. *p.* 295.

A. C. 809. S. LVDGERVS *obit.* Hic S. Ludgerus primus Epiſcopus Monaſterienſis fuit, & ſcripſit *Epiſtolam de Vita & miraculis S. Suiberti,* quæ extat apud *Surium ad d.* 1. *Martii.* Plura de hoc Ludgero præter *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 811. *p.* 187. vid. apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 30. *p.* 293. & quos ille citat *auctores.*

EGINHARDVS, gener Caroli M. & ejuſdem Cancellarius, omnium Germaniæ hiſtoricorum vetuſtiſſimus eſt, eoque Germanis charior eſſe debet; vir inter primos ejus ſeculi annumeratus. Extat ejus liber *de Vita Caroli M.* mira dictionis puritate atque elegantia ſcriptus. Cujus fidei eò plus tribuendum, quantò familiarior Carolo ipſi fuit. Habentur & ejus *Annales de Geſtis Germanorum & Francorum*, & alia quædam, de quibus *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 814. *p.* 187. Lepida

de

Digitized by Google

de hoc Eginhardo Hiſtoria an fabula? narratur in *Chron. Laurishamenſi* apud *Freher. p. 61.* ubi deMichlenſtat: uti nimirum Juvenis & Caroli tum Notarius, cum filia ejus Imma conſueverit, atque ab eâ per nivem ſit portatus, eamque poſtea uxorem acceperit. Totam tamen hanc narrationem inter fabulas refert *Nicol. Hieronymus Gundlingius* in ſeinem Abriß einer rechten Reichs-Hiſtorie *p. 54. n.18.* Vid. plura deEginhardo apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 33. p. 301. Reimmann. Hiſtor. Lit. Germ. Sect. 1. Quæſt. 149. & 265. Neuium in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. Sect. 5. p. 62. ſeq.*

OTHELGRIMVS ſcripſit *Vitam S. Ludgeri*, cujus diſcipulus & familiariſſimus fuit. *Voſſius de Hiſtor. Latin libr. 2. c. 33. p. 303.*

WALAFRIDVS STRABO *ordinariæ gloſſæ in Biblia collector.* Hic præter Gloſſam ordinariam, quam è Magiſtri ſui Rabani explicationibus adornavit, ſed quæ à poſteris multum aucta eſt, ſcripſit etiam plura alia, quæ vide apud *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann. 849. p. 193* & *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 33. p. 303. Reimmann. Hiſtor. Liter. Germ. Sect. 1. Quæſt. 82. Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. p. 283.*

ALHASENVS vel *Alhazen* Arabs fuit, cujus extat liber *de Perſpectiva*, teſte *Geſnero in Biblioth. Morhoff. Polyh. Philoſ. libr. 4. c. 1. n. 9.*

FRECVLPHVS (quibuſdam *Treculphus*) *Lexovienſis* Epiſcopus in gratiam Judithæ Auguſtæ Vniverſalem ab orbe condito Hiſtoriam pertexuit uſque ad A. C. 600. De eo vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann. 830. p. 190.* & *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 33. p. 304. Reimmann. Hiſtor. Liter. Germ. Sect. 1. Quæſt. 266. Neuius in Acceſſion. ad Wheari Relect. Hiem. pag. 185.*

ANSEGISVS Abbas cœnobii Lobienſis fuit, & Caroli M. ac Ludovici Pii leges eccleſiaſticas & mundanas, ut vocat, collegit: quas poſt alias editiones anno 1676. *Stephanus Baluzius* 2. voluminibus in fol. recudi fecit, ſed in multis immutatas. Anſegiſus hic non eſt confundendus cum cognomine Archiepiſcopo Senonenſi, qui eodem Seculo vixit. Vid. de eo *Trithem. de Script. Eccleſ.* & *Guilielm. Cave Hiſtor. Liter. Script. Eccleſ. Part. 1. p. 367. Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Part. 1. p. 292. & in Mantiſſa p. 80.*

NITHARDVS Caroli M. nepos ex Bertha filia ſcripſit libros IV. *de Diſſidiis filiorum Ludovici Pii Imp.* Incipit autem ab exceſſu Caroli M. i. e. ab A. C. 814. & perducit hiſtoriam ad A. C. 843. Extat hæc hiſtoria cum *Chronico Frodoardi* & *Annalibus Francorum* excuſa Pariſiis anno 1588. Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann. 830. p. 189. Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 34. p. 306. Reimmann. Hiſtor. Liter. Germ. Sect. 1. Quæſt. 268. Neuius in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. pag. 76.*

AIMOI-

Digitized by Google

AIMOINVS Monachus, egregius Hiſtoriarum ſcriptor, cujus libri *de Geſtis Francorum* ſæpius in lucem prodiere. Plura de eo vid. apud *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 873. *p.* 196. & *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 34. *p.* 308. ubi prolixè de ætate ejus, item, quouſque ille hiſtoriam ſuam perduxerit, & quæ ab aliis addita ſint: neque enim totum illud opus, quod *Aimoini* nomen præfert, illius eſſe, facile agnoſcitur. Vid. *Neu in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. p.* 77. *ſeqq.* & ipſe *Whear in Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium p.* 25.

HAIMO *epiſcopus Halberſtadenſis*, Alcuini quondam auditor, ſcripſit commentaria in omnes S. Scripturæ libros: quæ verò ex illis adhuc extent, vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 850. *p.* 192. Idem etiam *Hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebii* in compendium redegit. Videatur de eo *Pauli Antonii Diſſert. de Vita & Scriptis Haimonis*, Halæ 1700. 4.° *Reimmann. Hiſtor. Liter. Germ. Sect.* 1. *Quæſt.* 79. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *p.* 287. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 9. *c.* 3. *p.* 313.

Inter IMPERATORES OCCIDENTIS poſt Lotharium ſequitur

Ad A. C. 855. LVDOVICVS II. 19. Lotharii filius natu maximus, jam patre adhuc vivo Imper. factus. Huic controverſia mota eſt à Baſilio Macedone, Imperatore Conſtantinopolitano, de titulo. Scripſit enim literas ad Ludovicum, in quibus ei Regis tantùm nomen tribuit, ſibi verò Imperatoris. Sed graviter ipſi reſpondit Ludovicus, eique prorſus ſatisfecit. Extant hujus rei monumenta apud *Goldaſtum in Tomo Conſtitutionum*, cujus Summa in *Cæſaribus Bœcleri p.* 129. Cum patruis etiam ſuis, Carolo Calvo & Ludovico Germanico controverſias habuit, qui videlicet fratribus ejus Carolo & Lothario, Lotharii Imp. filiis, ſine prole maſculâ defunctis, in Lotharingia & Provincia ſucceſſerunt, ipſo Fratre excluſo; quod etſi non neglexit, quia tamen filios nullos habuit, & Carolus Calvus marito Hermingardis, filiæ ejus, nomine Boſoni Provinciam reddidit; res ſine bello tranſacta eſt: cùm interim Lotharingiam Ludovicus Germanicus partim retineret, partim cum Calvo divideret: cum quo intermedio tempore huic multæ quoque controverſiæ fuerunt. Fuit Ludovicus II. Imp. literis cultiſſimus, & humanitatis eximiæ princeps, conſiliiſque promtus: qui poſtquam 19. annos in Imperio exegiſſet, Mediolani eſt mortuus A. C. 875. cùm triennio ante Romæ coronatus eſſet, ætatis 53. Scriptores ejus ſunt *Annales Fuldenſes*, *Annales*

nales Bertiniani, Regino libr. 2. Sigebertus. Epitaphium ejus pro iis temporibus ſatis luculentum exhibet *Rupertus p. 636.*

Bellum contra Saracenos in Campania. Bellum hoc geſſit Ludovicus Imper. auxilio uſus fratris Lotharii. Saraceni enim jam Romanæ urbi imminebant, & Beneventanum agrum invaſerant, conſpiratione cum Græcis, qui Calabriam & Apuliam adhuc poſſidebant. Eos victos repreſſit; cùm tamen peſte abſumeretur exercitus, commiſit Beneventi defenſionem Adalgiſo Salerni Principi; qui mox ad Græcos deficiens, omnia Samnii, Campaniæ & Lucaniæ oppida ſecum traxit. Reverſus itaque cum exercitu Ludovicus, oppida recepit quæ defecerant; circumventus tamen fraude ab Adalgiſo jurare ei coactus eſt, injuriam defectionemque nunquam ſe vindicaturum. Pontifex tamen Johannes ab eo jurejurando Ludovicum abſolvit: quo facto is Adalgiſum Benevento expulſum in Corſicam fugere coegit, atque ſic *Adalgiſus Dux Beneventanus ditione ſua exuitur à Ludovico Imp.* ut in Tab. noſtra notatur. Præter *Annales Fuld. & Reginonem libr. 2.* vid. *Chronicon Caſſinenſe.*

A. C. 875. Carolus Calvus, 2. Ludovici Pii filius, adeoque patruus fuit Ludovici II. Hujus morte audita, Ludovicus Germanicus & Carolus Calvus Calliæ Rex, Italiæ poſſeſſionem dignitatemque Imperialem ambo paribus ſtudiis affectavere. Et quanquam ſine controverſia Ludovicus jure primogenituræ Carolum vinceret, præventus tamen ab hoc eſt: qui collectis ingentibus theſauris in Italiam ipſe contendit, Pontificemque & Cardinales cum Proceribus Italiæ muneribus & humanitate ita ſibi conciliavit, ut coronam Imperialem ipſi ſtatim conferrent, excluſo Ludovico, qui filium ſuum Carolomannum eodem miſerat; ſed quem ipſum muneribus potius quàm armis ſubmotum, quidam Scriptorum aſſerunt, ita ut neglecto patris jure Italiâ rurſum excederet. Carolus verò non toto biennio poſt coronationem ſuperfuit, quæ accidit ipſo natalis Dominici die anno 875. De eo *Annales Fuldenſes* non aliter quàm de tyranno loquuntur. *Anonymus* quoque *Scriptor ejus ævi* omnem Senatum populi Romani more Jugurthino corrupiſſe, ſcribit. Ludovicus ipſe Germanicus cum exercitu Galliam ingreſſus erat, ut Carolum ex Italia revocaret; ſed mox iterum retrogreſſus eſt, cùm ſe ipſum morti propinquum ſentiret, quæ in annum ſeq. incidit. De qua ubi Carolus Calvus inaudivit, ex Italia properè reverſus in Franciam, Ludovici fratris filium patri cognominem, cui Lotharingia obvenerat, invaſit; ſed ab eodem (qui fruſtra ante pacem impetrare conatus erat) victus prælio graviſſimâ clade afficitur: cujus etiam fratres Carolomannus

&

& Carolus Craſſus Italiam invaſerunt. Calvus, ut ſuccurreret, eodem profectus, & ibi victus & in fugam conjectus, Mantuæ ex dyſenteria, non ſine ſuſpicione veneni ab Ezechia medico Judæo propinati, deceſſit. Vxores habuit duas, è quarum poſteriori Hermindrudi 4. filios & unam filiam ſuſtulit; ex his tamen ſolum Ludovicum, cognomine Balbum, ſibi habuit ſuperſtitem. Scriptores: *Regino, Annales Fuldenſes, Bertiniani & Metenſes.* Acta electionis Caroli Calvi exhibentur à *Du Cheſne Tom. II. p.* 458. & apud *Pithœum.* Pertinet huc etiam confirmatio Pontificia, ab eodem *Du Cheſne Tom. II. p.* 467. exhibita.

A. C. 877. LVDOVICVS III. *Balbus* 3. Caroli Calvi filius patri ſucceſſit dubia Imperii poſſeſſione. Cùm enim Carolus Craſſus, Ludovici Germanici filius, qui tunc in Italia fuit, à Romanis & Principibus Italiæ expoſceretur, Johannes verò Pontifex ad Ludovicum Balbum Franciæ Regem inclinaret; mox inde profugus in Galliam venit, & Balbum non ſolum in Franciæ Regem, ſed & Imperatorem coronavit: quod poſtremum à quibuſdem in dubium vocatur; & quia biennio tantùm patri ſupervixit, mortuus videlicet anno 880. mox Carolus Craſſus etiam à Pontifice in Romanorum Imperatorem renuntiatus eſt. Quæ cauſa eſt, cur Ludovicum multi è catalogo Imperatorum omittunt, quod facit *Sigebertus;* & ex recentioribus *Petavius Rat. Temp. libr.* 1. *part.* 8. *c.* 10. *p.* 495. & *Rupert. p.* 638. His add. *Annal. Fuld. ad ann.* 878. *Regino libr.* 2. *Sigon. libr.* 5. *de Regno Italiæ.* Non omittenda quoque ſunt *Acta Conventus Turonenſis*, inter Ludovicum Balbum & Ludovici Germanici filium Carolum Craſſum apud *Andr. Du Cheſne Tom. II. p.* 487. unde patet, Ludovicum ſibi jus in Italiam reſervaſſe.

A. C. 880. CAROLVS CRASSVS, 7. Ludovici Germanici filius, poſt mortem Balbi haud dubiè Imperator, ex Italia Saracenos, ſubinde excurſiones facientes, expulit, quo tempore à Johanne Pontifice coronatus eſt. Et cùm fratres ejus Ludovicus & Carolomanus ſine legitimis filiis deceſſiſſent, Italiam univerſam cum Germania nactus eſt, cujus partem tantum prius habuerat. Imò Galliam quoque ſibi adjunxit. Nam cùm Ludovicus Balbus, præter filios duos illegitimè ſuſceptos Ludovicum nimirum & Carolomannum, ex legitimâ conjuge natum poſthumum, Carolum Simplicem reliquiſſet, mortuique eſſent illi fratres nothi, qui tutelam pupilli adminiſtraverant aliquandiu, Francici Proceres illum Regem eſſe juſſerunt, donec Carolus adoleſceret. At Carolus Craſſus Imp. denique morbo ex gravi capitis affectu nato, ſtupidus prorſus factus eſt, & inutilis Imperio.

Digitized by Google

Itali ſaginæ corporis, à qua etiam cognomen traxit, hoc tribuunt. Quare cum anno 887. Comitia Triburios Haſſiæ indixiſſet, nemo comparuit, primique obſequium exuerunt Franci, Saxones, Thuringi, Boji, Alemanni, qui ſibi Arnolphum, fratris ipſius Carolomanni filium nothum, Regem crearunt. Franci quoque Oddonem, Widekindi Saxonis nepotem, ſub tutorio nomine pro Carolo Simplice in regni adminiſtrationem acceperunt. Italiam Wido ſeu Guido Spoleti Marchio & Berengarius diripuerunt. Sic ille pridem potentiſſimus ad ſummam paupertatem redactus eſt. Habuit conjugem Richardim Scotorum Regis filiam, quam ille adulterii inſimulatam, quamvis innocentiam, in candentibus prunis nudipes incedens probaſſet, repudiavit. Hæc poſtea cœnobium, quod in Andlaw eſt, extruxit, & miraculis claruiſſe fertur, quare poſtea in SS. numerum relata eſt. Quidam Scriptores huic repudio infelicitatem eam tranſcribunt, in quam incidit. Mortuus eſt paucis menſibus poſt deſtitutionem A. C. 888. Scriptores ſunt: *Annales Fuldenſes, Regino Prumienſis, Chronicon Laurishamenſe,* & *Fragmentum Hiſtoriæ Aquitanicæ à Pithoeo editum. Aimoinus* ſeu potius ejus *Continuator libr. 5. c.* 40. *Monumentum* quoque, quod exhibet *Andr. Du Cheſne Tom. II. p.* 497. in quo deſcribitur ſtatus Imperii, qualis ſub Carolo Craſſo fuit, plenam habet auctoritatem. Hic Carolus Craſſus à *Sigonio* & *Baronio* in catalogo Imperatorum omittitur; nominatur verò ab *Ottone Friſingenſi libr. 6. c.* 13. Add. *Rupert. p.* 638.

A. C. 887. ARNOLPHVS itaque Carolomanni ex concubina filius, Ludovici Germanici nepos, Procerum Germaniæ voluntate Rex & Imperator conſtitutus, antiquius nihil habuit, quàm ut ab incurſibus Soraborum Slavorumque Germaniam tutaretur. Turbulentum accepit imperium, inprimis quantum ad Italiam attinet. Tunc enim, ut Tab. noſtra habet

BERENGARIVS *regnum Italiæ invadit.* Erat hic Berengarius Ennahardi ducis Forojulienſis filius, qui, deſerto Carolo Craſſo, Italiam occupavit, Vidone Spoletino Duce interim Galliam invadente. Qui tamen inde expulſus, in Berengarium ſocium arma convertit, & victor, non Regis tantùm Italiæ titulo inſigniri, ſed & Imperator appellari voluit, coronatuſque eſt à Pontifice. Sed Berengarius ab Arnolpho Imp. vi reductus, & fugatus Guido ſanguinis vomitu interiit. Lamberto verò Guidonis filio regnum armis repetente, Berengarius non auſus prælio congredi, Arnolphum revocavit. Ab eo ergo reverſo *Roma occaſione leporis capta* (quod in Tab. noſtra ſub Tit. Variorum notatur, quanquam non à *Schraderi* manu) militibus ſcil. leporem,

Digitized by Google

porem, per caſtra fugientem urbem verſus, perſequentibus, quos cùm impetum facturos crederent propugnatores, muros deſeruerunt. At conſpicati Germani nuda defenſoribus mœnia, leporem dimittentes tumultuario aggere facto in muros evaſerunt. Ita terrarum dominam & divinos honores quondam uſurpantem, Deus O. M. per jocum capiendam dedit. Memorant rem *Luitprandus Ticinenſis libr.1. c.8. & Sigebertus in Chronicographia,* & ex his *Brunnerus libr. 7. p. 316. & Rupertus Obſerv. ad Synops. Beſoldi p. 641.* Add. *Sigon. de Regno Ital. libr.6.* Tùm Arnolphus Romæ à Pontifice coronatus eſt. Poſtea cùm Camarinam arcem obſideret, in quam ſe Widonis uxor incluſerat, corrupti quidam ejus miniſtri per hanc mulierem, venenum ſoporiferum ei dederunt, quo triduo toto conſopitus eſt; poſtea paralytico ſimilis uſu linguæ ademto & membrorum reliquorum, in Germaniam delatus eſt, ibique mortuus, anno imperii undecimo, Chriſti 899. vel 900. Scriptores ſupra citati, *Annales Fuldenſes, Regino, Luitprandus Ticinenſis, Sigebertus Gemblacenſis, Sigonius de Regno Ital. libr. 6. Rupert. p. 640.*

A. C. 899. LVDOVICVS IV. 12. Arnolphi filius, puer etiamnum 7. annorum (ſi *Reginonem* coævum ſcriptorem ſequimur) ſucceſſit patri; cui Otto Saxoniæ dux, & Hatto Moguntinus Epiſcopus adjutores in imperio fuerunt, quod admodum turbulentum habuit, partim diſſidiis Procerum regni inter ſe, partim incurſionibus Slavorum & Hungarorum, qui novis è Scythia copiis aucti, per univerſam Germaniam, imò & Galliam cædibus & rapinis graſſati ſunt. Congreſſus quidem eſt cum illis Ludovicus ad Ansbergam Bavariæ urbem, & triduano prælio fortiter iis reſtitit: victus tamen ad extremum fugatuſque eſt. Et hoc eſt, quod Tab. ſeq. princ. memoratur:

A. C. 907. *Hungari Ludovicum Imp. prælio vincunt ad Ansbergam Bavariæ.* Nec potuit pax ab hoc hoſte niſi multo auro redimi; quæ tamen non diu ſervata eſt. In Italiam quoque hic Imperator nunquam venit, quam, Lamberto Guidonis filio in venatione occiſo, & Ludovico, Boſonis filio, Provinciæ Rege capto oculiſque privato, Berengarius totam obtinuit, Imperatorio etiam titulo à Pontifice inſignitus. De hoc ergo Ludovico dubitari rectius poſſet, an ſit in numerum Imperatorum referendus; neque unquam de eo aliter loquuntur Scriptores, quam tanquam de Rege. Hinc *Sigonius, Baronius, Petavius, Rupertus* hoc quoque aſſerunt. Videtur quidem *Otto Friſingenſis in Chronico libr.1. c.131.* referre hunc Ludovicum in numerum Imperatorum: ſed demonſtrari non poteſt, eum unquam geſſiſſe nomen Imperatoris: aliud autem eſt, ſi de jure loquimur. *Sigebertus Gemblacenſis* inter Scriptores

Tt 3 Piſto-

Piſtorianos ad A. C. 912. nihil de jure dubitans, cauſas tantùm affert, cur non potuerit pervenire ad Imperatorium titulum & honorem, nimirum tyrannorum in Italia molitiones, & paſſim ingruentia mala. Fundamentum autem petit à juramento, quod Arnulpho patri populus præſtitit, ſe deinceps legitimis ejus ſucceſſoribus pariturum, Lambertum verò alioſque in Italia tyrannos rejecturum. Vi igitur juramenti hujus omnino jus habuit ad imperium; neque ipſi Scriptores Itali juramentum iſtud negare poſſunt, interque eos *Sigonius de Regno Ital. libr. 6.* Deceſſit Ludovicus ſine liberis, morbo ex dolore animi contracto, A. C. 911. imperii 12. Scriptores ejus præcipui ſunt; *Regino Prumienſis in Chronico*, & *Luitprandus*, qui ſub Ottone vixit, & legatione functus eſt à Berengario ad Imperatorem Conſtantinopolitanum. Exhibetur ille in Scriptoribus Reuberianis & Piſtorianis. Add. *Sigebertus Gemblac.* (quanquam is ad recentiores pertinet) *Hermannus Contractus, Lambertus Schaffnaburgenſis, Aventinus.* Propriè tamen & verè huc pertinent *Regino* & *Luitprandus.*

In ORIENTE poſt Michaelem III. Imperatorem

A. C. 867. BASILIUS *remp. anteceſſoris ignavia perditam, recreavit.* Hic Baſilius Macedo natione fuit, & poſtquam per annum cum Michaele imperaſſet, ipſo cæſo ſolus imperio præfuit annos 19. Contra Saracenos & Manichæos ſatis proſperè pugnavit, nec pœnitendus imperio princeps officia mandavit bonis, & judicia exercuit ipſe. Illudi tamen ſibi paſſus eſt à Santabareno monacho præſtigiatore, qui filii ipſius natu maximi defuncti ſpeciem oculis ejus obtulit, ope necromantiæ, & reprehendentem has præſtigias Leonem Baſilii filium Imperatorem, inſidioſo conſilio atque calumnia in capitis periculum adduxit; cujus tamen liberationi occaſionem præbuit Pſittacus. Memorabilem hiſtoriam narrat *Zonaras,* ex quo & ex *Cedreno* reliqua hujus Baſilii petenda ſunt; qui à cervo ictus, ex vulnere obiit.

A. C. 889. LEO VI. *Philoſophus,* Baſilii, ſecundùm pleroſque filius, Philoſophus ob ſtudium Philoſophiæ cognominatus eſt, cui tamen etiam divinationes & aſtrologiam judiciariam adjunxit, iiſque deditus fuit. A Bulgaris primùm victus, mox ope Turcorum vincit. Tandem variè geſta republ. ex cœliaco morbo periit, cum imperaſſet annos 25. menſes 3. Vid. iterum *Zonaras* & *Cedrenus.*

Inter

Inter RES ECCLESIÆ in altera parte Tab. notatur

A. C. 855. LOTHARIVS *ex Imperatore Monachus* &c. diximus jam ſupra, ubi de Lothario.

A. C. 858. *Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano ſede dejecto ſurrogatur* PHOTIVS. Ignatium Bardas Cæſar, qui tum omnia in aula Michaelis III. poterat, in inſulam Mitylenen relegavit, propterea quod ille Bardæ ſacris interdixerat ob divortium cum uxore. In ejus verò locum ſubſtituit Photium. De Photio hoc plura ſub Viris Celebribus. Vid. *Zonaras Tom. III. ſub Michaele III.*

A. C. 869. SYNODVS CONRTANTINOPOLITANA *contra Photium œcumenica octava à quibuſdam habita.* Photius, cùm à Baſilio Cæſare Michael Imper. occiſus eſſet, cædemque ipſe improbaſſet, incurrens in Baſilii jam Imperatoris odium, rurſus Patriarchali ſede dejectus, & Ignatius reſtitutus, procuratumque eſt concilium Conſtantinopolitanum, quod octavum œcumenicum appellant, in quo præſidentibus Adriani Pontificis legatis, pronuntiatum eſt, Photium jure eſſe depoſitum. Quod prius etiam in Synodo Romæ celebrata factum, ubi ejus contra ſedem Rom. ſcripta etiam igni tradita ſunt. Photium tamen Ignatio defuncto, Baſilius in epiſcopatum poſtea reſtituit: Leo Sapiens denuo dejecit. Vid. *Acta Synodi octava*: Item, *Joannes Curopalates in Compendio hiſtorico, Anaſtaſius Bibliothecarius, Zonaras, Cedrenus.* De Synodis contra Photium *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Haret. libr. 9. c. 4. p. 314. & 317.*

BOGORIS *Bulgarorum Rex fit Chriſtianus & ſubinde Monachus.* Hujus Bogoris ſoror, quæ, cùm Conſtantinopoli captiva teneretur, fidem Chriſtianam didicerat, multum poſtea ad fratris quoque converſionem contulit, qui non ipſe tantùm, ſed tota Bulgarorum gens Chriſtianiſmum recepit. Quod qua occaſione factum ſit, narrat *Zonaras & Cedrenus.* Add. *Annal. Fuld. ad A. C. 866. & 867.* De Bulgaris jam Chriſtianis factis non diu poſt acriter inter ſe dimicarunt Romani Pontifices & Conſtantinopolitani Patriarchæ, utrius juriſdictioni eccleſiaſticæ ſubeſſent.

A. C. 880. INITIA RELIGIONIS CHRISTIANÆ IN MORAVIA. Methodius Doctor Illyricanus Ludovici Germanici auctoritate ad Moravos Slavoſque legatus miſſus, cum evangelio Chriſti venit, totique genti Moravorum perſuaſit, ut ritus Chriſtianos ſuſciperet. Cum verò ceremonias in eccleſia ſua lingua peragi voluiſſent, conſentiens Metho-

Digitized by Google

Methodius adverſarios nactus eſt Sacerdotes Bojaricos, à quibus ad Nicolaum Pontificem delatus, & Romam proficiſci coactus, poſt longam cum Romano clero diſputationem obtinuit, allegando verba Pſalmiſtæ; Omnis Spiritus laudet Dominum: ut Nicolaus Slavis, Moravis Bohemiſque id concederet: idque imitatæ gentes Illyricanæ, ſibi quoque licere arbitratæ ſunt. Vid. *Adr. Regenvolſcius in Hiſtor. Eccleſiarum Slavonicarum.*

A. C. 881. GODEFRIDVS NORMANNORVM REX *Chriſtiana ſacra ſuſcipit.* De Normanorum irruptionibus & illatis per eos cladibus, multa apud Scriptores horum temporum mentio. Eorum tunc Reges Godefridus & Sigefridus per Germaniam Inferiorem Galliamque latè ſtrages ediderunt; quibus cum Carolus Craſſus omnes vires ſuas opponeret, Godefridus promiſit, ſe religionem Chriſtianam amplexurum, & pacem cum eo facturum, ſub ea conditione, ſi Friſiam ſibi concederet Imperator, & Giſelam Lotharii Imperatoris filiam ſibi uxorem daret: quod factum eſt: & ipſe Carolus Craſſus de fonte ſacro illum ſuſcepit. Sigefridus verò magno auri & argenti pondere dato delinitus eſt, ut finibus excederet. Memorat *Regino libr. 2. ad ann.* 882. & *Sigebertus ad* 884.

STEPHANVS PONTIFEX *in carcere ſtrangulatus.* Fuerunt per ea tempora magnæ contentiones de Sede Rom. quà ſubinde alius alium depellere nitebatur, & acta anteceſſoris damnabat; ipſis Pontificiis Scriptoribus hoc dedecus non celantibus. Vid. *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap. 9. p. 609. ſeqq.* Sic Stephanus hic, collecta Synodo Epiſcoporum quorundam, *Formoſi* anteceſſoris ſui cadaver è ſepulchro extractum, in judicium adduci, damnari & Pontificum habitu ſpoliari juſſit; mox in Tiberim abjici, præciſis tribus anterioribus digitis, quibus juraverat; qui verò ab illo ordinibus Sacris initiati erant, omnes exauctoravit. Ipſe verò Stephanus A. C. 899. viciſſim Petri cathedra pulſus, in carcerem conjectus, ibique ſtrangulatus eſt, factione contraria prævalente; à qua *Romanus* quidam intruſus eſt, eoque non ultra 4. menſes ſuperſtite, alius 30. dierum Pontifex *Theodorus* creatus, atque inde *Johannes* IX. ſedem occupavit; qui acta Formoſi reſtituit, inventumque in Tiberi ſemeſum cadaver in priorem tumulum intulit. Vid. *Luitprand. Ticinenſis libr. 1. c. 8.* qui quidem Sergium vocat Papam pro Stephano: *Fordoard. in Chron.* & *Platina.*

LEO IMP. *ob ductam quartam conjugem aditu Eccleſiæ prohibetur.* Leo Philoſophus Orientis Imp. prolis maſculæ cauſa, quartis nuptiis Zoen duxerat; ob id à Nicolao Patriarcha ſacris prohibitus: à quo cùm fruſtra multis precibus contenderet, ut in gratiam reciperetur, tandem obſtina-

obſtinatum ſede patriarchali depulit, & in monaſterium quoddam deportari curavit, eique Euthymium Synellum ſuffecit: qui & ipſe vehementer obſtitit, ne regio diplomate tertii quartique matrimonii libertas ſanciretur. Benedixit tamen conjugio Leonis DEVS, ex quo ille filium ſuſcepit, nomine Conſtantinum, qui poſtea imperio potitus eſt. Vid. *Zonaras* & *Cedrenus*.

Sub Tit. VARIORVM habentur adhuc ſeqq.

Saraceni CORSICAM ET SARDINIAM *infeſtant*, quibus ſcil. ex Africa & Sicilia, quam poſtremam nuper occupaverant, facilis in has inſulas erat trānſitus. Cùm & Italiæ non minus infeſti eſſent, Leo IV. Papa urbem Romam adverſus eos munivit: quam partem munitæ urbis, quæ Leonina civitas appellata eſt, Corſi Sardique à Saracenis pulſi impleverunt. Vid. *Cedrenus & Anaſtaſius Bibliothecarius*.

A. C. 854. NORMANNI *inteſtino bello colliduntur*. Poſtquam 20. fere annis Galliam devaſtaſſent, inteſtinis diſcordiis in Daniam revocati à ſuis, Gallias reliquerunt, ubi ſe populariùm diſſenſionibus immiſcentes, adeò ſe invicem attriverunt, ut de regia ſtirpe vix unicus puer ſupereſſet. *Sigebert. ad ann.* 854. *&* 855.

IVARVS *Rex Daniæ*. De hoc magna prædicantur, quæ geſſerit. Fuit Regneri Regis Daniæ filius, & poſt patris mortem regnum Daniæ, dein etiam per biennium Angliæ regnum ſibi ſubjectum tenuiſſe dicitur. Vid. *Guilielm. Malmesbur. Hiſtor. Angl. libr.* 3. *Saxo Grammat. Hiſtor. Dan. libr.* 9. cujus tamen narrationes fabulis plenæ ſunt.

A. C. 862. LOTHARIVS *Lotharingiæ Rex legitimâ conjuge expulsâ aliam ſibi jungit infeliciter*. Captus hic Lotharius amore Waldradæ cujuſdam mulieris forma conſpicuæ, Tietbergam legitimam conjugem ſuam, gravium criminum ream pronuntiatam, in Synodo Epiſcoporum Metis habita, repudiavit, & illam ſibi junxit. Fratribus Tietbergæ ad Papam Nicolaum querelam deferentibus, Papa Romam citatos Colonienſem & Trevirenſem Archiepiſcopos dignitate multat: unde magnæ turbæ. Lotharius verò ne & ipſe ſacris prohiberetur, ad tempus quidem Tietbergam reginam recepit: ſed mox novis obrutam criminibus iterum dejecit, & Waldradam deinceps à ſe non amplius dimiſit. Narrat rem prolixè *Regino libr.* 2. *ad ann.* 864. *Annal. Fuld. ad ann.* 863. *Sigebertus ad eoſdem annos*, & inprimis *Hincmarus Rhemenſis in* ſingulari opuſculo *de Lotharii & Tietbergæ divortio*.

A. C. 870. *Sanctimoniales in Anglia, ut Normannorum libidinem extinguant, nares ſibi & labia præcidunt*. Alii in Scotia à cujuſdam

Digitized by Google

cœnobii monialibus id factum ſcribunt. Vid. *Matth. Weſtmonaſterienſis in Florilegio Hiſtorico.*

A. C. 887. *Normannis* NEVSTRIA *incolenda traditur à Carolo Craſſo.* Cùm anno præcedente ipſos Pariſios obſediſſent Normanni, contraque eos ibi improſperè pugnatum eſſet, Carolus neceſſitate adactus ita cum hoſtibus (quorum dux Rollo erat) pepigit, ut fœdere facto & ſocietate inita, tradiderit iis partem Neuſtriæ, quæ ab Epta flumine ad Britones terminatur, & Oceano Gallico clauditur, cujus provinciæ caput eſt Rotomagus, & nomen hodieque ab illis gentibus Normannia. Vid. *Frodoardus in Chron. Sigebert. ad ann.* 888.

OXONIENSIS ACADEMIA *inſtituta.* Celebris poſt Cantabrigienſem in Anglia hæc Academia eſt: de cujus inſtitutione præter Scriptores Hiſtoriæ Anglicanæ vid. *Middendorp. de Orb. Chriſt. Acad. libr.* 2. inprimis verò *Anton. Wood in Hiſtoria & Antiquitatibus Academiæ Oxonienſis. Briani Twyni Apologia antiquitatis Academiæ Oxonienſis, Oxoniæ* 1608. 4.° *Nicolai Fizeberti Deſcriptio Academiæ Oxonienſis,* Romæ excuſa 1602. 8.°

Inter VIROS CELEBRES floruerunt hac altera parte Seculi

RABANVS MAVRVS, cujus obitus hic ad ann. 856. refertur, Alcuini auditor & diſcipulus in omni genere diſciplinarum excelluit. Aliquandiu Profeſſorem egit in Pariſienſi Academia, & magno ornamento fuit Doctoribus Scholaſticis. Abbas deinde Fuldenſis fuit, mox Archiepiſcopus Moguntinus. Scripſit multa verſu & proſa, inprimis *in univerſam Scripturam utriuſq; Teſtamenti Commentaria,* & inſigne opus *de Laudibus S. Crucis,* inuſitatum metri artificium proſa oratione explicans. De eo paſſim apud Scriptores rerum Francicarum. Vitam Rabani tribus libris complexus eſt *Trithemius.* Vid. & *Browerus libr.* 4. *Antiq. Fuldenſium, Flacii Teſtes Veritatis lib.* 8. *p.* 903. *Aventini Annal. Boji lib.* 4. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 835. *p.* 191. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 35. *p.* 315. *& dePoet. Latin. cap.* 6. *p.* 70. *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 9. *c.* 3. *p.* 313. Scripta ejus in VI. Tomos in fol. compacta & impreſſa Coloniæ 1627.

NICOLAVS I. *Papa Romanus.* Cætera hujus Papæ petenda ſunt ex iis, qui Vitas Pontificum conſignarunt. Hic nominatur propter ſcripta aliqua, *Epiſtolas* inprimis, inter quas præcipua eſt ad Michaelem III. Imp. Conſtantinopolitanum ſcripta valdè prolixa, de ſua in omnes eccleſias poteſtate. Vid. *Tom. III. Concil. p.* 906. *Zonar. Tom. III. ſub Michaele.* Fuerat enim Conſtantinopoli ab Epiſcopatu remotus

Ignatius

Digitized by Google

Ignatius, & inſtitutus Photius, ut ſupra diximus, inconſulto Epiſcopo Rom. nec non ejectæ erant ſtatuæ. Nicolaus ergo contra quam vehementiſſimè poteſt reclamat. Extant etiam Decreta ejus plurima, plena majeſtatis Papalis. Ea Decreta Nicolai I. ex Gratiano collecta ſunt, & in 2. titulos diſpertita à *Joh. Cochlæo.* Vid. etiam de eo *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 858. *p.* 194.

PHOTIVS Patriarcha Conſtantinopolitanus fuit, de quo jam ante facta eſt mentio, vir omnium ſuæ ætatis doctiſſimus. Ejus extat *Nomocanon*, cum interpretatione *Balſamonis*, quo ſcil. leges & canones contulit. Præterea extat ingens ejus opus, quod Μυριόβιβλον ſeu *Bibliothecam* vocat, in qua habentur Excerpta ex Hiſtoricis tum ſuperſtitibus tum amiſſis, cum additis ipſius cenſuris. Cætera quæ ad vitam ejus pertinent, petantur ex Interpretis ejus *Andr. Schotti Prolegomenis.* Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr.* 2. *c.* 25. *p.* 288. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 858. *p.* 194. qui tamen cautè legendus. *Colomeſius in Diſſert. de Scriptis Photii. Morhoff. Polyh. Liter. libr.* 1. *c.* 16. *n.* 13. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *pag.* 283. *ſeq. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 9. *c.* 3. *p.* 313.

NICETAS DAVID ſcripſit *Vitam Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani*, cui exacto ſucceſſit Photius. *Voſſius d. l. p.* 289. *& Bellarm. d. l.*

ABVMAZAR ALPHARABIVS inter Ariſtotelis Interpretes Arabes connumeratur, & Mathematicus quoque fuit, cujus extat *de compoſitione Aſtrolabii* liber: item, *de Intelligentiis. Geſner. in Biblioth. Morhoff. Polyh. Philoſ. libr.* 1. *c.* 10. *n.* 3.

ANASTASIVS BIBLIOTHECARIVS fuit Abbas Romanus, Ordinis S. Benedicti, Preſbyter Cardinalis Tituli S. Marcelli, & Bibliothecarius Gregorii IV. Pontificis. Vertit multa de Græco in Latinum. Præcipuum ejus opus eſt *Vitæ Pontificum*, quarum poſtrema eſt Nicolai I. Vid. plura de eo apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 39. *p.* 318. *& Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 858. *p.* 195. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *pag.* 184. *ſeq.*

HINCMARVS *Rhemenſis* Epiſcopus ſcripſit *Vitam S. Remigii* Epiſcopi Rhemenſis, item ejuſdem Encomium: porro opuſculum LV. Capitulorum ad Hincmarum Laudunenſem, & alterum *de Divortio Lotharii Regis & Thietbergæ*: præterea *Epiſtolas* varias: quæ omnia edita ſunt Lutetiæ Pariſ. 1615. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 860. *p.* 195. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 36. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *p.* 283. Plura de eo petantur ex *Frodoardo in ejus Vita.*

PASCHASIVS RATBERTVS, Abbas Corbeienſis, ſcripſit librum *de corpore & ſanguine Domini*, qui ſeorſim prodiit Helmſtadii 1616. item, *in*

Digitized by Google

in Threnos Jeremiæ: item, *Vitas S. Adalardi & ejus fratris Walæ*: & *Paſſionem SS. Martyrum Ruffini & Valerii.* Opera ejus excuſa ſunt Pariſ. 1618. de quibus vid. *Trithem. de Script. Eccleſ. p.*257. & *Bellarm. de iisdem ad ann.* 820. *p.* 187. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.*36. *Reimmann. Hiſtor. Liter. Germ. Sect.* 1. *Quæſt.* 80.

HVLDERICVS AVGVSTANVS. Quis hic ſit mihi non conſtat; niſi fortè S. Vdalricum ſeu Vlricum (nam Huldericus idem nomen eſt) Epiſcopum Auguſtanum intelligit: qui tamen ſequenti demum ſeculo floruit, & ad illud etiam refertur inter Viros celebres, quinto loco. Sed nimirum non à *Schradero*, ſed ab Interpolatoribus hoc nomen inſutum eſt, quod rectius h. l. omittitur.

PETRVS SICVLVS ſcripſit *Hiſtoriam de Manichæorum ortu & occaſu.* Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr.* 4. *p.* 490.

ADO VIENNENSIS Epiſcopus, Scriptor *Chronici de ſex ætatibus mundi* ab orbe condito uſque ad ann. 879. Scripſit & *Martyrologium*, quod tamen alii ei abjudicant. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *cap.* 37. *p.* 330.

ALBATEGNIVS Arabs fuit, (qui & Muhammed Aractenſis, Aratenſis *Copernico* aliiſque dictus, & ſubinde Aracenſis) inveniſſe dicitur calculum exactum & tabulas aſtronomicas, quibus uſque in hunc diem utuntur Muhammedani, in motu vero ſupputando. Librum ejus *de Scientiis Stellarum* ex Arabico vertit *Plato Tiburtinus. Genebrard. in Chronolog. Voſſius de Scient. Mathem. cap.* 35. §. 6. *d'Herbelot Bibliotheca Oriental.*

JOANNES SCOTVS *à diſcipulis graphiis confoditur in cœnobio Malmeſburienſi, cum reprehendiſſet Monachorum ignorantiam.* Hic Joannes Scotus omni doctrinarum genere excultus Philoſophus & Theologus ſuo tempore inſignis; in nonnullis à Romanæ eccleſiæ dogmatibus diſſentiebat; unde pro hæretico habitus, & ſcriptum ejus aliquod poſt ipſius obitum in tribus ſynodis damnatum fuit. Ipſe in Schola Oxonienſi ſtudia literarum propagavit, & ſcripſit *de Diviſione Naturæ*: *de Prædeſtinatione Dei*, &c. Cùm deinde animi cauſa in Malmesburienſe cœnobium ventitaſſet, & monachorum ignorantiam cum ignavia conjunctam acrius reprehendiſſet, ſtylis illi ſuis ipſum confoderunt. *Matth. Weſtmonaſt. in Floril. Hiſtor. Trithemius, Guilielm. Malmesburienſis.*

TAB.

Digitized by Google

TAB. XXI. & SEC. X.

In Tab. XXI. ſub titulo IMPP. OCC. notatur:

A. C. 907. HVNGARI *Ludovicum Imp. prælio vincunt ad Ansbergam Bavariæ.* Feræ genti Hungarorum, qui ex Scythia pulſi, in Pannoniam primùm irruerunt, viam in Germaniam aperuerat Arnolphus Imp. dum Bohemos eorum auxilio in ordinem cogit: qui deinde hoc auctoramento illecti, regionibus ad occidentem verſis graviſſimas clades intulerunt. Sub Ludovico ergo IV. Arnolphi filio & ſucceſſore, in Germaniam progreſſi, & non procul à Lecto ad Anſbergam, poſtquam Ludovici jam exercitum fugæ ſimulatione in inſidias pertraxiſſent, inſigni victoria potiti ſunt: Bavariam deinde, Sueviam, Franciam, Saxoniam cædibus, rapinis & incendiis vaſtarunt. Ex *Luitprando libr. 2. c. 1. & 2.* Add. *Reginonis Continuator ad ann. 907. ſeqq.*

A. C. 912. CONRADVS, 7. Cùm Carolina ſtirps per maſculinum ſexum propagata in Ludovico inter Germanos defeciſſet, regni Proceres ad Conradum, Franciæ orientalis ducem, regni & Imperii faſces detulerunt, ſubſidiaria electione. Conradum hunc aliqui Scriptores Wormatienſem vocant, & per matrem ad Carolinam ſtirpem pertinuiſſe dicunt. Ei ſe oppoſuit Arnolphus Bavariæ, Giſelbertus Lotharingiæ & Burckardus Sueviæ Duces; qui ad Carolum Simplicem, legitimum heredem, deferendum imperium judicabant: id quod verum erat judicium, ſed intempeſtivum. Siquidem is aptus non erat, qui neceſſitatibus Germaniæ ſuccurreret, & hoſtes undique urgentes repelleret. Qui erant iidem Hungari, quorum audacia ſubinde promtior graviſſima, in Saxoniam etiam & Franconiam incurrens, damna dedit. Tunc Conradus, cùm armis eos coercere non poſſet, tributum pactus eſt, quod multis deinceps annis pendi conſuevit. Sic pace parta, principes obſequium ſibi denegantes, inter quos etiam Henricus erat Auceps, Ottonis Saxoniæ Ducis tunc defuncti filius, conventu publicè indicto proſcripſit: quod primùm proſcriptionis contra ipſos Imperii Principes exemplum fuit. Quo remedio Arnolphum Bavaria expulit, fratres Giſelberti Lotharingiæ Ducis captos ſecuri percuſſit, cæteros ad obſequium redegit. Nec diu poſt fatis conceſſit ſine herede imperii: quem velut teſtamento, ſuprema certè voluntate conſtituit Henricum Saxoniæ Ducem, infenſum antea hoſtem ſuum, admiratione virtutis ejus; reip. potius conſulens, quàm

affectus ſuos in conſilio habens. Mortuus autem eſt A. C. 919. imperii 7º Hunc quoque exteri Scriptores inter Romanos Imperatores non numerant, quia ritum coronationis Romæ non ſuſcepit. Res Conradi conſignarunt *Witekindus*, proprius ejus ſcriptor, tùm *Bertramus, Luitprandus, Otto Friſingenſis, Continuator Reginonis, Eggehardus Junior de Caſibus monaſterii S. Galli, Hermannus Contractus, Sigebertus Gemblacenſis, Gobelinus Perſona in Coſmodromio, art. 6. fol. 246. Lehmann. Chron. Spir. libr. 3. c. 51. Browerus in Antiq. Fuld. libr. 2. c. 7.* Add. *Rupert. p. 643. Bœclerus.*

BERENGARIUS *Rex Italiæ Imperator ſalutatur à Johanne X.* Inde à Caroli Craſſi morte uſque ad Ottonem dubia ſemper fuit Italiæ poſſeſſio, non ratione juris, ſed tyrannis turbantibus. Refertur ille ſtatus in *Cæſaribus Bœcleri p. 227.* Inter eos tyrannos diutiſſimè Italia potitus eſt Berengarius, qui contra aliquot æmulos, Guidonem, Lambertum, Rudolffum Burgundionem &c. regnum Italiæ ſibi aſſeruit; Imperatorium tandem etiam axioma accepit, anno demum regni ſui 28. à Joanne Pontifice coronatus. Vid. *Sigon. de Regno Ital. libr. 6. p. 153.* Plura de hoc Berengario *Luitprandus libr. 1. & 2.*

A. C. 919. HENRICUS AUCEPS, 17. *ab adverſario ſuo Conrado morituro electus,* ut ſupra quoque diximus, adducto ſcil. admiratione virtutis ejus ac Sapientiæ, quòd hunc ſolum collapſis rebus opem ferre, & imperium erigere ac fulcire poſſe confideret; generoſi animi documento edito, quod commendat *Rupertus p. 644. Ditmarus Chron. libr. 1. Crantzius Saxon. libr. 3. c. 4.* Fuit hic Henricus filius Ottonis Saxonis, qui poſt mortem Ludovici IV. oblatum ſibi à Proceribus imperium ob ſenectutem recuſaverat, & Conrado tradi juſſerat. Auceps dictus eſt, quòd, cum inſignia imperii ad ipſum eſſent à Conrado miſſa, (de qua traditione inſignium vid. *Luitprandus libr. 2. c. 7.*) legati eum aves captantem invenerint. Adverſarium nactus eſt eundem Arnolphum, qui Conrado quoque ſe oppoſuerat, & ademtam ab hoc ſibi Bavariam poſt hujus mortem recuperaverat. Interventu tamen Vdalrici Epiſcopi Auguſtani, ſine ſanguine res tranſacta colloquio fuit.

Geſſit deinde *Bellum diuturnum contra Sclavos, Henetos, Vandalos,* ut in Tab. noſtra notatur. Hos deſtinatos Germaniæ hoſtes aggreſſurus Henricus, juventutem Germanicam in armis exerceri juſſit, eique rei præmia deſignavit; unde ornamenta & inſignia armorum & nobilitas hereditaria apud Germanos originem habet. An verò tunc haſtiludiorum torneamentorumque leges conſtitutæ ſint, ut quibuſdam placet, ambigitur; quòd recentiores eas eſſe prodat ipſe

Digitized by Google

ipſa indoles: fieri tamen poteſt, ut rei ipſi hinc fuerit initium. Has igitur gentes (quarum quæ fuerint ſedes, vid. *Chron. Carion. lib.* 4. ſub Henrico Aucupe) cùm domuiſſet Henricus, Præfecturas limitaneas ſeu Marchias conſtituit, contra Sorabos quidem Luſatiam & Miſnenſem, & Præfectum, quem Marchionem vocant, cum præſidio impoſuit, qui eundem hoſtem in poſterum coerceret. Idem fecit contra Danos, ubi Marchia Sleſvicenſis, quæ Danomarchia dicta eſt, fuit conſtituta. Contra Henetos vero (quorum arcem belli Brandeburgum aſperrima hieme, caſtris ſuper glaciem poſitis expugnaverat) Marchia Brandeburgenſis. Præter infra nominandos vid. *Alb. Krantzius in Saxonia libr.* 3. *cap.* 7. 8. 9. & *in Vandalia libr.* 3. *c.* 16. Vbi rurſus incidit quæſtio à *Lehmann*. mota in *Chronico Spirenſi libr.* 4. *c.* 1. utrum præfecturæ iſtæ hereditariæ, ſicut & Landgraviatus, Ducatus, Comitatus, tunc eſſe cœperint; de qua rectiſſime ſentire videntur illi, qui non ſubitò & ſimul apud omnes id factum cenſent, ſed paulatim, eo modo quo ſolent exempla in conſuetudinem, conſuetudo verò in jus tranſire: cujus utique moris initia etiam ſub Francicis Imperatoribus ante tempora Henrici facta eſſe, quo filii parentibus in eâdem præfectura ſucceſſerunt, probabile eſt. Patritiorum quoque in urbibus Germanicis origo huc refertur à *Mart. Cruſio in annal. Suev. Part.* 2. *libr.* 3. *c.* 9.

Itaque poſt conſtitutam pacem imperii cum vicinis, repetentes tributum *Hungaros* aggreſſus eſt. Ii enim finitis novennalibus induciis, quas Henricus cum iis poſt priorem in Saxoniam irruptionem inierat, jam redierant. Commiſſo ergo prælio

A. C. 933. *Hungarorum ad* 40000. *caduntur ad Merſeburgum.* Tunc ludibrii cauſa miſſum ad eos canem loco tributi, auctor eſt *Witekindus*: atque idem refert, Henricum poſt hanc ingentem victoriam ab exercitu proclamatum eſſe Imperatorem; quæ proclamatio non pro vulgari tantùm, ſed pro ſolenni ac publica haberi debet, ut patet ex contextu. Cùm deinde Henricus expeditionem Italicam pararet, ad jura Imperii recuperanda, apoplexia correptus, paulò poſt vivis exceſſit, A. C. 936. Scriptores ſunt inprimis modò laudatus *Witekindus libr.* 1. *Annal. Saxon. Ditmarus*, *Luitprandus* & *Eggebardus Junior de Caſibus Monaſt. S. Galli*: qui quidem multa confuſè admodum ſcripſit; quædam tamen in eo ad illuſtrandas antiquitates proſunt. Quibus addi poſſunt *Sigebertus* & *Hermannus Contractus*.

A. C. 936. OTTO MAGNUS 37. ita dictus à rebus geſtis, quas breviter recenſet *Rupertus Obſervat. ad Synopſin Beſoldi p.* 645. Pater Henricus jam ante deſignaverat eum ſucceſſorem, notante *Witekindo in Ann. Sax. libr.* 1. ubi diſertè extat, quod eum imperio præfecerit, & teſtamento

id

id ei aſſignaverit: unde patet, imperium eo tempore adhuc fuiſſe ſucceſſivum. Conf. *Luitprandus libr.* 4. *c.* 7. Electio ſeu Coronatio ejus diligentiſſimè conſignata eſt à *Witekindo libr* 2 *princ.* ut ſingulare inde coronationis, quoad ſolennitates, exemplum petendum ſit. Locus coronationis fuit Aquiſgrani, quo deinceps plurimi coronati ſunt. Notantur deinde ſolennia inaugurationis, ubi 1. Solium, in quo Cæſar collocatus. 2. Pontifex Maximus dicitur Archiepiſcopus Moguntinus, Pontifex verò Rom. ad hujus diſtinctionem Apoſtolicus. 3. Additum eſt elogium Henrici Aucupis, filium Ottonem ſucceſſorem deſignantis. 4. Inſignia regia, gladius Imperialis cum baltheo, armillæ & chlamys, ſceptrum cum baculo, & corona. Huc ſpectat quodammodo controverſia, ad quemnam pertineat jus coronandi Imperatorem, ad Moguntinum an Colonienſem? quæ poſtmodum aliquoties, & noviſſimè in coronatione Leopoldi I. anno 1658. recruduit: ſed tunc tamen certis capitulis compoſita fuit: de quo ſuo loco. Conſtat ſaltem ex hoc loco, tunc temporis nondum legaliter aliquid conſtitutum fuiſſe. Trevirenſis enim & Colonienſis inter ſe contendentes, perſuaſorias tantum adducunt rationes; Colonienſis quidem in ſua ditione coronationem fieri dicebat; ſpectare igitur id munus ad ſe potiſſimùm: Trevirenſis verò allegabat antiquitatem ſuæ dignitatis: cùm autem interveniret Moguntinus, huic ambo libenter ceſſerunt. Solennitates aulæ ſeu miniſteria Electorum hinc aliqui deducunt, ubi à *Witekindo* deſcribitur convivium, quo à Ducibus exceptus eſt. Sed id ex hoc loco deduci non poteſt; quoniam illa officia, quæ ibi recenſentur, deprehenduntur arbitraria, &, prout occaſio & commoditas ferebat, adminiſtrata, adeoque tunc nondum in certam conſuetudinem dignitates iſtæ abiere. Conf. *Lebmann. Chron. Spir. libr.* 3. *c.* 3. Luithulfum filium ex filia Regis Angliæ Editta ſuſceptum, ſucceſſorem deſignavit. Sed is ante patrem mortuus eſt. *Witekind. libr.* 3. *princ.* Quæ cum patre egerit, & quoties cum eo in gratiam redierit, *Idem ibid.* Res geſtæ Ottonis multæ magnæque ſunt: & primùm quidem ab internis hoſtibus ſe vindicavit. Conſpiraverant verò adverſus ipſum Tanquardus frater ipſius nothus; Eberhardus Franconiæ Dux, Arnolphus & Hermannus Arnolphi Bavariæ Ducis filii, Giſelbertus Lotharingus, qui ſororem Ottonis habebat in matrimonio; à quibus etiam Ludovicus Tranſmarinus Rex Galliæ in partes tractus eſt. Sed fortuna Ottonis conatus omnes hoſtium diſſipavit. Tanquardus enim obſeſſus à ſuis ipſe militibus occiſus eſt: Giſelbertus in Rheno, dum fugit, periit: Eberhardus in acie prope Andernacum victus occubuit: cum Galliæ Rege tranſactum eſt, deditque ei Otto ſororem ſuam,

Digitized by Google

ſuam, Giſelberti viduam, in uxorem: quo tempore (id quod in Tab. noſtra notatur)

A. C. 939. *Lotharingiam occupavit* Alſatiamque, quæ ad Imperium Germaniæ tum rurſus ſunt traductæ, Argentorato ab Ottone capta, cujus Epiſcopus in partibus adverſariorum fuit. Reliqui rebelles ad gratiam Cæſaris redierunt. Poſt pacem in regno recuperatam. Bohemorum Ducem Wenceslaum, pulſum à Boleslao propter Chriſtianam religionem, reſtituit, &

Bohemos 13. annorum intervallo domuit, ut ſpeciatim memorat Tab. noſtra. Idem, ut porrò hic extat,

A. C. 948. *Haraldum Danorum Regem ſuperat*; qui tranſgreſſus limitem Sleſvicenſem, Præfectum limitis ejus occiderat, tributo Regi impoſito, quem & Chriſtianam religionem admittere coëgit, atque ita

Haraldus Danorum Rex cum filio Suenone baptizatur, ut ſub Rebus Eccleſiæ ſignat Tab. noſtra. Hunni verò cum Germanorum vires debilitatas bellis civilibus crederent, denuo magnas copias in Bavariam infudere; quas apud Auguſtam Vindelicorum ita cecidit Otto, ut ex eo inde tempore vires reparare nequiverint, & hoc eſt, quod illud lemma in altera parte Tabulæ explicat,

Ad A. C. 955. *Hungares fundit ad Auguſtam*; fuitque hæc poſtrema Hungarorum in Germaniam excurſio. Poſthæc (quanquam in Tab. noſtra hoc prius ponitur ad ann. 951.)

In Italiam movet contra Berengarium Juniorem, eumque relictum tunc quidem in regno ſuo, tamen ſubjecit imperio. Adelheidam verò Alberti Regis Italiæ, filii Lotharii, viduam captivitate liberatam, qua eam detinuerat Berengarius, uxorem ſibi adſcivit: quod ægrè ferens Luitholfus filius ejus ex Editta Angla, patri rebellavit, ſociis Hermanno & Arnolpho Schirenſibus Comitibus, qui prioris etiam rebellionis participes fuerant. Obſeſſus verò filius Ratisbonæ à Patre, & veniam ſupplex precari coactus, brevi poſt fatis conceſſit. Quo tempore Ludovicus Tranſmarinus Galliæ Rex Ottonem in auxilium advocavit contra Hugonem Comitem Pariſienſem. Quapropter Imperator cum ingenti exercitu profectus, Pariſios uſque venit, Regemque reſtituit affinem, adjunxitque tunc detractam Galliæ, Belgicam Burgundiamque Germanico imperio. Exinde Berengarius novas turbas per Italiam movens, Ottonem eodem rurſus traxit, à quo

A. C. 964. *Berengarius in deditionem acceptus, relegatur in Bavariam ibique moritur*: ut ſub Tit. Variorum notatur. Otto verò Romam perrexit, atque ibi à Pontifice Johanne imperiali corona eſt inſignitus: quem cùm variorum ſcelerum graviter incuſaſſent Romani

Digitized by Google

apud Imperatorem, concilio habito Pontificem ille depoſuit, ejuſque loco Leonem inſtituit; à quo decretum promulgatum eſt, ne ullus Pontifex Rom. ſit, quem non approbaſſet Rex Germaniæ, qui eo ipſo ſimul eſſet Romanorum Imperator, quod extat *Diſt.-63. C. in Synodo congregata 23. & c. 33.* & in hoc cùm Pontifex, tum Senatus Populuſque Rom. Imperatori jurarunt. Sed vix regreſſo Imperatore, Romam Johannes rediit, à factione Alberti filii Berengarii reductus; qui tamen paulò poſt in adulterio deprehenſus, occiſus eſt. Romani verò neglecto Leone, quem Otto creaverat, Benedictum quendam Pontificem fecerunt: quare reverſus Otto cum exercitu, Leonem reſtituit, & Benedictum in Germaniam Hamburgum relegavit, ubi mortuus eſt. Dum Romæ ſubſiſtit Imperator, filium ſuum Ottonem II. coronari in Imperatorem curavit. Inde digreſſus ad Ducatus Spoletanum & Camerinum ordinandos, perfidiam Græcorum ſenſit, graviterque ultus eſt excidio Beneventi, variaque clade illis illata,

A.C. 969. *Apuliam & Calabriam occupavit*, ut eſt in Tab. noſtra. Nam Græci Epiphaniam, ſui Imperatoris filiam, Ottoni II. deſponſam, adduci ad illum prohibebant; quæ tamen deinde perducta eſt. In Germaniam reverſus Otto moritur in Saxonia, & ſepelitur Magdeburgi, quem Epiſcopatum fundavit, ut inde Doctores ſumerentur, qui ad Henetos alioſque Barbaros convertendos idonei eſſent. Et hoc eſt, quod ad ann. 970. ſub Rebus Eccleſ. extat; *Archiepiſcopatus Magdeburgenſis initium*. Fundavit etiam Citzenſem Epiſcopatum, Bohemis convertendis aliiſque, & magnis reditibus dotavit. Mors ejus incidit in ann. 973. qui erat imperii ejus XXXVIImus. Scriptores proximi ſunt *Witekindus* & *Roſvida Poetria*, monialis primùm, deinde Abbatiſſa, *in Panegyrico de Rebus Ottonis M.* Sequitur hos *Otto Friſingenſis*, *Continuator Reginonis*, *Ditmarus*, *Luitprandi Appendix* de Geſtis Pontificum, quæ magnum eſt ſupplementum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; *Albertus Abbas Stadenſis in Chronico*: *Eckehardus Junior in Caſibus Monaſterii S. Galli* multa habet ad ſtatum aulæ hujus Ottonis pertinentia. Fuerunt autem duo *Eckehardi* ambo *Juniores* dicti; alter fuit Ottonis I. Secretarius & Ottonis II. Præceptor; alter qui de Caſibus Monaſterii ſcripſit, fuit Monachus in eodem monaſterio: quod ideo moneo, quia auctor Tabb. noſtrarum Eckehardum inter viros celebres non nominat.

Inter IMPERATORES ORIENTIS Leonem VI. Philoſophum ſequitur

A. C. 911. ALEXANDER ejus frater, qui tutorio nomine præfuit, donec adoleſceret Conſtantinus: ſed cum deliciis, commeſſationibus,

Digitized by Google

nibus, venationibus tempus imperii annuum & menſem ultra tranſegiſſet, rupto vaſe quodam, & ſanguine per nares & pudenda rejecto, mortuus eſt.

A. C. 912. CONSTANTINVS PORPHYROGENNETVS Leonis filius ex Zoë, doctiſſimus princeps fuit, cujus de ſtudiis in re literaria vid. *Rupertus p. 603.* Scripſit enim *Vitam Baſilij Imperatoris*, cujus nepos fuit: eaque adhuc ſupereſt. Item ſcripſit *Pandectas hiſtoricas & politicas*, cujus operis duo ſolùm tituli ſuperſunt ex LIII. in quos diviſum erat. *Nenius in Acceſſion. ad Wheari Relect Hiem. pag. 169.* Septennis puer ad imperium pervenit, quod primum à tutoribus, poſtea à Zoë matre adminiſtratum eſt. Idem affectantes Conſtantinus Ducas & Leo Phocas oppreſſi ſunt. Ab ipſo deinde Conſtantino

ROMANVS LACOPENVS *imperij conſors* factus, qui haud contentus inferiorem ſe collocaſſe Conſtantinum, etiam filios ei ſuos 3. antepoſuit. Porphyrogennetus genuinus Imperator, quaſi pro adſcriptitio fuit, adeò ut, *Luitprando* & *Sigeberto* teſtibus, pingendis imaginibus quæſtum faceret, inopemque in purpura vitam toleraret: donec tandem Romanus ab ipſo filio ſuo Stephano imperio exutus, Stephanus vero & Conſtantinus fratres, dum inter ſe mutuò de imperio altercantur, correpti ambo, & in inſulas ſunt deportati. Ipſe Conſtantinus ita liberatus tyrannide, denique à Romano filio occiſus eſt, poſtquam 47. annos imperaſſet. In Tabula noſtra huic Conſtantino perperam tribuuntur 19. tantum anni imperii, cùm tamen à 12mo Seculi ad ſexageſimum, quo filius Romanus ſucceſſit, etiam ſecundum ipſam Tabulam, imperaverit. Vid. de eo *Johannes Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Glycas, Conſtantinus Manaſſes, Luitprandus libr. 3. c. 7. ſeq.* qui etiam præcedente *cap. 6.* Romani facinus narrat, Leonem feram occidentis. De exitu Romani idem *Luitprandus libr. 5. cap. 9.*

A. C. 930. *Bulgari capiunt Adrianopolin, Thraciam & Macedoniam vaſtant*: cum quorum Rege Simeone, poſt illatas utrinque acceptaſque clades, fruſtra tentata pax eſt à Romano Lecapeno. Succeſſor tamen ejus Petrus filius pacem & affinitatem cum Romano junxit. Præter auctores Græcos ſupra nominatos narrat *Luitprandus libr. 3. c. 9.*

A. C. 936. *Ruſſi Conſtantinopolin invadentes ſummoventur.* Ruſſorum Rex Inger comperto, quod Græcorum exercitus in Saracenos eſſent emiſſi, animum adjecit ad expugnandam Conſtantinopolin, adductiſque aliquot navicularum millibus (*Zonaras* dicit, earum fuiſſe 15000.) tàm ſecurus victoriæ fuit, ut Græcos non tam occidi, quàm capi præciperet. Sed Joannes Curcuas & Bardas Patritius, variis uſi artibus, claſſem hanc diſperſere, ut paucæ navium cladis nuntiæ domum

Digitized by Google

dilaberentur. Præter *Zonaram* & *Cedrenum* Græcos, vid. *Sigebertum in Chron. ad ann.* 936. & *Luitprandum libr.* 5. *c.* 6.

In REBUS ECCLESIÆ hæc memorantur:

A. C. 912. ROLLO *Dux Normannorum ſacris Chriſtianis initiatur,* à Carolo Simplice Galliæ Rege ut faceret perſuaſus, quem & reliqui Normanni, quantum eorum Galliæ ſolum inſederant, fide Chriſti publicè ſuſcepta ſequuti ſunt. Vid. *Baron in Annal. ad ann.* 912. *S.* 23.

HATTO *Epiſcopus inſidiatur Henrico aureo monili.* Hic Hatto Epiſcopus Moguntinus fuit (non ille qui à muribus corroſus eſſe dicitur, de quo infra) magnæ vir auctoritatis: qui cum ex Franciæ Regum ſtemmate oriundus eſſet, in rebus Imperii plurimum occupatus fuit; ſed cum perfidiæ famâ, qua magnis ſæpe viris inſidias ſtruxit, inprimis Henrico Aucupi: cui ut inſidiatus ſit aureo torque, memorat *Witekindus libr.* 1. (Hoc lemma non eſt à *Schradero.*)

A. C. 921. *Quibus cauſis tertias ſummum nuptias inire liceret, apud Græcos legibus firmatur.* Dictum ſupra, ut Imp. Leo Philoſophus, cùm prolis maſculæ cauſa, quartis nuptiis Zoen duxiſſet, propterea à Patriarcha Nicolao ſacris prohibitus ſit; & huic ſede Patriarchali dejecto ſuffectus Euthymius & ipſe vehementer obſtiterit, ne diplomate edito Imperator quarti matrimonii libertatem ſanciret. Ab eo tempore res agitata Eccleſiam Conſtantinopolitanam in diverſas ſententias traxit, his admittentibus, aliis verò damnantibus tertias nuptias. Nunc ergo facto decreto quartæ nuptiæ omninò interdictæ, tertiæ verò cum conditione & ex certis cauſis permiſſæ ſunt. Vid. *Centur. Magdeb. Baron. Annal. Calviſ. ad ann.* 920.

A. C. 927. BENNO *Metenſis Epiſcopus à civibus ſuis diſciplinæ impatientibus excæcatur.* De qua re *Continuator Reginonis ad ann.* 927. ita: Benno, qui Benedictus dicitur, à Metenſibus excæcatur, & Synodo apud Duisburgenſes habita, omnes ejus facti auctores excommunicantur, & Adalbero nobilis pro eo Epiſcopus inſtituitur. Conf. *Frodoard. in Chron.*

HARALDUS *Danorum Rex cum filio* SUENONE *baptizatur.* Haraldus hic bellum cum Ottone I. geſſerat, à quo victus, & ad pacem adactus, Chriſtianiſmum amplexus eſt. Vid. *Witekind. Hiſt. Sax. libr.* 3. *Ditmarus in Chron.* qui duo addunt, miraculo ferri candentis, à Chriſtiano quodam ſacerdote nudis manibus ſine læſione geſtati, religioni apud Danos fidem factam eſſe. *Saxo Gramm. Hiſt. Dan. libr.* 10. *Olaus Wormius in Monumentis Danicis libr.* 1. *Helmold. Chron Sclav. c.* 15. Diverſimodè tamen hoc narrant Scriptores, nec circa tempora conſentiunt, notante *Hottingero Hiſtor. Eccleſ. Sec.* 5. *cap.* 10. *p.* 122.

Sub

Digitized by Google

Sub titulo VARIORVM hæc habentur:

HVNGARI *Pannonia egreſſi Italiam affligunt, per Germaniam prædas agunt, eamq; tributariam faciunt.* De Hungarorum in Germaniam irruptionibus dictum jam ſupra, ubi de Ludovico IV. qui ab illis prope Ansbergam Bavariæ triduano prælio victus, pacem nonniſi multo auro redimere potuit, non diu tamen duraturam. Videantur etiam, quæ ad primum hujus Tabulæ lemma notávi: *Hungari Ludovicum Imp.* &c. Ab Henrico quidem Aucupe, cum tributum illud repeterent, victi ad Merſeburgum, & ludibrio habiti ſunt, miſſo tributi loco cane. Sed nec ſequentibus temporibus deſierunt Germaniæ infeſti eſſe, donec Otto M. ad Auguſtam victos ingenti prælio ita fregit, ut nunquam deinceps redierint. Italiæ verò non minores clades intulerunt iidem Hungari: de quibus vid. *Luitprand. libr. 2. cap. 4. ſeqq* Addatur *Witekindus* & *Reginonis Continuator.*

A.C. 912. ROLLO *Dux cum Normannis ſuis à Carolo Simplice borealem Galliæ oram omnem obtinet.* Normannis jam ſub finem ſuperioris Seculi à Carolo Craſſo Neuſtriam incolendam eſſe datam, ad id tempus notatum ſupra. Nunc verò idem à Carolo Simplice factum eſſe memorat Tabula noſtra ad ann. 912. Diſſentiunt enim hac in re Scriptores. Fortaſſis ita ſe res habet, ut à Carolo Craſſo primùm in illis partibus Galliæ ſedes datæ ſint Normannis, quas poſtea illis confirmaverit, aut ampliores conceſſerit Carolus Simplex, cujus alioqui turbulentum admodum regnum fuit. Nam & huic Rolloni, ſacris Chriſtianis initiato (ut ſupra ſub Rebus Eccl. dictum) & poſt baptiſmum Ruperti nomen nacto, Carolus Simplex filiam ſuam dediſſe uxorem dicitur; quod tamen alii Carolo Craſſo tribuunt. Id certum eſt, quod ab hoc Rollone ſeu Ruperto deſcenderint longâ ſerie Duces Normannorum, quorum Richardus II. Apuliam, Siciliam & Calabriam bello acquiſivit, exturbatis inde Græcorum reliquiis, & oppreſſis Saracenis. Vid. *Chron. Carion. ſub Carolo Craſſo.*

HENRICUS *primogenitis conſtituit* das Heergewette (hoc lemma eſt ab Interpolatoribus adjectum) Jure Saxonico Heergewette dicuntur res expeditoriæ ſeu militaris ſupellex, & præparamenta ad expeditionem exercitus pertinentia, quæ ad armandum militem & ad expeditionem unius hominis requiruntur. Hanc igitur militarem ſupellectilem (das Heergewette) ut à patre acquireret filius primogenitus natuque maximus, ſua hac conſtitutione firmavit Henricus Auceps. De cujus inſtitutione vid. *Gobelinus Perſona Coſmodromij Ætat. 6. cap. 47. p. 199.*

Digitized by Google

Nicol. Schaten. lib. 3. Annal. Paderborn. p. 260. Meibom. in Notis ad Witekindi Annales Tom. I. Rer. Germ. p. 686. Addatur Sächſ. Land- und Lehen-Recht/ cum gloſſis. Item Lexicographi Juris Publ. *Webnerus, Rudingerus, Beſoldus* & præcipuè *Speidelius.*

A. C. 924. HUNGARI *Italiam, Germaniam & Galliam depopulantur.* De his vaſtationibus terrarum per Hungaros jam aliquoties dictum. In Italia quidem Berengarius amicis illis uſus erat, eoſque pecunia placaverat. *Luitprand. libr. 2. c. 1.* Sed eo mortuo, & abſente Rudolpho Rege occaſionem nacti, Salardo Duce Lombardiam adorti, Mantuam, Brixiam, Bergomum diripuerunt; ipſam Papiam caput regni captam cremarunt. *Luitprand. libr. 3. cap. 1. ſeq.* Vid. & *Sigon. de R. J. libr. 6. p. 155.* In Germaniam hoc tempore iterum irruentes, poſt illatas multiplices clades, Henricus Auceps tandem ingenti prælio ad Merſeburgum vicit, de quo ſupra. Galliæ quoque fines ingreſſi, late ſtrages ediderunt. Vid. *Continuator Reginonis ad ann. 926. & 933.* De his expeditionibus etiam Hungaricarum rerum Scriptores conſulendi ſunt.

COMES RINGELHEMIUS MARCHIO BRANDEBURGICUS PRIMUS. De conſtitutis ab Henrico Aucupe Præfecturis limitaneis ſupra dictum. Contra Henetos igitur Marchiam Brandeburgicam conſtituit, eique præfecit affinem ſuum, Sigfridum Comitem in Ringelheim; qui tunc erat Comitatus, hodie Monaſterium in diœceſi Hildesheimenſi. Erat hic Sigfridus Saxo, Imperatricis Mathildis frater, Magni illius Witekindi à Carolo M. devicti, abnepos. De proximis hujus Sigfridi ſucceſſoribus (ipſe enim liberis caruit) vid. *Carion. Chron. lib. 4.* ſub Henrico Aucupe.

LUDI EQUESTRES INSTITUTI. (Neque hoc, nec præcedens lemma in Tabulis à *Schradero* ipſo primitus editis comparet) Ludi hi equeſtres ſeu haſtiludia, quæ barbaro vocabulo torneamenta vocantur, Germ. Turnier-Spiel/ vulgo auctorem habere dicuntur Henricum Aucupem: quæ res tamen incerta; ut ſupra diximus, ubi de hoc Cæſare ſermo erat. Et fieri poteſt, ut occaſionem dederit Henricus exercitiis illis militaribus, quibus Germanos ille ſuos, inprimis Saxones, ad bellum contra Hungaros alioſve Germaniæ imminentes populos præparavit. Videntur tamen certæ leges & forma his haſtiludiis data, recentioribus temporibus deberi: ad quæ certamina ſoli nobiles, qui genus moreſque ſuos probaſſent, admittebantur. Ea ergo deinceps magna celebritate uſitata fuerunt, uſque ad Seculi XIV. medium. Vid. *Lehmann. Chron. Spir. libr. IV. c. 1.* Scripſit de hoc argumento ſingularem Diſſertationem *Georgius Schubartus,* in Academia Jenenſi Hiſtoriarum Profeſſor, anno 1689. in 4° editam. Extat etiam *Georgii Ruxneri* Thurnier-Buch/

vom

vom Anfang/ Urſachen/ Herkommen der Thurniere im H. Röm. Reich. ed. Francof. 1576. fol.

A. C. 937. Ramirus *Rex Hiſp.* 80000. *amplius Saracenorum cadit.* Fuit hic Ramirus, quem alii Rademirum vocant, Rex Galliciæ ſeu Legionis, & poſt alia egregiè contra Saracenos geſta, uno prælio tantam eorum ſtragem edidit: ad quam victoriam non parum etiam contulit virtus Ferdinandi Gonſalvi, Caſtiliæ Comitis. Vid. *Baron. Annal. ad ann.* 938. ex Scriptor. Hiſp.

Turcæ *Thraciam populantes ad ipſam Conſtantinopolin perveniunt.* Hi Turcæ à *Zonara* & *Cedreno,* hanc illorum expeditionem narrantibus, etiam Hungari appellantur, & duces eorum poſtea à Conſtantino Porphyrogenneto perſuaſi Chriſtianiſmum receperunt.

Otto *Imp. Sclavorum gentem ſuo ſubjecit imperio.* Bellum contra Sclavos, qui & Heneti, reliquerat ei pater Henricus, quanquam inclinatum, acciſis eorum viribus, non prorſus tamen confectum. Tum Otto expugnata Brandeburgo, primà Henetorum urbe, genti à ſe domitæ leges & religionem mutavit, pro idololatria veteri, nova Chriſtiana impoſita. Sed tamen illi deinceps nullas excutiendi novi jugi, nullas religionis, ad quam armis coacti erant, abjiciendæ, veteriſque revocandæ occaſiones neglexerunt. De Slavorum gente domita vid. *Witekind. libr.* 1.

Inter VIROS CELEBRES hoc Seculo nominantur:

Moses Bar Cepha, Epiſcopus Syrus, ſcripſit librum *de Paradiſo,* in partes duas diviſum, qui extat Tomo I. Bibliothecæ PP. editionis ſecundæ. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann. 960. p. 199.*

Rhegino Abbas Prumienſis cœnobii in diœceſi Trevirenſi ſcripſit duos *Chronicorum* libros, quibus præcipuè tractat res Francorum, quos perduxit ad ann. 907. Scripſit Rhegino etiam de Doctrina Eccleſiaſtica. Vid. *Tritbemius de Viris Illuſtribus Germaniæ*: *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 39. p. 339. Reimmannus Hiſtor. Liter. Germ. Sect.* 1. *Quæſt.* 274. *Neu in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. p.* 88.

Rhadulphus Flaviacensis, Monachus Ordinis Benedictini, reliquit præter alia *Hiſtoriam Francorum, & Chronicon breve.* Vid. *Tritbemius & Voſſius l. c.*

Vitello (rectius *Vitellio*) *Opticus* & mathematicus ſcripſit περὶ Ὀπτικῆς libros 10. quod argumentum hic ex veteribus accuratiſſimè tractaſſe dicitur. *Geſnerus in Biblioth.* Memoratur etiam inter Scriptores de Optice à *Morhoffio Polyhiſt. Tom. 2. libr.* 4. *c.* 1. *n.* 9.

Vdalri-

VDALRICVS *Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus*, ob pietatem ſingularem laudatur, cujus hoc quidem egregium fuit ſpecimen, quod Ludolphum, Ottonis M. Imp. filium, cùm in eo eſſet, ut cum patre prælio congrederetur, dehortatus eſt, utque ſe patri ſubmitteret, perſuaſit. Poſt mortem miraculis eum claruiſſe volunt: certè inter Sanctos relatus eſt. *Sigebertus ad ann. 976.*

LVITPRANDVS TICINENSIS primùm Diaconus, pòſt Epiſcopus Cremonenſis, magnæ vir auctoritatis, legatione etiam functus eſt ad Conſtantinum Leonis filium Orientis Imperatorem, vel, ſecundùm alios, ad Nicephorum, qui Romano Conſtantini filio ſucceſſit; nomine Ottonis Imp. filio ſuo Ottoni Theophaniam Nicephori filiam expetentis. Scripſit *Luitprandus* Hiſtoriarum libros 6. *de rebus in Europa ſuo tempore geſtis.* Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann. 946. p 198.* & inprimis *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. cap. 40. Neuius in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. p. 97. ſeq.* & *Whear in Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium p. 9.*

RASIS *vel* RHAZES fuit medicus Arabs, qui à nonnullis Almanſoris nomine citatur: cujus de operibus vid. *Geſnerus in Bibliotb. Voſſius de Scient. Mathem. cap. 35.*

Progredimur ad alteram partem Tabulæ, ubi ſub Titulo IMPP. OCCIDENT. poſt Ottonem M. ſequitur

A. C. 973. OTTO II. Magni filius ex Adelheide, jam ante à patre imperii conſors factus, & coronatus anno 967. *Ditmarus libr. 2. p. 27. Witekind. libr. 3.* poſt patris verò mortem ei fides data atque unctio collata eſt. *Ditmarus libr. 3. p. 29.* Henricus Bavariæ Dux, Arnolphi mali nepos, ſub eo imperium affectavit, ſed ad Principis clementiam confugere coactus, eâ lege in gratiam receptus eſt, ut imperium ejuraret, & ſuo ducatu ad tempus cederet. *Sigebert. Gembl.* & *Lambert. Schaffnab. ad ann. 974.* Concitaverat enim Haraldum quoque Daniæ Regem ad defectionem, itemque Bohemiæ Ducem Boleslaum, quos Otto ad officium redegit. Inter hæc Lotharius Franciæ Occidentalis Rex, occaſionem captans Lotharingiam occupavit, cui Otto cum exercitu occurrens facilè eam recuperavit cedente Lothario, cujus tamen fratri Carolo Imperator eandem, ut Imperii feudum reliquit, & Pariſios uſque Lotharium perſequutus eſt. Poſt hæc cum Theophaniæ uxoris ſuæ fratribus ei bellum fuit pro Calabria & Apulia, quas ab Ottone M. Græcis ademtas hi repetitum ibant. In eo bello proditione

tione Romanorum ac Beneventanorum magnam accepit cladem: his enim conſultò fugientibus perterriti cæteri, & Imperator in fuga captus eſt; qui cùm non agnoſceretur, beneficio Græcæ linguæ evaſit: quam cladem tamen, ut & ipſos proditores poſtea ſeveriſſimè ultus eſt: & hoc eſt, quod in Tab. noſtra ſpeciatim notatur:

Infeliciter perfidia Italorum pugnat contra Græcos & Saracenos in Calabria, &c. Vtrum à victoria de Saracenis, quibus poſtmodùm in Italia ad internecionem deletis, ſuam cladem ultus eſt, an à prioribus bellis, quibus adhuc ſub parente eos afflixit, cognomen acceperit Otto, ut Pallida mors Saracenorum diceretur (*Chronicon Laurishamenſe apud Freher. p.71.*) ambiguum eſt. In Germaniam hinc rediturus, ex profluvio ventris moritur, dum adhuc in Italia eſt, Romæque ſepelitur A. C. 983. poſtquam 10. annos à morte patris imperium tenuiſſet, non (ut in Tab. noſtra extat) novendecim: qui tamen error etiam eſt apud *Rupertum p. 650.* ubi dicitur poſt patris obitum imperaviſſe annos 19. menſes 7. unde fortè ſumſit Tab. noſtræ auctor, non inito prius computo. Nam ſi, (ut diſertè habet *Rupertus*) Otto M. obiit anno 973. Non. Maji, filius verò Otto II. anno 983. die 8. Decemb. decennium cum VII. menſibus evadet, non XIX. anni, quibus patre mortuo imperaverit. Scriptores ſunt *Ditmarus*, hujus & duorum ſequentium proprius, *Roſvida* & *Eckehardus Junior*.

A. C. 983. OTTO III. 19. annos imperavit, quod in Tab. noſtra omiſſum, atque iterum perperam ponitur annus aditi imperii, 987. cùm debuiſſet 983. vel 984. Nam poſt Ottonis patris mortem uſque ad hujus imperium breve aliquod intervallum fuit, propter ejus minorennitatem. Erat enim hic Otto filius prioris ex Theophania, & infans adhuc, cum pater moreretur; ſed qui annos ſuos antecedens maturè ſapere cœpit; unde cognomen traxit, ut miraculoſus ſeu Mirabilia mundi vocaretur. Contemtu tamen ætatis fuere qui imperium contra ipſum affectarent; Henricus nempe Rixoſus Bavariæ Dux, pridem ab Ottone II. Ducatu pulſus; qui puerum ad ſe recipiens, ſub ſpecie tutelæ ſibi comparare imperium conatus eſt, proceribus Quedlinburgum ob id convocatis: quem tamen conſenſus omnium deſiſtere propoſito coëgit, & puerum reddere. Vid. *Ditmarus libr. 3. fin. & libr. 4. p. 34. ſeq.* proprius in hoc Ottone & coævus, natus ſub Ottone II. mortuus ſub Henrico II.

Bohemos ad obſequium cogit potius pater ejus, ab Henrico Bavaro concitatos: quamvis tum quoque ſe moventes non tàm ipſe Otto III. Imp. quippe adhuc puer, quàm Principes repreſſerunt. *Ditmarus libr. 4.* Romani interim, auctore Creſcentio quondam Senatus Scriba, quem ipſi

Digitized by Google

ſibi Conſulem tribunitia poteſtate inſtructum creaverant, ab Ottone defecerunt. Igitur Otto compoſitis in Germania rebus Romam cum exercitu profectus eſt; cumque Pontificem defunctum eſſe audiviſſet, quem ſecum habuit cognatum ſuum Brunonem, Pontificem fecit, Romamque præmiſit; ipſe ſubſecutus Creſcentio & Romanis veniam deprecantibus dedit. Sed vix diſceſſerat iterum, cùm hi ad ingenium redierunt, expulſoque Brunone, qui Gregorius V. dici voluit, alium quendam Johannem Placentinum Pontificem fecerunt. Properè igitur reverſus Otto, capta per vim urbe, ſeditioſos partim morte, partim exilio multavit, interque eos

Creſcentium Romæ ſupplicio affecit, (ut eſt in Tab. noſtrâ) quem, poſtquam prius aſino impoſitum, facie aversâ circumduxit per urbem, tandem longo cruciatu laceratum, ad portam cum XII. aliis ſeditionis ſociis ſuſpendit. Johannem Placentinum verò quem illi Papam fecerant, naſo truncatum & exoculatum præcipitavit de Capitolio. Per eam occaſionem facta eſt conſtitutio, ne quis Imperator eſſet, niſi quem Proceres Germaniæ eligerent, quem & Gregorius Pontifex, à Cæſare reſtitutus, approbavit, Romanis, ut in eam jurarent, adactis. Neque verò ideo vel hereditarium eſſe deſiit Imperium, vel VII. Electorum Senatus conſtitutus eſt ab Ottone; quod nonnulli aſſerunt; quos refutat *Onuphrius Panvinius de Comitiis*, & *Hermannus Conringius de Septemviris*. Add. *Carion. Chron.* ſub hoc Imp. & *Rupertus Obſervat. ad Synopſ. Beſoldi p. 651*. Id ſolùm hoc tempore cautum, ut ſi deficeret regalis ſtirps, atque electione opus eſſet, nemo alius quàm Proceres Germaniæ univerſi eligendi jus haberent, & quem illi elegiſſent, hoc ipſo Romanorum eſſet Imperator. Otto denique Romam tertio profectus, cùm amoribus viduæ Creſcentii, quem antea occiderat, implicaretur, chirothecis veneno infectis ab ea necatus eſt. Vxorem habuit Mariam Arragoniam, mulierem procacis libidinis. Sed quod adulterii convictam Imperator vivam cremaverit apud Mutinam, ſcribit quidem *Godefridus Viterbienſis*, & ex eo *Lipſius in Monitis politicis*: ſed cum *Ditmarus* nihil ea de re habeat, proprius ejus Scriptor, neque cæterorum quiſquam, fabula eſſe creditur. Imò *Nic. Hieron. Gundlingius*, Prof. Hallenſ. & Conſiliar. Regis Boruſſiæ in ſeinem Abriß einer rechten Reichs-Hiſtorie *p. 67. n. 33.* aſſerit, Ottonem hunc ne quidem habuiſſe uxorem, nedum ut eam ob adulterium cremaverit. Citatis Scriptoribus addantur *Glaber Rhadulphus*, qui tamen parcius Germanica attingit, & *Roſvida*.

IMPP.

IMPP. ORIENT. reliqui hoc Seculo ſunt, poſt Romanum Lecapenum, & Conſtantinum Prophyrogennetum denuo reſtitutum,

A. C. 960. ROMANVS JVNIOR, cognomento dictus Puer, ad differentiam Romani avi materni: filium ſuum Baſilium diademare & imperatorio nomine ornavit. Sub eo per Nicephorum Phocam & Leonem Phocam res bene geſta contra Saracenos in Creta & in Oriente. Ipſe Romanus homo diſſoluti ingenii, mortuus eſt, cùm ultra triennium imperaſſet. Vid. *Zonaras Tom. III. Cedrenus.*

A. C. 963. NICEPHORVS PHOCAS imperium deinde ſuſcipere coactus eſt, teſte *Zonara.* Ante imperium, vivo Romano, Saracenis Cretam eripuerat, Imperator factus etiam Ciliciam, Cyprum, Syriam recuperavit, fineſque imperii latè auxit. Sanxit hic Imp. inter alia, ne fundi eccleſiarum augerentur, quia opes illæ à Sacerdotibus non in eccleſiarum utilitatem conferrentur: unde fortè odium ei contractum, ut hinc iniquius de eo judicet *Zonaras.* Periit inſidiis Theophanonis conjugis, quæ cum Zimiſce in ejus necem conſpiravit. Scriptores iidem.

A. C. 969. JOHANNES ZIMISCES igitur regno potitus, ſtatim Romani liberos adhuc pueros imperii conſortes fecit. Contra Saracenos, Bulgaros, Roſſos proſperè pugnavit, partim Bardæ Duri, partim ſuo ductu. Lento veneno propinato inſidiis Baſilii cubicularii periit, cum regnaſſet annos ſex, menſes totidem. *Zonaras & Cedrenus.*

A. C. 975. BASILIVS & CONSTANTINVS Prophyrogenneti, *Romani Junioris filii,* regno dehinc paterno & avito præfuerunt. Ab iis Magiſter Bardas Sclerus defecit, cum quo aliquot prælia commiſſa; poſtea tamen reconciliatus fuit. Bardas quoque Phocas conſpiratione ducum Imperator ſalutatus, profligatur à Baſilio; qui jam ſolus rerum potitus, nomine tantum Imperatoris Conſtantino fratri relicto, Bulgaros aliquot præliis vicit: poſt quæ (ut Tab. noſtra notat)

Bulgari Theſſalia ejiciuntur. Denique ſubacta penitus gente, (quod in Tab. ſeq. extat)

Baſilius de Bulgaria debellata triumphat; cui deinde regioni ducem peculiarem impoſuit. Memorabilis eſt crudelitas, quam exercuit in captivos, quorum 15000. excæcatos, ſingulis centuriis præfecto monoculo, ad Samuelem eorum Regem remiſit.

Idem Iberos ſubegit, ut itidem in Tab. ſeq. ad ann. 22. notatur) defuncto tum Iberiæ Principe. (NB. Iberia hic intelligitur ea Aſiæ provincia, quæ hodie Georgia ſeu Gurgiſtan appellatur. Alias etiam à Vett.

Digitized by Google

Iberiæ nomine indigitata eſt Hiſpania.) Hæc & cætera Baſilii vid. apud *Zonaram* & *Cedrenum*. Mortuus eſt imperii vitæque anno 72. poſt quem Conſtantinus frater triennio, minus uno menſe, ſuperfuit, jam verè Imperator: cujus ſocordiam & cæteros mores, inque tributis exigendis acerbitatem deſcribit *Zonaras*. Obiit ſeptuagenario major.

In REBVS ECCLESIÆ memoratur:

JOHANNES XIII. *primus baptizavit campanas.* (quod tamen lemma non à Schradero, ſed ab Interpolatoribus aſſutum eſt) Nempe primariam Romæ in eccleſia Lateranenſi campanam miræ magnitudinis, tunc recens ære fuſam, ſacris ritibus conſecravit, atque Johannis nomine nuncupavit. Qui ritus poſtea in eccleſia perſeveravit, ut eo modo, quo ipſe uſus campanæ in eccleſiis collocandæ Deo primùm, impoſito iis nomine, conſecrarentur. Vid. *Baronius ad ann.* 968. *S.* 93. Cùm verò intelligant, quantum hoc ſacrilegium ſit, baptiſmum ad campanas transferre, Pontificii Scriptores, hunc ritum non baptiſmum, ſed benedictionem appellari debere contendunt, quanquam cum baptiſmo analogiam habet. Vid. *Baronius d. l.* & *Bellarm. de Pontif. Rom. libr.* 4. *c.* 12. quos verò redarguit *Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 10. *p.* 67. *ſeqq.*

A. C. 960. BVLGARI *Chriſtianæ religioni initiantur*: quod ad ann. 60. Seculi notatur. Id verò hoc tempore factum, nuſquam reperio. Sed ſuperiore Seculo cùm Rex eorum Bogoris ſacra Chriſtiana ſuſcepiſſet, ut in Tab. præced. notatur, tum etiam populares ejus, Chriſtianis prius infenſiſſimi, eandem religionem amplexi ſunt.

A. C. 965. POLONI *cum Mezlao Principe ſuo ſacra Chriſtiana ſuſcipiunt.* Pars quidem Polonorum jam ſuperiore Seculo à Cyrillo Methodii ſocio ſacra Chriſtiana didicerat: ſed illæ tantùm primitiæ fuerunt copioſæ meſſis, quæ hac ætate demum ſequuta eſt. Nam, ut refert *Ditmarus libr.* 4. Micislaus princeps Poloniæ à mercatoribus primùm perſuaſus, repudiato gentiliſmo baptizatus eſt, inſtituitque epiſcopatus Gneſnenſem & Cracovienſem, ejuſque juſſu omnia gentilium idola confracta, éque templis ejecta ſunt. *Cromerus Hiſtor. Polon. libr.* 3. Micislaum hoc feciſſe ait, in gratiam filiæ Boleslai Principis Bohemorum, quam ambiebat Sponſam, cùm illa niſi Chriſtiano nubere recuſaret.

A. C. 970. ARCHIEPISCOPATVS MAGDEBVRG. INITIVM. Dictum jam ſupra, quod Otto M. Epiſcopatum Magdeburgenſem fundaverit, ut inde

Digitized by Google

inde ſcil. ſumerentur Doctores, qui ad Henetos & Sorabos convertendos idonei eſſent. Tranſtulit autem Vallerslebenſem Epiſcopatum Magdeburgum, (de quo tamen nonnulli dubitant) & metropolitanam Eccleſiam eſſe juſſit, inque Archiepiſcopatum extulit, Merſeburgenſem, Miſnenſem, Cizenſem, Havelbergenſem, Brandeburgicam & Poſnanienſem diœceſes ei attribuens. Vid. *Crantz. Metrop. libr.* 3. *c.* 11. & *libr.* 6. *c.* 12. Primus Archiepiſcopus Magdeburgenſis fuit Adelbertus, ſimul & Primatis Germaniæ titulo inſignitus, quem titulum hodie uſurpant Abbates Fuldenſes. Per pacificationem Weſtphalicam Archiepiſcopatus Magdeburgenſis in Ducatum converſus eſt. *Sagittarius in Diſſert. de Antiq. Archiepiſcop. Magdeburg.*

A. C. 980. RVSSI *Volodomiro Duce ad Chriſtum convertuntur.* Quanquam jam ſuperiore Seculo apud Ruſſos legationibus Græcorum propagatam eſſe Chriſtianam fidem, *Zonaras* teſtis eſt, Principe Ruſſorum Epiſcopos Conſtantinopoli poſtulante; tamen per hos maximè annos nova lux illata eſt in Ruſſiam, cùm Volodomirus Ruſſorum Princeps è Græcia duxiſſet uxorem Helenam, (*Hübnerus* Annam vocat) Ottoni III. promiſſam, ſed fraude Græcorum iterum ſubtractam. Ejus igitur hortatu Chriſtiana, & Græca quidem, religio recepta, atque ipſe Volodomirus anno 989. baptizatus eſt, accepto nomine Baſilii: qui poſtea apud Ruſſos inter Sanctos relatus, ejuſque feſtum quotannis d. 15. Julii celebratur. *Ditmarus libr.* 7. *Regenvolſcius in Hiſtor. Eccleſiarum Slavonicarum. Joh. Faber in Religione Moſcovitarum* &c. *Joh. Laſſitius de Ruſſorum, Moſcovitarum, Tartarorum religione.*

INITIA CHRISTIANÆ RELIGIONIS IN SVECIA ET NORVEGIA. Jam tum quidem ſuperiore Seculo Haraldus Daniæ Rex à ſuis pulſus, cùm S. baptiſmate initiatus à Ludovico Imp. Friſiam accepiſſet, Anſgarium monachum Corbeienſem in Daniam Sueciamque miſerat, qui illis gentibus Chriſtianam doctrinam prædicaret, neque id ſine ſucceſſu, de quo videndus eſt *Crantzius in Metrop. libr.* 1. *cap.* 19. 20. 34. 35. 41. &c. Sed hoc Seculo Dania, operâ Adaldagi Epiſcopi Hamburgenſis converſa atque confirmata, & in tres diſtributa epiſcopatus, in Chriſtianæ religionis confeſſione conſtanter perſeveravit. *Carion. Chron. ſub Ottone M. p. m.* 204. Sed & circa hæc tempora Norvegi, Livones, Eſcones, Curoni, Luxates converſi ſunt. *Helmold. libr.* 1. *c.* 12.

A. C. 996. GREGORIVS V. *Papa Rom. Bruno ante vocatus, natione Saxo.* Hic ab Ottone III. Imp. in expeditione Italica, cum forte Johannes XIII. Pontifex mortuus eſſet, ei ſubſtitutus eſt, & ſe Gregorium V. vocari voluit. Is erat Ottonis Sueviæ Ducis filius, Ottonis Imperatoris patruelis. Hic Gregorius poſt diſceſſum Imperatoris à

Creſcentio ejuſque factione iterum ejectus, ab eodem Imperatore deinde reſtitutus eſt: ut dictum ſupra. *Dithmarus Chron. libr.* 4.

HVNGARORVM DVX AMPLECTITVR FIDEM. (Hoc non eſt à *Schradero*) Dux Vngrorum Dologudes, & partis cujuſdam princeps Gylas, Imperatorem Conſtantinum Leonis filium convenerunt, amboque ſacro regenerationis lavacro initiati, & arcanis noſtræ religionis imbuti, ac patritia dignitate ornati, in ſuas ſedes abierunt, adducto Pontifice (cui Hierotheo nomen fuit. *Volaterr.*) per quem multi ad DEI cognitionem pervenerunt. Ac Gylas quidem in fide permanſit, pacemqne ſervavit. Alter fœdere, quod cum DEO icerat, rupto, arma Romanis intulit, idemque contra Francos facere aggreſſus, captus eſt, & in crucem actus. *Zonaras Tom.* 3. Sed hoc paulo prius factum eſt, ſub finem verò hujus Seculi Adalbertus Pragenſis ab Ottone II. ex Italia ad Hungaros miſſus eſt Apoſtolus Evangelii, cui Rex Hungarorum Geiſa primùm locum liberum conceſſit; Stephanus autem Geiſæ Succeſſor (qui Giſlam ſororem Henrici S. in matrimonium accepit, & ipſe poſtea inter Sanctos relatus) magis promovit. Vid. *Genebrard* item, *Platina in Dono II. Faſcic. Temp. Sigebert ad ann.* 1010. quibus add. *Scriptores Rerum Hungaricarum.*

Sub VARIORVM titulo notatur:

HERMANNVS BILLINGIVS DVX SAXONIÆ AB OTTONE M. CREATVR. Fuit hic Hermannus humili loco natus (Nobilem tamen ein Edelknecht fuiſſe dicit Lehmannus *in Chron. Spirenſi libr.* 1. *c.* 5. & Hermannum Stubeckeßhorn vocat: nam ea in re diſſentiunt Scriptores) patre, quem hiſtoriæ vocant Billichium; cujus cùm fidem, integritatem, ſapientiam & induſtriam ſæpe ante perſpexiſſet & probaſſet Otto Imperator, expeditionem Italicam ſuſcepturus, Saxoniæ inferioris gubernationem ei commiſit, reverſus verò ex Italia creavit Ducem. Ab hoc deſcenderunt Duces Saxoniæ, qui tenuerunt tractum circa Lunæburgum, uſque ad Magnum ultimum Ducem: quo ab Henrico IV. capto, & carceris ſqualoribus enecato, ſine ſuperſtite prole maſculâ, Henricus V. Ducatum Saxoniæ attribuit Lothario, poſtea Imperatori. Pauló poſt tamen ſtirps Billingiana, per duas filias Magni propagata, denuò in poſſeſſionem Ducatus Saxoniæ venit. Vid. de hoc Hermanno *Wittekind. Annal. libr.* 2. *Albert. Stadenſis ſub anno* 961. *Albert. Crantzius Metrop. libr.* 3. *c.* 19. *& in Saxon. libr.* 4. *c.* 9. 16. 23. *Meibomii Vindiciæ Billingianæ.*

HATTO EPISCOPVS MOGVNTINVS *à muribus corroditur.* (Omittunt hanc traditionem Tabulæ quæ à *Schraderi* manu.) Hîc Hatto, cùm in

in tota Europa ingens eſſet frumenti inopia, nec haberet unde tot egenos aleret, eos in horreo concluſit & cremavit: miſerè autem ejulantes & clamantes irriſit, dixitque mures ſuos ita clamare. Ideoque ſequenti anno à muribus catervatim advenientibus vexatus eſt; nec profuit ipſi turris in medio Rheni ædificata, ut mures aquis arcerentur, ſed adnatantes catervatim, turrim aſcenderunt, & violentiſſimè arroſum comederunt. Ita narrat *Trithemius. Guilielmus Iſengrinius in Chronolog. Rer. Spirenſium libr.* 10. *ad ann.* 968. Eſt & inſcriptio ejus in ſerie edita Moguntinorum Epiſcoporum talis: Hatto der Ander/ den die Mäuß fraſſen/ ſaſſe zwey Jahr/ ſtarbe anno &c. 970. Vid. *Camerar. Hor. Subc. Cent.* 2. *cap.* 12. *&* 13. & alii ex recentioribus, quos inter & *Drexelius* Jeſuita, *Operum Tom.* 2. *p.* 589. Sunt tamen, qui rem totam in dubium vocant. *Arnoldus in Hiſtor. Eccleſ. & Haeret. libr.* 10. *cap.* 5. *fin.* traditionem hanc ex calumniis ignavorum Monachorum ortam eſſe ſuſpicatur: addit ibi auctores, qui de hac re ſcripſerunt.

A. C. 964. BERENGARIVS *ab Imp. in deditionem acceptus relegatur in Bavariam, ibiq; moritur.* Hic eſt Berengarius III. Italiæ tyrannus, contra quem bis expeditionem ſuſcepit Otto M. & primâ quidem victum in regno reliquit, imperio tamen ſubjecit. Cùm verò ille denuo turbas in Italia moveret, Imperator iterata expeditione eum captum in Bavariam miſit, ubi mortuus eſt. *Continuator Reginonis* & *Lambertus Schaffnaburgenſis ad ann.* 964.

A. C. 986. LVDOVICVS V. *Galliæ Rex, ſtirpis Carolinæ ultimus.* Hic Lothario patri ſucceſſit, ſed intra biennium à conjuge Blanca veneno ſublatus eſt. Ab ejus morte regnum Galliæ, quod annis 237. tenuerat Pipini progenies, ad Hugonem Capetum devolutum eſt. Quanquam enim Carolus patruus, Lotharingiæ Dux, ei ſuccedere voluit; hunc tamen acie ſuperatum & captum, in perpetuâ habuit cuſtodiâ.

Hugo Capetus Galliæ Rex factus, favore populi, & coronatus Rhemis 988. ut Tab. noſtra habet, alii 987. Hunc Hugonem alii Pariſienſem vocant, alii Andegavenſem. Paternum genus ille referebat ad Pipinum M. per Hildebrandum, maternum vero ad Clodoveum R. Genitus autem fuit ex patre Hugone M. Pariſiorum Comite, avo Roberto: materno verò ſtemmate, ex Sorore Ottonis Senioris natum tradunt; adeò ut vanitati poëticæ nullus ſit locus fingendi, eum viliſſimo patre natum, ait *Baronius ad A.* C. 987. Filio Roberto in regni conſortium adſcito, feliciter deinde imperavit, uſque ad ann. 997. quo Hugo mortuus eſt. Vid. *Guilielm. Nangiac. Chron. ad ann.* 987. *Pauli Æmilii Hiſtor. Franc. libr.* 4. *Aimoin. Contin. libr.* 5. *c.* 44.

Inter

Inter VIROS CELEBRES memorantur adhuc hoc Seculo:

SVIDAS, auctor *Lexici*, quod paſſim hiſtoriis farſit: cætera Grammatica ſunt, ac laciniæ quædam & fragmenta auctorum hinc inde congeſta, & ſub titulos redacta. Ejus optima editio eſt, non tantum cum verſione, ſed & cum pleniori quodammodo paraphraſi *Æmilij Porti*, Cretenſis, II. tomis in fol. vaſtum opus, nec ad Græcam tantum literaturam, ſed & ad variam doctrinam utile. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr. 2. c. 26.* qui tamen in ætate Suidæ definienda ſibi ipſi non conſtare videtur. Quippe initio ait: Proximè poſt iſtos (Johannem " Curopalatem & Xiphilinum) Suidam vixiſſe cenſeo; temporibus " videlicet Alexii Comneni, qui imperium ſuſcepit anno 1081. Poſt " aliquammulta verò interpoſita, *Suidas*, ait, *Lexici auctor junior eſſe non poteſt Johanne Zimiſce; is autem imperare cœpit anno* 970. Vid. plura de Suida ejuſque ſcriptis & editionibus apud *Morhoffium Polyhiſt. Liter. libr. 4. cap. 7. n. 3. & 4. Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. p. 171* [NB. Prodiit interim Cantabrigiæ, A.C. 1705. nova eaque ſplendidiſſima Suidæ editio, in III. Tomos diviſa, curâ *Ludolphi Küſteri*, & quoad Græcum textum & quoad verſionem ita emendata, notisque inſuper atque indicibus cùm rerum tum Auctorum ſic aucta, ut Æmilii Porti editioni palmam omnino præripiat.]

FLODOARDVS ſeu *Frodoardus* Presbyter & Canonicus Eccleſiæ Remenſis fuit, & libris IV. condidit *Hiſtoriam Eccleſiæ Remenſis*, nec non reliquit *Chronicon* ab ann. 919. ad ann. 966. quod exhibetur in *Annal. Franciæ à Pithœo editis*. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. cap. 40. p. 347.*

WITTICHINDVS ſeu *Witekindus*, Monachus Corbeienſis, ſcripſit *de Geſtis Saxonum* libros 3. item, *de Geſtis Ottonis I.* Etiam *Paſſionem Theclæ* metro prodidit, & *Vitam Pauli Eremitæ*. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. cap. 41. p. 350.* Vitam ejus recenſuit, & *Annales* notis illuſtravit *Henr. Meibomius* avus, *Tom. I. Script. Germ. p. 624.* Vid. *Neuius in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. pag. 96.*

HROSWIT ſeu *Roſwid* ſeu *Roſvida* inter Viros fœmina hic memoratur. Fuit autem Monialis Gandersheimenſis, & reliquit heroico carmine *Hiſtoriam ſeu Panegyricum de Geſtu Ottonis I.* Alia etiam ſcripſit, quæ vid. apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 41. p. 351.* Opera Hroſwidæ omnia edidit *Henr. Leonh. Schurtzfleiſchius* Wittebergæ 1707. Vid. *Reimmannus Hiſtor. Liter. Germ. Sect. 1. n. 50. p. 154 & n. 181. p. 281. & n. 277. p. 345. Hiſtoriam ſeu Panegyricum Ottonis M.* una cum prædicto *Witikindo*, notis itidem Avi ſui illuſtratum edidit *Henr. Meibomius in Tom. I. Rer. Germ. Neuius in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. p. 99. ſeqq.*

ABBO

Digitized by Google

ABBO FLORIACENSIS Abbas edidit *Excerpta de Vitis Pontificum*; quæ cum *Luitprando de Pontificum Vitis* conjunguntur. Plura de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 41. p. 354.*

TAB. XXII. & SEC. XI.

A. C. 1002. HENRICUS II *cognomento Sanctus & Claudus.* Mortuo Ottone III. ſecundùm hujus Conſtitutionem Proceres Germaniæ Henricum hunc, Bavariæ Ducem, Henrici Ecelonis filium, Henrici Rixoſi nepotem, Imperatorem creaverunt: cui electioni ſe oppoſuerunt Hermannus Sueviæ Dux, Henricus Marchio Auſtriæ & Eggehardus Marchio Saxoniæ; qui omnes bello domiti, & Cæſarem eum agnoſcere coacti ſunt. In Italia quoque Hartuigius Eporædiæ Marchio res novas molitus, ſe Regem coronari fecerat: contra quem ſuſcepta eſt

A. C. 1004. *Expeditio prima Imp. in Italiam*, quam notat Tab. noſtra, in qua Henricus Ticini coronatus eſt Rex Italiæ. Secuta eſt

A. C. 1013. *Expeditio in Italiam altera*; qua Romam ingreſſus ibi cum conjuge Cunigunda Imperatoriam coronam accepit. Poſt coronationem verò Hartuigium tyrannum eò adegit, ut abdicato regno in monachum ſe attonderi paſſus ſit. Reverſus ex Italia

A. C. 1015. BOLESLAUM *Polon. Regem tributum pendere cogit Imperator.* Hunc quidem jam ante anno Seculi ſexto, armis fregerat, & ad pacem petendam adegerat. Sed anno 15. reſumta expeditione Polonicà rurſus victum Boleslaum tributarium ſibi fecit. Octavo poſt anno, nimirum

A. C. 1023. HENRICI IMP. EXPEDITIO INGENS IN ITALIAM ſuſcepta eſt, qua Calabriam & Apuliam purgavit à Saracenis & Græcis, aſſiduè tumultuantibus, & Romani quoque Imperii Germanici terras infeſtantibus. Idem Henricus Imp. Henetos quoque, qui Magdeburgenſem, Miſnenſem & Merſeburgenſem Epiſcopatus vaſtaverant, iterum bello fregit, reſtitutis his Epiſcopatibus, & amplius donatis. Conjugis ſuæ Cunigundis (quæ Sigefridi Palatini Saxoniæ filia fuit) fratres, à quibus bello petitus fuit, propter dotem conjugis in monachos diſtributam, cùm ipſi ſperarent, ad ſe eam quondam perventuram, ingenti prælio vicit propè Auguſtam, cujus urbis Epiſcopus fuit tertius ex fratribus Henrici, Bruno nomine; quos tamen poſtea Cæſar in gratiam recepit. De hoc diſſidio & bello Cæſaris cum Affinibus, *Aventinus Annal. Boj. libr. 5. p. m. 402.* Henricus cum conjuge ſua in perpetua virginitate vixiſſe dicitur, quo nomine deinde in Sanctorum numerum unà cum illa relatus eſt. Vid. *Abbas Urſperg. in Chron. Crantzius in Saxon.*

Digitized by Google

libr. 4. c. 35. Si quis tamen illud conjugium virgineum cum *Gundlingio* (in ſeinem Abriß zu einer Teutſchen Reichs-Hiſtorie *p. 7. n. 435*) inter chimæras referre velit, forte non errabit. Idem Henricus etiam à quibuſdam Pater Monachorum dictus eſt, propter propenſiſſimum in hos affectum; quæ forte verior cauſa fuit, quæ Sancti elogium ei acquiſivit. Obiit Henricus II. Bambergæ, ibidemque ſepultus eſt A. C. 1024. imperii 23. Scriptor proprius & coævus eſt *Ditmarus*, cui add. *Marianus Scotus, Hermannus Contractus, Sigebertus Gembl. & Chron. Belg. M.* Extat etim *Vita Henrici II. ab Adelboldo, Trajectenſi Epiſcopo, ut creditur, conſcripta.* Ex recentioribus *Rupertus p. 562.* geſta ejus breviter recenſet ex *Brunnero*. Deſinunt hic *Cæſares Bœcleri.*

A. C. 1024. CONRADUS II. SALIQUUS, quem dicunt de Weiblingen. *Chronicon Laurishamenſe apud Freher. p. 73.* ab Henrico S. ſine liberis moriente deſignatus eſt ſucceſſor; neque tamen ideò Principes imperii deſignationem illam ſtatim ratam habuerunt; ſed conventibus actis electione ſua eundem denuo deſignarunt per majora ſuffragia, etſi quidam in alium Conradum, hujus patruelem, inclinarent, vulgò Cuntz ſeu Conradum minorem dictum; cujus factio poſtea turbis commotis, armis compeſcenda fuit. Qui Electores fuerint, *Wippo* recenſet, plerique videlicet Epiſcopi, tùm & Principes ſeculares Franciæ, Saxoniæ, Lotharingiæ, Ripuariæ, Alemanniæ, Nòrici ſeu Bavariæ, Sclavorum quoque, ſolis Italis abſentibus, non quod à jure electionis eſſent excluſi, ſed quod longius abeſſent. De genere Conradi Saliqui vid. *Chron. Carion. libr. 4.* & inprimis *Franc. Guillimanni* commentarium *de vera origine & Stemmate Conradi II.* editum Friburgi in 4°. 1609. Mortuo Rudolffo Burgundiæ Rege, quem Conradus per matrem ſanguinis neceſſitudine attingebat, filio ſuo Henrico regnum illud attribuit, atque imperio conjunxit; quod cùm Otto Rudolffi patruelis Belgii Dux bello repetitum iret, ipſe tamen victor obtinuit: ex quo tempore regnum, quod vocant, Arelatenſe imperio conjunctum fuit, cùm pridem Reges proprios Burgundia inde à Carolo Calvo per ſeſquiſeculum habuiſſet. Sed hæc poſterius geſta ſunt. Ipſe Conradus ſuſceptà expeditione in rebellem Italiam, Mediolani primò corona Italica, mox

A. C. 1027. *Romæ coronatur* in Imperatorem; quo tempore duo Reges eum officii cauſa comitati ſunt, Rudolffus Burgundiæ & Canutus Daniæ ſeu Cimbriæ Rex. Reverſus ab Italia paulò pòſt

A. C. 1029. *Hungariam bello petit*, cujus Rex Stephanus cum Bavariam occupare tentaret, tanquam Giſelæ uxoris ſuæ hæreditatem, cujus frater moriens illam reliquerat, Imperator eum bello aggreſſus pacem

Digitized by Google

pacem facere coëgit: nec diu poſt mortuus Stephanus Rex ſucceſſorem reliquit Petrum; quem poſt mortem Emerici filii adoptaverat. Vid. *Anton. Bonfin. de Reb. Hungar.* Conradus deinde repetita expeditione

A. C. 1036. *Italiam pacat*, quam in Inſubria potiſſimum Epiſcopi turbaverant, Germanorum jugum excutere volentes. Sed eos capta, præter alias urbes, Mediolano coërcuit Imperator, ejuſque urbis Epiſcopum exilio multavit. Inde Apulia, Calabria totaque littorali Italia perluſtrata, & in fide erga Romanorum Imperatorem confirmata, rediit in Germaniam. Nec diu poſt deceſſit anno 1039. imperii 15. ſi ab exceſſu Henrici II. numeres. Scriptores ſunt *Wippo* (qui fuit Henrici III. Imp. Sacellanus) *in Vita Conradi Saliqui*, *Hermannus Contractus* & ipſe σύγχρονος, *Lambertus Schaffnaburgenſis* (de quo elogium, quod habet *Lipſius ad* 1. *Polit. c.* 9. ad ea potiſſimùm pertinet, quæ de Henrico ſcripſit) *Marianus Scotus*, *Otto Friſingenſis*, *Abbas Urſpergenſis*, *Godefridus Viterbienſis*.

A. C. 1039. HENRICVS III. NIGER, quod cognomen etiam indicat marmor Sepulcri ejus, quod Spiræ eſt. *Lambert. Schaffnaburgenſis p. m.* 208. A patre, cùm in Italiam iter ſuſciperet, jam deſignatus Rex, Imperium poſt ejus mortem nemine contradicente ſuſcepit. Præter expeditionem Italicam, qua tres Pontifices ſeſe mutuò Romanâ ſede expellentes depoſuit, eorumque loco Suidigerum Bambergenſem Epiſcopum inſtituit, Clementis II. nomine dictum, à quo & coronatus eſt, repetitaque ſanctio Ottonis I. ne quis Pontifex haberetur, quem non Romanus Imperator approbaſſet: in Germania triplici bello defunctus eſt feliciter. Primum erat

A. C. 1041. BELLVM BOHEMICVM contra Vratislaum Bohemiæ Ducem, quem tributa pendere detrectantem, ad præſtationem eorum coëgit. Alterum fuit

A. C. 1042. BELLVM HVNGARICVM, *in quo Hungaria Imperij feudum factum.* (Hæc ultima verba ſunt ab interpolatoris manu.) Eo bello reduxit Petrum Hungariæ Regem, Stephani nepotem ex fratre, quem quidam Ovo, ab Hungaris adhuc magnam partem gentilibus, in Regem aſſumtus expulerat. Sed Ovo, poſtquam ad gratiam confugiſſet, denuò rebellis duobus prœliis victus oppreſſuſque eſt. Petrus etiam crudelius in ſubditos imperans, à popularibus capitur & excæcatur, quæ mortis ei cauſa fuit. Henricus quidem hoc ulturus erat; ſed cùm Hungari Andream Petri cognatum in Regem adſciviſſent, & annuum tributum auxiliaque promiſiſſent, ſicubi ea requirerentur, iis ignovit. Tertium fuit

Digitized by Google

BELLUM LOTHARINGICUM. Godefridus enim Lotharingiæ Moſellanæ Dux inierat fœdus primùm cum vicino Franciæ Rege, poſtea cum Balduino Flandriæ Comite, coacturus Imperatorem armis, ut excluſo Gottelone fratre, Ducatus partem utramque ſoli ſibi concederet. Hanc Ducis perfidiam etſi ægrè tulit Henricus, tamen culpam confitenti ac deprecanti veniam dedit, & carceri eum cùm incluſiſſet in arce vicina Salinis Saxonicis, rurſus dimiſſum adjunxit Leoni Pontifici, in Italiam redeunti ad compeſcendos Normannos. Nam cùm Clemens II. veneno à Romanis ſublatus eſſet, mox etiam alter Damaſus ab Imperatore conſtitutus eodem modo periiſſet, tertium conſtituit, Leonem vocatum hujus nominis nonum, qui cum Imperatore in Germaniam profectus eſt. Huic revertenti in Italiam addidit exercitum duce Godefrido Lotharingo, quem, ut dixi, ſibi rebellem in gratiam receperat. Sed cùm Godefridus rebus contra hoſtes non admodum feliciter geſtis, potitus eſſet nuptiis Beatricis, viduæ Bonifacii Marchionis Italiæ, & videretur adſpirare ad majora, Imp. metuens dubiam turbulenti & ambitioſi hominis fidem, ipſe cum exercitu ſubſecutus, turbas Italiæ ſedavit, quas increſcens Normannorum potentia concitaverat. Antequam hoc iter ſuſciperet, filium Henricum quadrimum duntaxat Imperatorem coronari fecit Aquiſgrani, quem eundem Ducatu Bavariæ, expulſo Conrado tanquam perduellionis reo, (ut qui cum Hungaris Imperii hoſtibus fœdus pepigiſſet) donavit; quæ res magnam habuit invidiam, & multarum poſtea adverſitatum filio cauſa extitit. Poſtremum Henrico bellum cum Henetis Luſatiis fuit, in quo exercitus ipſius ad internecionem deletus eſt: ob quam cladem cum ex animi ægritudine contraxiſſet morbum, è vivis exceſſit A. C. 1056. imperii 17. Scriptores ſunt, *Hermannus Contractus, Lambertus Schaffnaburgenſis σύγχρονοι,* cum cæteris ſupra notatis, ſed recentioribus.

IMPERIO ORIENTIS
in principio hujus Seculi adhuc BASILIUS præerat, de quo memoratur

Ad A. C. 1018. BASILIUS *de Bulgaria debellata triumphat*: de quo uti & de *Iberia ſubacta*, jam diximus, ubi de Baſilio. Hoc verò & fratre ejus Conſtantino mortuo, imperium ſuſcepit

A. C. 1028. ROMANUS ARGYRUS *Zoës maritus*, quam ei ſcil. Conſtantinus pater deſponderat, ſucceſſoremque ſibi illum deſignaverat. Infelix ipſe in Oriente contra Saracenos, Syriam perdidit, & poſt-

poſtquam imperaſſet annos 5. cum dimidio, inſidiis impudicæ uxoris, quæ cum Michaele Paphlagone conſueverat, periit.

A.C. 1034. MICHAEL PAPHLAGO Zoës operâ Imperator factus, vel inſania vel à dæmone correptus, horribiliter proſterni atque diſtorqueri ſolebat. Is tamen

Siciliam à Saracenis recuperavit, victis & tota Inſula expulſis Carthaginenſibus per Georgium Maniacen: cui tamen cùm malam gratiam pro re benè geſta referret, Stephani affinis calumniis perſuaſus, hujus ſocordiâ poſtea Siciliam, excepta Meſſana, rurſus amiſit. Michael, quamvis hydropicus, Bulgaros deficientes ad obſequium redegit, & paulò ante finem vitæ in monaſterium ſe abdidit, poſtquam imperaſſet annos 7.

A.C. 1041. MICHAEL CALÆPHATVS jam ante Cæſar deſignatus & à Zoë adoptatus, poſt Paphlagonis abdicationem, opera potiſſimùm Orphanotrophi avunculi ad imperium evectus eſt, quod nonniſi 4. menſibus tenuit. Nam cùm Zoen relegaſſet, orta hinc ſeditione, Theodora Zoes ſoror ex monaſterio educta, Imperatrix à furente plebe ſalutatur. Michael & frater ejus Conſtantinus Nobiliſſimus excæcantur, Zoe reducta çum Theodora Sorore imperium capeſſunt. Zoë verò Conſtantino Monomacho nubit, ad quem deinde imperii poteſtas translata. Itaque

CONSTANTINVS MONOMACHVS *Zoes maritus* ſuſcepto imperio totum ſe libidinibus & quieti dedidit. Sub eo ergo Servii Romanorum Orientalium 40000. ceciderunt, Normanni Apuliam occuparunt, Turcæ defecerunt, & multas clades intulerunt, Perſidem denique invaſerunt. Moritur A. C. 1054 Ipſa quoque Zoë mariti congreſſus cum Maria Sclerena, Bardæ Scleri filia, ægerrimè ferens, Zelotypia extinguitur. Ex *Cedreno* & *Zonara*.

RES ECCLESIÆ
hujus Seculi hæ memorantur:

A. C. 1006. BAMBERGENSIS EPISCOPATVS *initium*. Rinoldo Comite Bambergenſi ſine liberis defuncto, redeuntem ad Imperium Comitatum Bambergenſem Henricus Sanctus in Epiſcopatum mutavit, cujus confirmationem eâ demum lege, cùm ipſe eſſet in Italia, à Pontificè impetravit, ſi quotannis inde Sedi Apoſtolicæ 100. argenti marcæ cum equo albo phalerato tributi loco penderentur. Eum Epiſcopatum Imp. ita munivit, ut præcipuos omnes Germaniæ Principes hujus Epiſcopi vaſallos eſſe, & eâ fide, quæ Domino feudi debetur,

 huic

huic obligatos eſſe voluerit. Ex ea conſtitutione adhuc hodie Electores Imperii vaſalli ſunt Epiſcopi Bambergenſis, quæque illi Electorum nomine & titulo tenent, ab eodem eis ut feuda conferuntur: quæ verba ſunt *Peuceri in Carionis Chron. libr.* 4. ubi de hoc Henrico Sancto. Quod verò de Electoribus Epiſcopi Bambergenſis vaſallis dicit, id commoda interpretatione eget. Nec illis omnia, quæ Electorum nomine ac titulo tenent, ab eodem ut feuda conferuntur, ſed quædam tantùm peculiaria loca; de quibus tamen ipſis, quæ ſint non ſatis convenit. Videantur Juris publ. Doctores, *Coccejus in Juris publ. prudentia: Schwederus in Introd. ad Jus publ. Itterus de Feud. Imperij cap.* 3. §.23. *Thulemarius de Octoviratu cap* 20. §.26. Teutſcher Reichs-Staat *Part.* 4. *c.* 1. §.23. *p.*399.*ſeq.* Illud adhuc memoratu dignum, quod Henricus Imp. huic inter Germaniæ Epiſcopatus primum locum tribuit, nec ulli Archiepiſcopo aut Metropolitano ſubjectum eſſe voluit, ſed immediatè à Sede Pontificia pendere. Hodie tamen Abbas Fuldenſis prærogativam ſibi arrogat. Primus autem Bambergenſis Epiſcopus Eberhardus fuit. *Lambert. Schaffnaburgenſis ad ann* 1013. Vid. & *Ditmarus libr* 6. *Autor Vitæ Henrici II.* apud *Caniſium Antiq. Lect. Tom. VI. Lehmannus Chron. Spir. libr.* 5. *c.* 16.

A. C. 1008. BRUNO *Pruſſorum*, BONIFACIUS *Ruſſorum Apoſtoli martyrio coronantur.* De *Brunone* Epiſcopo, qui Boruſſos converſurus martyrio affectus eſt, non ſatis conſtat, quis aut ubi Epiſcopus fuerit. Hoc pro certo habetur, quod cum 18. comitibus in Boruſſiam venerit, ut incolas gentiles ad Chriſtum converteret; ſed ab iiſdem captus, & unà cum ſociis decollatus eſt. *Ditmarus Merſeburg. libr.* 4. *Chron. Marianus Scotus ad ann.* 1008. Add. *Hartknochii* Preuſſiſche Kirchen-Hiſtorie *libr.* 1. *c.* 1. *p.* 24. *ſeq.* Ab hoc Brunone Boruſſiæ urbs nomen accepiſſe dicitur. Quis verò *Bonifacius* iſte Ruſſorum h. t. Apoſtolus fuerit, non invenio. Et jam ad ſuperioris Seculi annum 80. De Vlodomiro Ruſſorum Duce ad Chriſtianam fidem converſo dictum eſt: & dicetur paulò poſt ad annum hujus Seculi 34. de propagatione religionis Chriſtianæ apud Ruſſos. Credibile enim eſt, plures circa hæc tempora in prædicando Ruſſis evangelio occupatos fuiſſe, interque eos etiam hunc Bonifacium. Sicuti & in Boruſſia factum: Nam circa hoc ipſum tempus etiam Adalbertus Pragenſis Epiſcopus, qui gentem Hungarorum convertit, cùm inde redux ad Boruſſos abiret, ob præconium fidei ab illis interfectus eſt.

Duo OLAI, *alter* NORVEGIÆ, *alter* SVECIÆ *Rex, pietate illuſtres.* Olaus quidem *Norvegiæ* Rex jam ſub finem ſuperioris Seculi in Anglia baptizatus fuit, & in omnibus ſui regni provinciis Chriſtiana ſacra inſtituit.

Sed

Digitized by Google

Sed hic intelligitur Olaus II. qui inter Sanctos poſt mortem relatus eſt. Ejus à ſuis cæſi regnum Canutus M. Rex Daniæ occupavit, & filio Suenoni dedit. *Sueciæ Rex Olaus* itidem II. hujus nominis fuit, qui accitis ex Anglia Sacerdotibus Chriſtianam fidem in ſuis ditionibus propagavit. Quia vero ab Eccleſiaſticis ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut à Papa exigi tributum in regno ſuo pateretur contra Saracenos, hinc cognomen accepit, ut à ſuis Scotkonung, i. e. Rex tributarius diceretur. Vid. *Albert. Crantzius in Daniæ, Suediæ & Norvegiæ Chron. Loccenius Hiſtor. Sveci. Saxo Gramm. Hiſtor. Dan. libr.* 10.

A. C. 1034. *Chriſtianæ religionis cultus apud* RVSSIAM *propagatur*. Dictum ſupra, quod, cum Vlodomirus Ruſſorum Princeps uxorem duxiſſet Helenam, Græci Imperatoris filiam, ejus hortatu in Ruſſia Chriſtiana fides longius propagata ſit, teſte *Dithmaro libr. 7.* Cùm vero Vlodomiro 3. eſſent filii, ex his unus Boleslai Polonorum Regis filiam uxorem accepit, cum quâ miſſus eſt à Polonis Reinbernus Salſæ Colbergenſis Epiſcopus, qui fana idolorum deſtruens, mare quoq; Dæmonibus cultum, immiſſis 4. lapidibus chriſmate perunctis, & aqua benedictâ purgavit, damnabili utique ſuperſtitione. Neque enim Chriſtiana hæc ſacramenta dici poſſunt, quæ Chriſti neque inſtituto neque promiſſione fulciuntur. Cæterùm Reinbernum carceri Ruſſorum Rex incluſit, (forte quod Rom. Pontifici gentem mancipare conaretur, cùm illi Græca ſacra magis arriderent) in quo mortuus eſt. *Ditmarus l. c.*

BERENGARIVS *Archidiaconus Andegavenſis veritatem corporis Chriſti in ſacramento negat*. Is inter amicos primùm, quod paſſim jam obtinebat dogma de panis vinique ſubſtantia in euchariſtia pereunte, inque ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti tranſeunte, convellere ſolitus, literas ea de re ad Lanfrancum Epiſcopum Cantuarienſem miſit, quæ aliquo caſu in Gallia patefactæ atque interceptæ, Romam perlatæ ſunt. Contigit Berengario id, quod pluribus aliis, ut inter duos errores mediam veritatem aſſequi non poſſet. Dum enim Symbolorum ſubſtantiam in corpus & ſanguinem Chriſti tranſire inficiatur, ipſam ſimul præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti impugnare aggreſſus eſt. Aliquot Synodis dogma illius damnatum eſt: Scripſit etiam contra illud juſſu Pontificis *Lanfrancus* tractatum *de Euchariſtia*. Ipſe poſt triplicem palinodiam metu expreſſam, ſemper iterum ad ingenium rediit. Vid. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. libr. 2. c. 4. Sect. 3. p. 564.* & Scriptores ibi citatos: quibus addatur *Mabillonus Analect. Tom. II.* Plura de eo habet *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap.* 11. *p.* 527. qui verò, cùm ſit ex Reformatis Doctoribus, dogma hoc Berengarii magnopere commendat.

HENRICVS

HENRICUS IMP. *Romam progreſſus Papam* GREGORIUM VI. *ſede dejicit.* Inſultabant eo tempore ſedi Rom. tres ſimul Papæ. *Benedictus IX.* Magus ob immania ſcelera dejectus erat Sede, Romanis Johannem quendam Epiſcopum Sabinenſem, qui ſe *Sylveſtrum* nominavit, inducentibus. Sed eum Benedictus, favore ſuæ factionis reſtitutus, rurſus pellit, & ſocium in Pontificatu Johannem Gratianum, qui *Gregorius VI.* poſtea vocatus eſt, aſſumit: cui deinde pro 1500. libris Turonenſibus Pontificatum vendidit. Atque hac ratione 3. ſimul Pontifices fuere, quorum quilibet certam Romæ Sedem occupavit. Igitur Henricus III. Imp. Romam cum exercitu veniens, *Sylveſtrum* quidem ad Epiſcopatum ſuum remiſit; *Gregorium* in Germaniam exulatum ire juſſit; & *Benedictus* paulò ante in ſylvas profugerat, ubi inceſtis amoribus vacabat. Suidigerus verò Bambergenſis Epiſcopus ab Henrico Imperatore Papa conſtitutus eſt, ſumens ſibi nomen *Clementis II.* Acta hæc ſunt Sutrii in Concilio Epiſcoporum. Vid. *Benno Cardin. in Vita Hildebrandi, ſeu Gregorii VII. Otto Friſingenſis libr. 6. c. 32. Radulphus Glaber. Leo Oſtienſis. Hermannus Contractus*, &c.

Sub VARIIS hæc notantur:

Ad A. C. 1001. BOLESLAUS *primus Poloniæ Rex creatur ab Ottone III. Imp. & Stephanus Rex Hungariæ.* (Hoc de Hungariæ Rege additum eſt ab Interpolatoribus) Suſceperat hoc tempore Imp. Otto peregrinationem ſuperſtitioſam ad oſſa Adalberti Martyris in Poloniam delata, & per eam occaſionem à Boleſlao Duce magnificè exceptus, Regem eum creavit. Videatur *Ditmarus libr. 4. Sigebertus Gembl. Cromer. libr. 3.* & cæteri Hiſtoriæ Polonicæ Scriptores, præter unum eorum antiquiſſimum, *Vincentium Radlubko*, & *ejus commentatorem*, qui *libr. 2. Chron. Epiſt. 11. p. 133.* videndus. Is enim prioribus etiam Ducibus jam regium titulum tribuit, & hoc tantum tradit, quod Otto Imp. coronam ſuo capiti demtam Boleſlao huic impoſuerit, honoris cauſa. Sed illud tamen de regio axiomate tunc primùm conceſſo aſſerunt etiam *Dubravius libr. 6. Hiſtor. Bohem. Crantzius libr 2. Vandal. cap. 36.* &c. Stephanus verò, cognomento Sanctus, Rex Hungariæ coronatus eſt anno 1001. Coronam ei miſit Sylveſter II. Papa. Vid. *Bonfinius Hiſtor. Hungar. Colmannus in Vita S. Stephani.*

A. C. 1015. CANUTUS M. *Daniæ Rex & Angliæ.* Hujus pater Sueno Rex Daniæ fuit, qui pulſo Anglorum Rege Edelredo, Angliam quoque ſubegit. Poſt mortem autem Suenonis, Canutus filius contra Edelredum à Britannis revocatum ex Normannia, quò confugerat, contra-

Digitized by Google

contraque ejus filios, inſulam ſibi vindicavit, prælio ſuperior, in quo flos Angliæ cecidit. Canutus ex eo Daniæ ſimul & Angliæ Rex fuit potentiſſimus, & Norvegiam quoque occupavit, Magni cognomen adeptus. Conf. *Matthæus Weſtmonaſterienſis*, &c. *Guil. Temple Introd. à l'hiſtoire d' Angleterre.*

SARACENI *Hieroſolymam capiunt.* Factum hoc eſt à Babyloniæ Principe, inſtigantibus Judæis, ut templum Hieroſolymitanum deſtrueret, quò cùm Chriſtiani magno numero confluant, ab ipſis ei periculum eſſe dictitabant: uti refert *Glaber Radulphus*, & ex eo *Baronius ad ann.* 1009.

THVRINGICI LANDGRAVIATVS INITIVM. Res non adeò certa eſt. Titulus certè Landgraviorum Seculo demum ſequente obtinuit, quando Lotharius Imp. Ludovicum, cui cognomen der Springer fuit, filiæ ſuæ Hedwigis maritum, primum Thuringiæ & Haſſiæ Landgravium conſtituit. Circa hæc verò tempora fuiſſe dicitur Ludovicus Barbatus, qui à Conrado II. Comes Thuringiæ factus ſit, quem alii filium Caroli Lotharingi, alii Wilhelmi Comitis Aurelianenſis faciunt. Vid. *Cyriac. Spangenberg. Chron. Mansfeld. Sagittarius de antiquo ſtatu Regni Thuringici.* Item, *in Antiquitatibus Regni & Ducatus Thuringici.*

A. C. 1019. NORMANNORVM *initia in Apulia.* Poſtquam Apuliam & Calabriam, pulſis inde Græcis & Saracenis recuperavit Henricus II. Imp. eam Italiæ oram Normannis, quorum in hoc bello fidelem expertus erat operam, conceſſit, ut adverſus Græcos eam pro feudo defenderent. *Ditmarus lib.* 7. Primus ex Normannis Dux Apuliæ Guilielmus Ferrabachus fuit. Sub hoc enim *Normanni Apuliam occupant pulſis Græcis*: quod quidem per eam occaſionem factum fuiſſe narrat *Peucerus in Carionis Chronico lib.* 4. ſub ſingulari titulo, *De occupata à Normannis Sicilia.* Cùm à Græcis Imperatoribus miſſa eſſet claſſis in Siciliam, ſub duce Georgio Maniace, Guilielmum Ferrabachum Normannum huic militaſſe contra Saracenos. Quibus victis, cùm Georgius Maniaces partam prædam inter ſocios avarè & iniquè divideret, neque pactis ſtaret, Normannos irritatos duce Guilielmo Ferrabacho Apuliam Græcis eripuiſſe. Vtut ſit, Normanni ex eo tempore inferiores illas Italiæ partes obtinuerunt, & poſtea quoque Siciliam occuparunt, regnumque conſtituerunt, quo potiti ſunt uſque ad Henricum VI. Imp. Friderici Barbaroſſæ filium, qui cum ultimi Regis filiam Conſtantiam duxiſſet uxorem, ex qua ſuſcepit Fridericum II. regnum tanquam hereditatem uxoris ſuæ, pulſo Tancredo Rogerii filio Notho, occupavit. Et hinc utriuſque Siciliæ regnum ſub Suevis fuit.

Digitized by Google

A.C. 1033. ROBERTO *Galliæ Regi ſuccedit filius* HENRICUS, hujus nominis I. qui ſolus ex Henricis morbo extinctus eſt, cùm reliqui tres hujus nominis Reges Franciæ violenta morte perierint: unde etiam hoc nomen ſtirpi regiæ pro fatali haberi cœpit. Regnavit Henricus I. annos 27. ſucceſſorem relinquens primogenitum ex filiis Philippum. *Aimoin. lib. 5. de Geſtis Franc. c. 48. Glaber Radulphus lib. 3. c. 9. Paulus Æmilius lib. 4.*

TURCÆ *contra Saracenos in Oriente invaleſcunt.* Hanc gentem Perſidis & Mediæ Sultanus Mahometh nomine contra Saracenorum Calipham in auxilium advocavit, quorum operâ cùm viciſſet, quod pacta ſtipendia ſolvere recuſaret, mox ab illis hac injuria irritatis rurſus victus & regno ejectus eſt. Turcorum dux tunc erat TANGROLIPIX. Ab eo tempore, quòd potentia Saracenorum inteſtinis bellis eſſet attrita, Turci paulatim progredi cœperunt, & regiones per Aſiam longè lateque ſibi ſubjicere. Vid. *Zonaras* ſub Conſtantino Monomacho, & *Cedrenus*. Add. *Leunclav. in Hiſtor. Muſulmanica*, &c.

Inter VIROS CELEBRES hujus Seculi memorantur

FULBERTUS CARNOTENSIS, primùm Cancellarius Roberti Regis Francorum, poſtea Epiſcopus Carnotenſis fuit. Scripſit *Epiſtolas*, item, *Sermones*, & in proſa ac verſibus *Laudes Sanctorum*. Vid. *Bellarm. de Script. Eccl. p.* 200. *Voſſ. de Hiſt. Lat. lib.* 2. *c.* 43. *p.* 364.

BURCHARDUS *Wormatienſis* Epiſcopus ſcripſit 20. libros Decretorum ex Conciliis ac Pontificibus & S. S. Patribus. *Bellarm. l. c.*

DITMARUS *Mersburgenſis* reliquit *Chronicorum libros* 7. quibus complectitur Geſta quinque Imperatorum, Henrici I. Ottonum trium & Henrici II. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 3. *c.* 5. *p.* 766. *Reimmannus Hiſt. Liter. Germ. Sect.* 1. *Quæſt.* 279. *Neu. in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. pag.* 101. & in *Acceſſion. ad Mantiſſ. de Hiſtor. partic. p.* 218.

BERNO *Abbas Augienſis* ſcripſit *Vitam S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani*: Item, *de Officio Miſſæ.* Vid. *Bellarm. de Scriptor. Eccl. ad ann.* 1014. *p.* 200.

GUIDO ARETINUS Monachus Benedictinus in Italia, & Muſicus fuit, cui debetur inventio moduli, *ut re mi fa ſo la.* Has autem ſyllabas adhibuit occaſione ſumta ex ſtropha cantici eccleſiaſtici tunc uſitati, in qua Johannes Baptiſta invocabatur, pro curanda raucedine. Vid. *Reimmann. Introd. ad Hiſtor. Liter. p.* 81. Idem etiam Clavicymbala & clavichordia inveniſſe dicitur. *Reimmann. Hiſt. Liter. antedil. p.* 41. Vid. de hoc Aretino *Sigebert. ad ann.* 1028.

AVICENNA

Digitized by Google

AVICENNA Arabs fuit, Medicus & Philoſophus inſignis, de quo & Scriptis ejus vid. *Geſneri Biblioth.* qui tamen integro Seculo eum Juniorem facit. Opera ejus medica & philoſophica in Latinam linguam converſa, & notis illuſtrata ſæpius Venetiis, Romæ, Baſileæ, Francofurti prodierunt. *Vitam Avicennæ* ſcripſit *Nic Maſſa.* Conf. *Hottinger. Hiſt. Eccl. cap. 5. Sec. 11. p. 461. Morhoff. Polyh. Tom. Philoſ. lib. 1. c. 10. n. 3.*

GLABER RADVLPHVS Hiſtorias ſui temporis complexus eſt libris 5. nempe ab anno 900. ut ipſe ait *lib. 1. c. 1.* vel potius milleſimo (nam de præcedente ſeculo pauca habet) uſque ad ſua tempora i. e. annum 1045. *Bellarm. de Script. Eccl. ad ann.* 1040. *p.* 201. *Voſſ. de Hiſt. Lat. lib. 2. c. 44. p. 368.*

PETRVS DAMIANI Epiſcopus Oſtienſis & Rom. Eccleſiæ Cardinalis fuit,& multa ſcripſit. Vid. de eo *Bellarm. ad ann.* 1060. *p.* 202. *Voſſ. de Hiſt. Lat. lib. 2. c. 45. p. 375.* & quos ibi citat.

HERMANNVS CONTRACTVS ex illuſtri Comitum Veringenſium ſanguine fuit natus,ſed membris omnibus contractis, unde ei cognomen. Scripſit multa,interque ea *Chronicon de Sex Mundi ætatibus*, uſque ad ann. 1050. quo floruit. *Bertholdus* verò *Conſtantienſis* illud continuavit uſque ad 1065. Vid. *Voſs. lib. 2. c. 44. p. 370. & Reimmann. Hiſt. Liter. Germ. Sect. 1. Quaſt. 281. Neu in Acceſs. ad Wheari Relect. Hiemal p. 186. ſeq.* & de Bertholdo Presb. *p.* 188. & in *Mantiſſa p.* 107.

In IMPERIO OCCIDENTIS Henrico III. ſuccedit filius

A. C. 1056. HENRICVS *IV. puer ſexennis*, vel quinquennis ſecundùm *Brunonem de Bello Saxon. princ.* alii ſeptennem tùm fuiſſe dicunt. Sub tutela primùm matris Agnetis fuit, de qua *Bertholdus Preſbyter Conſtantienſis Continuator Hermanni Contracti ad ann.* 1056. Sed is deinde à Principibus,tutelam iſtam pertæſis, *decennis à matre abſtractus Coloniam abducitur*: quod quomodo factum ſit, deſcribit *Lambertus Schaffn.* ad ann. 1062. Non omnes quidem approbabant id factum, quanquam utilitas publica prætexebatur. Deinde verò

A. C. 1063. *Tutela exit & gladio cingitur anno ætatis* 14. *Lambert. Schaffnab.* quo tempore vix armis habilem Principes Hungarico bello expoſuerunt, quo ille Salomonem affinem ſuum Hungariæ Regem,à Bela pulſum,feliciter reduxit. Hinc.

A. C. 1068. SLAVOS *rebelles in Luſatia domat*, & ad priorum paſtorum obſequium cogit. Quia verò Henricus multa partim ætatis

Digitized by Google

juvenilis vitio, partim eorum, quos conſultores habuit, inſolentia in adminiſtratione Imperii, perperam faciebat, Saxones primò ſibi adverſantes expertus eſt, quorum dux Otto, cui Bavariam etiam Imperator donaverat, ab eo in Italiam miſſus ad exigenda tributa, Imperium coepit affectare, clanculum ſe inſinuans Principibus Italiæ, munitus quoque factione nonnullorum Germaniæ Procerum & Epiſcoporum: adverſus quem comparato exercitu profectus Imperator

A. C 1075. *Cum Saxonibus & Thuringis ad Vnſtrutum fluvium confligit*, & victum Ottonem Bavaria pellit: quod hic indignè ferens, tota Germania Henrico hoſtem quærit, variorumque criminum Imperatorem accuſat: ob quæ Imperator novo exemplo

A. C. 1076. *à Gregorio VII. proſcribitur*, qui hanc occaſionem cupidè arripuit, dominatum Pontificium ſuper Imperatores ſtabiliendi, quod jam dudum moliebatur. Ideoque Sanctionem promulgavit, qua omnes Epiſcopi & Prælati ab Imperatore denominati, Simoniaci eſſe declarantur; quæ extat in *Decret. Quæſt. 16. cap. 7.* Hanc Epiſcopi lubentes receperunt, quod per eam à poteſtate ſeculari prorſus liberarentur. Acceſſerunt ſtatim etiam Saxones, jubeturque Imperator iterum removere, quotquot ille Epiſcopos promoverat; cùm tardaret parere, excommunicatur; citatur inſuper ad Pontificem, ut de objectis criminibus reſpondeat. Hac vi adactus Imperator Epiſcopos deponit; quos Hildebrandus ſtatim iterum inſtituit, ut hoſtes eos iſti factos, ſibi obligaret. Cùm ad diluenda crimina in Italiam media hieme veniſſet Henricus unà cum conjuge, Pontificem Canuſii offendit, à quo toto triduo non admiſſus ad audientiam, nudipes interim ſub dio vix intra tertium palatii murum expectare coactus eſt; nec tamen poſtea alio quàm hoc reſponſo dimiſſus: regrederetur in Germaniam abſtineretque negotiis Imperii, donec ipſe cum Germaniæ Epiſcopis de ea re egiſſet. Interim verò Pontifex Rudolpho Sueviæ Duci coronam mittit, cum hac inſcriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho*, quem & Moguntiæ Epiſcopus coronavit, ſtatimque Saxones & Bavari receperunt. Hoc verò comperto Henricus exercitum ex Francis & Rhenenſibus & Burgundionibus collegit, ſuam adhuc fidem ſequutis, triplicique prælio Rudolphum fregit, qui quarto conflictu amiſſa manu dextra ex eo vulnere deceſſit, perfidiam in Imperatorem ipſe agnoſcens. Et hoc eſt quod in Tabula noſtra extat

Ad annum 1080. *Rudolphus Sueviæ dux Anti-Cæſar quartùm vincitur, & manum dextram amittit.* Factioſi tamen non quieverunt, ſed *Hermannum Lotharingiæ Ducem* Rudolpho ſurrogarunt, quem

paulò

paulò poſt in oppugnatione urbis cujusdam ſaxo à quadam muliere,alii ruina pontis oppreſſum, ferunt. Igitur tertius Anti-Cæſar eligitur *Eg'ertus Marchio Saxoniæ*; qui tamen & ipſe à militibus Henrici in mola quadam circa Brunſuigam deprehenſus occiditur. Tùm demum hoſtes Cæſaris paululùm quieſcere cœperunt. Ipſe in Italiam cum exercitu properavit, & convocata Brixiæ Synodo Epiſcoporum,Hildebrandum Pontificatu depoſuit, ſuffragantibus Epiſcopis, in quibus plurimi Cardinales eccleſiæ Romanæ fuere, ab ipſo Hildebrando diſſidentes; creatusque eſt in ejus locum Clemens III. à quo,capta poſt biennii obſidionem Vrbe,

A. C. 1084. *Imperator Romæ coronatur* cum uxore Bertha. Interim Hildebrandus ad Normannos in Apuliam confugerat; ubi in exilio mœrore animi extinctus eſt. Ejus tamen aſſeclæ repudiato Clemente Vrbanum II. mox hoc mortuo Paſchalem II. creaverunt, à quibus Henricus denuo anathemati eſt ſubjectus. Memorabilem hiſtoriam de periculo Henrici divinitus averſo, cùm ſaxum, quod jubente Pontifice in caput Imperatoris precantis de ſummo templi tabulato devolvi debuit, miniſtrum ſceleris ſimul decidentem obtrivit,vid. apud *Bennon. lib. 5. de Geſt. Pontif. in Vita Gregorii VII.* ex quo narrat *Balæus*, & *Phil. Camerarius Op. Subc. Cent. 1 c. 98. p. 508.* Imperator cùm in Germaniam rediſſet, Conradum filium in Italiam miſit, ad eam in obſequio retinendam. Verùm Pontifex Paſchalis eundem in ſuas partes pertraxit,partim ſpe nuptiarum Mathildis Comitiſſæ Tuſciæ potentiſſimæ, partim religione, quod pater anathemati ſubjaceret Et hæc eſt

A. C. 1093. *Conradi filii Imperatoris contra patrem rebellio.* De qua pater ubi comperit, Henricum alterum filiorum ſibi ſucceſſorem deſtinavit, Conrado ſpem omnem præcidit, ex quo mœrore ille morbum, mortemque immaturam ſibi contraxit. Sed & filius alter continuis Epiſcoporum & inimicorum patris ſolicitationibus permotus, hoſtis patri factus eſt, quod religioni ſibi duceret, cum excommunicato quovis modo communicare. Et quamvis conciliatio tentata eſſet Moguntiæ patre & filio convenientibus, tamen iſtic in poteſtatem redactum Imperatorem Moguntinus omnibus Imperii inſignibus ſpoliavit,eaque in filium tranſtulit: atque ita

Henricus fil. patrem imperio exuit, ut ſeq. Tabulæ initio notatur. Pater indignitate facti permotus effugit Leodium, ubi à filio obſeſſus,mœrore animi extinctus eſt,imperii anno 50. Chriſti 1106. Corpus ab Epiſcopo Leodienſi in templo conditum, exhumandum iterum fuit, totoque quinquennio Spiræ inſepultum ſtetit, donec conce-

Digitized by Google

deretur ſepeliri. Scriptores hujus Imperatoris probè diſtinguendi ſunt: alii enim Pontificiarum ſunt partium, alii Cæſarearum. *Bertholdus Conſtancienſis Presbyter, Continuator Chronicorum Hermanni Contracti*, qui Pontifici favet; *Bruno de Bello Saxonico*; *Lambertus Schaffnaburgenſis*, uterque Henrico iniquior; *Sigebertus Gemblacenſis*, qui Henrico favet contra Gregorium VII. Pontificem; *Anonymus Scriptor Apologiæ pro Henrico*; Item, alius *Anonymus Scriptor Vitæ Henrici*, quem *Goldaſtus* Olbertum Epiſcopum Leodienſem fuiſſe putat; (vid. *Neu. Mantiſſa ad Whearum p. 109.*) *Dodechinus, Mariani Scoti Continuator*; *Otto Friſingenſis*; & *Conradus Vrſpergenſis*; *Helmoldus Chron. Sclavor. libr. 1. cap. 27. ſeqq.* Conferantur etiam *S. R. Imperii Principum Apologia pro Henrico IV. Imp. adverſus Gregorii VII. malignas criminationes, a Goldaſto edita.* Quibus addatur *Benno Cardinalis in Vita Hildebrandi*: Et ex recentioribus *Lehmannus in Chron. Spirenſi lib. 5. c. 25. Maderi Antiquitates Brunſuicenſes p. 47. ſeqq.*

In Succeſſione IMPERATORVM ORIENTIS ſequitur

Ad annum 1054. THEODORA, *Soror Zoes*: quæ jam ante ex monaſterio extracta, contra Michaelem Calaphatum Imperium capeſſivit cum Sorore Zoë, cui & marito ejus Conſtantino Monomacho non diu ſupervixit, annum ſcil. unum & menſes 9.

A. C. 1056. MICHAEL STRATIOTES à Theodora adoptatus, poſt ejus mortem imperium ſuſcepit; ſed ab Iſaacio Comneno coactus, brevi iterum abdicat, cùm imperaſſet annum unum, monaſtico habitu induto.

A. C. 1057. ISAACIVS COMNENVS, nobili genere natus, vir acris & ſtrenuus, in Hungaros & Scythas expeditionem ſuſcepit. Sed & hic poſt biennium & trimeſtre Imperium ſponte abdicavit, & in Studienſe cœnobium conceſſit: cujus abdicationis cauſæ diverſimodè narrantur. Vid. *Zonaras.*

A. C. 1059. CONSTANTINVS DVCAS, ab Iſaacio Comneno Imperator deſignatus, theſauris corrogandis intentus, rem militarem neglexit; unde multis cladibus per barbaros acceptis, imperium imminutum. Mortuus eſt, poſtquam 7. annos cum ſemeſtri imperaſſet, relictis cum conjuge Eudocia filiis tribus, Michaële & Andronico, quos privatus genuit, & Conſtantino, quem Imperator.

A. C. 1068. ROMANVS DIOGENES ab Eudocia, quanquam illa priori marito per ſyngrapham promiſerat, ſe ad ſecundas nuptias non

tranſitu-

Digitized by Google

tranſituram, ſtatim poſt ſeptimum menſem in maritum adſcitus, ex carcere & judicio capitis ad Imperium & thronum adſcendit; deinceps etiam mira fata habuit, ad extremum tamen infeliciſſimus. A Turcis, contra quos primùm proſperè pugnaverat, perfidia potiſſimùm Andronici Cæſaris captus, & honorificè habitus eſt, teſte *Zonara*, *Glyc.* & *Manaſſe* (quanquam aliter refert GVILIELMVS *Tyrius libr.* 1. *c.* 9.) remiſſusque Conſtantinopolin, ſuos Turcis immaniores expertus eſt. Quippe effoſſis oculis, neque curatis vulneribus, tumente ac vermibus ſcatente capite, miſerè periit in Inſula Prota, poſtquam imperaſſet triennium & menſes 8.

A. C. 1071. MICHAEL DVCAS, qui & *Parapinacius*, Eudociæ filius, in locum vitrici Imperator factus, cùm ipſe imperio ineptus eſſet, Nicephoro Spadoni rerum adminiſtrationem permiſit. Sub eo orientales provinciæ, Pontica inprimis ora, à Turcis oppreſſa. Nicephori duo, Botoniates & Bryennius, ille in oriente, hic in occidente (ubi Dyrrhachio præerat) imperium affectarunt: quod ope Turcorum Botoniates obtinuit, Michaele coacto monaſticam vitam amplecti, cùm imperium annos 6. & menſes totidem tenuiſſet. *Nicephorus Bryennius* etiam inter Scriptores nomen habet. Reliquit enim *Rerum Byzantinarum* hiſtoriam libris 4. ab anno 1057. ad 1081. Vid. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *p.* 295.

A. C. 1078. NICEPHORVS BOTONIATES Bryennium imperii æmulum vincit & excæcat. Ipſe viciſſim à Comnenis, quos magnis dignitatibus exornaverat, imperio exutus, fit Monachus.

A. C. 1081. ALEXIVS COMNENVS, Iſaacii Comneni filius, Imperator appellatus, Iſaacio, majori natu fratri, ſecundum à ſe locum dat, novo titulo Sebaſtocratoris addito; reliquos etiam ex Comnenia familia plurimis & quibusdam novis dignitatibus ornat. A Francis, duce Godefrido Bullionio expeditionem in Orientem ſuſcipientibus, malè multatus, prout perfidiâ in eos meruerat. Vixit annos circiter 70. imperavit 37. menſes 4. & dies aliquot, poſt mortem ab omnibus deſtitutus, & ne imperatorio quidem funere elatus eſt. Hic deficit *Zonaras*: cui addendi in enarratione horum Imperatorum, *Cedrenus*, *Glycas* & *Conſtantinus Manaſſes*. Alexii verò Comneni res ſeorſim ſcripſit filia ejus *Anna Comnena* libris 15. quos *Alexiada* vocavit; quorum 8. primos ex Auguſtanâ Bibliothecâ primùm edidit Hœſchelius. Deinde etiam inter Scriptores Hiſtoriæ Byzantinæ reliquos Pariſiis prodierunt. Multa verò illa de parente ſuo longè aliter narrat, quàm Latini ſolent, qui omnes propè, ſi unum excipias *Albertum*, *Aquenſem Canonicum*, Cæſarem eum deſcribunt,

tanquam

tanquam hominem fraudulentum ac perfidum. Vid. *Voſſ. de Hiſt. Grat. libr.* 2. *c.* 27. *p.* 504.

Inter RES ECCLESIÆ hæc memorantur:

A. C. 1059. LATERANENSIS SYNODVS *damnat Berengarium*, celebrata Romæ in Laterano à Nicolao II. Papa, præſentibus 113. Epiſcopis; ubi Berengarius (de quo ſupra) ad revocandum errorem adactus eſt: extatque formula illi præſcripta in *Decret. de Conſecrat. Diſt.* 2. Et licet ſuis ipſe manibus libellum ſuum tunc igni traderet, nihilominus tamen, ubi domum rediiſſet, etiam ad ingenium rediit. *Sigebert. Gembl. ad hunc ann. Adamus Bremenſis*, &c.

A. C. 1064. *Celebris peregrinatio Romam inſtituta, cujus Duces Germaniæ Antiſtites.* Ad ſuperſtitiones, quarum hoc Seculum fuit feraciſſimum, etiam hoc pertinet, quod anno 1064. religionis, ut ajebant, cauſa, ſeptem hominum millia cum Sigfrido Moguntino Epiſcopo in Palæſtinam ſunt profecta, infelici tamen cum ſucceſſu: nam & Arabibus quicquid auri & pretioſarum veſtium habebant, pro ſua redemtione conceſſerunt, & vix 2000. in Germaniam reverſi ſunt. Memorat hanc peregrinationem prolixius *Marianus Scotus* & *Lambertus Schaffnaburgenſis.*

A. C. 1073. HILDEBRANDVS *ex Archidiacono Papa Rom.* GREGORIVS VII. *dictus.* Hic Hildebrandus Alexandro II. mortuo, inconſulto Cæſare electus, cùm ſe deinde ejus arbitrio ſubjiceret, ab eodem confirmatus eſt. Primus orbis totius caput ſe eſſe, ac habere poteſtatem conſtituendi & abrogandi Imperatores, decernit. Primus item Clericis interdixit matrimonio; unde in Germania magnæ turbæ. *Benno Cardinalis*, qui ejus vitam ſcripſit, egregia ſcil. elogia ei tribuit, fuiſſe eum homicidam, adulterum, necromanticum, ſchiſmaticum, hæreticum, omniumque mortalium peſſimum. A quo tamen *Bennone* mirum quantum in rebus Hildebrandi diſſentiunt *Platina*, *Stella* aliique Pontificibus addicti Scriptores. Vid. etiam *Sigebertus Gemblacenſis*, *Lambertus Schaffnaburgenſis* &c. Ex recentioribus *Arnoldus in Hiſt. Eccl. & Her. libr. XI. c.* 2. *p.* 334. De hujus Pontificis adverſus Henricum IV. Imperatorem iniquiſſimis actionibus, ſupra aliqua diximus.

SVENO *Danorum R. cædes in eccleſia imperatas publica pœnitentia expiat.* Circumſtantiæ hujus rei pleniores petendæ ex *Saxonis Grammat. Hiſt. Dan. libr.* 11.

A. C. 1086. SYNODVS MOGVNTINA *damnat acta Gregorij.* Inprimis

primis autem in ea Synodo, quam Imp. Henricus IV. convocavit, Epiſcopi Hildebrandinarum partium Imperatori rebelles, Epiſcopatu depoſiti, partim etiam excommunicati ſunt. Factum hoc paulò poſt expulſum ſede papali Gregorium VII. & ad ann. 1085. refert *Urſpergenſis*. At jam ante in alia Synodo

A. C. 1067. ab eodem Henrico Wormatiam convocata, Hildebrandus Papa veneficiorum aliorumque ſcelerum reus actus, & Pontificatu indignus judicatus erat: cui Decreto Epiſcopi 26. ſubſcripſerunt. *Sigebertus. Marianus Scotus lib. 3. ætat. 6.*

CARTHVSIENSIS ORDINIS ORIGO. Hujus inſtituti auctor prædicatur BRVNO *Carthuſianorum pater* in extrema Tabula hac inter Viros celebres nominatus. Scripſit enim etiam commentaria in Pſalmos & in Epiſtolas Paulinas. De hoc Brunone apud *Surium in ejus Vita* legitur, quod, cùm Pariſiis eſſet, territus mortui cujuſdam ſubito clamore, quo is juſto DEI judicio ſe accuſatum, convictum, damnatum pronuntiabat, conſilium ceperit reliquendi, ut vocant, Seculi, & cum paucis quibuſdam in ſylvam pervenerit, Carthuſiam dictam, ubi Ordinem conſtituerit Monachorum, quibus à loco, ubi inſtitutus eſt Ordo, nomen manſit. His perpetuum ſilentium & carnisprivium ipſe impoſuit. Sed hanc de Brunone traditionem, qua occaſione in eremum abierit, meram eſſe fabulam, peculiari libello oſtendit *Joannes l'Aunoy*, Theologus Sorbonita, cui tamen cùm alii ſe oppoſuerunt, tum præſertim *Joannes Colombi*, Jeſuita, editâ Diſſertatione, *de Carthuſianorum initiis*. Vid. *S. Bernhardi Epiſt. 11. & 12. Vincent. Bellovac. lib. 28. c. 82. Aubertus Miræus de Orig. Religioſorum libr. 2. c. 35. Dorlant Chronique des Chartreux, &c.* Scripſit & *Guido*, quintus Carthuſianorum magnus Prior, *Inſtitutionem ſui Ordinis cum Vita Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi.*

HOSPITALIORVM ORDO *in Palæſtina* inſtitutus eſt circa annum 1092. antequam a Godefrido Bullionio Hieroſolyma recuperaretur. Originem Ordo hic traxit à mercatoribus Italis, qui à Saracenis locum ſibi pretio compararunt, ubi religio Chriſtiana exerceretur ſeorſim. Huic templo additæ ædes, ubi peregrini hoſpitio exciperentur. Largitione poſtea Principum & eleemoſynis piorum magnopere ditati ſunt, ut urbes & regna ſibi compararent. Varias interim mutationes expertus, & varias etiam denominationes ſortitus eſt hic Ordo, cùm primùm Hoſpitalarii, item Hieroſolymitani & Johannitæ, mox Rhodii & denique Maltenſes Equites dicerentur. De quibus vid. plura in *Jac. Boſii Hiſtoria Ordinis Hieroſolym.* Item in *Pantaleonis Candidi Hiſtoria de Rebus geſtis Joannitarum Ordinis* &c. *Chriſtianus Oſterhauſen* ſcripſit Germanicè de Statutis hujus Ordinis.

Digitized by Google

A. C. 1097. *In Claromontano Concilio* EXPEDITIO IN PALÆSTINAM *decernitur.* Concilium illud Claromonte in Arvernia celebravit Vrbanus II. Papa tùm exul in Gallia. In eo Concilio præter alia Decreta facta, etiam Principes à Papa ad militiam ſacram inſtigati ſunt, quâ Palæſtinam recuperarent. Auctor hujus ſuaſionis fuit Petrus Eremita, qui à reliquiis Chriſtianorum ex Palæſtina miſſus ad Pontificem & Principes, expeditionem hanc multis perſuaſit: de qua ſub TIT. VARIORVM plura. Cæterùm

Sub hoc ipſo Titulo VARIORVM memorantur ſequentia:

LEO IX. *Pontifex Rom. auxilia adverſum Normannos ab Aug. impetrat.* Normanni in Apulia multa ad Apoſtolicam Sedem pertinentia occupaverant, quæ armis repetere volens Leo Papa, tum ob alias cauſas in Germaniam profectionem ſuſcepit, tum ob hanc quoque, ut contra Normannos auxilia impetraret ab Imperatore, quæ etiam ſecum abduxit in Italiam; ſed infeliciter geſto bello, à Normannis ipſe captus (*Sigebertus Gembl.*) cùm victores in captivitate excommunicaſſet, revocare anathema coactus eſt, ſi liber eſſe vellet. *Hermannus Contractus,* qui tùm vixit; *Lambertus Schaffnaburgenſis ad ann.* 1501. & *Abbas Vrſpergenſis.* Add. *Car. Sigonius de Regno Ital. libr.* 8.

A. C. 1059. *Normanni ex hoſtibus Papæ clientes.* Normannorum bellicam virtutem & potentiam poſtquam Romani Pontifices animadverterunt, eos ſibi obſtringere modis omnibus conati ſunt, ut nimirum eorum armis freti, excludere Italia Germanos Principes poſſent: quod eventus teſtatum fecit. Nicolaus igitur II. Papa Bagellardum Apuliæ & Calabriæ Comitem vix puerum, Comitatu per Robertum dejici paſſus eſt, eundemque Robertum (qui paulò ante expulſis Sicilia Saracenis Inſulam ſuæ fecerat poteſtatis) ſibi obſtrinxit ad defenſionem in quacunque neceſſitate, & hujus deinde copiis Præneſtinos Tuſculanoſque ſibi ſubjugavit. *Palmerius, Nauclerus, Cedrenus, Zonaras.*

A. C. 1065. FERDINANDVS *Rex Hiſp. obit.* Hic Ferdinandus hujus nominis I. cum regno Caſtiliæ paterno conjunxit regnum Legionenſe, in quod fratri uxoris ſuæ Veremundo III. ſucceſſit. Imperatorem ſe Hiſpaniæ dixit, graviter licet proteſtante contra hunc titulum Henrico III. Cæſare. Vid. *Roderic. Toletanus de Reb. Hiſp. libr.* 6. *cap.* 6. 8. *& ſeqq. Marianus Hiſt. Hiſp. libr.* 9. *c.* 9 &c.

A. C. 1066. EDVARDVS SANCTVS *Rex Angl. obit.* Hunc Eduardum poſt mortem Canuti II. & diſceſſum Suenonis in Daniam, ejectis Danicis

Digitized by Google

Danicis præſidiis, Angli ſibi Regem conſtituerunt, qui regnum occupavit auxilio Wilhelmi Normanniæ Ducis, apud quem hactenus exulaverat. Fuit Princeps juſtitiæ laude clarus, & in Sanctorum numerum relatus; quoniam perpetuam virginitatem in conjugio ſervavit. Alias etiam hic Eduardus, Confeſſor cognominatur. Ei mortuo ſucceſſit in regno Angliæ prædictus Wilhelmus Normannus, Conqueſtoris cognomine celebris, qui ab Eduardo heres inſtitutus, Angliam contra Edgarum, ultimi Regis ex Saxonica ſtirpe Edmundi nepotem armis ſibi aſſeruit. Eduardus hic inter Angliæ Reges primus fuiſſe dicitur, qui facultatem tactu curandi ſtrumas acceperit, quod privilegium ei ob ſingularem ſanctitatem contigiſſe ferunt. Vid. *Guilielmus Gemeticenſis libro 6. de Geſtis Normannorum. Guilielmus Malmesburienſis libr. 2. c. 13. Huntington.* &c. *Polydorus Virgil. Hiſt. Angl. libr. 8.*

A. C. 1071. ROMANUS DIOGENES *prælio cum Turcis inito, ab hoſtibus capitur.* Dictum ſupra, cùm de hoc Orientis Imperatore ageremus. Et ille quidem à Turcis benigne habitus, & tandem etiam dimiſſus eſt ad ſuos, quos crudeliores ipſis hoſtibus expertus eſt.

A. C. 1086. VRATISLAVS *ab Henrico Imp. Bohemiæ Rex creatur.* Factum hoc Moguntiæ in Principum conventu. Vid. *Dubrav. Hiſtor. Bohem.*

A. C. 1089. MATHILDIS *Tuſciæ Comitiſſa Welponi Bavariæ Duci nubit.* Hæc Mathildis prius Godefrido Lotharingo, Spoleti & Tuſciæ Marchioni nupta erat; & poſt ejus mortem cum Azone Ateſtino matrimonium quidem contraxerat, ſed quod volente Papa iterum ſolutum eſt. Hildebrandus poſtea ſeu Gregorius Papa familiarius ea uſus, & ſibi infamiam peperit, & ejus opibus multum adjutus eſt. Denique Welponi Bavariæ Duci matrimonio copulata, à quo Welpone ſtirps Ducum Brunſuicenſium & Luneburgenſium procreata eſt. Vid. *Sigonius de Regno Ital. libr. 9.* Extat hujus *Mathildis Comitiſſæ Vita à Domnizone Presbytero* verſu heroico conſcripta, & juxta cum aliis veteribus monumentis edita à *Seb. Tengnagelio.* Sed is auctor nimium favet Papæ contra Henricum IV. Imp.

A. C. 1096. EXPEDITIONIS SACRÆ INITIUM. Ita appellabantur expeditiones numeroſæ adverſus Infideles in Aſia potiſſimùm, ad recuperandam Terram S. ſuſceptæ, alias etiam Cruciatæ, quia Crucibus ſignari ſolebant, qui huic militiæ nomen dabant, nec non Paſſagia à tranſitu, dictæ. Vid. *Diſſert. Bœcleri de Paſſagiis.* Inter eas ergo expeditiones hæc prima fuit, ſuaſu Petri Eremitæ ſuſcepta, cui ex Principibus Galliæ, Germaniæ Italiæque multi nomina dederunt, & collectis quiſque copiis, diverſis itineribus agminibuſque partitis, in Aſiam

Digitized by Google

contenderunt. Poſt acceptas ergo à Solimanno Turco, nec non ab Alexio Conſtantinopolitano Imp. diverſas clades, ſuperveniente demum Godefrido Bullionio, & ſuburbiorum Conſtantinopoleos vaſtatione Græcos ad legitima commercia adigente, in Aſiam ventum eſt, ubi numero copiarum inito inventa ſunt peditum 600000. equitum loricatorum 100000. Ab his occupata Cilicia, & in Meſopotamia Edeſſa, Antiochia quoque Syriæ caput non ſine magnis difficultatibus expugnata & defenſa; tandem etiam

Hieroſolyma à Chriſtianis capitur anno 1099. d. 15. Julii, poſt 7. hebdomadum obſidionem, cum Dux Godefridus ipſe primus in muros evaſiſſet: qui paulo poſt contra Saracenorum infinitas copias prope Aſcalonem clariſſimam obtinuit victoriam, captis etiam caſtris hoſtium. Inde DEO gratiæ actæ, & urbibus Epiſcopi dati ſunt, electuſque omnium conſenſu *Godefridus I. Rex Hieroſolymæ.* Quam ille urbem cùm regia pompa ingredi vellet, admonitus, Salvatoris ut meminiſſet, ſpineam coronam introiens geſtavit in capite: non ultra annum tamen ſuperfuit. De his & reliquis per hanc expeditionem ſacram geſtis conſulantur Expeditionis Hieroſolymitanæ Scriptores, quos in unum grande volumen coacervavit, *ex inſtituto Franc. Pithœi, Jac. Bongarſius*; quos inter principem facile locum occupant *Wilhelmus Tyri Epiſcopus*, qui ſacrum hoc bellum juſtis 23. libris enarravit, & paulò prior *Albertus Aquenſis* Canonicus, cujus extant de prima expeditione libri 12. & alii, quos recenſet *Whear in Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium p. 26. ſeq.* Add. *Paul. Æmil. libr. 4. Hiſtor. Gallicæ. Urſpergenſis in Chron. P. Jovius in Elog. Bullion.*

Inter VIROS CELEBRES memorantur

Humbertus. Fuit is Cardinalis & Epiſcopus Sylvæ Candidæ, auctor *Dialogi* contra Græcos *de Azymo*, & alterius libri *pro Jejunio Sabbathi contra Nicetam Pectoratum*, cujus *Epiſtolæ* quibus Humbertus reſpondet, extant apud *Caniſium Tom. 6. Antiq. Lect.* Hujus enim utriuſque ritus neceſſitas in eccleſia occidentis adverſus Græcos jam pridem urgeri cœperat. De legatione hujus Humberti à Leone Papa miſſi ad Conſtantinum Monomachum, meminit *Sigebert. Gembl. ad ann.* 1054. Vid. de eodem Humberto *Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 202. ad ann.* 1054.

Lanfrancus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſcripſit contra Berengarium, *de Veritate Corporis Domini in Euchariſtia. Bellarminus p. 204. ad ann. 1059.*

Oecume-

OECVMENIVS, Græcus ſcriptor, cujus ſunt *Catenæ* ex antiquis Patribus, in Acta Apoſtolorum & Epiſtolas S. Pauli. *Bellarminus p.*212.

OLYMPIODORVS itidem *Catenas* ſcripſit *in Jobum. ibid.*

ADAMVS BREMENSIS Canonicus reliquit Hiſtoriam Eccleſiaſticam 4. libris diſtinctam, in quâ propagationem religionis Chriſtianæ in regnis Septentrionalibus deſcripſit à Carolo M. uſque ad Henricum IV. Addidit ad finem Hiſtoriæ libellum *de Situ Daniæ. Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann.* 1070. Plura *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.*47. *p.*386. *Reimmannus Hiſtor. Liter. Germ. Sect.* 1. *Quæſt.* 444.

JOANNES CVROPALATES Græc. ſcripſit Hiſtoriam ab anno 811. uſque ad annum 1081. quam exſcripſit *Cedrenus. Bellarminus de Script. Eccleſ. p.*206. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr* 2. *c.* 26. *p.* 297.

ALGERVS Scholaſticus Leodienſis ac poſtea Monachus Cluniacenſis, ſcripſit varia opuſcula *de Gratia & Libero Arbitrio, de Miſericordia & Juſtitia.* Sed præcipuum ejus opus eſt, *de Corpore & Sanguine Domini* contra Berengarium, 3. libris comprehenſum. Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. p.* 219. qui illum refert ad annum 1130.

BERTHOLDVS *Conſtantienſis* Presbyter, *Chronicon Hermanni Contracti* annis XI. auxit, i.e. ab anno 1054. uſque ad annum 1066. Simul *ſui temporis Hiſtoriam* condidit ab anno 1053. quo mortuus eſſe creditur. Pontificiis partibus nimis addictus eſt hic Scriptor contra Henricianos. Vid. *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *cap.* 57. *p.* 390. *Reimmannus Hiſtor. Liter. Germ. Sect.* 1. *Quæſt.* 282. *Neu in Acceſſ ad Wheari Relect. Hiem. p.* 188. & *in Mantiſſa p.* 107.

LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS reliquit *Hiſtoriam Germanicam*, quam perduxit uſque ad A. C. 1077. quo vivebat. Eam continuavit Monachus quidam Erphordienſis uſque ad annum 1472. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 47. *p.*385. ubi nota etiam de Lamberto judicia & elogia. Add. *Reimmannus Hiſtor. Liter. Germ. Sect.* 1. *Quæſt.* 284. & *Neu in Mantiſſa ad Relect. Hiem. Wheari p.*119. & *Whear in Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium p.* 7.

JOHANNES XIPHILINVS, Patriarcha Conſtantinopolitanus, *Hiſtoriam Dionis* in Compendium redegit, de quo vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr.* 2. *c.* 26. *p.* 301.

THEOPHYLACTVS Archiepiſcopus Bulgarorum ſcripſit in Prophetas minores, Oſeam, Jonam, Nahum & Habacuc, item in 4. Evangelia, & in omnes Epiſtolas S. Pauli. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 206. *ad ann.* 1071.

ANSELMI TRES, quorum unus eſt ANSELMVS *Lucenſis* Epiſcopus, qui ſcripſit libros 2. pro Decreto Gregorii VII. & rebus geſtis contra

Digitized by Google

Henricum Imp. qui extant apud *Henr. Caniſium Antiq. Lect. Tom. 6.* Vid. *Bellarminus p 206. ad ann.* 1077. Alter fuit AMSELMUS *Cantuarienſis* Archiepiſcopus, qui multa ſcripſit, quæ recenſet idem *Bellarminus ibid ſeqq.* Tertius eſt ANSELMUS *Laudunenſis*, cujus eſt *Gloſſa interlinearis*, quæ extat juxta cum Gloſſa ordinaria & Lyrani. *Bellarminus ibid.*

SIMEON *Metaphraſtes* ad hoc quoque tempus memoratur, quem tamen antiquiorem facit *Bellarminus* ex *Baronio*, ad annum ſc. 850. & *Cave Sec. X. pag.* 402. *ad annum* 901. referens. Scripſit *Vitas Sanctorum* per ſingulos menſes, quas habemus Latinitate donatas in Tomis *Aloyſii Lipomani*, & ex parte apud *Surium de Vitis SS.* Vide ſæpe citatum *Bellarminum de Script. Eccleſ. p.*193. *Voſſium de Hiſtor. Græc. libr.* 2. *c.*25. *p.*289. ubi de ætate ejus curioſè inquirit. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *p.* 288. *ſeqq.*

MARIANUS SCOTUS *Chronicon* perduxit uſque ad annum 1083. Sed *Dodechinus* Abbas S. Dyſibodi continuavit illud uſque ad ann. 1200. Commentariis etiam illuſtravit Pſalten regium. Imò eidem Cujacius tribuit opus præclarum, *Notitiam Imperii Romani.* Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *cap.* 47. *p.*384. *Reimmannus Hiſtor. Liter. Germ. Sect.* 1. *Quæſt.* 285. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. p.* 188. *ſeq.*

MICHAEL PSELLUS vir πολυγραφώτατος & inter Interpretes Ariſtotelis fuit, Præfectus ſtudiis Michaelis Ducæ, filii Conſtantini Ducæ Imp. De ætate, qua vixit, hinc alios erroris convincit *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr.* 2. *c.*26. *p.*295. Scripta ejus quæ ſint vid. *ibid.* & *Morhoffii Polyhiſtor. Liter. libr.* 1. *c.* 1. *n.*51. & *Polyhiſtor. Philoſ. libr.* 1. *c.* 9. *n.*8. De hoc Michaele Pſello ejuſque vita, ſtudiis & ſcriptis vid. pluribus *Leo Allatius in Diatriba de Pſellis Sect.*21. *p.*14. *ſeqq.* in editione *J. A. Fabricii*, qui etiam Ejuſdem *Pſelli capita de omnivaria Doctrina* primus edidit, & huic Diatribæ Allatii adjecit Græco-Latinè.

IVO CARNOTENSIS Epiſcopus ſcripſit *Volumen Decretorum.* Item, *de Divinis & Eccleſiaſticis Officiis & præcipuis feſtis diebus Sermones XXI.* item, librum *de Corpore Domini*, & denique *Epiſtolas* multas ad Varios. Vid. *Bellarminus p.* 213. *ad ann.* 1088.

HAIMO CANTUARIENSIS Archidiaconus ſcripſit *Revelationem Corporis S. Dionyſii*: Tractatum *de Martyribus* quibuſdam; item, libros X. *de memoria Chriſtianorum*, &c. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 44. ubi paulò antiquiorem facit.

BRUNO CARTHUSIANORUM PATER. De hoc ut inſtituerit Ordinem Carthuſianorum, ſupra diximus. Scripſit *Commentar. in Pſalmos,* *in*

Digitized by Google

in Epiſtolas Pauli, Tractatum de laudibus Eccleſiæ, &c. quæ prodierunt ſub titulo: *Brunonis Opera theologica.* De ſcriptis ejus vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 213. *ad ann.* 1088.

TAB. XXIII. & SEC. XII.

In hac Tab. IMPERATORVM OCCIDENTALIVM ſeriem continuat ad

A. C. 1106. HENRICVS V. qui, ut quidem lemma indicat, *patrem imperio exuit*, de qua re ante dictum. Hujus Henrici V. qui ad diſtinctionem Junior dictus eſt, imperium, ſi exordiamur à morte Patris, initium habet ab anno 1106. primaque ejus cura fuit perſequi eos, qui patri conſtanter adhæſerunt, quos inter fuit Henricus Lotharingiæ Dux, urbs Colonienſis & Noribergenſis, quam ipſe deſtruxit vaſtavitque. Leopoldus item Auſtriæ Marchio: qui mox ad gratiam confugientes, veniam ſunt conſecuti. Altera ejus expeditio Hungarica adverſus Colomannum Hungariæ Regem, qui fratrem Almonem regno pepulerat, quem reducere Henricus fruſtra conatus, infecta re à bello diſceſſit. Contra Polonos tertiam expeditionem ſuſcepit, adjutus à Suentopulto Bohemo; quem cùm populares in ipsâ expeditione occidiſſent, & mox domum ſe recepiſſent, Henricus perſequendo bello impar, tranſigere cum Polonis coactus eſt. Quarta expeditio Romana fuit; quò cùm veniſſet, & jura antiqua Imperatorum urgeret, præſertim jus inveſtituræ Epiſcoporum, Paſchalis Pontifex tantam adverſus ipſum ſeditionem excitavit, ut pro ſalute Imperatori cum Romanis pugnandum eſſet. Magna itaque Romanorum multitudine cæſa, urbe exceſſit ad montem Soracte, Pontificemque ſecum captivum abduxit, qui in caſtris in omnia Imperatoris poſtulata conſenſit. Vid. *Dodechinus apud Piſtorium p.* 464. & *Otto Friſing. apud Vrſtiſium libr.* 7. *c.* 14. Papa deinde reducentem ſe Imperatorem Romæ coronavit. Vt primùm verò ille in Germaniam rediit, omnia retractavit. Tùm ſcilicet

A. C. 1112. *Imp. à Papa excommunicatur*, Saxoneſque per Albertum Epiſcopum Moguntinum ad bellum Cæſari movendum concitantur: quorum Dux Lotharius cum cæteris Proceribus Pontifici hac in re præſtò fuere. Sed Imperator bello victor, Saxoniæ Palatinum in prælio occidit, Lotharium in veſte cineritia ſupplicem ad ſe Moguntiam venire, & veniam precari coëgit. Verùm paulò poſt iterum unà cum cæteris Lotharius rebellavit, nec pari fortunâ Imperator

uſus

Digitized by Google

uſus eſt. Quod eum fatum etiam in Italia excepit, quo profectus eſt ad Mathildis Comitiſſæ hereditatem adeundam, ſed Pontificis & Italorum machinationibus impeditus eſt. Erat tum Pontifex Gelaſius II. contra quem cùm Burdinum quendam ſedi Rom. impoſuiſſet Imperator,

A. C. 1116. *Idem denuo excommunicatur* à Gelaſio II. ut refert *Vrſpergenſis Abbas* ad ann. 1118 ſed à Principibus regni tantarum pertæſis cladium anno 1120. habito conventu Wormatiæ, perſuaſus Imp. ut cederet obſtinationi Pontificiæ, renuntiavit inveſtituræ, quam vocabant, per annulum & virgam, concedente Pontifice Calliſto II. Gelaſii ſucceſſore, ut per ſceptrum concederet regalia deſignatis: ſin diſſiderent votis ſuffragatores, ſua auctoritate melioribus robur adderet. Atque in has conditiones

Redit cum Pontifice in gratiam Imperator. Vid. *Vrſperg. ad ann.* 1122. qui etiam Epiſtolas Henrici ad Calliſtum, & Calliſti ad Cæſarem exhibet. Imperator verò dum Flandriam turbatam componit, atque inde in Hollandiam tranſgreditur, Trajecti morbo correptus moritur, anno 1125. imperii 19. nullis relictis liberis. Attribuit autem Franconiæ Ducatum Conrado, Sororis ſuæ filio, Sueviæ Duci, cujus patri Henricus IV. utpote genero, Sueviæ Ducatum dederat. Scriptores ſunt, *Helmoldus in Chron. Slavorum libr.* 1. *c.* 41. *&* 42. *Albert. Stadenſ. Chron. ad an* 1133. *ſeqq. Dodechinus Continuator Mariani Scoti, Conradus Vrſpergenſis, Otto Friſingenſis, Robertus de Monte, Continuator Sigeberti. Crantzius Saxon. libr.* 5. *c.* 15. *Lehmannus Chron. Spir. libr.* 5. *c.* 42.

A. C. 1125. LOTHARIUS SAXO. Cum ſine liberis mortuus eſſet Henricus V. ad electionem res rediit. Tùm plerique Principes Conradum, Henrici è Sorore nepotem Sueviæ Ducem, cui Henricus moriens Franconiam etiam attribuerat, Imperatorem elegerunt. At Saxoniæ magnates & Epiſcopi, quibus etiam Albertus Moguntinus acceſſit, Lotharium Saxonem deſignarunt. Inde bellum natum civile. Conradus enim munitis præſidio urbibus, Vlma, Auguſta, Noriberga, in Italiam cum exercitu contendit, præripere Imperialem inaugurationem volens, & coronatus etiam eſt corona Italica ſeu regni Longobardici: & hoc eſt, quod Tab. noſtra notat:

Conradus Suevus Lotharii æmulus Rex Italiæ coronatur. Cum verò interim Lotharius in Germaniâ urbes ei fideles expugnaret, reverti eodem coactus eſt: ubi per S. Bernhardum, Abbatem Clarevallenſem conciliatione utriuſque procurata, Conradus Lothario ceſſit. Hic antequam in Italiam proficiſceretur, Danos & Obotritos compeſcuit, & Brebislaum Obotritorum Regem, quæ nunc Megapolis eſt, ad Chriſtianam

nam fidem adduxit. Primà vice Italiam ingreſſus, Innocentium Pontificem reduxit, à Romanis pulſum, qui in locum ejus Petrum Leonis, qui Anacletus dici voluit, elegerant. Tum

A. C. 1133. LOTHARIVS *Romæ coronatur* ab eodem Innocentio. Altera expeditione adverſus Rogerium Siciliæ Apuliæque Regem, qui Res Eccleſiæ & Imperii invaſerat, ſuſcepta

A. C. 1137. *Occupat Apuliam*, totamque Italiam pacat. Tunc temporis IRNERIVS JC. jus civile Rom. reproduxiſſe, & Lothario Imp. commendaſſe dicitur, qui Imperatoria auctoritate in Scholas pariter & fora Italiæ Germaniæque id introduxerit: quod tamen plerique Juris publ. Scriptores hodie negant. Meram hanc eſſe fabulam demonſtrat *Conringius de Origine Juris Germanici cap. 21. ſeqq.* & ante eum *G. Calixtus in Theologia morali*, circa finem, & in principio *Artis Novæ contra Nibuſium*. Videatur & *Arthuri Duck de Auctoritate Juris Civilis* liber, in quo de tempore receptionis & progreſſu Juris Juſtinianei apud Europæas gentes, plenius agitur. Cæterùm Lotharius Imp. reverſus in Germaniam, cùm vix fines ejus attigiſſet, moritur A. C. 1138. imperii 12. Scripſerunt ejus res geſtas *Helmold. libr. 1. Chron. Sclav. c. 56. ſeqq. Conradus Abbas Vrſperg. Otto Friſing. Godefridus Viterbienſis.*

A. C. 1138. CONRADVS III. *Suevus.* Poſt Lotharii mortem Henricus ejus gener, Bavariæ Saxoniæque Dux, cognomine Superbus, imperium adepturum ſe ſperavit. Principes vero plerique, quibus Comitia indicta erant Moguntiam, Confluentiæ convenerunt, & Conradum Suevum, qui antea Lothario ceſſerat, denuo Imperatorem elegerunt, metu potentiæ Henrici ſuperbiæque. Ille verò cauſatus electionem minus legitimam, diu tergiverſatus eſt in reddendis Imperii inſignibus, quæ penes ſe retinuerat. Redditis denique his, cùm Auguſtam ad Imperatorem ut veniret citatus eſſet, venit cum exercitu: ubi Imperator imparatus cùm non auderet ſubſiſtere, clàm Wirtiburgum conceſſit. Ibi convocatis Principibus

HENRICVS SVPERBVS *proſcribitur*, terræque ejus Saxonicæ Alberto Vrſo, Marchioni Brandeburgico, Bavaricæ Leopoldo Auſtrio occupandæ aſſignantur: quo facto Henricus deſertus ab omnibus, ſuis etiam poſſeſſionibus excidit. Quare properè in Saxoniam contendens, quam jam Albertus occupaverat, facilè quidem eam recuperavit, ſed animi mœrore paulò pòſt extinctus eſt. Frater ejus Welpho, Bavariæ Ducatum ad Auſtriæ Ducem perveniſſe dolens, ſimiliter Imperatori rebellabat, bellumque id civile tractum eſt in multos annos, pecuniâ Welphonem juvantibus Siciliæ & Hungariæ Regibus, quò Imperator armis ejus detentus à ſe cogeretur abſtinere. Poſt multa cer-

Digitized by Google

tamina, in quibus plerumque Welphoni ſiniſterior fortuna fuit, compoſita res eſt interventu S. Bernhardi, Abbatis Clarevallenſis. Et tùm quidem Imperator

HENRICO LEONI *Saxoniam reddidit*, quam pater Henricus Superbus recuperaverat: ſic tamen ut Aſcaniæ principatus Alberto Vrſo cederet. Hujus Henrici Leonis Hiſtoriam collegit *Schurtzfleiſchius* in *Diſſertatione de Henrico Leone.* Reddidit & Bavariæ partem Welphoni. Hoc modo pace Germaniæ reſtituta, Conradus Imp. unà cum Ludovico VII. Galliæ Rege numeroſum exercitum in Aſiam duxit, terreſtri itinere per Hungariam & Thraciam: quo tempore Manuel Comnenus Conſtantinopolitanum imperium tenebat: ab hoc copiæ Helleſponto in Aſiam traductæ ſunt. Sed melior pars exercitus morbis periit, quorum cauſa fuit alimentum infectum. Manuel enim farinæ, quam ex pacto ſubmittere exercitui Chriſtiano debebat, gypſum immiſceri curaverat. Igitur quanquam Turcis magnâ clade affectis & repulſis, tamen in Palæſtina, quò exercitus reliquiæ pervenere, nullo operæ pretio comparato, redeundum Imperatori in Europam fuit, quò tertio à profectione anno reverſus eſt, & paulò pòſt in morbum incidens, Bambergæ mortuus eſt.

A. C. 1152. Filium HENRICVM Regem Romanorum vivus creari fecerat; ſed is ante patrem deceſſit. Alterum Fridericum moriens commendavit FRIDERICO patrueli, BARBAROSSÆ dicto, quem ſibi ſucceſſorem conſentientibus principibus deſtinavit. Hic Imperator etiam Judicium Rotvilenſe inſtituit, laudante hoc inſtitutum *Stumpfio libr. 5. c. 39.* Scriptores ſunt *Godefridus Viterbienſis*, qui fuit Conradi III. Notarius; *Abbas Vrſpergenſis*; *Otto Friſingenſis*; *Dodechinus*, & *Robertus de Monte, Continuator Sigeberti Gemblacenſis.* Conradus quanquam nunquam Romæ coronatus, ne ab Italis quidem omitti ſolet.

In IMPERIO ORIENTIS initio hujus Seculi adhuc rebus præerat ALEXIVS COMNENVS, de quo ad ann. 10. memoratur:

Ad Occidentis etiam Imperium adſpirat. Vnde hoc hauſerit Auctor (nam cætera de hoc Imperatore ſub præcedente ſeculo dicta) equidem fateor me ignorare; niſi forte hoc intelligit, quod exercitui ex Occidentalibus gentibus collecto, & in ſacram expeditionem adverſus Saracenos eunti, ſe oppoſuit, multiſque eum cladibus affecit: repreſſus tamen à Latinis, & ad fidem ſervandam adactus. Scriptores rerum ejus ſupra nominati, apud quos ulterius inquiri poteſt.

A. C.

Digitized by Google

A. C. 1118. JOH. COMNENVS, *qui & Calo*-JOHANNES, Alexii filius, Iſaacii nepos, princeps non malus, Scythas Pazinacas, Triballos, Hungaros, Perſarmenios, Perſas ipſos vicit. Tandem rebus paſſim egregiè geſtis, in Cilicia venatum egreſſus, manu venenatæ ſagittæ illapſu ſtrictim læſa, graſſante ad vitalia veneno moritur imperii anno 24. menſe 8. Elogia ejus ſunt apud *Nicetam Choniaten*, cui add. *Wilhelmus Tyrius lib.* 15.

A. C. 1143. MANVEL COMNENVS expeditionem Hieroſolymitanam Conradi Imp. impedire conatus, variis fraudibus & inſidiis ſimplicitatem Alemannorum decepit, dum pluſquam Punicæ Græcorum fidei credunt. Bellum deinde geſſit cum Rogerio Siciliæ Rege, vario eventu. Dum Stephanum affinem ſuum Hungaris Regem obtrudere vult, hinc conflatum eſt bellum Hungaricum, cui præfectus Andronicus Conto-Stephanus Dionyſium hoſtium ducem acie ſuperavit, ob quam victoriam Manuel triumphat. Geſſit idem bellum cum Sultano Iconii. Nec non Italiam turbavit, Papam & Italos contra Fridericum Barbaroſſam concitans. Saracenorum dogmata tantum non recepit, abrogato etiam anathemate adverſus Deum Mahomethi. Tandem aſtrologorum vanitate deceptus Manuel, antequam putarat moritur, cùm regnaſſet annos 38. tribus menſibus minus. Sicut hæc omnia prolixius exequitur libris VII. *Nicetas Choniates.*

Ad RES ECCLESIÆ hujus Seculi progredientibus occurrit primum hoc lemma:

A. C. 1110. PASCHALIS PAPA *ab* HENRICO IMP. *in ordinem redigitur.* Dictum ſupra, ubi de Henrico V. Imp. ut nimirum huic in expeditione Italica, antiqua Jura Imperatorum urgenti, Papa Paſchalis coëreſtiterit, & concitata Romæ adverſus Imperatorem ſeditione, coëgerit ipſum pro ſalute pugnare; ubi multis Romanorum cæſis, Pontificem captivum in caſtra ſua abduxit Cæſar, nec dimiſit, donec in omnia ſua poſtulata conſentiret. Sicut hæc uberius narrat *Dodechinus apud Piſtorium p.* 464. *Otto Friſingenſis apud Vrſtiſium libr.* 7. *c.* 14. *Abbas Vrſpergenſis.*

A. C. 1118. ORDO TEMPLARIORVM hoc tempore inſtitutus, qui ſe ſervitio Chriſti mancipaverunt, ad tutandum vias & itinera contra latronum incurſus, ſiqui ad templum Hieroſolymitanum commeare vellent: qui Ordo deinde in Concilio Trecenſi ſub Honorio Papa habito, ab ejuſdem legato confirmatus eſt. Vid. *Matthæi*

Digitized by Google

Paris Hiſt. Angl. fol. 56. Wilhelm. Tyrius lib. 12. c. 7. &c. Add. *Nicolai Gürtleri Hiſtor. Templariorum.*

A. C. 1120. Præmonstratensium Ordo *S. Norberto Archiepiſcopo Magdeburgenſi inſtitutore.* Fuit hic Norbertus, qui poſtea inter SS. relatus eſt, nobilis Lotharingus, & in loco, cui nomen Præmonſtratum, Ordinem novum inſtituit ab eo loco denominatum, ſecundùm regulam Auguſtini ſtrictiorem Monachis vitam præſcribens. Videatur *Sigeberti Gemblacenſis Continuator,* qui eſt *Robertus de Monte* ad annum 1120. & 1124. *Aubert. Miræus in Chron. Præmonſtrat.*

A. C. 1122. *Imperator turbarum pertæſus Papæ conceſſit Epiſcoporum inveſtituram*: de qua re jam dictum ſupra, ubi de Henrico V. Imperator enim violentia Pontificis coactus, Concilio Wormatiæ ea de cauſa habito, conceſſit, ut omne Jus inveſtituræ Papa ſolus haberet, in Cæſaris tamen præſentia electio Epiſcoporum & Abbatum fieret, qui regalia per ſceptrum ab eodem recipiant: hujuſque pacti tabulæ publicè in Laterano ſuſpenſæ ſunt. Vid. *Abbas Urſpergenſis* ad ann. 1122. *Albert. Crantzius Saxon. libr. 5. c. 42.* Conf. *Conring. Diſſert. de Conſtitut. Epiſcop. Germ.* & *Lud. Maimburgi Hiſtoire de la Decadence de l'Empire libr. 3.*

A. C. 1124. Pomerani *fidem Chriſtianam docentur*, per Ottonem potiſſimùm Bambergenſem Epiſcopum, quem Boleslaus Dux Poloniæ, ſubacta nuper gente Pomerana, evocaverat, ut illis evangelium prædicaret. *Crantzius Saxon. libr. 5. c. 44* & *Vandal. libr. 7. c. 17.*

P. Abailardus *ejusq; diſcipulus* Arnaldus Brixiensis *pravorum de fide errorum damnantur.* Fuit hic Abailardus & Arnoldus de Brixia ex iis, qui Pontificis dominatum impugnare aggreſſi ſunt: quanquam Abailardo quidem imputatur, quod Arrii, Neſtorii, Pelagii hæreſin reducere voluerit: ſed hierarchiam potiſſimùm taxabat, ſicut & Arnoldus; docentes, Pontifici & Prælatis nullam politici regiminis competere poteſtatem, ſed ſacrorum duntaxat curam, neque ex tributis alio quovis modo pendi ſolitis, ſed ſolis oblationibus victitandum. Hujus Sectatores Arnoldiſtæ dicti ſunt, pluresque in ſua opinione commoverunt: unde accidit, ut Romani, Lucio Pontifici rebelles facti, jura reip. ab illo repoſcerent, Senatum novum & patritium crearent, ad quem reipubl. negotia ſolum pertinerent. In qua ſeditione Lucius lapide ab incerto auctore percuſſus periit. Hoc ergo Arnoldiſtarum dogma, tantopere dominationi Pontificiæ adverſum, non eſt mirum à Pontificibus tanquam à fidei ipſorum articulis diſſentiens, eſſe damnatum. *Bernhardus in Epiſtolis. Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum ad annum* 1140. Vid. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. p. 607.* De Abailardo autem ſpeciatim vid. *Franc. Amboiſe in Vita Abalardi,* & *Jacobus Thomaſius*

Digitized by Google

ſius in Vita Abalardi Tom. I. Hiſtor. Sap. & Stult. Item *Hendreich in Pandectis Brandeb. v. Abalardus,* ubi & de ſcriptis ejus &c. aliique ibi citantur: quibus add. *Arnold.* in ſeiner Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *libr. 12. c. 5. p. 369. ſeqq.* Arnoldus tandem contra Pontificum perſecutiones apud Imper. Fridericum I. præſidium quærens, ab eodem Papæ Hadriano quarto traditus, hujuſque juſſu Romæ ſuſpendii ſupplicio affectus, corpuſque combuſtum, & cineres in Tiberim diſperſi ſunt. De quo vid. *Otto Friſing. libr. 2. de Rebus geſtis Friderici Barbaroſſæ.*

GILBERTVS PICTAVIENSIS *Epiſcopus* & HENRICVS PETROBRVSIANVS *Eccleſiaſtica cenſura notantur.* *Gilbertus* quidem, cum ſubtiliter ad Philoſophiæ Ariſtotelicæ præcepta theologicas cauſas exigeret, de nonnullis in Eccleſia receptis locutionibus dubitare cœpit. Cui ab Eugenio Papa & Bernhardo obviam itum eſt, habitæque ſunt ejus rei cauſa Synodi, Antiſſiodori, Pariſiis, Remis: in qua poſtrema contra Gilbertum Symbolum Bernhardus edidit, conquerentibus apud Eugenium Cardinalibus, quod is tale quid inconſulto Pontifice auſus eſſet. *Henricus* verò *Petrobruſianus* à Petro Bruis Præceptore ſuo dictus, heterodoxa alia in medium protulit: quæ *Petrus Cluniacenſis* Abbas libro *adverſus Petro-Bruſianos*, hæc recenſens refutavit, ſicut & *Bernhardus*, quem miracula hæreſibus oppoſuiſſe, *Gotfridus Clarevallenſis Monachus* in ipſius Vita teſtatur. Vid. de utriuſque dogmatibus *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. l. c.* , Conf. ſupra laudatus *Bernhardus Epiſt.* 238. &c. *Petrus Cluniacenſis libr. 1. Epiſt. 1. & 2.* Ab Henrico Petro-Bruſiano, qui ejus dogmata propagarunt, Henriciani hæretici appellati ſunt, alias Petrobruſiani.

Sub Titulo VARIORVM primùm Hieroſolymitani Reges, eorumque geſta aliqua notantur:

A. C. 1109. BALDVINVS, *Godefridi frater, Rex II. Hieroſolymitanus.*

A. C. 1110. *Danorum claſſe adjutus Berytum ac Sidonem capit.* Idem multis præterea urbibus terriſque regnum Hieroſolymitanum auxit. Ejus enim ſive ductu ſeu auſpicio captæ ſunt urbes Palæſtinæ & Syriæ, Tortoſa, Azotus, Ptolemais, Apamia, Laodicea, Biblus, Tripolis. Mortuum excepit

A. C. 1118. BALDVINVS II. *Rex Hieroſol. tertius,* affinis ejus, Balduinus de Burgo dictus, miles egregius. Is adſcita in auxilium Genuenſi claſſe complures urbes maritimas expugnavit, tertia civitatum parte Genuenſibus aſſignata. Societate dehinc initâ cum Boamundo & Tancredo Carras in Meſopotamia obſedit. Sed dum illi de

Digitized by Google

capta jam urbe, cujus accedere ditioni debeat, litigant, vi depelluntur, &

A. C. 1122. BALDVINVS *Rex capitur à Turcis*, ſed ab iiſdem poſtea dimiſſus reſtituitur. Sub ejus porrò auſpiciis

A. C. 1124. *Tyrus capta a Chriſtianis* ope Venetorum. Petenda ſunt hæc ex *Wilhelmo Tyrio*, ſicut & ſequentis Regis geſta, qui fuit

FVLCO *Andegavenſis poſt Balduinum Rex Hieroſ.* factus, cui ſc. Balduinus majorem filiam Meliſcendam in ſpem ſucceſſionis collocaverat.

HENRICVS SVPERBVS, *Dux Bavariæ, Saxoniæ Ducatu à Lothario Imp. dotatur.* Erat hic Henricus Lotharii gener, qui ei filiam unicam Gertrudim in matrimonium dederat. Celebratis Auguſtæ nuptiis, venit ad Imper. Lotharium ſocerum ſuum apud Civitatem Nurenberg, & ibi Ducatum Saxoniæ, & omnia beneficia, quæ Imperator ab Epiſcopis & Abbatibus habuit, in beneficio ſuſcepit: quæ verba ſunt *Abbatis Urſpergenſis p.m.* 211.

A. C. 1140. GVELFVS *Bavariæ Dux in periculo ab uxore ſervatur.* Conradus III Imperator Guelfum Bavariæ Ducem, in oppido Winsberga obſeſſum armis & fame deditionem facere coëgit. Cùm autem conjugi Guelphi & cæteris nobilium petentibus conceſſiſſet Imperator, ut inviolatæ diſcederent, cum rebus quas ſuis humeris geſtare poſſent; Guelphi uxor & cæteræ matronæ nobiles ſuos maritos & liberos humeris impoſitos, & ex ſinu pendentes aſportant. Qua pietate & fide conjugum, etſi vafrè Imperatoris conceſſio eludi videbatur, tamen tantopere delectatus eſt Imp. Conradus, ut vitam & pœnam Guelpho hoſti capto condonarit, & pacem & amicitiam cum eo fecerit. Refert *Nauclerus in Chronico libro* 2.

A. C. 1142. BALDVINVS III. *Rex Hieroſol.* Filius hic fuit Fulconis, & frater Almerici, qui poſt ipſum regnavit. De geſtis ejus vid. iterum *Wilhelmus Tyrius.*

VIRI CELEBRES hoc Seculo floruerunt:

LEO OSTIENSIS Epiſcopus ex Caſſinenſi Monacho factus, compoſuit tres priores libros *Chronici Caſſinenſis* ab anno 542 uſque ad 1086. Nam quartus liber auctorem habet *Petrum Diaconum Caſſinenſem.* Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *cap.* 48. *p.* 392. & *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.*214. *ad annum* 1101.

SIGEBERTVS Gemblacenſis, in Brabantia Monachus Chronicon ſcripſit, quod ab anno 381. uſque ad 1112. quo obiit, deduxit, quod *Robertus de Monte* Abbas continuavit uſque ad annum 1210. Edidit & li-

Digitized by Google

& librum *de Eccleſiaſticis Scriptoribus*, aliaque ſcripſit, quæ ipſe recenſet in *Scriptor. Eccleſ. fin.* Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 48. p. 395. Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 214. ad annum* 1101. *Reimmannus Hiſtor. Liter. Germ. Sect. 1. Quæſt.* 290. *Neu in Acceſſ. ad Whear. Relect. Hiem. p.* 191. *ſeq.*

R. SCHLOMO JARCHI inter Judæos celebris Doctor, Gallus natione, patria Trecenſis, commentatus eſt in univerſa Biblia V. T. & magni ejus gloſſæ æſtimatæ ſunt, unde vulgo Parſchandatha i. e. legis Interpres vocatur. Vid. *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. Sec. 12. p. 253. Buxtorffius & Bartoloccius in Biblioth. Rabbin.*

RVPERTVS TVITIENSIS Abbas ſcripſit multa theologica, quorum catalogum exhibet ipſe in Epiſtola dedicatoria præmiſſâ libris XII *de Divinis Officiis*, & ex eo *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad annum* 1119. *p.* 217. Opera ejus 2. Tomis in fol. impreſſa Pariſ. 368. Impugnavit hic Rupertus publicè penè tunc receptum dogma transſubſtantiationis, panem & vinum manere aſſerens, & aſſumi à Chriſto non deſtruendo, ſicut nec carnem ſuam ita aſſumſit, ut illam tranſmutaret in ſubſtantiam Verbi: in quo quidem comparationis tertio veriſſima eſt Ruperti ſententia. Vid. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. libr. 4. c. 4. Sect. 4. p.* 604. Plura de Ruperto Tuitienſi vid. apud *Trithemium de Viris Illuſtr. Germ. p.* 135. *& de Script. Eccleſ. p.* 272. *Reimmannum Hiſtor. Liter. Germ. Sect. 1. Quæſt.* 95.

JOH. SARISBERIENSIS, Epiſcopus Carnotenſis, non tàm initio, ſicut hic ponitur, quàm inclinante magis ſeculo floruit. Scripſit multa & in iis *Vitam Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi*: Item, *Opus pœnitentiale, Objurgationem Cleri, Polycraticum libris VIII. De Nugis Curialium, Epiſtolas* ad diverſos. Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad annum* 1177. *p.* 238. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 52. p.* 421.

EVTHYMIVS ZIGABENVS Monachus ſcripſit Græcè *Panoplian* adverſus omnes hæreſes. Scripſit & *Saracenica*, item *Commentaria in Pſalmos & IV. Evangelia. Bellarminus ad annum* 1118. *p.* 216. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr. 2. c. 27. p.* 303.

JOANNES ZONARAS maximos prius in Conſtantinopolitano Imperio honores geſſit; nam magnus in eo Drungarius & Protoſecretarius fuit. Poſtea monachus factus ſcripſit Hiſtoriam καθολικὴν ab initio mundi, uſque ad ſui ævi Imperatoris, Alexii Comneni, obitum, qui incidit in A. C. 1118. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr. 2. cap. 27. p.* 303. ubi etiam judicium de Zonara. *Whear. Relect. Hiem. Part. 1. Sect.* 38. & *Neu in Acceſſ. p.* 166.

ANNA COMNENA, Alexii Imp. filia, ſcripſit libros XV. de rebus geſtis Patris ſui, quos *Alexiada* vocavit, quorum 8. primos ex Auguſtana Bibliotheca primum edidit Hœſchelius, ut ſupra jam diximus. Etiam

Digitized by Google

Etiam Annæ Comnenæ Alexias in *Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ* Pariſiis edito, ſingulari Tomo exhibetur. De ea videatur iterum *Voſſius d l. p.*304. *Whear. Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 38. & *Neu in Acceſſ. pag.* 266. & 295.

AVENPACE Arabs fuit, & in Ariſtotelem quædam ſcripſit. *Geſner. in Biblioth.*

ALGAZEL itidem Auctor Arabs, ſcripſit *Deſtructiones in Averroëm*, rurſus *Auguſtinus Niphus* oppoſuit *Deſtructiones Deſtructionum Algazel.* Vid. iterum *Geſnerus in Biblioth.* & de utroque *Joh. Leo Africanus* in libro *de Vitis Philoſophorum* Arabum, quem *Hottingerus Bibliothecario* ſuo inſeruit.

MICHAEL GLYCAS, Siculus, ſcripſit *Annales quadripartitos*, opus non hiſtoricum modò, ſed etiam phyſicum & theologicum; cujus ultimæ parti, quæ continet Hiſtoriam Byzantinam, ſupplementum attexuit *Jo. Leunclavius.* Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr.*2. *c.*27. *p.*304. & *Neuius in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. pag.* 173.

CONSTANTINVS MANASSES ſcripſit verſibus politicis σύνοψιν ἱστορικήν. Hæc ejus Chronica comprehendunt res ab initio mundi uſque ad finem imperii Nicephori Botoniatæ, & initium Alexii Comneni, quod incidit in annum 1081. Plura de eo *Voſſius d. l.* & *Neuius d.l. pag.* 174.

S. BERNHARDVS, Abbas Clarevallenſis, ſanctimoniæ atque eruditionis gloriâ longè lateque effulſit, magnæque fuit ſuo tempore apud Reges Principeſque auctoritatis. Scripſit multa opera, quæ recenſet *Bellarminus ad Script. Eccleſ. ad annum* 1130. *p.*221. Inter editiones eorum complures præſtat noviſſima à *Mabillonio* procurata 1690. Vitam ejus eo vivente ſcripſit *Guilielmus Abbas S. Theodorici*, unico libro comprehenſam: adjecit ſecundum librum *Bernhardus Abbas Bonæ Vallis*: tres ultimos addidit *Gotfridus Monachus Clarevallenſis.* Vid. de eo *Arnold. in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.*12. *cap.*3. *p.*362.

HVGO DE S. VICTORE, Monachus natione Saxo, ſcripſit multa, quæ tribus tomis comprehenduntur in editione Veneta anni 1588. Opera ejus recenſet *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad annum* 1130. *p.*227. Plura de eo *Reimmannus Hiſtor. Liter. Germ. Sect.* 1. *Quæſt.* 95. & 291.

PETRVS CLVNIACENSIS Abbas, nobilis Aquitanus, primùm miles, pòſt monachus, ſcripſit varia ad theologiam præcipuè ſpectantia, quorum catalogum exhibet *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 226. *ad annum* 1130. Inter ea etiam eſt liber *adverſus dogma Petri de Bruis*, de quo ſupra.

RICHARDVS DE S. VICTORE natione Scotus, Monachus Ordinis Canonicorum regularium, ſcripſit Opera varia theologica, quæ 2. tomis continentur & recenſentur à *Bellarmino d. l. p.* 229. *ſeq.*

WILHEL-

WILHELMVS MALMESBVRIENSIS, cognomine Somerſet, alias dictus Bibliothecarius, Monachus Benedictinus, *Hiſtoriam Anglicanam V.* complexus eſt libris, quam exorſus à primo Anglorum adventu, perduxit ad uſque annum 1142. quo & vixit. Scripſit & libros IV. *de Geſtis Pontificum ſeu Epiſcoporum Angliæ*, & alia minoris momenti. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 51. p.* 414. ubi & Anglicana ejus Hiſtoria commendatur. Add. *Wheari Relect. Hiem. Part. 1. Sect.* 28.

PETRVS LOMBARDVS, Epiſcopus Pariſienſis, Scholaſticorum realium princeps, qui Magiſter ſententiarum peculiari cognomine appellatus eſt: quæ ſcripſerit, docet ejus epitaphium Pariſiis in Eccleſia S. Marcelli, quod ſic ſe habet: *Hic jacet Magiſter Petrus Lombardus, Epiſcopus Pariſienſis, qui compoſuit librum Sententiarum, Gloſſas Pſalmorum & Epiſtolarum.* Præcipuum tamen ejus opus ſunt *Sententiæ*, quarum tamen auctorem nonnulli volunt eſſe *Abelardum*, præceptorem ejus, cui Lombardus ſurripuerit. Ab his enim potiſſimùm Scholaſtica doctrina eſt prognata, per quam poſtea dogmata theologica adeò intricata & implexa fuerunt Ariſtotelicis ſententiis, ut pænè nullus eſſet Scripturæ locus. De Lombardo vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad annum* 1145. *p.* 255. Plura *Morhoffius Polyhiſt. Philoſ. libr.* 1. *c.* 14. *n.* 1.

OTTO FRISINGENSIS Epiſcopus, nobiliſſimo genere natus fuit, quippe Conradi III. Imp. frater uterinus. Scripſit *Chronicon VIII.* libris complexus res initio mundi geſtas uſque ad ſua tempora. Item libros 2. *de Geſtis Friderici I. ſeu Barbaroſſæ*, cujus ipſe patruus fuit. Plura de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 53. *p.* 427. *ſeqq.* ubi etiam de ſtirpe ejus & ætate. *Reimmannus Hiſtor. Liter. Germ Sect.* 1. *Quæſt.* 205. *&* 292. *Neu. in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. Sect. X. pag.* 124. *ſeq.* & *Whear in Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium p.* 8.

In altera parte hujus Seculi inter IMPERATORES OCCIDENTIS ab initio ſtatim memorandus venit

A. C. 1152. FRIDERICVS BARBAROSSA ſeu *Ahenobarbus* ab Italis à colore barbæ ſic cognominatus. Nobiliſſimus hic Imperator primùm omnium diſſidia ex proſcriptione Henrici Superbi nata compoſuit, cujus filio Henrico Leoni Bavariam reddidit, aliqua tamen parte mutilatam, quæ Henrico Auſtrio manſit, quem ex Marchione Ducis inſignivit elogio. Danos idem, recepta ab his Lubeca, repreſſit: mox in Italiam coronationis cauſa profectus eſt. Vbi cùm Ve-

Digitized by Google

rona ei portas clauſiſſet, urbem vi occupatam excidio punivit. Mediolanum verò urbē ſibi rebellem, armis domitam & ſupplicem ſibi factam, primò in gratiam ſine mulcta recepit; ſed mox iterum clandeſtina cum Hadriano Pontifice contra Imperatorem ineuntem conſilia, iterumque domitam, & longo difficilique bello fractam, mœnibus & multorum exilio multavit; tertiò rebellem funditus delevit, civibus hinc inde diſperſis, & per urbis ſolum ſale diſſeminato. Et hoc eſt, quod in Tab notatur:

A. C. 1162. IMPERATOR MEDIOLANUM *excidit*: quam hiſtoriam ſeorſim ſibi ſcribendam ſumſit *Burchardus Notarius in Epiſtola de Excidio Mediolanenſi*, quam exhibet *Freherus*. Hadrianus verò Pontifex, qui Fridericum ob legatos ſuos aſperis verbis exceptos, quòd Papa Imperium dixiſſet eſſe ſuum beneficium (ea vox tunc temporis feudum ſignificabat) excommunicaverat; paucis pòſt diebus muſca in os ejus involante ſuffocatus eſt. Ei ſucceſſerunt per diſſidium Cardinalium duo, Victor alter, alter Alexander dictus. Cùm cauſa Victoris Cæſari totique Germaniæ approbaretur, Alexander hunc denuò anathemate feriit, in Gallia concilio in Clara Valle habito; novoque fœdere cum Venetis Italiam contra eundem concitavit. Quare denuo reverſus cum exercitu Imperator in Italiam, (quò ſepties propter Pontificum ſeditioſas molitiones ei proficiſcendum fuit) Lombardiæ pleraſque urbes domuit; cumque Alexander Romam munire diceretur, quò ex Gallia redierat, properè eò contendit, atque

A. C. 1167. *Idem Romam occupat*, ut Tab. noſtra habet. Sed Alexander nautico habitu profugiens Venetias venit: quem miſſo Ottone filio cum 70. navibus longis Cæſar eſt perſequutus; mandans filio, ne ſe inconſulto manus confereret. Quo ille neglecto pugnat, vincitur, capitur. Tum quidem Imp. Venetos terra marique clauſos exſcindere minatus eſt, & ſale ſolum urbis conſpergere. Tamen cùm diuturnior eſſet obſidio, Venetique filium Cæſaris Ottonem remiſiſſent, ultrò oblatis quibusdam pacis conditionibus, Cæſar paci Italiæ conſulens eas acceptavit. Tunc ſupplex factus Alexandro Pontifici, Venetiis abſolutionem ab eo accepit: quo tempore utrum pedem cervici Imperatoris Papa impoſuerit, ac pronunciaverit iſta Pſalmiſtæ verba: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis colla leonum & draconum; Cæſarque regeſſerit: non tibi, ſed Petro; Alexander contra: Et mihi & Petro; accurrensque Theodoricus Marchio Miſniæ facie minitabunda, ut Cæſarem erigeret, Pontifici terrorem incuſſerit, ut protinus

Digitized by Google

tinus in collum & oſcula Friderici involaret; cùm in dubium hodie vocari conſueverit, nos in medio relinquimus. Vid. *Lehmann. Chron. Spir. libr. 5. cap. 56.* Fabulam hanc eſſe demonſtratum ivit *Bernggerus in Quæſt. Miſcell.* & *Georgius Remus in Diſſertatione* peculiari in Academia Altorffina habita; & inde *Rupertus Obſ. ad Synopſin Beſoldi pag. 663.* & ex Pontificiis *Baronius*: quem viciſſim refutavit *Joh. Daniel Artopæus in Differt. Anti-Baron. Num Alexander III. Fridericum Barbaroſſam calcave it pedibus.* Præcipua eſt de hoc argumento, anno 1701. edita Kilonii *Diſſertatio Joh. Burchardi Maji*, Eloq. & Hiſtor. ibid Profeſſoris, quam hoc titulo inſcripſit: *Imperatorem Fridericum Ænobarbum ab Alexandro III. Pontif. pede non eſſe conculcatum.* Vide alios, qui de hac narratione pro & contra ſcripſerunt, notatos à *Nenio in Mantiſſa ad Whear. pag. 143. ſeqq.* Quibus addatur *Arnold. in Hiſt. Eccleſ. & Har. libr. 10. cap. 1. pap 350.* ubi itidem plures hac de re auctores notantur. Et nuperrimè prodiit Iſenaci, *Diſſertatio Hiſtorico-Critica Chriſt. Aug. Neumanni Fabulam de Friderico I. Imp. à Pontifice Rom. pedibus conculcato refellens.* 1710. Non abſonum ſaltem, nec à genio iſtius Seculi, nec ab inſolentia Pontificis Alexandri factum iſtud exiſtimamus; nec tam facile tot facti circumſtantias confingi, niſi revera contigiſſent Inter pacis verò conditiones quoque fuit profectio in Terram S. quam priusquam ſuſciperet,

A. C. 1180. HENRICVS LEO *proſcribitur*, qui Germaniam rurſus turbaverat. Is, quanquam Brunſuicenſes & Lunæburgicas provincias poſtea recepit, Bavaria tamen Ottoni Wittelſpachio Comiti data, nunquam deinde ad ejus ſtirpem rediit. Inde Imp. cum 150000. equitum peditumque profectus in Aſiam, Turcis triplici clade affectis, tantum ſui terrorem concitavit, ut Saladinus Ægypti Sultanus, retrò cedens, urbibus, quas occupaverat, propugnacula ipſe demeret. Verùm Fridericus in Cilicia, cùm ſe in flumine frigidiſſimo abluere vellet, ſive vorticibus abreptus, ſive rigore fluminis hepate corrupto, interiit anno 1189. imperii 38. medio victoriarum curſu. Et hæc eſt

FRIDERICI IMP S. EXPEDITIO *in Syriam* ad annum Seculi 89. notata: de qua ſeorſim conſuli poteſt *Tagenonis Deſcriptio expeditionis Aſiaticæ in Turcas Friderici Imp.* apud *Freherum*. Item *Expeditio Aſiatica Friderici I.* apud *Caniſium*. Eſt & de eàdem peculiaris *Diſſertatio* Parentis mei *J. C. Artopæi* in hac Vniverſitate habita. Corpus Friderici delatum à filio cognomine Tyrum, ibique ſepultum Ipſe filius hic paulò poſt peſte interiit, dum Joppen oppugnat, ubi magna etiam exercitus pars conſumta fuit. Reliquiæ copiarum in Eu-

ropam navibus reverſæ ſunt. Fridericus Imperator poſt divortium cum priore conjuge Adila, filia Diepoldi Marchionis de Hochburg, prætextu conſanguinitatis factum, Beatricem Burgundam duxit, Comitis Biſuntini filiam & hæredem unicam, atque ſic, ut habet Tab. noſtrá,

BURGUNDIAM *ſecundis nuptiis acquirit.* Sed &

Filii Henrici nuptiis SICILIA *&* CALABRIA *ad Imperium rediere*; qui Conſtantiam Rogerii utriusque Siciliæ Regis filiam duxit uxorem: quæ quamvis tunc jam quinquagenaria eſſet, tamen ex ipſo gravida facta peperit Fridericum II. poſtea Imperatorem; de quo ſuo loco.

Friderici Barbaroſſæ temporibus duæ illæ factiones, quæ quidem pauló antiquiores ſunt in Germania, Gibellinorum & Guelphorum, per Italiam graſſari cœperunt, quorum illi Cæſarum, hi Pontificum partes ſuſtinuerunt, graviſſimarumque cladium Italis per aliquot ſecula cauſa & origo fuerunt. De Gibellinorum & Guelphorum origine vid. *Paralipomena Abbatis Urſperg.* ad ann. 1238. & *Chron. Carion. libr.* 4. *ſub Conrado Saliquo.* Conf. *Mutii Chron. Germ. lib.* 20. Scriptores hujus Imperatoris ſunt *Otto Friſingenſis*, & Continuator ejus *Radevicus*, *Dodechinus* Continuator Mariani Scoti, *Abbas Urſpergenſis*, *Sifridus Presbyter*, *Guntherus in Ligurino*, *Burchardus Notarius in Epiſt. de Excidio Mediolanenſi*, *Robertus de Monte*, *Godefridus Viterbienſis*; ex Græcis *Nicetas Choniates in Vita Iſacij Angeli.* Elogia huic Imperatori etiam ab inimicis tributa notat *Rupertus pag.* 662. Conf. *Artopœi Differt. de S. Expeditione Friderici Barbaroſſæ.*

A. C. 1190. HENRICUS *VI.* primogenitus Barbaroſſæ fil. jam à patre expeditionem parante deſignatus Imperator, per biennium ferè in Imperio ei conſors fuit. A. C. 1191. à Cœleſtino Papa Romæ coronatus eſt, qui cum proſtrato ante ſe Cæſari coronam manibus impoſuiſſet, pedibus iterum dejecit, addito, ut intelligeret Cæſar, ſicut penes ipſum eſſet jus conferendi, ita etiam adimendi coronam: uti memorat *Baronius ad annum* 1191. *num.* 9. 10. 11. aliique recentiores, Sed quia coævi Scriptores hac de re tacent, à nonnullis narratio hæc in dubium vocatur. *Baronium* tamen defendit *Caſaubonus in Prolegomenis Exercit. Anti-Baron.* Inde in Apuliam movit, regnum cis transque fretum Siculum uxoris nomine ſibi vindicaturus, quod poſt mortem Wilhelmi ultimi Regis, Tancredus Rogerii nothus popularium favore adjutus, occupaverat. Sed tunc quidem exercitu peſtilentia atque æſtu exhauſto, parum effectum eſt. Vid. *Arnold. libr.* 4. *cap.* 5. 6. Iterata verò expeditione, cùm & Tancredus mortuus eſſet, & Rogerio filio ejus adhærerent populi, cum exercitu ingreſſus SICILIAM

Digitized by Google

SICILIAM & APVLIAM *occupat*, inque conjuratos atrociſſimis ſupPliciis animadvertit. Quo tempore uxor ejus Conſtantia Aug. Panormi in Sicilia in publico ſacello, vel (ut *Cuſpinianus* ait, *in Henrico VI.*) in pratis Panormi, ut fraudis omnis ſuſpicionem amoliretur, quia jam quinquagenaria erat, enixa eſt filium Fridericum, qui poſtea Imperator hujus nominis II. fuit. Quanquam *Lehmannus in Chronico Spir. libr. 5. cap. 66.* ex *Godefrido Viterbienſi* probat, non 50. ſed 30. tantùm annorum fuiſſe Conſtantiam, cùm Henrico nuberet. Nondum tamen quieverunt Siculi, ſed creato ſibi Rege Jordane Comite, contra Imperatorem inſurrexerunt. Hunc ergo

JORDANEM COMITEM SICILIÆ *regnum affectantem candente corona capiti infixa interemit*, vel, ut alii, diademate clavis acutis ſimul affixo capiti; filios verò ejus ſuſpendio ignique necavit. Vid. *Otto de S. Blaſio cap. 39. 40. Arnold. libr. 5. cap. 2.* Miſit hic Imp. exercitum inPalæſtinam 60000.habebat etiam paratam claſſem,cumq; eſſet propter potentiam formidabilis etiamGræcis,abAlexioAngeloConſtantinopolitanoImp.tributum accepit,quodAlemannicum àGræcis dictum eſt.Dum verò in florentiſſima fortuna exiſtit,morbo contracto decedit; poſtquam jam ante Imperium deſtinaſſet filio ſuo Friderico, obſtrictis jurejurando Principibus & Epiſcopis, ne cui alii, quàm filio ſuo illud conſervarent. Vid. *Godefredus Monachus pag. 262.* Mortuus eſt A. C. 1198. octavo imperii ſolitarii. Scriptores ſunt partim jam dicti, *Otto de S. Blaſio, Arnoldus Continuator Chronici Helmoldi*, qui tamen in rebus Sclavonicis fide dignior eſt, quàm in rebus Italiæ, Siciliæ & Græcis: judicante *Voſſio*. Dein *Dodechinus*, *Robertus de Monte*, *Godofredus Monachus*, *Fragmentum Hiſtoriæ Alberto Argentinenſi præfixum*, & *Jacobus de Vitriaco*, inter Scriptores hiſtoriæ S. à Bongarſio editos, ſub titulo: *Geſta Dei per Francos.* De rebus geſtis Henrici VI. ut & Ottonis IV. & Friderici II. in regno Neapolitano ſeorſim conſulendus *Pandulphus Collenucius*, *JC. libr. 4. Hiſtoriæ Neapolitanæ.*

A. C. 1198. PHILIPPVS Sueviæ Dux, Tuſciæ & Marchiæ Anconitanæ Princeps, teſtamento Henrici VI. fratris tutor Friderici II. adhuc quadrimi, cum pater moreretur conſtitutus, Principibus Germaniæ, qui fidem Henrico dederant, filium ejus imperaturum, conſentientibus, imperium interim in ſe ſuſcepit, quod cum Haganoæ ita conveniſſet, Innocentius Pontifex id minimè admittendum cenſuit, quòd Philippus in Italia potens eſſet, & Fridericus pupillus ejus regnum Neapolitanum poſſideret. Miſſo itaque legato, Principes non ſolum ab obligatione promiſſorum Henrico datorum abſolvit, ſed & Bertholdum Zeringenſem ducem iiſdem commen-

Digitized by Google

davit, Philippum verò anathemate feriit. Cùm itaque nonnulli Principes & Epiſcopi ab eo defeciſſent, Bertholdus verò Zeringenſis imperium acceptare noluiſſet, Ottonem Henrici Leonis filium, Saxoniæ Ducem, Pontifex per Colonienſem Epiſcopum & Palatinum promiſſa ei corona intruſit, qui OTTO *IV.* hujus nominis Imperator coronatus eſt Aquisgrani, & Bohemiæ Regem, Marchionem Miſniæ, Epiſcopumque Argentinenſem ilicò in partes ſuas traxit, adjutus quoque opibus Richardi Regis Angliæ, apud quem pater ejus exulaverat, cùm fuiſſet proſcriptus. Philippus verò bis eum prælio fudit fugavitque, ſemel ad Moſellam, deinde propè Coloniam; expugnavit quoque Argentoratum, & Epiſcopum ad obſequium ſuum coegit. Hermannum Marchionem Miſniæ, fultum Bohemicis auxiliis, ſimiliter profligavit. Deſperatis itaque rebus Otto profugit in Angliam: Colonienſis quoque ab auxiliis deſertus Philippum Aquisgrani coronavit: nec multò poſt Pontifex quoque conciliatus eſt Philippo nuptiis filiæ hujus, Richardo nepoti ſuo deſponſæ, per quas Marchiæ Anconitanæ comitatum hic conſequutus eſt. Ita Philippus anathemate fuit liberatus. Conciliata quoque pax eſt cum Ottone, ut quidam ſeribunt, nuptiis alius filiæ Philippi: alii verò hoc negant ante Philippi mortem contigiſſe; poſt quam demum Ottonem, ut Principes ſibi conciliaret, filiam Philippi Beatricem duxiſſe. Pace bello parta non diu gaviſus eſt Philippus: quippe quem Otto Wittelſpachius, cùm venæ ſectione uſus eſſet Imp. familiaritatis jure intromiſſus, parricidiali ſcelere occidit Bambergæ anno Domini 1208. imperii undecimo. Scriptores ſunt *Godefridus Monachus*, & *Conradus Abbas Urſpergenſis.*

Inter IMPERATORIS ORIENTIS poſt Manuelem Comnenum ſequitur.

A. C. 1181. ALEXIUS COMNENUS ejus filius, puer admodum. Per ejus ergo pueritiam multæ turbæ & confuſiones in imperio fuerunt, donec ab Andronico Comneno agnato ſuo occiſus eſt, anno ætatis nondum decimo quinto, imperii tertio, exacto. Vid. *Nicetas Choniates.*

A. C. 1183. ANDRONICUS ergo imperium invaſit, homo crudelis. Huic bellum fuit cum Siciliæ Rege, in quo hic Græcis Dyrrhachium & Theſſalonicam eripuit. Virtutes tamen ejus aliquas laudat *Nicetas*, qui prolixè narrat, ut ab Iſaacio Angelo, jamjam ad ſupplicium adducendo, poſtquam ille in templum fugiens, à populo

à populo affluente Imperator ſalutatus eſt, ex fuga retractus Andronicus, & exquiſitis contumeliis cruciatibusque affectus, miſerabiliter perierit.

A. C 1185. ISAACIVS ANGELVS præter expectationem ad imperium evectus, illud ſtrenuè defendit contra Siculos, quos non unâ clade affecit. Branam imperium affectantem opera potiſſimùm Conradi Marchionis Montisferrati opprimit: nec non poſtea alios adverſus ſe inſurgentes, in iis duos Pſeud-Alexios. Blachicum verò bellum infeliciter geſſit Friderico Barbaroſſæ innoxium tranſitum petenti pollicitus, in eum tamen pactis violatis hoſtiliter ſe gerit, & inſidiatus Alemannis cum exercitu, graviter ab illis cæditur. Denique fratri inſidianti nimium fidens, captus ab eo, & imperio & oculis privatur, cùm imperaſſet annos 9. menſes 8. ætatis annos nondum 40. impleviſſet. Hinc

A. C. 1195. ALEXIVS ANGELVS Iſaacii frater, aſſumto Comneni cognomine, imperium auſpicatur, quod infelix futurum, memorabile omen in coronatione ejus portendit. Per ipſius ſegnitiem luxui ſe dedentis, abjecta imperii cura, & Imperatricis Euphroſynes ſuperbiam & impudicitiam omnia peſſum eunt. A Blachis ſeu Valachis, Myſis, Scythis, Turcis acceptæ clades. Etiam ad tributum Germanis pendendum, quod Alemannicum dixerunt Græci, adactus eſt. Denique Alexius, Iſaacii Angeli filius, qui ad Germanos profugerat, (quippe ſoror ejus Philippo Imperatori nupta erat) Venetos excivit cum Balduino Flandriæ Comite multisque Principibus, qui cum claſſe venientes, expugnata Conſtantinopoli, rapinis, ferro & incendiis omnia vaſtarunt. Ipſe autem Alexius imperio ſpoliatus, Debeltum profugit, poſtquam id geſſiſſet annos 8. menſes 3. dies 10. Hæc omnia peti debent ex *Niceta Choniate.*

RES ECCLESIÆ
ad poſteriorem partem Seculi hæ notantur:

FINNI *ad fidem Chriſti traducuntur*, poſtquam ab Erico Suecorum Rege cruento prælio ſunt ſuperati, teſte *Joh. Magno Goth. libr. 19. cap. 3. Genebrardus ad ann.* 1168.

GRATIANVS *Decretorum opus à ſe collectum edit.* Gratianus Bononienſis Monachus poſt Jvonem Carnotenſem Decretorum opus ex Veterum ſtatutis, ſanctionibus & ſcriptis compoſuit, quo Juris Canonici Studioſi hodie utuntur. Hoc opus Eugenius Pontifex & approbavit, & in Academia publicè proponi mandavit: quæ verba ſunt

Digitized by Google

ſunt *Trithemij* ad A. C. 1151. Conf. *Chron. Abbatis Urſperg. Martinus Polonus. Aventinus Annal. libr. 6. pag. 624.* ſiniſterius de eo judicat. Sub idem tempus, inquit, Gratianus Jus Pontificale dilaniavit atque confudit. Pontifices Pius IV. & V. hoc opus Decretorum corrigi curarunt per viros doctos, inter quos etiam hanc operam præſtitit Gregorius XIII. tunc adhuc Profeſſor Juris: qui Pontifex factus, opus hoc reviſum imprimi fecit. Vid. *Antonius Auguſtinus de Emendatione Gratiani, cum notis Baluzij.*

HVMILIATORVM ORDO. Cùm Imp. Fridericus Barbaroſſa Lombardiam vaſtaret, plurimi facultatibus ſuis ejecti, pro iis recuperandis induti veſtibus albis Imperatori ſupplicarunt, & voti compotes hunc poſtea habitum retinuerunt: unde natus eſt Ordo, Pontificia auctoritate confirmatus A. C. 1200. & dictus Humiliatorum. *Urſpergenſ. in Chron. Centuriat. Magdeburg. ad A. C. 1261.* Hic tamen Ordo anno 1561. rurſus abolitus fuit à Papa Pio V. quo tempore Carolus Borromæus, Ordinis Protector, cùm perditos Ordinis mores corrigere, & veterem diſciplinam reſtituere vellet, à quodam ex eo Ordine ſclopeti ictu impetitus fuit Mediolani in ſacello inter precandum: ea res Pium V. Pontificem movit, ut totum Ordinem aboleret, & reditus ejus Cardinalibus quibusdam attribueret. Vid. *Thuan. libr. 50. Tom. 2. Edit. Genev. pag 753.*

PETRVS LOMBARDVS *ob quædam de Trinitate in Concilio damnatur.* De ipſo Petro Lombardo, Magiſtro Sententiarum, ſupra diximus, ubi de Viris celebribus. Enunciaverat autem hic alicubi in libro ſententiarum, SS. Trinitatem eſſe unam Summam rem: quæ enuntiatio ab ipſo Pontifice non intellecta, damnata eſt in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. habito. Vid. *Matthæus Paris Hiſtor. Angl. pag. 132.* ubi & epiſtola Papæ Alexandri ad Wilhelmum Senonenſem Archiepiſcopum contra hanc Lombardi hæreſin exhibetur.

A. C. 1176. ALBIGENSES *Epiſcoporum ſententiis damnantur in Gallia.* Albigenſes ab Albio Septimaniæ oppido in Gallia denominati, alio nomine Waldenſes, Pauperes de Lugduno & Leoniſtæ dicti, à Petro quodam Valdo Lugdunenſi, illo jam tempore cœperunt multa aſſerere contra recepta in Rom. eccleſia dogmata, & hanc multorum ſcelerum arguere, palàm meretricem Babylonicam & Antichriſti ſponſam vocantes. Sequenti tamen ſeculo demum eorum doctrina longè lateque propagata, & ipſi variis perſecutionum procellis fuerunt agitati, ad uſque tempus reformationis. Dogmata Valdenſium recenſet *Reinerius* inter Bohemicarum rerum Scriptores à Marquardo Frehero editus; *Æneas Sylvius in Hiſtor. Bohem. cap. 35. & Dubravius in*

Digitized by Google

vius in Hiſtor. Bohem. libr. 14. *princip.* Multas quidem adverſus eos calumnias evomuerunt Pontificii Scriptores, quæ tamen pleræque ſe ipſas produnt. Vid. *Vſſerij liber de Chriſtianarum Eccleſiarum ſucceſſione & ſtatu cap.* 6. *pag.* 193. *ſeqq. Magdeburg. Cent.* 12. *cap.* 8. inprimis verò *Joannis Pauli Perrini Hiſtoria Waldenſium*, tribus abſoluta partibus. *Pierre Moine des Vaux de Cernay Hiſtoire des Albigeois.* Exhibet & Hiſtoriam Waldenſium *Jacob. Baſnagius Part.* 4. *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, Gallica lingua ſcriptæ. Etiam multa memorabilia de Valdenſibus congeſſit *Doct. Joh. Gerhardus in Epiſtola dedicatoria Confeſſioni catholica præfixâ*, quibus horum confeſſorum hiſtoria non parum illuſtratur. Conf. quæ de Waldenſibus habet *Arnoldus* in ſeiner Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie. *libr.* 12. *cap.* 5. *pag.* 366. *ſeqq.* & *libr.* 13. *c.* 5.

A. C. 1181. COENOBII BERGENSIS *ante Helmſtadium initia.* Videtur hoc in gratiam civitatis, in quâ hæ Tabb. ſcriptæ ſunt, inſertum, alioqui non adeò memoratu dignum, nec cæterorum coenôbiorum origines hic notantur. Sed hoc Interpolatoribus debetur, à *Schradero* quidem ipſo omiſſum. Adeatur *Conringij tractatus de antiquiſſimo ſtatu Helmſtadij & vicinia* & *Chron. Bergenſe.*

INITIA CHRISTIANISMI IN LIVONIA. Livonia, cujus metropolis eſt Riga Chriſtum agnoſcere coepit: *Bucholtzerus A. C.* 1186. Primus eorum Epiſcopus ab Archiepiſcopo Bremenſi conſtitutus erat Meinardus, Sacerdos & Sigebergenſis Canonicus. *Baronius* A. C. 1186. S. 20. qui cum mercatoribus Lubecâ adiit Livoniam, ibidemque caſam exſtruxit, in qua manſit cum famulo, linguam gentis perdiſcendi cauſa, ubi divina religione, quos potuit, inſtruxit. Et quia à Lithuanis fiebant incurſiones, Chriſtiani præſidium firmaverunt in eo loco, qui hodie vocatur Kerckholm. &c. Vid. *Krantz. Vandal. libr.* 6. *cap.* 6. & *Saxon. libr.* 8. *c.* 13. Cobbe Princeps inter primos Chriſto nomen dedit. *Genebrardus p.* 610. Prima evangelii ſemina per mercatores Lubecenſes & Bremenſes ibi jacta refert *Chytræus ad annum Chriſti* 1170. *Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 12. *Sect.* 3. *pag.* 234.

ORDO TEVTONICVS *inſtituitur auctore* HENRICO WALPOT. Initia hujus Ordinis in Palæſtina, cui qui ſe addixerant, ægrotantium Chriſtianorum curam habere, &, ſicubi opus, contra infideles pugnare profeſſi ſunt. Teutonicos equites cum Hoſpitalariis & Johannitis confundunt nonnulli, interque eos *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap.* 12. p. 98. & *Auctor* des Teutſchen Reichs-ſtaats *Tom.* 2. *Partis* 5. *cap.* 4. ubi plura de hoc Ordine, ejusque Magiſtris & Equitibus. Ordo tamen Hoſpitalariorum jam integro Seculo ante Teutonicum

 inſtitu-

Digitized by Google

inſtitutus erat; quanquam hi duo Ordines multa inter ſe communia habuerunt. Teutonicus Ordo, cujus primus Magiſter fuit Henricus Walpot, approbatus mox à Friderico Imp. & aliis, qui legatos miſerunt in Germaniam & Italiam, ut confirmaretur, quod factum eſt A. C. 1201. die 22. Aprilis à Pontifice Innocentio III. & datus eſt ipſis veſtitus albus cum nigra cruce. Vid. *Joh. Caſpar Venator* Vom Teutſchen Ritter-Orden. *Pantaleon de Johannitarum Ordinis Geſtis libr.* 1. *pag.* 23. *& libr.* 2. *pag.* 58. Scripſit & *Henricus Leonhardus Schurtzfleiſchius Hiſtoriam Enſiferorum Ordinis Teutonici Livonorum.* Hujus Ordinis milites cum paulò poſt amiſſa Terrâ Sanctâ in Aſia contra Infideles pugnare amplius non poſſent, in Livoniam adverſus barbaros arma verterunt, & religionem Chriſtianam inter eos propagarunt. Sequentibus temporibus ſubinde potentiores facti, Pruſſia potiti ſunt. Sed de hoc dicetur ſuo loco.

Nunc ad titulum VARIORVM tranſimus; ubi primo loco occurrit

Ad A. C. 1158. HENRICVS LEO *domat* OBOTRITOS. Eſt hic Henricus Leo Henrici Superbi filius, cui Conradus Cæſar Saxoniam, patri proſcripto ademtam, paulò ante reddiderat. Obotritos autem populum in illo tractu, qui hodie Megalopolitanus Ducatus dicitur, (*Crantzius Metropol. libr.* 3. *cap.* 29.) Socio Waldemaro Daniæ Rege & Alberto Vrſo Marchione domuit. Vid. *Helmold. Chron. Sclavon. libr.* 2. & *Albertus Crantzius in Vandalicis.*

VLADISLAVS *Dux Bohemiæ Regio axiomate ornatur ab Imperatore.* Fuerat quidem jam ante regio titulo ornatus Vratislaus ab Henrico IV. Imp. de quo ſub hujus hiſtoria, cui nempe ille egregiam adverſus Rudolphum Sueviæ Ducem navaverat operam; at idem poſtea à Friderico I. Imp. repetitum, Bohemiaque regnum in perpetuum in Ratisbonenſibus comitiis A.C. 1159. appellata eſt, ac Vladislaus ipſe Rex coronatus, & ampliſſimo Cæſaris præconio laudatus. Quanquam ſequentes Principes eo titulo abſtinuerunt, uſque ad Przemyslaum cognomento Victorioſum & Aureum, qui à Philippo Imp. denuo titulum regium emeruit, & ad ſucceſſores ſuos propagavit. Vid. *Balbin. Epitom. Rerum Bohem.* quam *Hiſtoriam Boleslavienſem* ipſe appellat, *libr.* 3. *Dubrav. Hiſtor. Bohem. Æneas Sylvius Hiſtoria Bohemica cap.* 24. Add. *Becmannus Hiſtor. Orbis Terrarum Parte II. cap.* 9. *pag.* 704.

A. C. 1163. ALMERICVS *Hieroſol. R. capit Damiatam.* Damiata Ægypti

Digitized by Google

Ægypti urbs fuit eo tempore munitiſſima, ad Taniticum Nili oſtium ſita; eam Almericus, fratris ſui Balduini III. ſucceſſor, cepit quidem, mox tamen iterum à Calipha Ægyptio Chriſtianis ereptam. *Wilhelm. Tyrius libr. 20.*

A. C. 1173. BALDVINVS *IV. Almerici ſucceſſor* & filius, tredecennis fuit, cùm pater moreretur. Præceptorem habuit laudatum modò Wilhelmum Tyrium, *Hieroſolymitana hiſtoria* Scriptorem, quem vide de geſtis ejus.

A. C. 1184. GVIDO LVSIGNANVS *Rex Hieroſolym.* ultimus, qui regnum ipſum tenuit, non nudum titulum. Huic Nobili ex Pictonibus Gallo & Comiti Joppenſi, Balduinus Sororem ſuam Sibyllam viduam in matrimonium dederat, quæ ex priore matrimonio filium genuerat, cui regnum deſtinatum fuit. Sed hoc quoque paucis poſt Balduinum avunculum menſibus mortuo, Sibylla redditam ſibi à Templariis coronam marito ſuo Guidoni impoſuit, plerisque regni proceribus inconſultis, unde exitiales natæ ſunt ſimultates. *Wilhelm. Tyrius libr. 23.* Hac occaſione ſtrenuè uſus

A. C. 1187. SALADINVS *Damaſci & Ægypti R. capit Hieroſolymam,* victo prius Chriſtianorum exercitu, Tripolitani Comitis cæteros deſerentis perfidia. Nobiliſſimus quisque cum Rege capti ſunt. Capta crux Sancta, Sacri regni pignus. Inde cùm non ſupereſſent, qui propugnarent, Hieroſolyma Saladino ſub conditionibus tradita, ut Chriſtianis omnibus incolumibus abire liceret, ſoli tamen Latini emigrarunt, Orientales remanſerunt. Ita Sancta urbs octogeſimo nono, quam barbaris erepta erat, anno in eorum rurſus poteſtatem venit. Guido dimiſſus, cùm prius juraſſet, ſe jus regni armis non ultra repetiturum. Cæteræ quoque urbes à victore Saladino captæ, tribus duntaxat, Tripoli, Tyro & Antiochia in Chriſtianorum poteſtate remanentibus. Vid. de his *Arnoldus Lubec. Chron. Sclavon. libr. 3. à cap. 23. Jacobus de Vitriaco cap. 94. ſeq. Platina in Vrbano III.* &c.

A. C. 1188. HENRICVS LEO *evertit* BARDEVICVM. Ampliſſima illis temporibus urbs ea fuit in Holſatiæ finibus, & emporium celeberrimum, ex cujus expugnatæ ruderibus aliæ deinde vicinæ creverunt, inprimis Lunæburgum proximè ſitum, teſte *Crantzio libr. 7. Saxon. cap. 2,* ubi etiam expugnationem ejus deſcribit & deplorat. Hodie vicus eſt. Nam quod ea urbs Henrico Leoni ex Anglia reverſo & poſſeſſiones ſuas repetenti portas clauſerat, novo Saxoniæ Duci Bernhardo ex Aſcania ſtirpe favens, ab eo vi expugnata & exciſa eſt. Vid. *Henric. Meibom. Hiſtor. Bardeviki in Tom. III. J. R. German. pag. 55. ſeq. Caſp. Sagittar. Hiſtor. antiquiſſimæ urbis Bardevici.*

Digitized by Google

Chriſtiani Schlöpkens Beſchreibung der Stadt und des Stiffts Bardewick / vor und nach der Zerſtörung. ꝛc.

A. D. 1199. Helmstadium *exuſtum.* Hoc iterum in gratiam urbis, in qua hæ Tabulæ lucem primùm viderunt, adjectum, ex ipſius haud dubiè annalibus. Vid. *Conring. de antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii & vicinia.*

Inter VIROS CELEBRES qui hujus Seculi parte poſteriore floruerunt, nominatur primo loco

Evstathivs *Homeri interpres.* Fuit hic Theſſalonicenſis Epiſcopus, & doctiſſima in Homerum ſcripſit commentaria, quæ adhuc in pretio habentur. Superſunt & ejusdem *Commentaria in Dionyſium Periegeten.* &c. Eum multis à virtute & doctrina laudibus ornat *Nicetas Choniates, ſub Andronico.* Vid. de eo *Fabric. Biblioth. Græc. libr. 2. cap. 3. pag. 289. ſeqq. & libr. 4. c. 2.*

Averroes Medicus & Philoſophus clariſſimus, ſecta Muhammedanus, apud Cordubam Hiſpaniæ urbem floruit. Scripſit multa & varia. Commentatus eſt in omnes Ariſtotelis libros, & hinc Commentatoris cognomen meruit. Commentarii iſti ex Arabica in Latinam linguam converſi ſunt à Jacobo Martino. Scripſit & de Sectis & de Subſtantia Orbis. Librum *Colliget* dictum totam fermè medicinam complectentem edidit. De Averroe qui plura volet, adeat *Jac. Gaddium libro de Scriptoribus non eccleſiaſticis Tom. 1. pag. 50. Geſner. Biblioth.*

Joh. Tzetzes ſcripſit *Scholia in Heſiodum.* Item *Variam Hiſtoriam* verſibus politicis complexus. Vid. *Voſſ. de Hiſtor. Græc. libr. 2. cap. 27. pag. 305. Morhoff. Polyhiſt. Literar. libr. 4. cap. 6. num. 5.* & *libr. 7. c. 1. num. 5. & ejusdem libri cap. 2. num. 27.*

Gvntherus Poëta pro illo ſeculo magni ingenii, ſcripſit carmine heroico de rebus à Friderico Barbaroſſa geſtis libros X. ac *Ligurinum* vocavit; quia Barbaroſſæ negotium inprimis fuit cum urbe Ligurina, hoc eſt, Mediolano, cujus incolas ſemper Ligures appellat. *Ligurinum* ejus luculentis notis illuſtravit *Conradus Rittershuſius.* Vid. *Voſſ. de Hiſtor. Latin. libr. 2. cap. 53. pag. 431.* & *de Poëtis. Latinis. cap. 6. pag. 73. Neuius in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. pag. 125. ſeqq.*

R. David Kimchi, Doctor Judæorum exegeticus fuit, cujus ſcripta

ſcripta adhuc in φιλεβραίων manibus verſantur. Vid. *Buxtorff. in Biblioth. Rabbin. & Bartolocc. in Biblioth. Rabbinica magna Tom. 2. pag. 25. ſeq.*

PETRVS COMESTOR, Presbyter Trecenſis, ſcripſit *Hiſtoriam Sacram* XVI. libris. Inſeruit autem verbis ſacris multa ex gloſſis, & ex profanis auctoribus, & non rarò admiſcuit incertas hiſtorias. Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. pag. 237. ad ann.* 1150. & *Voſſ. de Hiſtor. Latin. libr. 2. cap.* 53. *pag.* 433. Epitaphium ejus, (teſte *Franc. Sweertio in Deliciis Orbis Chriſtiani pag.* 798.) Pariſiis in æde S. Victoris legitur tale:

Petrus eram, quem Petra tegit, dictusque Comeſtor,
Nunc comedor. Vivus docui, nunc ceſſo docere
Mortuus, ut dicat, qui me videt incineratum,
Quod ſumus iſte fuit, erimus quandoque, quod hic eſt.

R. ABRAHAM ABEN ESRA. Fuit Philoſophus, Aſtronomus, Medicus, Poëta, Grammaticus, Cabbaliſta & Interpres Scripturæ inter Judæos ſuo tempore excellentiſſimus. Idem totum V. T. commentario illuſtravit. Scripſit & alia, quæ hodie ſuperſunt. Vid. *Buxtorffij Biblioth. Rabbin. pag.* 34. & *Bartolocc. Biblioth. Rabbin. magna Tom.* 1. *pag.* 36.

IRNERIVS, qui & *Wernherus*, ICtus fuit, & Jus civile Bononiæ docuit. Quod autem ejus ſuaſu Lotharius Imp. Jus civile Rom. in Scholas & fora Germaniæ & Italiæ iutroduxerit, id quanquàm à multis aſſeritur (vid. *Valentinus Forſterus JC. libr. 3. Hiſtor. Juris Civil. Roman.*) à pleriſque Juris publ. Scriptoribus hodie pro fabula habetur, ut diximus ſupra, ubi de Lothario. Plura de hoc Irnerio *Fichard. in Vit. ICtor. & Reimmannus in Hiſtor. Literar. German. Sect. 1. Quæſt.* 362.

RAMBAM, aliâs *Moſes Maimonides*, ex Rabbinis præcipui nominis, doctrina & ſcriptis clarus fuit; quæ multa ſunt, & Chriſtianis etiam in pretio habentur. Etenim & Miſchnajot commentariis explicavit, & totum Talmud ſtilo clariori magiſque perſpicuo in JadChazaca comprehendit, &c. *R. Gedalia in Schalſchel. p.* 43. 44. *Buxtorff. Inſtitut. Epiſtolar. pag.* 375. Vid. *Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. Sec.* 12. *pag.* 254. *ſeqq. ſub lit. g. h. q. Bartolocc. Biblioth. Rabbin. magna Tom.* 2. *pag.* 25. *ſeqq. Buddeus in Introd. ad Hiſtor. philoſoph. Hebræorum p.* 112. *ſeqq.*

HELMOLDVS, Presbyter in Buzoën, territorii Lubecenſis vico vel potius Presbyter ruralis Boſovienſis, ut monet *Neuius in Mantiſſa ad Wheari Relect. pag.* 130. inclaruit *Chronico Sclavorum*, quod orſus à

Digitized by Google

Carolo M. ac Saxonum vicinarumque gentium per eum converſione perducit uſque ad ann. 1168. Inde verò incipit *Arnoldus Abbas.* Vid. *Voſſ. de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 53. *p.* 435. *Reimmannus Hiſtor. Literar. German. Sect.* 1. *Quæſt.* 295. & inprimis *Joh. Molleri Diatribe Hiſtorico-Critica de Helmoldo*, quæ impreſſa eſt Lubecæ 1702. in 4°.

Wilhelmus Tyrius Archiepiſcopus condidit Hiſtoriam belli per Occidentis Principes Chriſtianos in Terra S. totaque Syria geſti, uſque ad imperium Balduini IV. per annos 84. Complexus verò eam eſt libris 23. ſed poſtremum tantùm inchoavit: at Joannes Heroldus pérfecit, qui Tyrio addidit VI. libros. Incipit Guilielmus anno 1095. deſinit autem anno 1180. Reperitur inter Expeditionis Hieroſolymitanæ Scriptores, quos ex inſtituto *Fr. Pithoei* coacervavit *Jacob. Bongarſius.* Conf. *Voſſ. de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *cap.* 53. *pag.* 436.

A. C. 1182. Joh. Sarisberiensis *obit.* Is Carnotenſis Epiſcopus fuit, vir Græcè Latineque doctiſſimus. Scripſit *Polycraticum* libris VIII. & *de Nugis Curialium*, & alia, quæ memorat *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 1177. *pag.* 238. Add. *Voſſ. de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *cap.* 52. *pag.* 421. De eodem jam ſupra.

Godefridus Viterbiensis Presbyter, Secretarius fuit Conradi III. & Friderici I. Impp. vir ſuo tempore doctiſſimus. Nomen ſibi peperit Chronico univerſali, quod *Pantheon* appellavit, & partim proſâ partim carmine conſcripſit, idque ab initio mundi perduxit uſque ad A. C. 1186. Bellarm. de Script. *Eccleſ. ad ann.* 1186. *pag.* 239. *Voſſ. de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *cap.* 54. *pag.* 442. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. pag.* 193.

Petrus Blesensis, Archidiaconus Bathonienſis, ſcripſit multa, theologica pleraque, quædam & hiſtorica. Opera ejus edita ſunt à *Joanne Buſæo*, Noviomagenſi, qui & Vitam Petri Bleſenſis ejus Operibus præmittit. Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ.* 1177. *p.* 238. *Voſſ. de Hiſtor. Latin. libr.* 3. *c.* 7. *p.* 780.

Gilbertus Porretanus, Epiſcopus Pictavienſis, ſcripſit multa opuſcula theologica & philoſophica: de quibus vid. *Geſner. in Biblioth.*

Theodorus Balsamon, Juriſconſultus & Theologus, Antiochenus poſtmodum Patriarcha, multa ſcripſit, ut ipſe de ſe teſtatur in Præfat. ſuper *Nomocanonem.* Scripſit enim præcipuè duos libros commentariorum, unum in Nomocanonem Photii, alterum in Canones variorum Conciliorum & S. Patrum. Vid. *Baron. Annal. Tom.* 12. *ad ann.* 1191.

Johannes

JOHANNES SERAPION, Arabs medicus fuit, cujus de Operibus vid. *Geſner. in Biblioth.*

Azo JC. ſuo tempore celeberrimus, ex Irnerii ſchola prodiit, & Bononiæ primùm, mox in Montepeſſulano, denique iterum Bononiæ Jus docuit. Scripſit *ſummam in omnes titulos Codicis*, & *Apparatus ſuper Digeſto veteri.* Vid. de eo *Joh. Fichardus in Vitis JCtorum. Alciat. Parerg. libr.* 10. *cap.* 25. De hujus aliorumque ſequentium ſcriptis vid. quid judicet *Sleidanus de IV. Summ. Imper. libr.* 3. *p.* 331.

TAB. XXIV. & SEC. XIII.
IN OCCIDENTE

OTTO *ſolus occiſo Philippo* anno 1208. jam ſine controverſia imperium obtinuit, quanquam Friderico Siciliæ Regi, Henrici VI. filio debitum. Sed & ipſum Pontifex, licet eſſet ab eodem contra Philippum intruſus, cum primum coronationis cauſa Romam veniens in formulam à Papâ præſcriptam jurare recuſaret, mota ſeditione, urbe excedere coëgit. Quam injuriam ulturus Otto, exercitum validiorem contrahit, quo Romam obſideret. Tum verò

A. C. 1212. *à Papâ excommunicato ſurrogatur Fridericus*; quem è Sicilia evocatum Germanis Principibus commendavit; & hi plerique ad Fridericum acceſſerunt poſtquam in Germaniam veniſſet, ubi coronatus eſt Aquisgranenſi corona. Otto igitur tota Germania ſuperiore pulſus, ne in Saxonia quidem recipitur, niſi ab his quos bello ſibi ſubjecit. Tandem cùm Angliæ Regi contra Gallos ſuppetias ferret,

A. C. 1214. *Vincitur à Philippo Galliæ Rege*, & magna clade afficitur. Philippus ob hanc victoriam cognomen Auguſti à ſuis retulit. Otto verò deſertus ab omnibus Brunſuigam conceſſit, ibique mortuus eſt inglorius, anno imperii ſolitarii IX. Chriſti 1218. Scriptores ſunt *Godefridus Monachus*, *Matthæus Paris. Otto de S. Blaſio, Conradus Abbas Vrſpergenſis.* Add. *Crantz. Saxon. libr.* 7. Pertinet huc etiam *Henric. Meibomij Apologia pro Ottone IV.* contra falſas criminationes & convitia Conradi Vrſpergenſis &c. edita Helmſtadii 1621. in 4. & poſtea *Tomo III. Script. Rer. German. inſerta.*

A. C. 1218. *Fridericus II. ſolus* deinceps imperat, Barbaroſſæ nepos, Henrici VI. filius, Siciliæ, Apuliæ Calabriæque Rex, qui contra Ottonem jam anno 1216. evocatus, plerosqne Principes obſequioſos habuit, Henricum verò Brabantiæ Ducem Ottoni adhæ-

rentem

Digitized by Google

rentem ad obſequium coegit. Coronatus Aquisgrani bis, Romæ etiam anno 1220. ubi votum edidit ſuſcipiendæ expeditionis ad recuperandam Terram S. quæ penè tota in Saracenorum poteſtatem reciderat. Quanquam enim in Ægypto A.C. 1219. *Damiatâ à Chriſtianis captâ* (ut ſub titulo Variorum notatur) Chriſtianus exercitus, Ludovico S. duce, Galliæ Rege, victor fuiſſet, tamen inundationibus Nili penè oppreſſus, reddere eam urbem denique coactus eſt. Fridericus verò ſeditionibus Longobardorum & Siculorum bis impeditus, quarum ipſi Pontifices Honorius & Gregorius IX. auctores erant, cùm voto ſatisfacere non poſſet, ob hoc ipſum anathematis fulmine tum primâ vice percuſſus fuit. Nam, ut Tabula noſtra habet,

A Pontifice quinquies excommunicatus eſt. Nihilominus tamen ſuſcepta tandem expeditione in Aſiam profectus cum inſtructiſſimâ claſſe, eò ubi pervenit,

A. C. 1228. HIEROSOLYMAM *recipit, ejusque Rex creatur*, Nazarethum quoque, Joppen & Bethlehemum cepit; decennales deinde inducias cum Saladino Ægypti Sultano fecit. Interim verò dum abeſt, Gregorius Pontifex famam ſpargit de morte ejus, regnumque Neapolitanum invadens, ab Imperatoris obſequiò pleraque avellit, ſuique juris facit. Igitur propere reverſus in Europam Fridericus, facilè quidem ſua recuperat, ſed à diris excommunicationis abſolvi non poteſt, niſi ſoluto Pontifici auri magno pondere: quo tempore ipſum Pontificem à Romanis pulſum reſtituit. Poſthæc

A. C. 1234. *Hungaris victis* VIENNAM *Imperio attribuit.*. Sed neque tunc pax in Italia diuturna fuit: Siquidem Pontifex denuo contra ipſum Longobardicas urbes concitavit, ejus potentiam in Italia confringere cupiens: hinc conflatum

Bellum Mediolanenſe. Nam cùm eas urbes bello perſequeretur Imp. denuo excommunicatur, Principibusque Germaniæ, ut alium eligerent, injungitur. Molitiones tamen has omnes Fridericus ſingulari felicitate ſuperavit: qui interim quoque,

A. C. 1244. TARTAROS *Hungaria expellit*, jam ad Danubium progreſſos, & Poloniam, Hungariam Sileſiamque vaſtantes. Quos cùm Bela Rex Hungariæ reprimere non poſſet, Imperator per Conradum Henricumque filios fugavit. *Antonius. Bonfin. Dec. 2. libr. 8. Dubravius libr. 15. Curæus in Annal. Sileſia fol. 68. ſeqq.* Pontifex ex deſperatione morbum gravem contraxerat, ex quo deceſſit. Succeſſor tamen ejus Innocentius IV. non mitior in Fridericum, in Galliam ſe recepit, Synodoque habitâ Imperatorem rurſus excommunicavit,

Digitized by Google

nicavit, utque alius eligeretur Cæſar imperavit. Auctore igitur Moguntino Epiſcopo electus

A. C. 1245. HENRICVS THVRINGIÆ LANDGRAVIVS *Anti-Cæſar* ei oppoſitus eſt, quem vulgò den Pfaffen-König/ vocabant. De quo vide *Hiſtoriam Erphesfordienſem Anonymi, c. 50. ſeqq. apud Piſtor. Tom. 1.* Hunc vero Fridericus per Filium Conradum vicit, qui biennio poſt è vivis exceſſit. Igitur

A. C. 1247. WILHELMVS HOLLANDIÆ COMES *Anti-Cæſar* à factione Pontificia eligitur. Sed & contra hunc miſſus Conradus Friderici filius, à Pontifice miſſos Wilhelmo theſauros intercepit, poſtea tamen acie ab eodem victus eſt. Habuerat Fridericus alium quoque filium Henricum, qui jam deſignatus ſucceſſor, diu patre abſente in Germania negotiis Imperii præfuit; qui poſtea tamen ab Epiſcopis ſeductus, patrem deturbare imperio conatus, ceu excommunicatum, ab eo oppreſſus captuſque in carcere mortuus eſt. Denique longis feſſus calamitatibus Fridericus vivis exceſſit A. C. 1250. imperii 37. Scriptores ſunt *Vrſpergenſis, Godefridus Monachus, Fragmentum Anonymi Alberto Argentinenſi præfixum, Monachus S. Juſtinæ Paduanæ.* Add. *Epiſtolæ Petri de Vineis* (qui tum Cancellarius Friderici fuit, poſtmodùm verò Imperatori ſuſpectus factus, haud immeritò pœnas effoſſis oculis dedit; de quo vid. *Neu in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. pag. 151.*) & ipſius *Friderici Epiſtolæ*, quas *Freherus* exhibet.

A. C. 1250. CONRADVS IV. à patre deſignatus ſucceſſor, & jam conſors ejus adhuc vivi, contra Henricum Thuringiæ & Haſſiæ Landgravium, Pontificium Cæſarem victorioſus fuit: à Wilhelmo verò & ipſo Anti-Cæſare victus acie eſt. Patre interim Panormi mortuo in Italiam properavit, nec iterum in Germaniam venit: quo factum, ut nec ab omnibus Principibus reciperetur, quibuſdam Wilhelmum agnoſcentibus Cæſarem, neque Romæ coronaretur: quem propterea Itali omnes & plerique Pontificii Scriptores in catalogo Imperatorum omittunt. Nec diu patri ſuperſtes fuit: à fratre enim Manfredo, Friderici Filio notho, veneno interemtus eſt, Siciliæ Apuliæque regnum conante intercipere, A. C. 1254. WILHELMVS igitur Conrado ſuperſtes tunc demum verus Cæſar eſſe cœpit, cùm hactenus inter Anti-Cæſares eſſet referendus. Sed hic quoque ſecundo pòſt anno, Friſones impugnans in acie cecidit, A. C. 1256.

Quæ hinc ſequuta ſunt per Interregnum in Imperio Rom. Germ. quanquam in alteram partem Seculi incidunt, tamen convenientius hic ſtatim ſubjungemus. Principes igitur Germaniæ cùm neminem reperirent, qui vel ambiret magnopere, vel etiam par eſſet ſuſtinen-

Fff dia

dis rebus in Germania, duobus exteris detulerunt Imperium. Ab aliis enim Principibus electus

RICHARDUS Cornubiæ Princeps, Henrici III. Angliæ Regis filius; ab aliis

ALFONSUS *Rex Caſtellæ*, qui Sapiens cognominatus eſt. Et *Alfonſus* quidem *poſſeſſionem imperij non adiit*, deterritus exemplis priorum Imperatorum, gratiisque actis, legatos ob eam rem miſſos irritos dimiſit. *Richardus* ambitiosè imperialem dignitatem quæſiviſſe dicitur. Cùm verò in Germaniam veniſſet, deficiente ipſum ſubſtantia, ut loquitur *Anonymus præfixus Alberto Argentinenſi, in Angliam reverſus vacuum reliquit imperium*: quod factum A. C. 1256.

Inde INTERREGNUM fuit, quod aliqui accerſunt altius à morte Friderici II. alii à Conradi exceſſu uſque ad ann. 1273. Hoc Interregnum ab exceſſu Conradi uſque ad Rudolphum Habſpurgicum *Diſſertatione Hiſtorica* Wittebergæ tum edita 1668. delineavit, ingens poſtea Univerſitatis noſtræ decus & Theologus celeberrimus, *Jo. Joachimus Zentgravius.* Tempore hujus Interregni potentior quiſque reliquos oppreſſit, multaque per Germaniam turbata ſunt; quem ſtatum deſcribit *Trithemius Chron. Hirſaug. Crantzius Saxon. libr.* 8. *Mutius Chron. Germ. libr.* 21. & inprimis *Lehmannus in Chron. Spirenſi libr. 5. c.* 95. Nec dubium eſt, harum turbarum tædio denique in Senatum Electorum conventum eſſe, qui hucuſque jus ſuum ſervavit; quandoquidem ſequentibus temporibus eorum expreſſa fit mentio, quæ non antè facta reperitur tam diſtinctè: factumque ſic eſt electivum imperium, quod uſque ad Suevicæ familiæ defectionem in Conrado IV. ſucceſſivum fuit; niſi quod in ſucceſſionibus etiam qualiſcunque conſenſus Principum, ex veteri Francorum conſuetudine, requirebatur, ſtirpibuſque deficientibus, ſubinde electione ſubſidiaria opus erat. Ut verò ejuſmodi interregni mala in poſterum caverentur, in A. B. tit. 5. Vicarii Imperii conſtituti ſunt. Scriptores horum temporum ſunt, præter nonnullos ſupra nominatos, *Chronicon Auguſtenſe, Henricus Stero, Chronicon Belgicum Magnum, Monachus S. Juſtinæ Paduanæ* &c.

IMPERII ORIENTALIS

initio hujus Seculi turbatiſſimus ſtatus erat.

Anno ejus tertio ISAACIUS ANGELUS *cum* ALEXIO *filio*, ope Venetorum & Balduini Flandriæ Comitis denuo ad imperium reductus (de qua re ſupra) ſpeciem adumbravit priſtinæ dignitatis. Horum tamen etiam diſſidium multas turbas in urbe dedit, per quas à ſeditioſa plebe

be adoleſcens quidem *Nicolaus Canabus* Imperator invitus renuntiatur; quem ALEXIVS DVCAS MVRZVFLVS (quem quidem Tab. noſtra omittit) & ipſe imperium affectans capit, Alexium verò Imperatorem interficit, & regnum obtinet: ſed ipſe dum in Latinos bellum parat, fugatur; hoſtes Conſtantinopolin oppugnant & expugnant, incendio novo deformant, lacerant & diripiunt. Itaque

A. C. 1204. BALDVINVS Conſtantinopoli Imperator creatur, Flandriæ Comes, ingentis animi heros, qui cum Venetis & Genuenſiſibus expeditionis ſociis imperium partitus, ſed ſeq. anno 1205. victus & captus à Bulgarorum Rege Johanne, per ſummos cruciatus interfectus eſt. Memorat hæc *Nicetas Choniates*, Scriptor σύγχρονος & αὐτόπτης, qui hic deficit initia tantum Henrici ſucceſſoris attingens. Græcia interim in multas tyrannides diſtracta fuit, quas partim ipſi Græci, partim Latini obtinuerunt, &

THEODORVS LASCARIS Græci Imperii ſedem *Nicææ* conſtituit. Aſiæ quoque turbatiſſimus ſtatus ab eodem *Nicera* deſcribitur. Cùm poſt miſerabilem Balduini interitum per annum & 4. menſes reſpubl. ſine Imperatore fuiſſet, tandem

A. C. 1206. HENRICVS *Balduini frater* Imperator deſignatus eſt; quo poſt decennium defuncto,

PETRVS *Altiſſiodorenſis Comes*, ſororem an filiam Henrici in matrimonio habens, Romæ Imperator Orientis coronatus, dum in Thraciam proficiſcitur, à Theodoro Dyrrhachii Principe perfidiọsè captus, & à Theodoro Laſcare occiſus eſt. Poſt quem filius

A. C. 1222. ROBERTVS *Altiſſiodorenſis* Imperator appellatus, poſt annum ſeptimum obiit in Achaia. Mortuo Theodoro Laſcare, Principe ſtrenuo & bellis inclyto, gener

JOHANNES DVCAS *Nicææ* ſucceſſit, qui Inſulas in Ægeo mari, aliaſque in Europa urbes Latinis eripuit. Quo tempore

BALDVINVS II. *Conſtantinopoli* imperabat, quem alii fratrem, alii filium Roberti volunt. Hujus tutor & Socer

JOANNES BRYENNIVS, Hieroſolymorum Rex, ſimul præfuit per annos 20. quo mortuo per annos adhuc 13. ſolus imperavit Balduinus, tandemque capta per Alexium Cæſarem Conſtantinopoli, Imperio Orientis exactus eſt, poſtquam illud Latini (ſic enim à Græcis Scriptoribus vocantur) ſeu potius Franci tenuiſſent annos 57. Conſulantur de his *Nicephorus Gregoras, Georgius Logotheta & Georgius Phranzes,* Item, *Guilielmus Rishanger, Monachus Patavinus, & Guntherus Pariſienſis Monachus, apud Henr. Caniſium Ant. Lect. Tom. 3. Part. 2.*

Digitized by Google

RES ECCLESIÆ
in priore parte Tabulæ hæ notantur:

A. C. 1204. Ordo Dominicanorvm ſeu Prædicatorvm. Dominicus de Guzmann, Hiſpanus, ex Humiliatorum Ordine, novum alium fabricavit jam anno 1198. qui deinde ab Honorio Papa anno 1216. confirmatus eſt: quo profeſſus eſt Romanæ Eccleſiæ contra hæreticos quoſvis defenſionem, & doctrinæ prædicationem gratuitam: unde Ordini nomen Prædicatorum impoſitum eſt. Nec Virorum tantum hic Ordo eſt, ſed & mulierum: & fuit ex eo inter alias etiam celebris *Catharina Senenſis.* Vid. de eo *Matthæus Paris. Hoſpinian. de Orig. Monach. libr. 6. c. 7. Ferdinand. de Caſtillo Chron. Dominican.*

A. C. 1209. Ordo Franciscanorvm ſeu *Fratrum Minorum.* Dominici inſtitutum imitatus eſt paulò poſt *Franciſcus Aſſiſias*, qui & ipſe novum fœtum Mendicantes Monachos, & nihil neque in proprio, neque in communi poſſidere profeſſos, excluſit, & propagationi doctrinæ Pontificiæ mancipavit. Vnde & his & Dominicanis (inter quos tamen Ordines perpetua æmulatio eſt) privilegia ſunt conceſſa, ubique locorum, quo perveniſſent, habendi conciones, & populum docendi, invitis licet loci Epiſcopis & Sacerdotibus: quod magnis contentionibus inter Monachos & clerum occaſionem præbuit. Franciſcanorum Ordo ita poſtea fuit dilatatus, ut à quibuſdam plura quàm 1743. Franciſcanorum monaſteria recenſita ſint. Vid. *Matth. Paris. p.* 203. & de ipſo Franciſco ejuſque regula *p.* 327. & *Naucler. Gener.* 41. *p.* 212. *Bonaventura in Vita Franciſci & Henricus Sedulius in Commentar. in Bonaventuram. Hoſpinian. de Orig. Monach.* Cæterùm de Franciſco conditore Ordinis quæ miracula prædicent Pontificii, nihil attinet hic commemorare. Scripſit *Bartholomæus de Piſa* Tractatum ſub Titulo: *Liber Conformitatum vitæ Franciſci & Vitæ Jeſu Chriſti*: in quo multa abſurda de Franciſco traduntur. Qui liber occaſionem dedit ſcripto contrario, *Alcoranus Franciſcanorum* dicto; in quo hic Ordo graviſſimè perſtringitur.

A. C. 1215. Concilivm Lateranense *ſub Innocentio III.* Frequentiſſimum fuit hoc Concilium: interfuerunt enim ei Patriarchæ Hieroſolymitanus & Conſtantinopolitanus, Metropolitani 70. Epiſcopi 400. Abbates 12. Priores conventuales 800. Duorum Imperatorum, Henrici Conſtantinopolitani & Friderici Romani, Regumque Hieroſolymitani, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ & Cypri Oratores. Convocatum

Digitized by Google

tum eſt autem adverſus Albigenſes, & ut dogmata Amauri & Abbatis Joachimi damnarentur. In eo Concilio

TRANSSVBSTANTIATIO *confirmata* publicè, cùm jam pridem ubique ferè illud dogma obtineret. [Vti quidem hac de re loquitur *Auctor Compendii Hiſtoriæ Ecclesiaſticæ Gothani libr. 2. cap. 4. Sect. 5. p. 637.* Nec tamen in Eccleſiâ ante hæc tempora ita viguerat iſta Metuſiaſtarum ſententia, ut ab hac diſſentire non liceret cordatis Viris. Certe *Petri Lombardi* adhuc ætate de modo præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in S. Cœnâ variis diverſiſque opinionibus indultum fuiſſe, *ex illius libro IV. Sententiarum Diſtinct. XI.* plus ſatis pateſcit. Conf. *quæ Beatus D. Chemnitius in Examine Concilii Tridentin part. 2. p m. 137.* ad caput 4. & Canonem 2. Seſſionis XIII. ejuſdem Concilii doctiſſimè commentatus eſt.] Decreta præterea in Aſiam expeditio eſt; quæ tamen tunc ſtatim ſuſcipi non potuit. Vid. *Godefrid. Col n. Matthæus Paris. Abb is Vrſperg* Add. *Tom. II. Concil. Part. 1. p. 117.* ubi & cætera hujus Concilii Decreta.

NEAPOLITANA, VIENNENSIS & PATAVINA *Academia à Friderico Imp. instituuntur. Patavina* quidem anno 1221. fundata, cùm Bononienſe Gymnaſium eò tranſtuliſſet, teſte *Platina p. 212.* Vid. *Anton. Riccoboni Commentar. de Gymnaſio Patavino* quibus antiquiſſima ejus origo & multa præclara ad Patavium pertinentia, Doctoreſque clariores, uſque ad annum 1571. ac deinceps omnes quotquot in eo floruerunt ac florent, eorumque controverſiæ atque alia memoratu digniſſima recenſentur. Patavii 1598. *Viennenſis* Academia inſtituta anno 1237. cujus confirmationem anno 1484. Albertus III. à Pontifice obtinuiſſe dicitur. *Bucholtzerus. Neapolitana* anno 1239. Vid. *Calviſius.* De omnibus his *Middendorpius de Orbis Chriſtiani Academiis.*

Gregorius DECRETALES CONSTITVTIONES *promulgat.* Gregorius IX. Pontifex Rom. Decretales, uti alias vocant, Epiſtolas conſarcinavit, magnam juris Pontificii partem, plurimis onuſtam commentariis: ut loquitur *Sleidanus de IV. Summ. Imp. libr. 3 p. m. 323.* ubi porrò ſtultitiam eorum exagitat, qui in iis interpretandis, enucleandis, veſtiendis, omnem operam & ætatem conſumunt, & excerpta aliquot ſpeciminis loco ex iſtis Decretis proponit, unde intelligi poſſit, cujus illa ſint commatis. Vid. *Genebrard. ad A C. 1241. Platina in Gregorio IX.*

INNOCENTIVS *Cardinales rubris pileis ornat.* (Hoc additum eſt ab Interpolatoribus) factum hoc eſſe dicitur anno 1245. in Concilio Lugdunenſi, in quo Innocentius IV. Pontifex, Cardinalium ſplendori & eminentiæ etiam habitûs decorum additurus, rubri pilei inſigne (flammeos vocat *Theodoricus à Niem de Schiſmate 1, 43.*) illis dedit, ſimul ut equites incederent ordinavit. *Petavius Ration. Temp. Part. 1. libr. 9. c. 1. p. 568.*

Digitized by Google

p. 558. Freinsbem. de Elect. & Cardinal. præcedentia p. 75. & quos ibi citat. Hic pileus Cardinalitius Italis vocatur Capello Roſſo; aliud eſt Baretta Roſſa, itidem Cardinalium geſtamen. Quod diſcrimen notat Auctor *Relat. Francoſ. Autumnal. anni* 1700. *p.* 34. ubi plura de hoc pileo.

A. C. 1240. ACADEMIA SALMANTICENSIS. Cum ante 30. annos Alfonſus IX. Rex Legionis, Palentiæ inſtituiſſet Academiam, eam deinde Ferdinandus Caſtellanus Salmanticam tranſtulit ob loci commoditatem: teſte *Mariana de Reb. Hiſpan. lib.* 12. Vid. iterum *Middendorp. de Orb. Chriſtiani Academiis.*

A. C. 1245. LVGDVNENSE CONCILIVM *ſub Innocentio IV.* Ad hoc Cæſarem quoque Fridericum evocavit Papa, non venientem excommunicavit, & imperio indignum declaravit, hortatus Germaniæ Principes, ut alium eligerent. *Matthæus Paris. p.* 648. Add. *Vrſpergenſ. Platina.*

In VARIIS hæc notantur:

Philippus Imp. OTTOCARVM *Bohemiæ Regem creat.* Jam antè tres Bohemiæ Duces regio axiomate ornati erant, ſcil. *Wenceslaus* I. anno 937. ab Ottone I. *Vratiſlaus* II. anno 1086. ab Henrico IV. & *Vladiſlaus* II. ann. 1159. à Friderico Barbaroſſa: ſed qui intermedii Bohemiam rexerunt, Ducum titulo contenti, regio abſtinuerunt. Poſtquam verò hic Ottocarus (qui & Premislaus II.) ab Imperatore Philippo, cujus partes contra Ottonem IV. amplexus erat, Rex Bohemiæ creatus eſt, ab eo tempore ab omnibus ſucceſſoribus regius titulus continuatus eſt. Vid. *Dubrav. Hiſt. Bohem.*

ARISTOTELIS METAPHYSICA *flammis ab Epiſcopis addicta.* (Hoc quoque lemma non eſt à *Schraderi* manu.) Id factum hac occaſione. Almericus quidam Doctor Pariſienſis propter ſingularia aliquot dogmata (quorum aliqua recenſet *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap.* 13. *p.* 638.) à Pontifice Innocentio III. damnatus erat. Inter ea dogmata illud quoque fuit, quo docebat: Ideas in mente Divina creare & creari. Quod quia ex Metaphyſica Ariſtotelis hauſerat, ſimul cum eo & ſectatoribus etiam miſera Ariſtotelis Metaphyſica Pariſiis combuſta eſt. Videantur Scriptores ab *Hottingero d. l.* allegati. Item *Naudæus in Additionibus ad Hiſtoriam Ludovici XI. p.* 155. *Morhoffius Polyhiſt. Tom.* 2. *libr.* 2. *cap.* 12. *n.* 2. & 6. *p.* 232. *med.* Circa hæc quoque tempora

GALENVS & PTOLEMÆVS *Latinitate donati,* auſpiciis Friderici II. Imper. qui, ut Studia Literarum juvaret, & hos ex Græca, & paulò antè Ariſtotelem ex Arabica lingua in Latinam transferri juſſerat. Quod proli-

Digitized by Google

prolixius deducit *Conringius in Antiquitatibus Academicis Diſſert. 3. p. 95. ſeqq. & in Supplem. p. 343. 344. 349. 350.*

DAMIATA *à Chriſtianis capta,* poſt anni unius & ſeptem menſium obſidionem: qua durante cùm Sultanus Chriſtianis æquas pacis conditiones offerret, ſi diſcederent, redditurum ſe S. crucem cum toto regno Hieroſolymitano, & ſumtus ad inſtaurandos muros Hieroſolymorum pollicitus, refragante Pontificis legato non ſunt acceptæ. Tandem ergo à Ludovico Franciæ Rege & cæteris Principibus capta eſt urbs: quæ tamen vix 8. menſium ſpatio in Chriſtianorum poteſtate fuit. Quippe commeatu intercluſi à Sultano, inque extremas anguſtias redacti, peſte inſuper afflicti, poſt varias ab hoſte clades acceptas, Sultani duriſſimas conditiones accipere, & Damiatam reddere coacti ſunt; atque ſic (ut paulò poſt Tab. noſtra.) *Damiata & tota Ægypto cedunt Chriſtiani. Matthæus Paris. Marin. Sanut. libr. 2. c. 3. Vrſperg. ad A. C. 1222.* Add. *Janvillæus Seneſchallus Campaniæ, in Hiſtoria Ludovici IX. Regis Gall.*

CRVCIGERIS *Boruſſiæ Dominium decernitur.* Crucigeri, qui & Ordinis Teutonici Equites, poſtquam in Aſia nullam amplius operam contra Infideles præſtare potuerunt, in Europam ſe contulerunt, Magiſtro tunc illorum Hermanno à Salza, qui ſedem ſuam Venetiis conſtituit, cùm anteceſſores ejus Ptolemaide haberent. Quoniam ergo Boruſſi tùm adhuc gentiles plurima damna vicinis Chriſtianis inferebant, Crucigeri à Conrado Maſuriæ Duce contra eos in auxilium vocati, brevi partem terræ ejus armis occuparunt; quibus Imper. Fridericus & Pontifex Innocentius III. Boruſſiam in perpetuum dominium conceſſerunt. Hermannus etiam Magiſter à Cæſare Principis Imperii axioma, & aquilam in inſignibus accepit. His ſe paulò poſt conjunxerunt Enſiferi, qui Livonos armis ad Chriſtianam fidem adduxerant. Multa deinde geſſerunt bella cum Lithuanis, Pomeranis, Polonis. Vid. *Henr. Pantaleon de Johannitar. Reb. Geſtis libr. 3. p. 74.* &c. Teutſcher Reichs-Staat *Tom. 2. Part. 5. cap. 4. p. 28.*

A. C. 1233. TARTARI *patriâ egreſſi* PERSIAM *&c. occupant.* In hæc enim tempora incidit Tartarorum irruptio, qui ex Orientis & Septentrionis extremo angulo effuſi ingenti multitudine, Aſiam omnem & Græciam, aliaque parte Poloniam, Hungariam, Sileſiam oppreſſerunt, vix ſe Germanis bello ab illorum rabie defendentibus. Et tum quidem primùm Perſiam occupavit OVKTAI-CHAN, excepta Bagdado, & quocunque venit, fulminis in morem omnia obtrivit, ipſam etiam Europam. Horum Tartarorum illi, qui in Aſia Tauricaque Cherſoneſo ſedes occuparunt, perſuaſi à Perſarum Sultano, religionem Saracenorum

cenorum ſuſceperunt; quamvis eorum legati in Concilio Lugdunenſi ab Innocentio habito ſpem facerent, totam gentem Chriſtianis ſacris initiatum iri. Vid. *Nicephor. Gregor. libr. 2. Marcus Paulus Venetus. Marianus Sanutus libr. 3. Part. 2. Haython. Armen. Hiſtor. Oriental.* Add. *Archontolog. Coſmica* & *libr. Jud.* p. 150. *ſeq.*

A. C. 1235. OTTO *cognom.* PUER, *nepos Henrici Leonis, Dux Brunſuic. & Luneburg. appellatur ab Imp.* Hic Otto, Puer dictus inde, quòd cùm moreretur pater, tantum decennis erat, Nepos Henrici Leonis ex Wilhelmo, tertio filiorum, ab Friderico II Moguntiæ in Comitiis primus Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis creatus eſt, cùm Majores ejus Ducum Saxoniæ titulo uterentur. Ea de re diploma hodieque extat. Hic igitur primus eſt auctor ſtirpis Ducum hujus nominis per ejus filios Albertum & Johannem propagatæ, quorum ille poſt patris mortem Brunſuicenſem Ducatum obtinuit, & familiam Ducum Brunſuicenſem conſtituit; hic Luneburgenſem Ducatum adeptus, Luneburgicæ Domus conditor eſt. Vid. *Godefrid. Colon. Albert. Krantzius Saxon. libr.* 8. *c. fin.*

A. C. 1240. *Tartari Poloniam, Sileſiam, Hungariam vaſtant.* Dictum paulò ante de his Tartarorum irruptionibus; qui ulterius progreſſi, & Chriſtianorum diſcordiis abuſi, in Poloniam quoque & finitimam Sileſiam Hungariamque ſe effuderant, longè lateque omnia vaſtantes, fruſtra Olacis & Siculis, Pannoniæ populis, montium aditus illis occludentibus, teſte *Marino libr.* 3 *Part.* 2. *c.* 13. 16. Fuſi tamen ſunt à Conrado & Henrico, Friderici II. Imp. filiis, cùm jam ad Danubium eſſent progreſſi; Hungariâ quoque exacti ab eodem Conrado & Friderico Auſtriaco. *Anton. Bonfin. Dec.* 2. *lib.* 8. *Matth. Paris. p.* 540. 545. *Dubravius libr.* 15. *Curæus Annal. Sileſ. fol.* 68. *ſeq.*

A. C. 1244. *Hieroſolyma Chriſtianis eripitur à Sultano Babylonico:* qui Choraſmios à Tartaris pulſos in Palæſtinam immiſit. Hi ergo Gaza & Aſcalone expugnatis, plurima intulerunt rei Chriſtianæ damna, cæſiſque ad Jordanem ſacris militibus, ipſam Hieroſolymam ſine labore occupatam evertere, civibus & inquilinis immaniter trucidatis. Huic cladi occaſionem præbuiſſe dicuntur Templarii ab Hoſpitalariis & Teutonicis militibus diſſidentes. *Matthæus Paris p.* 585. 599. 612.

Inter VIROS CELEBRES priore parte hujus Seculi floruerunt

SAXO GRAMMATICUS Sialandicus, Rotſchildenſis Eccleſiæ in Dania Præpoſitus, qui libris 16. *Hiſtoriam Danicam* complexus eſt, & in

S. Ca-

S. Canuto Waldemari avo deſinit, qui periit A.C. 1131. Judicium de ejus hiſtorica fide & ſtylo vid. apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 2. c.55. p.443. Whearum in Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium pag. 13.*

(HELINALDVS (*Bellarmino* Helinandus) Gallus, Monachus Frigidi Montis, condidit Hiſtoriarum opus libris 47. (*Bellarm.* 48.) quos ab Orbe condito orditur. Item *Martyrium S. Gereonis* aliorumque. Vid. *Voſſius d.l. p.445.* & *Bellarminus de Script. Eccleſ. p.242. ad ann. 1203. Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. p.194.*

NICETAS CHONIATES vel *Acominatus*, libris 21. complexus eſt hiſtoriam annorum 85. nempe ab obitu Alexii Comneni, ubi deſierat *Zonaras*, uſque ad annum 1203. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr. 2. c.28. p.306.* & *Bellarminus Script. Eccleſ. ad ann. 1205. p. 243.* & *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. p.164. 175. ſeq.*

RODERICVS TOLETANVS Archiepiſcopus inclaruit hoc tempore ſcriptis IX. libris *de Rebus Hiſpaniæ*, quos exorditur ab Herculis in eas terras adventu, ac perducit ad tempora Ferdinandi III. Continentur hi libri cum aliis quibuſdam ejus opuſculis in *Hiſpania Illuſtrata Tomo II.* Judicia de hoc Scriptore vid. apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 2. c.57. p.463.* & *Whearum in Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium pag. 32.*

HONORIVS AVGVSTODVNENSIS gloriam ſibi comparavit volumine, quod *Summa Hiſtoriarum*, vel *magnum Chronicorum* opus nuncupatur. Scripſit item *de Luminaribus Eccleſiæ*. Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann. 1220 p.244. Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c.57. p. 451. Neu Acceſſion. ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. p.193. & 296.*

ACCVRSIVS JCtus, patria Florentinus, profeſſus eſt Juriſprudentiam Bononiæ, ſcripſitque multa Juridica, & primus totum Jus gloſſis illuſtravit. Vid. de eo *Jo. Fichard. in Vitis JCtorum.*

A. C. 1221. S. DOMINICVS *obit.* De hoc ordinis Prædicatorum Patriarcha ſupra dictum, ex *Matth. Paris.* Interfuit hic Dominicus etiam Colloquiis nonnullis & Diſputationibus, quæ cum Albigenſibus inſtitutæ ſunt, ipſe hæreticorum acerrimus inquiſitor. Creditur etiam vulgò hic Dominicus primus Inquiſitor fuiſſe. Vitam Dominici ſcripſit *Theodericus de Appoldia* VIII. libris, qui exhibentur apud *Surium in Vitis SS. d. 5. Aug.*

RAYMVNDVS DE PENNA FORTI, Barcinonenſis, inter ſocios Dominici fuit, & juſſu Gregorii IX. Pontificis collegit in unum volumen, V. libris diſtinctum, *Epiſtolas Decretales* Summorum Pontificum. Præterea *Summam Theologiæ* edidit. In SS. numerum relatus eſt demum anno 1561. à Clemente VIII. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad ann. 1230. p.244.*

Digitized by Google

A. C. 1226. S. FRANCISCVS *obit.* De hoc quoque Patriarcha Ordinis Minorum, qui & Franciſcani & Mendicantes Monachi vocati, ſupra diximus ex *Matth. Paris.*

CONRADVS VRSPERGENSIS Abbas, aliàs Conradus à Lichtenau, ſcripſit Chronicon à primo Rege Aſſyriorum Belo, uſque ad Fridericum II. Imper. i. e. uſque ad A. C. 1229. qui erat Friderici Imp. nonus. Scriptor ſanè non contemnendus, præſertim in rebus Germanicis ſui ævi, & ſeculorum quæ proximè antecedunt. Quanquam is Pontificiis diſplicet, eò quod minus honorificè de Innocentio III. & Gregorio IX. Pontificibus ſcripſerit, idque tribuunt ſingulari ſtudio erga Imperatores ſuæ nationis, quibus hi Pontifices adverſati ſunt. Vid. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad annum 1215. p. 243. & Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 57. p. 460. Reimmannus Hiſtor. Liter. Germ. Sect. 1. Quæſt. 304. Neu in Mantiſſa ad Whear. p. 148. ſeqq.* & *Acceſſion. ad Whear. Part. 2. pag. 71. ſeqq.*

WILHELMVS PARISIENSIS Epiſcopus fuit, cujus opera recenſet *Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 245.* Hic eſt ille, qui quæſtionem propoſuit de Beneficiis Eccleſiaſticis, quâ palàm ventilatâ, vicit ea ſententia, non eſſe fas cuiquam habere plus uno. *Johann. Italus in Chron. Franciæ.* Alius eſt Wilhelmus Pariſienſis qui *Nanceida* ſcripſit, duobus cum dimidio ſeculis ſerior: de quo *Voſſius Hiſtor. Latin. libr. 3. c. 8. p. 605.*

JAC. à VITRIACO Gallus, pridem Sedis Aconenſis in Palæſtina Epiſcopus, dein S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Tuſculanus, qui præter *Homiliarum Volumen,* & *Vitam Mariæ Oigniacenſis,* ſcripſit *Hiſtoriam Orientalem ſeu Hieroſolymitanam* tribus libris, quanquam ſecundus ad Orientalem Hiſtoriam nihil pertinet. Incipit liber 1. ab errore Pſeudo-Prophetæ Muhammedi: inde progreditur ad Petri Eremitæ peregrinationem; ac deſinit in coronatione Regis Joannis de Brenna. Tertius autem liber terminatur in ann. 1218. quo obſeſſa & capta eſt Damiata. Plura de eo vid. apud *Bellarminum de Script. Eccleſ. ad ann. 1240. p. 246.* & inprimis *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 2. cap. 57. p. 465. ſeq. Neuium in Acceſſion. ad Wheari Relect. Hiem. Part. II. p. 296.*

JAC. DE VORAGINE Præſul fuit Genuenſium, & primus omnium S. Biblia in Italicam linguam convertit. Inter alia reliquit *Chronica Genuenſium*; idem auctor eſt *Hiſtoriæ Longobardicæ*, quæ vulgò *Legenda Aurea* vel *Speculum Sanctorum* appellatur. Vid. quid de ea judicent vel ipſi Pontificii, *Neu in Acceſſion. ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. p. 314. ſeq.* Vitam ejus vide apud *Leandrum Albertum libr. 4. de Viris Illuſtr. Ord. Præd.* de Scriptis ejus *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 2. c. 60.*

ALEXANDER

Digitized by Google

Alexander Halensis magni nominis Scholaſticus fuit, dictus Doctor irrefragabilis & Fons vitæ, ſcripſit *Summam Theologiæ*; item *Poſtillam in tota Biblia*; nec non *Summam Virtutum*. Et præter hæc (à *Bellarmino de Script. Eccleſ. ad ann.* 1245. *p.* 247. memorata) ſcripſit etiam librum *de Auctoritate Verbi* DEI. Idem primus in Lombardum commentatus eſt. *Morhoffius Polyhiſt. Tom.* 2. *libr.* 1. *c.* 14. *n.* 1.

Hugo de S. Caro natione Burgundus, Ordinis Prædicatorum, & Cardinalis, ſcripſit *Commentaria brevia in univerſa S. Biblia*, item ſeorſim *in Pſalmos*, quamvis alii Alexandro Halenſi tribuant. Excogitavit idem *Concordantias Bibliorum. Bellarminus de Script. Eccleſ. p.* 247. *ad annum* 1245.

Matthævs Paris vel *Pariſius*, Anglus, Ordinis Bened. pietatis & eruditionis fama ſuo tempore celeberrimus, Scriptor hiſtoricæ fidei præ cæteris tenax, & proinde laudatiſſimus, nomen ſuum ab oblivione vindicavit *Hiſtoria majore*, cujus pars edita incipit à conquiſitione Angliæ per Guilielmum Normanniæ Ducem; deſinit autem in A C. 1250. ubi hæc leguntur: *Hic terminatur fratris Matthæi Pariſienſis, Monachi S. Albani Chronica.* Sed etſi hic prius Chronicis ſuis finem fecit, nihilominus tamen illa poſtea continuavit uſque ad annum 1269. quo vivere deſiit. Quæ verò exinde ſequuntur, uſque ad annum ultimum Henrici III. Regis Angliæ, h.e. annum Chr. 1273. ea ab alio addita fuerunt, quem plerique arbitrantur fuiſſe *Guilielmum Rubanger*, in eodem fano Albanenſi Monachum. Præterea compoſuit *Hiſtoriam minorem*, qua preſsè & ſuccinctè omnia eſt perſequutus, quæ fuſius prodiderat in Hiſtoria majore, ſic tamen, ut nonnulla inſerat haud contemnenda, quæ prætererat in hiſtoria fuſius ſcripta. Operum ejus editio noviſſima an. 1686. Londini prodiit in fol. melior tamen cenſetur altera de anno 1640. Judicium de hoc auctore *Baronii in Annal. ad annum* 996. & *Bellarmini de Script. Eccleſ. ad ann.* 1254. Pontificiæ Eccleſiæ hypotheſi tribuendum eſt. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *c.* 58. *p.* 472. *Neu in Acceſſion. ad Wheari Relect. Hiem. p.* 196. 197.

In altera parte Tabulæ ſub rubrica IMPERATORVM OCCIDENTIS memoratur quidem

Ad Annum 1256. Richardvs; qui fuit Henrici III. Angliæ Regis filius, Princeps Cornubiæ, & à Principibus Germaniæ diſſidentibus electus eſt in Imperatorem, cùm ab aliis

ALFONSUS *Rex Caſtellæ* eligeretur: Sed de his jam ſupra dictum. Poſt longum deinde Interregnum, anno demum 1273. Electorum ſuffragiis ad imperium evectus eſt

RUDOLPHUS I *Comes Habſpurgenſis*, cùm eo ipſo tempore contra Epiſcopum Baſileenſem bellum gerens, Baſileam oppugnaret, militaris rei ſcientia & fortitudinis opinione præ cæteris ad ſtabiliendas Imperii res electus. Nam Ottocarus Bohemiæ Rex Auſtriam, Carinthiam, Stiriam Carniolamque, velut hæreditario jure occupaverat, & cum Bela Hungariæ Rege contraxerat affinitatem, qui auxiliis ipſi præſtò fuit. Ideoque prima Rudolphi expeditio adverſus illum & Henricum Bavarum fuit, qui & ipſe in derelictas Auſtriacas terras involaverat. Vocati enim ad comitia ter detrectaverant. Primum itaque Henricum Bavarum vicit, & ut ſupplex ſibi fieret, coëgit. Quapropter Ottocarus his auxiliis deſtitutus, pacem fecit, pactus filio ſuo Wenceslao nuptias filiæ Rudolphi, accepitque Bohemiam in feudum. Sed pactis his cum deinde non ſtetiſſet, denuò publico Imperii bello impetitus eſt. In eo ergo bello Rudolphus

A. C. 1278. OTTOCARUM *Bohemiæ Regem in acie victum occidit*, ut habet Tabula noſtra. Cætera bella, quæ geſſit Rudolphus, minora ſunt. Sueviæ invaſores prius expulerat, Sueviamque conceſſit filio Rudolpho. Inde

A. C. 1282. HELVETIOS *ſibi ſubjecit*, Bernenſes inprimis: in Thuringia verò 70. arces latrociniis infames evertit; civitates quaſdam, quæ Pſeudo-Fridericum velut Ducem Sueviæ receperant, multavit ac diſſociavit. Italiam adire noluit, etſi ſpem ſæpe faceret. Pontifici urgenti expeditionem in Terram S. (in qua paucæ urbes, Tyrus, Sidon, Tripolis, Berytus, Joppe adhuc ſolæ in Chriſtianorum erant poteſtate) Romandiolam ſeu Exarchatum conceſſit, ut ille ſuis ſumtibus bellum ſacrum continuaret: at Pontifex regionem quidem accepit, bellum verò neglexit: unde paulò poſt hæ quoque urbes in Saracenorum manus rurſus reciderunt, cùm jam annos 196. Chriſtianorum fuiſſent. Idem Rudolphus urbibus Italiæ, in quibus Gibellinorum Guelphorumque factiones immaniter graſſabantur, libertatem eatenus vendidit, ut tamen Vice-Comites ab Imperio acciperent hæreditarios, idque comiter reſpicerent, qui paulatim deinde Principes evaſere iſtarum urbium. Vide *Trithemium Chron. Hirſaug. Mutium Chron. Germ. libr. 21. Cuſpinianum in Vita Rudolphi.* Id verò factum Rudolphi I. quidam vehementer reprehendunt, ejuſque avaritiæ adſcribunt, ut & quòd ſuæ familiæ augendæ ſtudio, filio Alberto Auſtriæ Ducatum cum appertinentibus provinciis, Ottocaro ademtum, alteri Rudolpho Ducatum Sueviæ conceſſit;

Digitized by Google

ceſſit, quæ vacua Imperii feuda erant: alii tamen utrumq; ſingularis prudentiæ nomine commendant: quod & potentiam ſuam ſtabiliverit ſine cujuſquam injuria; & Italiæ turbis, nunquam propter Pontificum molitiones quietura, quodammodo ſe ſubtraheret, ut tamen Imperii jura aliquo modo conſervaret. Defendit Rudolphum præter alios *Julius Pflugius in Diſſert. de Republ. Rom. Germ.* Add. *Lehmannus Chron. Spir. & Conringius de Finibus Imperii c. 20. ſeqq.* Rudolphus hic in eo Germanicæ nationis honori conſuluit, quod in tribunalibus & comitiis, abolito Linguæ Latinæ uſu, Germanicam introduxit. *Cruſius Annal. Suev. libr. 3. Part. 3. c. 1.* Idem Auſtriacæ domus & potentiæ fundator eſt. Conf. *Limnæus J. P. libr. 5. c. 2.* Indixerat Rudolphus Comitia Erphordiam, quibus peractis Francoſurti cum Electoribus egit de filio Alberto ſucceſſore deſignando; ſed cùm videret, fruſtra ſe niti (volebant enim iſti electionis libertatem, quam jam habebant, primo exemplo confirmari) ægritudine contracta dum Spiram contendit, Germershemii mortuus eſt, Spiræque ſepultus A. C. 1291. Imperii 19. Scriptores ſunt *Siffridus Presbyter Colon. Chronicon Auſtrale, Albertus Argentinenſis, Henrici Stercnis Annales, Chronicon Colmarienſe, Johannes Vitduranus in Chronico.* Videatur etiam ex recentioribus *Aventinus libr. 7. Gerardus de Roo, Sigonius de Regno Ital. libr.* 20. qui hic deſinit. Item, *Comitis Fuggeri Speculum Honoris Auſtriaci*, & *Cuſpinianus* &c. Eſt etiam inter *Diſſertationes Bœclerianas Tom. 2. p. 246. Rudolphus I. Germaniæ inſtaurator*, quæ tamen non ipſum *Bœclerum* auctorem agnoſcit, verùm Reſpondentem tum ejus, ut vocant, *Jo. Sebaſtianum Gambſium* &c. Ejuſdem *Rudolphi Vitam*, ut & *Alberti*, panegyrico hiſtorico delineavit *Caſp. Dornavius* 1677. in quo tamen accuratiorem limam deſiderat *Neuius in Mantiſſa ad Whear. p. 155.*

ADOLPHUS *Naſſovius*, *& contra eum* ALBERTUS *Auſtriacus.* Adolphum, Rudolpho mortuo, Moguntinus Elector Collegis ſuis commendavit, virum quidem bellicoſum, ſed conſcientia infirmitatis potentiæ ſuæ ad avaritiam & alienarum rerum invaſionem promtum. Is jure quidem, regnum Arelatenſe, tanquam Imperio Germanico debitum, à Franciæ Rege repetivit, ſub denuntiatione belli. Sed magis hoc fecit lucri cauſa, quàm ſeriò. Nam ut hoc faceret, à Rege Angliæ 100000. aureorum acceperat, quocum Galliæ Regi tunc bellum fuit. Ipſam verò illam pecuniam non in bellum, ſed emtionem Thuringiæ Miſniæque impendit, quam iniquè pater Albertus ſuis filiis Friderico & Dicemanno hac ratione ſubtrahere conatus eſt; contrà quos cùm injuſtum bellum gereret Adolphus, & crudeliter multa patraret, in odium plerorumque & ipſius Moguntini incurrit; qui Albertum Auſtrium, Rudolphi Habſpurgici filium, deſtituto Adolpho,

 ad

ad Imperium vocarunt. Is occupaturus Imperium properè adeſt. Adolphus verò & ipſe à multis adhuc adjutus ei occurrit inter Spiram & Wormatiam; ubi cùm ad manus veniſſent,

A. C. 1298. ADOLPHUS *in prælio perimitur*, ipſius Alberti manu vulneratus, ſed à Sylvæ Comitibus, cùm equo decidiſſet, confoſſus. *Aventinus Annal. Boic. libr. 7. Lehmannus Chron. libr. 5. c. 118. Fabricius Orig. Saxon. libr. 6. p. 603.* De Thuringico & Miſnico bello præter hunc etiam *Pfeifferus in Lipſia libr.* 4. §. 14. *ſeqq.* Ejus itaque loco

ALBERTUS Imperator publicè quoque declaratus nulla pro Imperii bono bella geſſit. Italiam quoque, etſi perpetuis factionum turbis laborantem, non adiit, ſed quos pater in urbibus collocaverat Vice-Comites, ſuo loco jus adminiſtrare permiſit, qui in tyrannos dynaſtaſve pòſt evaſerunt. A Bonifacio VIII. coronationis ritum petiit; qui initio id recuſavit, homicidam eum appellans; paulò poſt verò cùm inimicitias exerceret cum Philippo Pulchro Galliæ Rege, non ſolùm Albertum confirmavit, ſed & Galliæ regnum ei dono dedit, Philippo excommunicato, & ſubditis ab obedientiæ vinculo abſolutis. Sed conditionem iſtam Albertus reſpuit, quâ ſe bello periculoſo implicaret. Cum Ottone quoque Bavariæ Duce, à quibuſdam Hungaris poſt Andreæ III. mortem electo Rege Hungariæ, bellum habuit: ſed neuter coronam illam obtinuit. Templarios, quos Galliæ Rex omnes igni cremavit, titulo, quod inierint cum Chriſtiani nominis hoſtibus clandeſtina conſilia, bonaque eorum rapuit; ille quidem innocentiam ſuam probare offerentes, non necavit, neque eorum bona fiſco addixit, in alios tamen religioſorum Ordines ipſos pariter & bona diſtribuit. Decimo verò imperii anno, qui erat Chriſti 1308. à Johanne, fratris ſui Rudolphi filio, cujus ipſe tutor fuit, propè Rheinfeldam obtruncatus eſt. Scriptores ſunt *Albertus Argentinenſis, Chronicon Auſtrale, Chronicon Colmarienſe, Part. 2. Henricus Stero. Henricus Rebdorffius, Paraleipomena Urſpergenſis,* & inter recentiores *Cuſpinianus in Vita, Lehmannus Chron. Spir. libr. 7. c. 13.*

Inter IMPERATORES GRÆCOS ſequitur

A. C. 1255. THEODORUS LASCARES II. *Nicææ.* Is Ducæ aut Batazis filius, Theodori Laſcaris I. nepos, faventibus populis ab Arſenio Patriarcha coronatus, Imperium Nicenum ſuſcepit. Aſanem Bulgarorum Principem, & Michaelem Angelum Theſſaliæ Deſpotam in ordinem redegit. Poſt triennium imperii exactum mortuus, impuberem filium reliquit, qui eſt JOANNES

JOANNIS LASCARES, tutore in conſtituto Muzalone. Sed hoc Muzalone nefariè interemto,

MICHAEL PALÆOLOGVS *Nicæa, &, fugato Balduino, Conſtantinopoli imperavit.* Ei primum Deſpotæ titulus datus, deinde poſt victoriam de Michaele Theſſalo partam, Imperatoris etiam cognomentum promeruit. Hic Palæologus Conſtantinopolin pulſis Latinis inſperato ſucceſſu recepit. Edoctus enim ab obviis quibuſdam civibus Byzantinis, Latinas copias Daphnuſium oppidum circumſidére, cum 800. omnino militibus vacuam præſidiis urbem cuniculo intravit, & Balduinum cymba arrepta fugere coëgit. Ita Latini ſeu Franci Imperio Conſtantinopolitano exacti, octavo & quinquageſimo pòſt anno quàm illud occupaverant. Cui malo cauſam præbuit Venetorum & Genuenſium diſcordia, quorum præcipuè opibus res Balduini ſteterant. Palæologus deinde incendiis deformatam urbem reſtauravit, Græcaque ſacra reſtituit. Joannem Theodori filium, legitimum imperii hæredem, excæcavit. Opifices & negotiatores Latinos urbe expulit, iiſque Galatam oppidum aſſignavit, ſervatâ tamen mercium immunitate. Inſulas quoque Ægei maris recepit, & Euboeam Venetis ademit. Cùm Latinis poſtea favere cœpiſſet, & ad Rom. Eccleſiam deſciſcere, haud procul à caſtris, in quibus tunc erat, cùm moreretur, ne plebeio quidem ritu ſepultus à filio Andronico, & humo obrutus eſt, poſt 35. imperii annos. Cætera de hoc Principe & præcedentibus vide apud Scriptores rerum Byzantinarum, *Nicephorum Gregoram, libr. 3. & 4. Georg. Logothetam in Chron. Georg. Phranzem libr. 1. Georg. Pachymerium libr. 2.* Succeſſit

A. C. 1283. ANDRONICVS II. PALÆOLOGVS, filius Michaëlis, ſub cujus imperio multæ turbæ fuerunt ob diſſidia in religione, & Patriarcharum mutationes, aliis Pontificiæ parti faventibus, aliis Græcæ Eccleſiæ dogmata & jura aſſerentibus. Andronicus à malis conſultoribus perſuaſus, claſſem deſtruxit, & hoc facto Imperium Græcorum cujuſvis inſultibus expoſuit. Quæ etiam Turcis progreſſuum majorum occaſio fuit. Catelani, quos prius contra Turcas conduxerat, fraudati ſtipendio, ex ſociis facti hoſtes, Athenas & Bœotiam occuparunt. Ab alia Parte Turcis ingruentibus, Byzantinus principatus indies minuitur. Andronicus, mortuo Michaele filio, imperii conſorte, filium ejus Andronicum, nepotem ſuum heredem deſignat; ſed is avo ſæpius rebellis, tandem ſenecta ſeſſum imperio exigit. Deceſſit ergo privatus anno vitæ 74. poſt adeptum Imperium 50. Chriſti 1332. Scriptores iidem, qui ſupra, inprimis *Nicephorus Gregoras*, qui ſub hoc vixit.

In

Digitized by Google

In REBVS ECCLESIÆ hæc memorantur:

A.C. 1253. SORBONÆ COLLEGIVM *fundatur Pariſiis*, à Roberto Sorbona, Theologo; quanquam ſunt nonnulli ex hiſtoricis recentioribus, qui Robertum hunc ex Theologo, fratrem S. Ludovici faciunt, ſed perperam. De fundatione hujus collegii Sorbonæ, cujus poſtea magna fuit auctoritas, vid. *Genebrardus A. C.* 1243. Add. *Calviſius ad annum* 1253. Eſt autem hoc collegium Sorbonenſe præcipuum Vniverſitatis Pariſienſis, & pro fundamento Eccleſiæ Pontificiæ olim habitum, ſubinde etiam ad ejus judicium in controverſiis eccleſiaſticis provocatum eſt. Vid. de eo *Claud. Hemeræus de Academia Pariſienſi.* –

A.C. 1261. SECTA FLAGELLANTIVM *in Italia* Peruſii primùm hoc tempore exorta, & inde in Galliam Germaniamque progreſſa; quorum bini ac bini incedentes, ſuper umbilicum nudi, tecti facie, ne cognoſcerentur, per plateas ferales rythmos canebant, & nunc nuda brachia in cœlum elevabant, nunc in terram corruebant, nullo frigore obſtante: & diſciplinæ ſtatuto tempore flagris immanem in modum ſemetipſos concidebant, pro peccatis ut DEO ſatisfacerent. Sed Manfredus Siculus, Henricus Bavarus, Palavicinus Marchio, aliique novum hoc pœnitentiæ genus è ſuis ditionibus excluſere. Vid. *Monachus Paduanus in Chron. ad annum* 1260. Item *Chronicon Auguſtenſe.* Jacob von Königshoven Elſäſiſche und Straßburgiſche Chronick. *Paraleipomena Abbatis Vrſperg. Albertus Crantzius Metropol. libr. 9. c.* 44. qui hos Flagellantes Diaboli Martyres vocat. *Lehmann. Chron. Spir. libr. 7. c.* 45. Poſtea anno 1349. denuò recruduit hic furor flagellantium, ex Hungaria in Poloniam, Germaniam, Galliam, Italiam, Angliam, ſe effundentium. *Albertus Argentinenſis ad hunc annum.*

A.C. 1264. VRBANVS IV. *inſtituit* FESTVM CORPORIS CHRISTI, propter viſionem, ut ajunt, Julianæ Virgini oſtenſam, quod in Diœceſi primùm Leodienſi publicè celebratum, (*Bzov. A. C.* 1230. *S.* 16.) & ab Vrbano Papa confirmatum Bullà datà anno 1264. 8 Sept. Fabulam de occaſione inſtituti hujus feſti vid. apud *Joh. Dieſtemium Blarum,* & ex eo *Hottingerum Hiſtor. Eccleſ. p.* 452. *ſeqq.* ubi etiam Scriptores alii, qui de hoc agunt, notati: quibus adde *B. D. Bebelii* Tractatum Germanicum von dem Fronleichnams-Feſt/ [& *D. Joh. Zwingeri,* Theologi Baſileenſis, Diſputationes Hiſtorico-Theologicas *de Feſto Corporis Chriſti.*]

A.C. 1274. CONCILIVM LVGDVNENSE celebratum à Gregorio X. Pontifice, cui interfuere Epiſcopi 400. Abbates & Prælati 1000. ferè. In eo Concilio actum eſt de Pontificum electione deinceps in conclavi

undique

Digitized by Google

undique munito facienda; de bello contra Saracenos; de pace inter Chriſtianos Principes conſtituendâ; de uniendâ Græca Eccleſi cum Latina. Miſerat enim hac de re legatos ſuos Michael Palæologus, fore promittens, ut Eccleſiæ ſui Imperii ſe Rom. Pontifici ſubmitterent, ſi Balduinus Imp. Conſtantinopoli ab ipſo pulſus, nullis ex Occidente auxiliis juvaretur. Vid. *Marinus Sanutus libr. 3. part. 12. cap. 13. Chron. Henr. Stero nis. Platina in Gregorio X.*

A. C. 1298. SEXTUS DECRETALIUM *à Bonifacio Papa promulgatur.* Erat hic Bonifacius VIII. qui doloſè Coeleſtino extruſo, in ſedem Papalem ſucceſſit: de quo dictum poſtea eſt: Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis. Vid. *Joh. Vitoduran. in Annal. pag. 46. Paralcipom. Urſpergenſ. pag. 343.* Hic ergo Papa Gregorii IX. Decretalibus Epiſtolis, quæ libris V. continentur, alterum volumen adjecit, quod Sextum vocant. Vid. *Platina. Item, Crantz. Metropol. libr. 8. cap. 48.*

JUBILÆUM *Bonifacius inſtituit.* Inſignem hanc pecuniis aucupandis rationem excogitavit Bonifacius, publicato tunc primùm anno Jubilæo, quo ſeculum à nato Chriſto decimum tertium finiit, centeſimo quoque anno deinceps repetendum; cujus tale eſt inſtitutum, ut peccatorum venia indulgeatur omnibus, qui circa feſtum Nativitatis Chriſti Romæ ſancta loca, ſi tranſalpini fuerint octiduo, ſi ciſalpini per dies 15. viſerent. *Chron. Belg. M. ad hunc annum. Platina in Bonifacio VIII. Crantz. in Saxon. libr. 8. cap. 36.* Utilitas tamen inde ad Romanam curiam redundans effecit, ut contraheretur poſtea Jubilæorum tempus, primùm ad 50. à Clemente VI: deinde ad 30. ab Urbano VI. denique ad 25. annos à Sixto V. De Jubilæis multi, & præter *Rutilium Benzonum, & Sebaſtianum Fabrini*, qui Italicè, etiam *Joh. Villaneus, Navarrus, Joh. Voiſin, Joh. Erneſtus Gerhard, Frider. Ulricus Calixtus* &c. ſcripſerunt.

Titulus VARIORUM hæc habet:

A. C. 1253. MANFREDUS *Friderici II. fil. Siciliam ſibi vendicat.* Erat hic Manfredus Friderico II. ex pellice natus, qui Conradum, legitimum ejuſdem filium, veneno interemit, cùm ille in Italiam profectus, Pontificias copias tunc Apuliæ incumbentes expuliſſet, domitisque Neapolitanis, & disjectis eorum moenibus paterno regno utraque potitus eſſet Sicilia. Ipſe dein Manfredus Apuliam contra Pontificias molitiones fortiter defendit, fictaque Conradini (is erat Conradi ex Eliſabetha Bavarâ filius) morte, Regem ſe fecit Siciliæ.

Digitized by Google

Siciliæ. *Matthæus Paris, pag. 786. & ſeqq. ejusque Continuator. Michael Ritius libr. 3. de Regibus Siciliæ & Neapolis: Thomas Fazellus libr. 8. Pandulphus Collenutius Hiſtor. Neapol.*

CVBLAI *Tartarorum Imp. in cujus aula vixit* M. PAVLVS VENETVS; qui & aulam iſtam, & ipſas adeò Tartarorum res αὐτόπτης deſcripſit, lingua Italica. Fuit tamen qui Latinè verteret, quanquam pro ſtylo ejus ævi ſemibarbarè. De Chublai magno Tartarorum Chamo, vid. ipſe *M. Paulus Venetus.* Add. *Haithonus Armenius Hiſtor. Orient.* De M. Paulo Veneto *Voſſ. de Hiſt. Latin. libr. 2. cap. 60. pag. 490.*

A. C. 1265. *Manfredus à* CAROLO ANDEG. *vincitur.* Cum enim Manfredus jura regni Siciliæ contra Pontificias partes ſtrenuè affereret, Vrbanus IV. Pontifex contra eum excitavit Carolum Andegavenſem, Ludovici IX. Galliæ Regis, cognomine Sancti, fratrem; eumque Populi Romani Senatorem, & deinde Siciliæ & Apuliæ Regem creavit, modò pellat Manfredum & quotannis ſolvat Pontifici 40000. aureorum. Ab iſto victus & proditione interemtus eſt Manfredus. Interim Conradinus Friderici II. nepos, Conradi filius, jam adultus paternam hereditatem repetitum ibat. Sed victus à Carolo Andegavenſi, & è fuga retractus infelix Princeps ex Clementis IV. ſententia, qui conſulenti Carolo reſcripſerat: Vita Conradini mors Caroli; mors Conradini vita Caroli; ſecuri percutitur ſimul cum Friderico Auſtriaco. Atque in his duobus capitibus Cæſarum ſimul Suevorum & Auſtriacorum Principum familia defecit. Vid. *Matthæus Paris, ejusq; Contin. Chronicon Auguſtenſ. Platina. Aventin. libr. 7. Albertus Stadenſ. Cuſpinianus. Michael Ritius libr. 3. Thomas Fazellus libr. 8. Paulus Æmil. libr. 7. Pandulphus Collenutius.* Tragoediam illam Neapolitanam, qua duo nobiliſſimi Principes, vix audito inter Chriſtianos more, carnificis gladio ſunt ſubjecti; prolixè deſcribit *Brunnerus libr. 14. pag. 280. uſque ad 836.* Breviter *Lipſius Monit. & Exempl. Polit. cap. 14.*

A. C. 1270. LVDOVICVS S. *Rex Galliæ obit*, Nonus hujus nominis, qui propter virtutes & Zelum religionis, inprimis propter expeditionem adverſus infideles ſuſceptam, in qua ipſe à Sultano Ægyptio captus, ingenti lytro ſe denique redemit, 27. poſt mortem annis à Bonifacio VIII inter Sanctos relatus eſt. Suſcepit autem alteram expeditionem in terram S. cumque in itinere Tunetum in Africa occupare vellet, peſte per exercitum ejus graſſante & ipſe correptus periit. Vid. *Matth. Pariſii Continuator* Item *P. Æmilius. Vitam S. Ludovici* expoſuit *Godefridus de Beaujeu* &c. Res ejus publicè geſtas *de la Chaiſe*, privatam ejusdem Vitam *Abbas de Choiſi* deſcripſit.

Helmſtadium

Helmſtadium à Marchione Brandeburgenſi fruſtra obſeſſum. Hoc quoque in gratiam urbis, in qua hæc ſcripſit auctor qui cunque, appoſitum eſt; cum alia memoratu digniora ſilentio prætereantur: credo ex annalibus ejus Civitatis deſumtum. Vid. *Conring. de ſtatu antiquo Helmſtadij.*

A. C. 1282. VESPERÆ SICVLÆ. Hæc verò memorabilior eſt hiſtoria, & dignior quæ ex ſuis auctoribus repetatur. Cùm enim Siciliam tenerent Galli, & more militari multa facerent inſolenter & libidinosè, Siculi, impulſore Joanne à Prochyta, qui olim Siciliæ Prorex fuerat, adverſus eos conjurant, omnesque Gallos ipſo die Paſchatis 1281. (noſter 1282. ponit, minus rectè) cùm ad preces veſpertinas campanæ impellerentur, dato hoc ſigno paſſim trucidarunt, nullo ætatis ſexusve diſcrimine habito. Hinc Veſperæ Siculæ dictæ ſunt à tempore, quo illa clades Gallis illata eſt. Continuò Petrus Arragoniæ Rex, qui Manfredi filiam in matrimonio habebat, cum ingenti claſſe Panormum appulſus, Siciliæ Rex factus eſt. QuanquamPapaMartinusIV. ira fremens Petrum anathemate feriebat,eumque Arragoniæ regno exuere conabatur.Trienniopòſt

Carolus Andegavenſis Rex Siciliæ & Neapolis obit; qui quidem occupata ab Arragoniis Sicilia, continentem tamen in Italia retinuerat. Vid. *P. Æmil. libr.* 7. *Mariana de Reb. Hiſpanicis libr.* 11. *Blond. libr.* 8. *Platina. Tilius in Chron. Franciæ. Thomas Fazellus de Reb. Sic. libr.* 8. *Nicephor. Gregor. libr.* 5. *Hieron. Blanc. in Comment. Arragon. Mich. Ritius de Regib. Sicil.* De Veſperis Siculis vid. etiam *Camerar. Oper. Subciſ. Cent.* I. *cap.* 83. & quos ibi citat.

A. C. 1285. PHILIPPVS PVLCHER *Rex Galliæ*, IV. hujus nominis, filius & ſucceſſor Philippi III. hoc anno regnare coepit. Is cum Flandriæ Comite Guidone, cujus ſocius erat Eduardus I Rex Angliæ, grave bellum geſſit. Cum Bònifacio quoque VIII. Papa inimicitias exercuit. Navarræ regnum, item Comitatum Campaniæ obtinuit per matrimonium cum Joanna, utriuſque Principe & herede. Templarios inprimis perſecutus eſt in ſuo regno, eorumque bona in fiſcum ſuum redegit. Vid. *Paul. Æmil. Hiſtor. Franc.*

FINIS REGNI CHRISTIANORVM *in Syria.* Poſtquam ſcil. Tripolis, Ptolemais, Sidon, Berytus, Tyrus, quæ ſolæ adhuc Chriſtianis reliquæ urbes erant, à Sultano Ægyptio captæ, & reliquiæ Chriſtianorum, quorum tamen plerique ab hoſtibus interemti ſunt, ſe in Cyprum receperunt. Neque ſuppetiæ laborantibus in Aſia ferri potuerunt, cùm eo maximè tempore Galliæ Rex ab Eduardo Angliæ Rege bellum pateretur, & Arragonum Rex Jacobus cum

Carolo, Piſani cum Genuenſibus inimicitias exercerent; licet ſedulam operam navaret Nicolaus IV. Papa, ut diſſentientes uniret. Nihil hinc in Aſia Chriſtianorum amplius fuit, præter Armeniam minorem & Cyprum Inſulam, unde Chaganus Tartarorum princeps Chriſtianus, qui anno 1298. Palæſtinam è Saracenorum manibus eripuit, colonias Chriſtianas eò reduxit: quæ aliquot annis pòſt iteratò expulſæ ſunt. *Marin. Sanut. libr. 3. part. 13. Paulus Æmilius libr. 8. Matth. Palmer. Platina. Blondus.*

Nunc VIRI CELEBRES, qui hac alterâ parte Seculi floruerunt, memorandi ſunt: inter quos

MARTINUS POLONUS, Monachus Ord. Præd. & Archiepiſcopus, nec non Poenitentiarius Innocentii IV. Pontificis, ſcripſit *Chronicon* de Summis Pontificibus & Imperatoribus, à Chriſto & Cæſare Auguſto uſque ad Clementem IV. Papam ſive annum 1251. In nonnullis tamen libris producitur hoc Chronicon uſque ad annum 1277. Vid. plura de hoc Scriptore apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 2. cap. 60. pag. 485. Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann. 1250. pag. 249.* ubi ſuæ ſervit hypotheſi, eo iudicio quod addit, fuiſſe Martinum hunc virum ſimplicem, & fabellas pro hiſtoriis obtrudere, qualis inprimis illa ſit de Johanne Papa foemina. Adde *Neuium Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. pag. 198. ſeq.*

VINCENTIUS BELLUACENSIS, ſeu Bellovacenſis Epiſcopus, ſumtus ſuppeditante D. Ludovico Francorum Rege, *Speculum* quadruplex concinnavit; *Doctrinale*, quod de omnibus Scientiis tractat, à Grammatica ordiens, ac in Theologia deſinens: *Hiſtoriale*, quod Hiſtorias complectitur ab orbe condito uſque ad ann. 1244. *Naturale*, quod eſt de natura rerum, ſitu locorum, & ratione temporum: *Morale*, quod eſt de affectibus, de lege & gratia, & de virtutibus ac vitiis. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 2. cap. 59. pag. 477. Bellarm. de Scriptor. Eccleſ. ad ann. 1250. pag. 249. Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. pag. 198.*

ALBERTUS STADENSIS Abbas primum ac Monachus Benedictinus, poſtea Franciſcanus, ac denique Miniſter Generalis totius Ordinis, ingenium ac doctrinam ſuam declaravit *Chronico*, quod ab initio mundi auſpicatur, & claudit anno 1256. Prodiit Helmſtadii ex Bibliotheca *Henr. Ranzovij*, cura *Reineri Reineccij*. Vid. *Voſſ. de Hiſtor. Latin. libr. 2. cap. 59. pag. 479. Reimmann. Hiſtor. Lit. Germ. Sect. 1. Quæſt. 311.*

Digitized by Google

Quæſt. 311. *Neuius in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiemal. pag.* 152 *ſeqq.*

ROBERTVS SORBONA, Canonicus Sueſſionenſis & Pariſienſis, Ludovico IX. Regi Galliæ à conſiliis fuit; is qui collegium Sorbonæ Pariſiis inſtituit & dotavit, de quo ſupra, ſcripſit etiam Opuſcula nonnulla, ut *de Conſcientia, de Confeſſione, de Itinere ad Paradiſum*, quæ extant *Tom.* V. *Bibliotheca Patrum. edit.* 2. *Bellarm. pag.* 250. *ad ann.* 1265.

ALBERTVS M. ob ſapientiam ſingularem dictus, quod nulli unquam eruditorum contigit, ut loquitur *Sixtus Senenſis libr.* 4. *Bibliotheca S. pag.* 194. Epiſcopus Ratisbonenſis, omnium argutiorum ſcholaſticorum princeps & pater, *Thomæ Aquinatis* præceptor, è cujus fonte penè omnes rivulos ſuos derivarunt, ut ille ex Alberti M. oceano. Fuit ille genere illuſtris, ortum trahens è Sueviæ regulis. Docuit primùm Pariſiis & Coloniæ Agrippinæ, ac unus penè bibliothecam ſcripſit, cujus tomi omnes 200. marcarum pretio olim conſtabant. Formatio illius capitis ænei, quod loqui potuit, arguit interiorem mechanices, & anatomes peritiam, iſto ſeculo planè inuſitatam; ut quidem cenſet *Morhoff. Polyhiſt. Tom.* 2. *libr.* 1. *cap.* 14. *num.* 2. A ſuſpicione magiæ, cujus à nonnullis inſimulatur, ipſum ſtrenuè defendit *Gabriel Naudæus in apologia virorum doctorum magiæ inſimulatorum.* Opera ejus, quæ ſcripſit, recenſentur à *Trithemio de Vir. Illuſt. Germ.* & à *Joh. Jacobo Boiſſardo in Iconibus Virorum Illuſtrium*: eaque in 21. tomos diviſa anno 1651. Lugduni prodierunt fol. Sunt autem partim philoſophica, partim theologica. Liber *de Secretis mulierum*, & *de Mirabilibus* creduntur ipſi affingi. Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 1265. *pag.* 251. *Geſnerus in Biblioth.* Conf. Hübners kurtze Fragen auß der Polit. Hiſtorie *Tom.* 8. *pag.* 160. *ſeqq.* ubi in ſerie Epiſcoporum Ratisbonenſium ponitur. *Reimmann. Hiſtor. Liter. Germ. Sect.* I. *Quæſt.* 98. *&* *Quæſt.* 224. Plura de hoc Viro *Petrus de Pruſſia in Vita Alberti M.*

THOMAS AQVINAS, ex genere Comitum de Aquino in regno Neapolitano, Alpha Scholaſticorum, cui horribilia elogia paſſim ſuſpenduntur à ſuis. Nam ex hominum ordine ſemotum planè Angelum faciunt, & penè Deum. Familiaris enim ejus titulus (ut omnibus quaſi quidam character tunc temporis imprimebatur) eſt, quod vocatur Doctor Angelicus. In ipſis Pontificum Decretis maxima leguntur elogia, vocatur plus quam Salomon, Interpres Divinæ voluntatis, matutinus Lucifer, quaſi Luna plena Sapientia & moribus, & veluti Sol oriens mundo. Solis elogium mirificè placuit cuidam *Rettelbergero Rettenbachenſi*, qui teſte *Morhoff. in Polyh. Tom.* 2.

Digitized by Google

Tom. 2. *libr.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. Panegyricum in ipſum ſcripſit, in quo ut Solem eſſe oſtenderet Thomam ſuum, per XII. ſigna coeleſtia deduxit, pro ingenii ſui acumine, quidque in ſingulis illis ſignis hoc ſigno dignum præſtiterit Hercules ille, oſtendit. Opera Thomæ, quæ ſcripſit, & magna & multa ſunt, quæ XVII. tomis in fol. compinguntur. Librorum illorum titulos recenſet *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 1265. *pag.* 252. *ſeq.* Edita ſunt Opera illa omnia Romæ fol. anno 1570.

Bonaventura fuit & ipſe Alberti M. diſcipulus, & tandem Cardinalis, cujus extant *Commentarij in Lombardi libros ſententiarum*, & præterea varia Opera theologica, quæ recenſet *Bellarm. pag.* 255. ad ann. 1265. & edita ſunt IV. in fol. voluminibus, vel VIII. tomis è typographeo Vaticano Romæ 1588. Dictus eſt Doctor Seraphicus. *Morhoff. Polyhiſt. Tom.* 2. *libr.* 1. *cap.* 14. *num.* 4.

Wilhelmus Durantes, dictus Speculator, natione Vaſco, Epiſcopus Nimatenſis, JCtus inſignis, ſcripſit *Speculum* in III. volumina diſtinctum ad Cardinalem Othobonum, qui fuit poſtea Adrianus V. Papa. Scripſit etiam *Rationale Divinorum Officiorum* libris 8. & *Repertorium Juris*, & *Commentaria in Canones Concilij Lugdunenſis. Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann.* 1280. *pag.* 260. *Morhoff. Polyhiſt. Tom.* 2. *libr.* 1. *cap.* 14. *num.* 6.

Paulus Venetus. De hoc Tartaricarum rerum ſeu Itinerarii Scriptore diximus ſupra, & remiſimus ad Voſſium *de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *cap.* 60. *pag.* 490. Notandum eſt, exemplaria hujus auctoris valdè eſſe corrupta, ac multa paſſim omiſſa, quæ pro fabuloſis habebantur, cùm nondum locorum illorum notitia tàm accurata eſſet; judicante *Morhoffio.*

Haito Armenus librum *de Tartaris* Gallicè Pictavii ex mandato Clementis V. dictavit *Nicolao Salconi*, qui eum deinde, eodem Pontifice mandante anno 1307. transtulit Latinè: ſed ſeculi illius more, quo tantopere barbaries regnabat. In extremo verò hoc opere etiam deſcribit iter, ſive, ut Interpres Nicolaus vertit, Paſſagium Terræ S. Ipſe Haito fuit Haitoni, Armeniæ Regis nepos, Monachus Ordinis Præmonſtratenſis in Cypro: ut ipſe indicat *cap.* 46. Vid. *Voſſ. de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *cap.* 62. *pag.* 497. *Whear. in Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium pag.* 39.

Ægidius Romanus. Et hic inter Scholaſticos, Monachus Ord. Auguſtin. genere illuſtris: Auditor idem Thomæ Aquinatis defenſorque acerrimus, multaque in illius dogmata ſcripſit; ſed tamen illa commentariis ſuis ſuper Ariſtotelis quoſdam libros immiſcuit,

Digitized by Google

miſcuit. Scripta ejus theologica & philoſophica recenſet *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann. 1290. pag. 261. ſeq.* Vt cæteri Scholaſtici, ita & hic habuit peculiarem titulum, ut appellaretur *Doctor fundatiſſimus. Morhoff. Polyhiſt. Tom 2. libr. 1. cap. 14. num. 7.*

PETRVS HISPANVS. Vt fuit foetum Scholaſticis hoc Seculum, ita hic quoque inter illos fuit. Celebris eſt libro *Summularum*, quo nomine innuitur compendium aliquod Summæ. Suis enim libris Compendium aliquod Dialectices proponit, cùm alii integra opera Summas vocent. Hinc ſolet dici *Summulator.* Extant in eum diverſorum commentarii. *Morhoff. l. c. num. 17.*

RAIMVNDVS LVLLVS. Portentum hoc ingenii fuit. Diffudit ſe per omnia ſcientiarum genera, ac aliquot millia librorum ſcripſiſſe dicitur. Chymicus præterea fuit, &, ſi verum eſt quod in *Reliquiis ſuis* memorat *Camdenus*, moneta Roſarum Nobilium ex auro ab ipſo per artem confecto primùm cuſa eſt ſub Eduardo III. De qua hiſtoria vid. *Seldenus in ſuo mari clauſo*; & *Borrichius* in libro *de Vita & progreſſu Chymiæ*, & *Morhoff. Differt. de Transmutatione metallorum.* Pluribus de eo agit *Carolus Bovillus in Vita Lulli.* Hic inter alia peculiarem artem invenit, quæ Lulliana dicitur. Singularibus enim libris rem hanc proponit. Hic ſub certis quibusdam titulis ac prædicatis univerſalibus, ſecundùm literas diſpoſitis, philoſophiam tradit, ac mirabilia & propemodum divina ſibi de illa methodo perſuadet. Commentariis ejus doctrinam illuſtrarunt multi, *Cornelius Agrippa*, *Jordanus Brunus in Lampade venatoria*, *Alſtedius*, & *Petrus Gregorius Toloſanus in Syntaxi ſua operis mirabilis.* Noviſſimè *Kircherus in arte* ſua *combinatoria* veſtigia ejùs ſequutus eſt. De tota illa re Lulliſtica videatur judicium *Berneggeri in Oratione de paranda doctrina mediis illegitimis pag. 55.* Item, *Verulam. de Augment. Scient. libr. 6. cap. 2.* Eſt verò omnis illa ars inventa pro extemporali aliqua & nugatoria Diſſertatione potius, quàm pro vera aliqua diſciplina. Vid. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann. 1290. pag. 262.* Plura *Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. cap. 14. pag. 711. ſeqq. Morhoff. Polyhiſt. Tom. 1. libr. 2. cap. 5. Reimmann. Hiſtor. Lit. Germ. Sect. 1. Quæſt. 144.*

RICHARDVS DE MEDIA VILLA & HENRICVS GANDAVENSIS, uterque Scholaſticorum numerum auxerunt, & nonnulla philoſophica, nonnulla etiam theologica ſcripſerunt, quæ recenſet *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad ann. 1290. pag. 263.*

TABVLA

Digitized by Google

TAB. XXV. & SEC. XIV.

Progredimur ad Sec. XIV. cujus anno octavo

HENRICVS *VII. Lutzelburgicus* imperium capeſſivit, quod quidem Philippus Pulcher Galliæ Rex & frater ejus Carolus Valeſius ambiebant. Nam cum hoc tempore ſedes Pontificia Avenione in Gallia eſſet, quò Clemens V. natione Gallus, pertæſus ſeditionum ac tumultuum Italiæ ipſiusque urbis, eam transtulerat, Galliæ Rex ad ſe rurſus Pontificis beneficio Imperium rediturum ſperavit. Ab his verò conſiliis ipſe Pontifex abhorrebat, Romæ atque Italiæ id periculoſum fore ratus; ideoque Principes Germaniæ, qui jam ſeptem menſium interregnum habuerant, monuit ut maturè Imperatorem eligerent. Electus itaque eſt Henricus Comes Lutzelburgicus ſuffragiis omnium: qui cùm Pontificiam publicationem requireret, ea lege impetravit, ſi in Italiam cum exercitu profectus, eam pacaret. Ille igitur pacatis primùm in Germania rebus, & coercito Würtembergiæ Comite, Bohemiæ regnum, quod Henricus Carinthiæ Dux poſt Wenceslai mortem occupaverat, Fridericus verò Pulcher Auſtriæ Dux pariter ambiverat, utrique ademit, & Wenceslai filiæ, quam ſuo filio Johanni uxorem dedit, attribuit. *Æneas Sylvius Hiſtor. Bohem. cap. 31.* Poſtea in Italiam profectus eſt cum valido exercitu, compeſcuitque Lombardicas urbes, quæ pleræque rurſum Imperio ſe ſubdiderunt, tyrannis relictis; Romam hinc profectus coronatus eſt per Cardinalem legatum. Deinde (ut refert Tabula noſtra.)

Senatus populusque Roman. jus ſuum in Imperatorem contulit, isque omnibus in ſua verba adactis, tributum indixit: quamobrem tumultu populi exorto, Tibur atque hinc Piſas regredi neceſſe habuit. Inde Florentinorum contumaciam ut frangeret, quibus Robertus Apuliæ Princeps vires ſuas junxerat, urbem commeatibus intercludere aggreſſus eſt; ipſe verò in Apuliam cum exercitus parte ivit, ubi Beneventi, cum Dominica coenâ uteretur, à Bernhardo vel Bernhardino quodam, monacho Dominicano, intoxicatam hoſtiam accipiens, paulò poſt moritur. Ipſe, ut fugeret monachus, ei hortator fuit, ne Germanorum iracundia, ſi id in vulgus emanaret, miſerè periret. Quanquam *Browerus* Jeſuita in *Annalibus Trevirenſibus* in dubium revocat factum: *Henr. Stero* verò, *Albertus Argent. Henr. Rebdorffius*, Scriptores ejus temporis, unanimiter referunt: quibus adde *Conrad. Vezerium*, Cancellarium Maximiliani I. patria Lutzelburgenſem, qui Vitam hujus

Digitized by Google

hujus Henrici ſcripſit apud *Vrſtiſium Tom. II.* Item, *Paraleipomena Vrſpergenſia*, Conf *Marc. Diſenbach de vero mortis genere, quo Henricus VII. obiit*; & *Natal. Alexandri Hiſtor. Eccleſ. Sect. III. Tom. 2. cap. 9. Artic.* 4. & alii, quos nominat *Neu in Mantiſſa ad Whear. pag. 161. ſeq.* & *Arnold. in Hiſtor. Eccleſ. & Heret. libr. 14. cap. 1. pag. 385.* Sepultus eſt Piſis Henricus A. C. 1313. Imperii quinto. Scriptoribus ſupra laudatis adjungendus omnino eſt *Albertinus Muſſatus* Hiſtoricus Patavinus, qui libros XVI. ſcripſit *de Geſtis Henrici* VII. impreſſos Venetiis. Vid. *Voſſ. de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 9. pag. 792.* & *Neu in Mantiſſa ad Whear. pag. 160.* ex recentioribus *Cuſpinianus*, *Aventinus libr. 7. Lehmanni Chron. Spirenſ. libr. 7. cap. 10.* Fuggers Oeſterreichiſcher Ehren-Spiegel.

A. C. 1314. LVDOVICVS V. BAVARVS & FRIDERICVS AVSTRIACVS, *ille* à quatuor, *hic* à tribus Electoribus Francofurti congregatis electus, & Ludovicus Bavariæ Dux Aquisgrani; Fridericus Pulcher Auſtriæ Dux Bonnæ coronatus eſt. De hac electione, & quæ utrinque pro & contra dici poſſunt, vid. *Boecler. Excerpta Controv. Illuſtr. controv. I. Tom. III. Differt. ejus pag.* 446. Inde bellum civile natum, quod decennio toto duravit. Et poſt unum alterumque prælium dubio Marte decertatum

A. C. 1323. FRIDERICVS *à Ludovico capitur* quidem, & cuſtodia aliquandiu detinetur, bellum tamen Leopoldus frater ejus continuavit, donec Fridericus juri electionis ſuæ renuntiaret, & ſic pace compoſita libertati eſt redditus. Statim poſt victoriam de Friderico reportatam

A. C. 1324. LVDOVICVS *Imp. à Pontifice excommunicatur.* Is erat Johannes XXII. qui ſe pro judice ferebat in diſſidio Imperatorum, & quòd Ludovicus ad petitionem Galeacii Vice-Comitis in Italiam profectus Gibellinos adjuviſſet contra Guelphorum inſolentiam, & jura Imperii ſe inconſulto uſurpaſſet, ideo eum anathemate feriit, ab obedientia ejus omnes abſolvit, eumque juſſit reſignato Imperio in ſuas manus, à ſua gratia id recipere; negantem, quòd jus imperii electione eſſet conſequutus, nec dependeret ab illius confirmatione, hæreticum declaravit, & hoc ipſum dogma hæreticum: quæ res multis diſputationibus anſam dedit. Pro Imperatore *Marſilius de Padua*, *Dantes Aligerius*, *Wilhelmus Occam* aliique ſcripſerunt: (De Marſilio Patavino, & Occamo vid. *Neu in Mantiſſa ad Whear. pag. 162. ſeq.*) alii Pontificias partes defenderunt. In ipſa verò Germania Clerus multis locis interdictis Pontificum paruit, neque ulla ſacra facere voluit apud eos, qui Ludovicum agnoſcebant Imperatorem; plerique tamen etiam Epiſcopi fulmina Pontificia contem-

Digitized by Google

contemſerunt; nec ferè quiſquam poſt Friderici Pulchri captivitatem & mortem paulò pòſt ſequutam, Ludovico non adhæſit. Ipſi Electores Francofurti congregati, graviſſima epiſtola ad Benedictum Pontificem, qui Johanni ſucceſſerat, miſſa, Imperium ab electione ſua, non confirmatione Pontificia pendere teſtati ſunt; decreveruntque, qui aliter ſenſiſſet, aut propter mandata Pontificia à fide in Imperatorem diſceſſiſſet, omnibus juribus & beneficiis, quæ habet ab Imperio, privandum, & pro perduelli habendum: quod Decretum & Epiſtolam refert *Henricus Rebdorff. ad annum* 1339. Igitur toto Imperii tempore diſſidiis agitatus, in Germania quidem poſt bellum cum Friderico ferè omnes obſequentes habuit, animorum tamen vario motu, donec tandem pervincente Pontificum rabie, ope Trevirenſis Epiſcopi & quorundam aliorum, Carolus IV. Johannis Bohemiæ Regis filius, ita jubente Pontifice, contra Ludovicum electus eſt. Quem tamen, dum Ludovicus ſuperfuit, ſequutus eſt nemo, exceptis quibusdam Epiſcopis: unde & hic vulgò der Pfaffen-König dictus eſt. Nec diu pòſt Ludovicus deceſſit A. C. 1347. Imperii 33. & Monachii ſepultus eſt. Hic Imperator non, ut anteceſſores ſui, vagam in Imperio aulam habuit, ſed in ſua ditione fixit, aluitque ſuis ſumtibus, notante *Rebdorffio.* Scriptores ſunt *Albertus Argentinenſis σύγχρονος*, qui tum munere legationis functus eſt, ab Epiſcopo Argentinenſi ad Pontificem miſſus, ut ſtatum Alſatiæ remonſtraret Pontifici, quodque propterea non integrum eſſet Epiſcopo, ſeſe Ludovico opponere. De quo Scriptore vid. *Neu in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. pag.* 165. Præter hunc *Henric. Rebdorff. Chronicon Elwangenſe*; item, *Nicolaus Burgundus JC. & Prof. Ingolſtad. in Vita hujus Ludovici*, quam accurate deſcripſit. Quibus add. *Paraleipomena Urſpergenſia.* Scripſit & *Herwardus*, Cancellarius Bavaricus, *Ludovicum Bavarum defenſum. Diſſertationem de Ludovico Bavar.* propoſuit etiam in Academia Jenenſi anno 1689. celeberrimus nunc ejusdem Academiæ Theologus, *Joh. Franc. Buddeus.* &c.

CAROLUS *IV.* poſt mortem Ludovici non tamen à multis receptus eſt, quanquam vi & armis nonnullas civitates Franconiæ Bavariæque ad obſequium coegit. Pleriquе igitur Electores primùm Eduardum Angliæ Regem, cumque is bello Francico implicitus, gratiis actis, id recuſaſſet, Fridericum Miſniæ Marchionem elegerunt: qui partim contemplatione arthritidis qua laborabat, partim ob ingentem pecuniæ ſummam à Carolo oblatam, eidem ceſſit, pauloque pòſt mortuus eſt. Huic ſubſtituerunt Güntherum Comitem Schwartzenburgicum, qui inſtructus valido exercitu ad

urbem

Digitized by Google

urbem Francofurtum acceſſit, quo eodem etiam Carolus copias adduxit; nec pugnatum tamen eſt; verum pecuniâ Güntherum ferunt à Carolo placatum, ut Imperio renuntiaret, & paulò poſt idem eſt mortuus adhuc in caſtris ſuis; unde rumor percrebuit, veneno extinctum eſſe per medicum ſuum. Ex quo rumore illud eſt, quod Auctor Tabulæ huic inſeruit:

GVNTHERVS COMES SCHWARTZENB. *Imperatoris æmulus, veneno perit.* Evenit hoc anno 1348. Cæterùm *Güntheri Schwartzburgici res* illuſtravit Schwartzburg. Cancellarius celeberrimus, *Ahasverus Fritſchius*, 1677. Rudolphſtadii. Ejuſdem hiſtoriam condidit *H. W. V. E.* (ſub quo nomine latere creditur *Eybenius*) opuſculo Wetzlariæ 1703. impreſſo in 4°. ſub titulo *Syntagmatis Hiſtorici de Günthero Schwartzburgico Rom. Rege ſeu Imperatore cognomento Optimo, adeoque Scipione Germanorum inclyto.* Ex eo demum tempore Carolus deinceps ab omnibus eſt receptus. Ipſe nihil non egit conceſſitque, tantum ut pacem conſervaret, etiam cum detrimento Jurium Imperii. Vnde factum, ut Vitricus Imperii vocari ſoleat: quo jure oſtendit *Schurtzfleiſchius in peculiari Diſſertatione.* Certè Maximilianus I. Imp. de eo dicere conſuevit, illo peſtilentiorem peſtem Germaniæ nunquam contigiſſe. In Italiam quoque cùm iter eſſet ſuſcepturus, non ſolum conditiones accepit à Mediolanenſibus, ut ſine copiis accederet, ſed & à Pontifice, ut poſt coronam acceptam eodem die Romà demigraret: quod & fecit. Nec ſine periculo ex Italia rediit, Piſis à factioſis quibuſdam penè interceptus. Scribit *Albertus Argentinenſis*, adeò apud aliquos contemtui fuiſſe, ut Spiræ cùm hoſpitibus ſuis aliquid deberet, quod præſenti pecunia ſolvere non poterat, etiam arreſto fuerit detentus. Idem filium ſuum Wenceslàum ut ſucceſſorem ſibi deſignarent, Electoribus ſingulis 100000. aureorum promiſit, quæ cùm exolvere non poſſet, vectigalia Imperii eis oppignoravit, quæ in hunc diem usque in Principum manibus ſunt. Et hoc eſt, quod Tabula noſtra dicit:

Multa de Imperii Patrimonio detraxit, eaque Principibus & Civitatibus vendidit. Vid. præter alios *Æneas Sylvius Hiſtor. Bohem. cap. 33. Lehmann. Chronic. Spirenſe libr. 7. Mutius Chronic. German. libr. 25. fol. 287.* Extat etiam C. S. *Schurtzfleiſchii Diſſertatio, Quod Carolus IV. non diſſipaverit Imperii Patrimonium, quoad regnum Arelatenſe.* Præcipuum ejus factum eſt Aurea Bulla, lex illa fundamentalis Imperii, quæ condita eſt in Comitiis Noribergenſibus anno 1356. & deinde in Comitiis Metenſibus primum in uſum traducta: qua de re Tab. noſtra:

Aurea Bulla Norimbergæ promulgatur. Videatur, præter Hiſto-

ricos ejus temporis, *Henricus Güntherus Tulemarius in* tractatu *de Bulla aurea, argentea, plumbea & cerea.* Commentatores in A. B. indicat Auctor des Teutſchen Reichs-Staats in Bibliotheca Juris Publ. huic præmiſſa. Eſt etiam Hiſtoria *A. B. à M. Chriſtiano Sibelle* Lipſiæ in 4°. edita 1696. Caroli IV. ætate magna peſtilentia orbem invaſit, quæ ex Aſia in Europam tranſiit, & inprimis Germaniam Galliamque vaſtavit aliquoties; cujus cauſam tribuebant Judæorum malitiæ; parum veriſimiliter. De ea peſte vid. *Hettinger. Hiſtor Eccleſ. cap. 14. pag. 647. ſeqq.* & quos ibi allegat Scriptores: quibus tamen adde Jacobs von Königshoven Elſäßiſche und Straßburgiſche Chronick. Mors Caroli incidit in annum 1378. trigeſimum imperii ejus poſt Ludovicum. Scriptores ſunt *Albertus Argentinenſis, Henr. Rebdorff. Benevenutus de Rambaldu,* (qui quidem Carolo iniquior eſt, ut omnibus Germanis) de quo *Neu in Mantiſſa ad Whear. pag. 166. Chronicon Elwangenſe, Æneas Sylvius Hiſtor. Bohem. cap. 33. Dubrav. Hiſtor. Bohem. libr. 22. Cuſpinianus, Aventinus libr. 7. Lehmanni Chron. Spirenſe libr. 7. cap. 34. ſeqq.* Add. *Vita Caroli IV. ab ipſo conſcripta apud Freherum in Rer. Bohem. Scriptoribus pag. 86. ſeqq.*

In IMPERIO CONSTANTINOPOLITANO, anno ſæculi 25.

ANDRONICUS *III.* ſeu Junior ſucceſſit avo adhuc vivo, quem proditionum ope ac parricidii ſcelere inſidioſè circumventum oppreſſerat, atque imperio exegerat. Hic Imperator recuperandæ Ætoliæ, Epiro & Theſſaliæ magis, quam arcendis aditu Europæ Turcis intentus, hos in derelicta Aſia confirmare ſeſe, & proferre imperium permiſit ad Helleſpontum uſque. Orchanes enim interea Niceam & Nicomediam pertinaci obſidione fatigatas fame tandem domuit. Obiit Andronicus A. C. 1341. *Rupertus pag. 613.* eundem annum mortis ejus ponens, tamen dicit eum ejecto avo imperaſſe annis VIII. quod ſi dixiſſet, mortuo avo, propius vero fuiſſet. Alii XX. annos imperii ei tribuunt. Secundùm Tabulam noſtram ſedecim annos imperaverit. Scriptor proprius eſt *Nicephorus Gregoras libr. 9. 10. 11. Laonicus Chalcocondylas libr. 1.*

A. C. 1341. JOHANNES CANTACUZENUS à moriente Andronico tutor relictus filii impuberis, qui & ipſe Johannes dictus fuit, cùm imbellem ætatem deſpiceret, primoresque Græcorum impenſius colendo ſibi imperium vendicaret, adulto pupillo, & ope potiſſimum Genuenſium reſtituto, in monaſterium ſeponitur. *Laonic. Chalcocond.*

Digitized by Google

Chalcocond. libr. 1. Hic à *Ruperto pag.* 613, non inter Imperatores, ſed tanquam tutor Imperatoris & uſurpator imperii, nominatur. Scripſit etiam, ſub fictitio quidem nomine *Chriſtoduli*, *Hiſtoriam* hodie ſuperſtitem, in qua res ab Andronicis duobus Impp. & à ſe ipſo geſtas conſignavit ab anno 1320. ad annum 1357. libris IV. præmiſſa Hiſtoriarum operi genealogia Imperatorum Andronicos antecedentium ab anno 1195. ad 1320. *Voſſ. de Hiſtor. Græc. libr.* 2. *cap.* 29. *pag.* 310. & *Nevius in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. pag.* 177. De Johanne VI. Palæologo poſtea.

Nunc RES ECCLESIÆ, priore hac Seculi & Tabulæ parte memoratas, exequemur.

A. C. 1305. CLEMENS V. *Romanam Curiam transtulit Avenionem.* Erat ipſe Gallus, & Burdegalenſis prius Epiſcopus; qui cùm Pontificatum Lugduni iniret, (ad quem intercedente potiſſimùm Rege Francorum evectus erat) feſtivitatem publicam cohoneſtantibus III. Regibus, Franciæ, Angliæ & Arragoniæ, accidit, ut dum ſe Pontifex ſublimem in equo, ambitioſo Purpuratorum comitatu tota urbe inter III. Reges conſpiciendum circumfert, ipſe interfuſæ multitudinis impetu, equo deturbatus, excuſſa capite corona, carbunculum maximi pretii amiſerit, ſimulque cum Regibus ad ruinam muri, vetuſtate & pondere circumſtantium procumbentis, de vita ſit periclitatus; Johannes Britanniæ Dux oppreſſus interierit; Proceres nonnulli ſpectantis urgentisque turbæ trepidatione everſi ſint atque obtriti. Hic ergo Pontifex factionum ſtudiis, quibus Italia fervebat, & ſeditionum tempeſtatibus in ipſa Vrbe, quibus ſedandis impares ſe videbant Pontifices, cedendum ratus, ſedem transtulit Avenionem, Provinciæ Vrbem, quæ Roberti Apuliæ Regis avita poſſeſſio erat: quam inde urbem ſibi Pontifices propriam in hunc uſque diem vendicarunt, nonnullis emtione, aliis donatione à Johanna Neapolitana ad ſedem Pontificiam ſub Clemente VI. perveniſſe, memorantibus. Ibi deinceps per LXXIV. annos Rom. Curia fuit. Vnde maximæ in Eccleſia turbæ natæ. Vid. *Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 14. *pag.* 764. & quos ibi citat. Add. *Platina & Balæus in Clemente V.* Roma interim à III. Cardinalibus legatis nomine Papæ gubernabatur.

A. C. 1311. CONCILIVM VIENNENSE *in Gallia publicat* CLEMENTINAS, *& damnat* TEMPLARIOS, *brevi poſt Clemens obiit, ad tribunal Chriſti citatus à Templariis.* (Vltima verba hujus lemmatis, de obitu

Clementis à Templariis citati &c. ſunt ab Interpolatoribus addita.) Clementinæ dictæ ſunt ab auctore i. e. Clemente V. qui eas in hoc Concilio publicavit, & Decretalibus adjecit, quanquam ipſe eas poſtea revocaſſe & combuſſiſſe ſcribitur. At *Johannes XXII.* (aliis, qui Johannem VIII. non omittunt, XXIII us) *Clementinis addidit librum VII.* ſeu potius ipſas Clementinas, quæ efficiunt librum VII. Decretalium, contra prohibitionem Prædeceſſoris ſui publicavit. *Joh. Vitoduranus pag. 35. a Faſciculus Temp. pag.* 84. In eodem Concilio Viennenſi damnati ſunt Templarii, ſuaſu Philippi Regis, qui bonis illorum creditus eſt inhiaſſe: quippe Ordo iſte ingentes opes, maximè in Gallia, poſſidebat; quas pleraſque ad ſe traxit Rex Galliæ, reliquæ Equitibus Rhodiis attributæ ſunt. Quod enim crimen eis tribuunt defectionis à Chriſtianis, & conſpirationis cum Saraconis, difficilem habuit probationem, quique ea de cauſa in Galliis ſuppliciis afficiebantur, magna conſtantia mortem tulerunt, nec, licet torti, quicquam tale de ſuo Ordine confeſſi ſunt. Itaque cum anno 1313. Burdegalæ duo ex his Templariis ad vivicomburium ducerentur, proſpectantibus de feneſtra Clemente V. Pontifice & Philippo Pulchro Rege, Templarii utrumque intra annuum ſpatium ad tribunal Chriſti citarunt, de ſupplicio innocentum rationem reddituros Et factum eſt, ut uterque & Rex & Papa anno ſequente moreretur. Vid. *Faſcicul. Temp. Albertus Argentinenſ. Paulus Æmilius libr.* 8 *Gaguin. libr.* 7. *cap.* 5. *Hultr. Mutius Chronic. German. libr.* 22. *Naucler.. Vol.* 2. *Gener.* 44. *Tilius in Chronic. Reg. Franc. Crantz. Metrop. libr.* 9. *cap.* 6. *Rud. Hoſpinianus de Origine Monachatus libr.* 5. *cap.* 18. *Camerar. Horar. Subc. Cent.* 1. *cap.* 83. *pag.* 423. Juſtè deletos Templarios defenpit *Natal. Alexander in Hiſtor. Eccleſ. Select. Cap. Sec. XIII. Part.* 2. *Diſſ.* 10. At viciſſim ſcripſit *Nicolaus Gürtlerus Hiſtoriam Templariorum*, in quâ injuſtè cum illis actum eſſe aſſerit, quod ob paucorum crimen totus Ordo extirpatus, & reditus in fiſcum redacti ſint: quod præſertim Philippo Pulchro R. G. imputatur; quem tamen eo nomine defendit *Petrus Puteanus in Hiſtoria Condemnationis Templariorum.* Add. *Chriſtianus Thomaſius de Templariorum Equit. Ordine ſublato.* Momenta cauſæ indicat *Boeclerus in Excerpt. Controv. Ill. controv.* 4. *in Tom. III. Diſſ. ejus pag.* 454.

AVRELIANENSIS, FERRARIENSIS & PISANA ACADEMIÆ *conduntur.* Aurelianenſis quidem Academia in Gallia Philippi Regis & Papæ Clementis auctoritate fuit inſtituta anno 1312. Vid. *Bucholtzer. Chron. Gall. Tilius in Chron. Reg. Franc.* Ferrarienſis Academiæ fundatio à *Calviſio* refertur ad annum 1317. à *Bzovio* ad annum demum 1391. de

Piſanâ

Digitized by Google

Piſana Academia anno 1339. approbante Pontifice inſtitutâ, *Volaterranus.*

A. C. 1346. ACADEMIÆ HEIDELBERGENSIS *initium*, quæ fundata eſt à Ruperto II. Comite Palatino Rheni: de cujus ortu, ſucceſſu & primo Rectore vid. *Middendorp libr. 2. de Academ. Orb. Chriſtiani pag. 216.* qui & de ſupra dictis Academiis conſulendus eſt. Extat & *Georg. Sohnij, SS. Theol. Doct. & PP. Oratio hiſtorica de fundatione & conſervatione Academiæ Heidelbergenſis*, excuſa Hanoviæ typis Wechelianis. Et hæc quidem Academia anno prædicto fundata eſt, ſed inaugurationis ceremoniæ in vigeſimum abhinc annum dilatæ.

Tranſimus ad Titulum VARIORVM, ſub quo primo loco memoratur:

OTHMAN *ex Præfecto Ciliciæ Sultanus Turcarum.* Othman, (rectius Oſman, vulgò Ottomannus) iſte, Turcicorum Imperatorum Ottomannidarum conditor & parens eſt, & ab eo aula Turcica appellatur Porta Ottomannica. Condiderant quidem Turcæ jam ante regnum in Aſia, quod à ſede Principum Iconienſe dicebatur. Sed regnum illud Iconienſe poſtea in varias ditiones diſcerptum eſt, ita ut ſuum Principem Cilicia, ſuum Pontus & Paphlagonia, ſuum Troadis & Myſiæ regiones ad Cariam uſque, ſuum aliæ provinciæ acceperint. Sed Othman hic, oppreſſis cæteris, incredibiliter rem auxit Turcicam, magnaque Bithyniæ parte ſubactâ, Bruſiæ ſedem regni conſtituit. *Nicephor. Gregoras libr. 7.* Quamobrem primum Turcorum Padiſchachum Scriptores noſtri, & ipſorum etiam Turcorum libri faciunt. Mortuus eſſe dicitur A. C. 1326. vel 1327. Conſulatu *Laonicus Chalcocondylas libr. I. Leunclavius in Pandectis Turc. & Hiſtor. Muſulm. Cuſpinianus in Ottmanno I. Chron. Philippi Melanchthonis libr. 5. p. m. 115. Rupert. Obſ. ad Synopſ. Beſoldi pag. 617. Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. Sect. 14. pag. 833. ſeqq. ex Juchaſin.* Familiam Oſmannidarum *Leunclavius in Pandectis Turcicis fol. 98.* exhibet.

INITIA FOEDERIS HELVETICI, cui occaſionem dederunt injuriæ Auſtriacorum, & Præfectorum ab iis impoſitorum impotentia, tum Sacerdotum excommunicationes. Sed illud tamen foedus non ſimul ſemelque in hanc, quæ nunc eſt reipublicæ formam, ſed paulatim coaluit, coëuntibus primùm tribus pagis, Suitenſibus, Vrienſibus & Vnderwaldenſibus, & accedentibus ſubinde aliis civitatibus. Vid. *Fel. Fabri libr. 1. Hiſtor. Suev. cap 13. Albertus Argentinenſ. Stumpff.*

Digitized by Google

Stumpſii Chron. Helvet. Philippi Melanchth. Chron. libr. 5. p. m. 139. ſeqq.

In Italia dominatum occuparunt SCALIGERI *Veronæ*, ESTENSES *Ferrariæ*, GONZAGÆ *Mantuæ.* Dederat Imperator civitatibus in Italia Procuratores, Vicarios nomine, re autem terrarum Dominos. Nam Principes Viri paſſim per civitates dominatum occupabant, qúibus deinde legitimam poteſtatem permiſit Benedictus XII. ut illorum auxilia contra Ludovicum Imp. parata haberet. Atque hoc modo Scaligeri Veronæ, Eſtenſes Ferrariæ, Gonzagæ Mantuæ, Sfortiæ verò etiam Mediolani conſederunt. *Albertus Argentinenſ. Platina. Chron. Belg. M. Blondus. Cuſpinianus in Ludovico Bavaro Paulus Æmilius libr.8.*

A. C. 1322. SILESIA *à Polonis ad Bohemos transfertur ob inteſtinam Principum diſcordiam.* Quia Boleslaus Lignicenſis fratri ſuo Henrico VI. Vratislavienſi Duci gravis eſſet, & multas moleſtias exhiberet, hic ſe in protectionem Bohemiæ Regis Johannis dedit. Quanquam Sileſiæ in perpetuum regno Bohemiæ adjungendæ jam anno 1290. initium factum erat, ex eo pacto, quod Henricus Vratislavienſis Princeps cum Wenceslao Rege ſtatuit, quod pactum Rudolphus Imp. eodem anno confirmavit, aliisque deinde literis Cæſareis Vratislaviæ Principatum Wenceslao contulit: & hæc omnia diverſis diplomatis rurſus renovata, & tandem anno 1348. à Carolo IV. Imp. per auream Bullam confirmata. Extant præterea publicæ literæ alienationis Caſimiri Regis Pol. de renuntiatione Ducatuum Suidnicenſis & Jaurenſis Coronæ Bohemicæ facta anno 1356. Ludovici item Hungariæ Regis de iisdem, Budæ 1353. rurſus literæ Caſimiri Pol. Regis quibus Vratislavienſem & Glogovienſem Principatum Johanni Bohemiæ Regi & futuris Bohemiæ Regibus cum omni jure transſcripſit anno 1329. De quibus vid. *Balbini Epitome Rer. Bohem.* quam *Hiſtoriam Boleslavienſem* appellat, *libr. 3. cap. 16. & 18. Philippi Melanchthon. Chron. libr. 5. p. m. 65.* & ſeq. & *Conring. de Finibus Imper. German. cap. 29.*

A. C. 1327. PHILIPPVS VALESIVS *R. Gall.* ex lege Salica Carolo IV. patrueli ſuo ſucceſſit, excluſo Eduardo III. Angl. Rege, ex Iſabella Philippi Pulchri filia genito. De hujus ſucceſſionis juſtitia vid. *Boecler. in Excerpt. Controv. Illuſtr. III. Tomo Diſſertationum ejus III. pag. 453.* Vnde

Diuturni inter Anglos & Gallos belli initia: quæ ad annum Seculi 37. in Tabula noſtra ponuntur. Nec defuit alius incendii hujus fomes, Robertus Atrebas, cui Arteſia ablata, & Mathildi amitæ ejus, Burgundo nuptæ, adjudicata erat. Id bellum per XC. annos tractum, utrumque populum maximis calamitatibus

cibus afflixit. De quo vid. *Paulus Æmilius libr. 8. pag. 445. Froſſard. libr. 1.* qui hujus belli hiſtoriam contexuit uſque ad initium Seculi ſequentis) *Polydor. Virg. libr.* 18 19.

DELPHINI *primùm à Delphinatu nominati.* Humbertus enim Delphinatium Princeps, monaſticam vitam amplexus, Philippo Galliæ Regi Delphinatum donavit, ea lege, ut Regum filii ſucceſſores, Domini ſint iſtius Principatus & Delphini vocentur. *Paulus Æmilius libr. 9.*

A. C. 1327. ORCHANES *Othmanni fil. & ſucceſſor*, quem Turcæ Vrchan Gaſi vocant, imperio ſuo Myſiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam, cæteraque ad Helleſpontum ſita adjecit. Filius quoque ejus Soleimannus, Helleſpontum cum jumentis trajicere auſus, Callipolin occupavit: qui tamen ante patrem mortuus eſt, ad alterum filium Amurathem ſucceſſione devoluta. Vid. *Annales Sultanorum* Latinè editi cum *Supplemento Joh. Leunclavii*, *Laonic. Chalcocondyl. libr.* 1.

Sigiſmundo filio Imperator Marchionatum Brandeburgenſem emit, & *Electoratus dignitatem confert.* Marchiam Brandeburgenſem, mortuo Waldemaro II. & fratre Johanne IV. ultimis ex Aſcania ſtirpe Marchionibus, Ludovicus Bavarus Imp. tanquam feudum Imperii caducum in filium ſuum Ludovicum contulerat, cum Electoratu. Sub hoc ſe prodidit Pſeudo-Waldemarus, quem Carolus IV. Imp. aliquandiu fovit. Succeſſerunt Ludovico fratres, Ludovicus Romanus & Otto, à quo poſteriore Carolus IV. Marchiam 200000. aureorum Hungaricorum redemit: quod factum anno demum Seculi LXXIII. quo, ut alii volunt, in Wenceslaum primum filium, ab hoc verò, poſtquam ipſe Imperator factus eſt, in fratrem Sigismundum collatus eſt Marchionatus cum Electorali dignitate. *Samuelis Puffendorffii Hiſtor. Brandeburgica* ſive *Commentarii de rebus geſtis Friderici Wilhelmi* &c. *impreſſi fol. Berol.* 1695. Item, *Sagittarii Hiſtor. Elector. Brandeburg.* ab origine ad annum 1680. perducta.

Inter VIROS CELEBRES Seculi hujus floruit

JOHANNES DVNS, SCOTVS, inter Scholaſticos, *Doctoris* & *Magiſtri Subtilis* nomine inſignitus, à quo denominata eſt peculiaris Scotiſtarum Secta, ut à Thoma Thomiſtarum. Perpetuus fuit Thomæ impugnator, habuitque ſuos aſſeclas & cum Thoma conciliatores. Hujus aliorumque nonnullorum Scholaſticorum elogia argutiora ſanè quàm merebatur hominum barbaries, legi poſſunt inter *Inſcriptiones Petri Labbé. Morhoff. Polyhiſt. Tom. 2. libr. 1. cap. 14. num. 8.*

Digitized by Google

num. 8. Scripta Scoti partim theologica, partim philoſophica recenſet *Bzovius Annal. Tom.* 15. *pag.* 765. *Bellarminus de Script. Eccleſ pag.* 264.

ARNOLDUS DE VILLA NOVA fuit Medicus, natione Gallus, cujus Operum uno volumine impreſſorum, catalogum exhibet *Geſnerus in Bibliothec.* ubi vide de eo plura.

AUGUSTINUS ANCONITANUS, Monachus Auguſtinianus, ſcripſit *Summam de Poteſtate Eccleſiæ*, item, *Commentarium in Canticum B. Mariæ Virginis*: tum alia in S. Scripturam, in Magiſtrum Sententiarum, in Ariſtotelem, &c. *Bellarmin. ad annum* 1301. *pag.* 265.

SIFFRIDUS PRESBYTER Miſnenſis ſcripſit Epitomen Hiſtoriarum ab A. C. 458. uſque ad 1307. Eam Epitomen *Georgius Fabricius* ſubjunxit *Hiſtoriæ* ſuæ *Saxonicæ*: ac eandem in Scriptoribus rerum Germanicarum à ſe editis exhibet *Piſtorius. Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 2. *cap.* 62. *pag.* 503. *Bellarm. pag.* 265. *ad annum* 1305. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. pag.* 200.

NICEPHORUS CALLISTUS, vel, ut *Voſſius* habet, Calliſti filius, Xanthopulus, Hiſtoricus Græcus, ſcripſit *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* libris XXIII. quorum poſtremi V. perierunt. In XVIII. ſuperſtitibus libris perducitur à Chriſto nato hiſtoria ad exitum Phocæ & initium Heraclii Imp. i. e. annum 625. Fabulis refertus eſt, ac *Bezæ* judicio, ineptus ac ridiculus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptor. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr.* 2. *cap.* 29. *pag.* 307. *Bellarm. pag.* 266. *ad annum.* 1305. *Whear Relect. Hiem. Part. I. Sect.* 37. *pag.* 147. *& Neu in Acceſſ. pag.* 272.

PETRUS AUREOLUS, Archiepiſcopus Aquenſis, ſcripſit *commentarium in Lombardi Sententiarum librum I. Bellarm. pag.* 267. *ad annum* 1317.

DURANDUS *à S. Portiano*, natione Gallus, Ordinis Prædicatorum & Epiſcopus Meldenſis, & ipſe inter antiquos Heroas Scholaſticos numeratus eſt. Scripſit *Commentaria in IV. libros Magiſtri Sententiarum.* Ridiculum eſt & ſeculo illi conveniens epitaphium ejus:

Durus Durandus jacet hic ſub marmore duro,
An ſit ſalvandus, ego neſcio, nec ego curo.

De eo *Trithem. in Catalogo Scriptor. Eccleſ.* & *Bellarm. ad annum.* 1320. *pag.* 261.

HERVÆUS Natalis Brito, Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, ſcripſit varios tractatus theologicos & philoſophicos, interque hos itidem in IV. Sententiarum libros. Recenſentur Opera ejus à *Bellarm. de Script. Eccleſ. pag.* 267. *ad ann.* 1320.

FRANC. MAIRO, itidem Scholaſticorum numerum auxit, & Scoti diſcipulus fuit. Peculiare cognomen accepit *Doctoris Illuminati.* Vid. de eo *Gaddius de Scriptor. pag.* 38. Operum ejus catalogum

Digitized by Google

gum exhibet etiam *Bellarminus pag 268. ad annum* 1320.

OCCAM, prænomine Guilielmus, dictus *Doctor Invincibilis*, ſcripſit theologica multa, & philoſophica, quædam etiam ad juriſdictionem Imperialem & Eccleſiaſticam pertinentia, in quibus Ludovici IV. cauſam tuetur contra Johannem XXII. ſeu XXIII. Papam: quæ reperiuntur in Collectaneis *Goldaſti de Monarchia Imperii. Marcus de Benevento*, qui ejus Opera edidit, in præfatione teſtatur, quod ſi apud Deos nexus Logicæ invenirentur, nullius niſi Occami, viri acutiſſimi, ſolutione uti dignarentur. *Morhoff. Polyhiſt. Tom. 2. libr. 1. cap. 13. num. 3.* Titulos Operum ejus habes apud *Bellarmin. ad annum 1320. pag. 269. Neu in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. pag. 162.*

NICOLAVS LIRANVS, natione Anglus, (quanquam *Kromayerus in Hiſtor. Eccleſ. pag.* 430 Brabantiæ oppido Lyra oriundum fuiſſe aſſerit) ex Judæo Chriſtianus factus, & Ordini Minorum addictus, ſcripſit Commentarium ſeu Poſtillam in univerſa Biblia, opus notiſſimum. Præterea ſcripſit alia nonnulla, quæ memorat *Bellarmin. ad annum* 1320. *pag.* 270. Vid. plura de Lirano apud *Trithem. de Script. Eccleſ. pag. 309. Richard. Simon. Hiſtor. Crit. V. T. libr. 3. cap. 11. pag. 46. Reimmannus Hiſtor. Literar. German. Sect. 1. Quæſt. 191.*

NICEPHORVS GREGORAS, Scriptor Græcus, præter alia condidit *Hiſtoriæ Byzantinæ* libros XI. quibus complexus eſt res annorum 145. à Theodoro Laſcare priore uſque ad ſuam ætatem, ſive obitum Andronici Palæologi poſterioris, qui incidit in A. C. 1361. Vixit autem in aula Andronici avi. Judicium de ejus hiſtoria vid. apud *Voſſium de Hiſtor. Græc. libr. 2. cap. 29. pag. 309.* & quos ibi allegat. *Whear. Relect. Hiem. Part. I. Sect. 24. & 39. & Neu in Acceſſ pag 165.*

BARTOLVS, JCtus ſuo tempore celeberrimus, primùm Piſis, deinde Peruſiis Jus docuit. Scripſit commentaria propè in totum Jus civile. De quo videndus *Jacobus Bergomas in Chron. libr. 13. pag. 342. b.* ad annum 1355. Bartolo emortualem. *Crantzius Metropol. libr. 9. cap. 25.* Plura apud *Joh. Fichard. in Vitis JCtorum.*

MARSILIVS PATAVINVS ſcripſit librum, qui inſcribitur *Defenſor Pacis, de re Imperatoria & Pontificia*, i. e. de poteſtate Papæ & Imperatoris, in III. partes ſectum, ad Imp. Ludovicum Bavarum, à tribus Romanis Pontificibus indigna perpeſſum. Opus eſt, (ut habet inſcriptio) profuturum Theologis, JCtis & Studioſis omnibus. *Geſnerus in Biblioth.* Librum hunc cum cæteris hujus argumenti exhibet *Goldaſtus* in ſuis Collectaneis *de Monarchia Imperii.* vid. *Neu in Mantiſſa ad Whear. Relect. Hiem. pag. 163.*

ROBERTVS HOLKOTH, natione Anglus, profeſſione Dominicanus, ſcripſit *in librum Sapientiæ lectiones* 213. Item, *Lecturam in Canticum Canticorum*; & *in VII. priora capita Eccleſiaſtici.* Scripſit etiam *commentarium in IV.* libros Magiſtri Sententiarum; & alia quædam. *Bellarm. pag.* 274.

NICOLAVS CABASILAS, Græcus natione, & Archiepiſcopus Theſſalonicenſis fuit. Scripſit varia theologica, de quibus *Bellarmin. ad annum* 1350. *pag.* 275.

In Serie IMPERATORVM GERMAN. poſt Carolum IV. ſequitur filius

A. C. 1378. WENCESLAVS, *ignavus, voluptatibus deditus.* Hæc enim elogia ei addit Tab. noſtra. Ipſe natus 1361. cùm baptizaretur, malo omine baptiſmum conſpurcavit. Fuit annorum 15. cùm pater moreretur. Poſtquam coronatus eſt Imperator Aquisgrani, ibidemque nuptias celebravit, ex eo tempore, Pragam reverſus, nihil Imperatore dignum geſſit. Igitur pro lubitu quisque ſuo, quicquid vellet, egit. Qua occaſione ad exemplum civitatum Helveticarum, Sueviæ quoque civitates foedus inter ſe pepigerunt, ut ſe adverſus Würtenbergenſes Comites & quoscunque alios, libertatem ſuam opprimere volentes defenderent: magnæque clades invicem illatæ & acceptæ ſunt. Ipſi etiam Helvetii hac occaſione ab Imperio abſtracti, ſingularis reſpubl. facti ſunt. Galeacium Mediolani Vice-Comitem Ducem fecit, qui hæreditario jure Ducatum poſſit transmittere. Ipſe verò in Bohemia ſua delitescens, crapulâ, libidinibus & crudelitate omnium odium meruit, bisque ob id captus eſt; ſemel à Statibus regni, qui in arce Pragenſi eum detinuerunt, unde tamen ope meretricis evaſit: iterum à fratre Sigiſmundo Rege Hungariæ, qui eum Viennam deductum commendavit Alberto Auſtriæ Duci. Vnde verò iterum Pragam rediit, adjutus à piſcatore aliquo, & ſpecie mendici in arcem Pragenſem receptus eſt. Vid. de moribus ejus, quibus depoſitionem meruiſſe viſus eſt, *Chronic. Belg. Magn. pag.* 326. *Æneas Sylv. Hiſtor. Bohem. cap.* 34. *Dubravius Hiſtor. Bohem. libr.* 23. *initio.* Nam Principes Imperii cùm viderent, omnia in Imperio peſſum ire; de alio Imperatore eligendo poſt 22. annum conſultarunt conventibus habitis, in quibus Wenceslao dignitas conſenſu Electorum abrogatur, &

FRIDERICVS DVX BRVNSVICENSIS *Cæſar deſignatur* anno 1400. Depoſitionis ſententia terminis formalibus exhibetur in *Vrſtiſianis Scriptoribus*

Digitized by Google

ptoribus pag. 150. *Lehmannus* quoque *in Chronico Spirenſi libr.* 7. *cap.* 72. exhibet literas ab Electoribus ad Status ea de re miſſas. De Wenceslai deſtitutione vid. etiam *Limnæum Addit. ad libr.* 2. *J. P. cap.* 11. *pag.* 62. *ſeqq. Boecler. Notit. Imp. libr.* 4. *cap.* 1. & *Excerpt. Controv. Illuſtr. XI. Tom. III. Diſſertationum ejus pag.* 470. Sed Fridericum, invito Moguntino electum, cæteris Electoribus conſentientibus, idem Moguntinus, dum Francofurto Brunsvigam revertitur, per Comitem de Waldeck ex inſidiis necandum curavit. Vid. *Henr. Meibomii Diſſertatio de Friderici Ducis Brunſuicenſis & Lunaburgenſis in Imperatorem Rom. electione*: quæ & ſeorſim excuſa Helmſtadii 1682. & *Tom. III. Rer. German.* inſerta eſt. Itaque eodem anno eligitur

RVPERTVS PALATINVS, qui ipſe Elector fuit. Et hic quidem decennio toto Imperium adminiſtravit, quamvis aliquæ urbes Wenceslaum, cui fidem dederant, adhuc pro Imperatore haberent, inprimis etiam Aquiſgranum, ubi Rupertus propterea non eſt coronatus. Hujus *Ruperti Imp. contra Galeacium Mediolanenſem irrita expeditio*, quanquam ad ſequens Seculum refertur, propter connexionem hic memoranda eſt. Galeacius enim iſte jam toti Italiæ formidabilis erat: contra quem à Florentinis accitus Rupertus acceptâ clade reque infecta in Germaniam rediit. (vid. *Bergom. Chron. libr.* 14.) cui pacificandæ operam dans, anno 1410. moritur. Quod autem

JODOCVS *Marchio Moraviæ* hic ſubſtituitur, id fit ex auctoritate *Chronici Belgici Magni pag.* 356. ubi dicitur, Jodocum mortuo Ruperto, anno 1410. electum in Regem, non autem coronatum fuiſſe, cum V. menſes pòſt mortuus ſit. Et verius hoc eſt, quàm quod *Mutium* ſecuti nonnulli dicunt, ſtatim poſt depoſitionem Wenceslai ſuffectum fuiſſe Jodocum; alii verò ſubſtituunt ei ſtatim FRIDERICVM; rurſus alii utroſque hos omittunt, ſtatimque ponunt Rupertum Palatinum. Vid. *Apparatus Juris Publici* heic Argentorati editus; item, *Jacobus Wenckerus in Apparatu & Inſtructu Archivorum, pag.* 270. & 304. ubi utrobique Acta & monumenta huc pertinentia exhibentur. Intervallum certè illud inter tempus depoſitionis Wenceslai & electionem Sigismundi, (de quo poſtea) ſatis confuſum & turbatum eſt in Hiſtoria: quod optime expreſſiſſe videtur *Browerus in Annal. Trevirenſ. libr.* 2. *cap.* 17. *pag.* 259. WENCESLAVS mortuus eſt vigeſimo poſt depoſitionem anno, 42. ab electione i. e. A. C. 1420. Scriptores ſunt *Chronic. Belg. Magnum. Naucleru. Cuſpinianus, Æneæ Sylvii Hiſtor. Bohem. Paulus Jovius.*

In IMPERIO CONSTANTINOPOLITANO

A. C. 1354. JOHANNES VI. Palæologus ſeu CaloJoannes dictus, remoto à gubernaculis Joanne Cantacuzeno, qui ſub tutorio nomine poteſtatem omnem ad ſe trahebat, ſolus deinceps præfuit; ſub quo Turcæ potentiam ſuam etiam in Europâ extendere coeperunt, capta Callipoli, Hadrianopoli, Philippopoli. Ipſe à filio ſuo exagitatus *Andronico* Palæologo, nunc exul & carceri aliquandiu incluſus, nunc iterum reſtitutus Turcorum arbitrio regnabat. Eo mortuo,

A.C. 1384 EMANVEL PALÆOLOGVS, Johannis filius, Andronici ſupra dicti frater, hoc iisdem artibus, quibus ipſe in Patrem uſus erat, expulſo, imperavit, Turcarum ope, quibus 30000. aureornm annua pendere promiſit. Et illos quidem, quò minus jam tum totum Græcorum Imperium everterent, Tamerlanis irruptio & ſecuta clades Bajazetis (qui prius Byzantium gravi obſidione preſſerat) impedivit, filiorumque ejus diſſidia. Emanuel verò VII. habuit filios ex conjuge Turcicâ, vidua Regis Trapezuntini, ſuſceptos, quorum Johanni regnum deſtinavit, cæteris Principatus in Græcia attribuit, varia deinde fata expertis. Ipſe mortuus eſt anno ſequentis Seculi XIX. Vid. *Laonic. Chalcocondyl. libr.* 1. 2. 3. *Georgius Phranzes Protoveſtiarius libr.* 1. *Annal. Turc.* Add. *Philippi Melanchthon. Chron. libr.* 5. *p. m.* 105. *ſeqq.*

RES ECCLESIÆ
hac altera parte Seculi memorantur hæ:

A. C. 1360. ACADEMIA PRAGENSIS *à Carolo Imp. fundatur*, ad exemplar Academiæ Pariſienſis inſtituta, & ante turbas Huſſiticas multis millibus Studioſorum frequentata. De ea vid. *Dubrav. Hiſtor. Bohem. libr.* 22. *Faſciculus Temporum pag.* 85. *a. Middendorp. de Orbis Chriſtiani Academiis libr.* 2.

Vrbanus V. ROSAM CONSECRATAM *excogitavit &* AGNOS CEREOS. (Hoc lemma non eſt à *Schradero.*) Hæc inventa poſtea inſervierunt pro muneribus ad viros principes deſtinandis, quæ Papæ Sacra & magni æſtimanda credi volebant. Miſit etiam tunc Vrbanus Papa Imperatori Græco Johanni Palæologo tres particulas ceræ ejusmodi benedictæ, additis elogiis virtutum ejus, quæ verſiculis his adjectis comprehendit; Balſa-

Digitized by Google

Balſamus & munda cera cum chriſmatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do Tibi magnum, &c.

Sed Græci illos Agnos Dei irriſerunt, quod in locum vituli conflatilis ſucceſſerint, teſtante ipſo *Bzovio Annal. ad annum* 1367. ubi etiam reliqui verſus legi poſſunt. Vid. *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. Sect.* 14. *pag.* 703.

A. C. 1386. JAGELLO LITHVANVS *cum gente ſua fit Chriſtianus.* Jagello hic Dux Lithuaniæ cum ſuis popularibus adhuc Gentilium idolotatriæ addictus erat. Ei verò Poloni Hedvigem filiam Ludovici Regis ſui deſponderunt, ea lege, ut Chriſtianis ſacris initiatus, Lithuaniam Poloniæ regno adjungeret; quâ conditione accepta baptizatus, & Ladislaus vocatus eſt, regnumque Poloniæ, Lithuaniæ acceſſione auctum ad poſteros ſuos in trecenteſimum ferme annum propagavit. Vid. *Matth. Mechov. Hiſtor. Polon. Cromer. libr.* 14. *&* 15. *Trithem. Genebrardus pag.* 709.

SENENSIS, COLONIENSIS, ERPHORDIENSIS ACADEMIÆ *inſtitutæ.* *Senenſis* quidem in Italia auctoritate Pontificis; *Colonienſis* ſumptibus Senatus 1387. & ab Vrbano V. Pontifice confirmata. Vid. *Calend. Bucholtz.* & *Trithemius. Erfordienſis* verò A. C. 1392. *Crantz. Saxon. libr.* 10. *cap.* 15. *Calend. Bucholtz. Genebrardus*, & de omnibus his Academiis *Middendorpius.* (Etiam hoc lemma non eſt in primis editionibus)

A. C. 1391. ANNATÆ *à Bonifacio IX. Pont. Rom. inſtituuntur.* Annatæ dicuntur omnes illi proventus & reditus, qui Clericis novis primo anno obveniunt, quas Romano Pontifici pendendas inſtituit tunc primùm Bonifacius X. Papa, qui Romæ ſedem habebat, (alius enim eodem tempore Avenione reſidebat) & hoc invento reditus Eccleſiæ in immenſum auxit. Conſenſerunt in hoc Bonifacii poſtulatum omnes tota Europa nationes, exceptis Anglis. Vid. *Platina in Bonifacio IX. Theodoricus à Niem libr.* 2. *de Schiſmat. cap.* 7. *& ſeqq.* Alii tamen originem Annatarum antiquiorem faciunt. Eæ poſtea, quod multarum querelarum cauſam præberent, in Concilio Baſilenſi anno 1431. celebrato Seſſione XII. prohibitæ & inprimis Seſſione XXI. omnino ſublatæ ſunt, quod Decretum à Galliæ præſertim Regibus ambabus manibus arreptum, & ſubinde renovatum eſt.

VISITATIONIS MARIÆ FESTVM *inſtitutum* (Hoc quoque ab Interpolatoribus eſt) Inſtituit Vrbanus VI. Pont. & 6. Non. Julii ſervari juſſit. *Hoſpinian. de Orig. Feſt. pag.* 80. idque ſecundùm formam Sacramenti Euchariſtiæ propter impetrandam unionem (i. e, tollendum Schi-

Digitized by Google

Schiſma) meritis B. Virginis. *Faſciculus Temporum pag. 68. b.* Bullam confirmationis à Bonifacio IX. editam habet *Bzovius ad A. C. 1390. Sect. 3*

ALBATORVM *Secta nata.* (Iterum inſertum ab Interpolatoribus) Horum Dealbatorum ſeu Beghardorum (nam ſic qq. dicti ſunt) Senis in Italia excitatus eſt furor, qui anno 1389. (ut habet *Hiſtor. Eccleſ. Gothan.* ſed credo erratum eſſe typographicum pro 1399.) cùm univerſa Italia bellis arderet, ſequuti ſacerdotem formá corporis & eloquentia præſtantem, albas induebantur veſtes ad pedes demiſſas, virique pariter ac foeminæ, virgines & conjugati, interque hos illuſtri genere nati, bini longo ordine ibant, ad vicinas urbes, magno clamore pacem & miſericordiam poſcentes; totá quæ intra Alpes eſt Italiá in peregrinationes iſtas effuſâ: ſic ut ex unâ urbe Luca ad 3000. hominum turbæ iſti ſe adjungerent, donec à Bonifacio Pontifice coerciti, & Sacerdos iſte combuſtus eſt. Vid. *Matthaeus Palmerius*, qui ſcribit adeò omnium animos religionem iſtam occupaſſe, ut, ſi quis alia quàm alba veſte conſpiceretur, pro contemtore Numinis fuerit habitus: duravitque ſuperſtitio iſta per tres menſes. *Nauclerus Gener. 47. Bergomenſ. Chronic. libr. 14. ad annum 1399.*

Sub titulo VARIORVM notatur

Ad A. C. 1356. AMVRATH *Turcarum Sultanus capta Hadrianopoli ſedem ibi figit*. Poſtquam enim ſemel in Europam tranſierunt Turci, ab ipſis ſcilicet Græcis & eorum Imperatore Johanne Palæologo invitati in auxilium contra rebelles, Amurathes illorum Imperator tertius (quanquam alii hæc Solimanno adſcribunt) ſpei inhians obtinendæ regionis opulentæ, denuo cum 60000. in Europam tranſiit, tanquam ſocius vel inviti Cæſaris, ad reliquias belli perſequendas, & poenas expetendas ab iis qui à Palæologo defeciſſent. Is trajiciendi prætextus fuit. His copiis Callipolin in Cherſoneſo, & aliquot vicina Helleſponti oppida vi expugnavit, mox Philippopolin in Thracia, & denique etiam Hadrianopolin, quæ ſupra Hebrum ſita eſt, occupavit: qui locus quoniam opportunior viſus ad magnum Imperium, & conjungendas cum Aſia vires Europæ, ibi ſedem Imperii fixit, relictâ Pruſiâ Bithyniæ urbe, ubi regia tunc Turcarum erat. Et ſanè Hadrianopolin etiam noſtris temporibus ſæpe divertunt Turcici Imperatores, maximè ſiquando peſtis Conſtantinopoli graſſatur. De capta Hadrianopoli, & ibi conſti-

Digitized by Google

conſtituta regia, vid. *Laonicus Chalcocondylas* & *Annal. Sultanorum.*

A. C. 1386. TAMERLANES *Scytha Babylonem occupat.* De hoc Tamerlane ſeu Timure (ita enim Græci vocant) qui hoc tempore cum innumerabili multitudine equitum peditumque torrentis inſtar è Scythia effuſus, omnia impetu ſuo protrivit, videnda omnino *Diſſertatio Boecleri Tom. I. Diſſertationum ejus pag.* 284. ubi totam hujus viri hiſtoriam collegit ex ſuis, quos potuit invenire, auctoribus, *Ahmedo Arabſcha filio, Joh. Schiltbergero Monacenſi, Annalibus Sultanorum Turcicorum, Petri Perodini Vita Tamerlanis, Richerio, Cuſpiniano*, &c. Ejusdem Timuri hiſtoriam fuſius ex Arabum monumentis recenſet *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap.* 15. *Sect.* 2. §. 3. *pag.* 609. *ſeqq.*

A. C. 1388. SIGISMVNDVS *Rex Hungariæ.* Sigiſmundum Caroli IV. Imper. filium, Wenceslai ignavi fratrem, jam tum vivo adhuc patre, Ludovicus Hungariæ Rex adoptaverat, eique filiam ſuam Mariam deſponderat. Ipſe à patre pro ſpe regni in Pannoniam miſſus, literis moribusque Hungaricis imbuendus: poſt mortem Ludovici ſoceri tandem, annitente Eliſabetha regina vidua, in Regem coronatus eſt; quanquam bona pars Procerum extincti Ludovici Regis nepotem Carolum, regno Neapolitano paulò ante potitum, in Pannoniam accerſebant, qui veniens inſidiis Eliſabethæ occiſus eſt. *Anton. Bonfinius, Palmerius in Chron. Crantz. Saxon. libr.* 10. *cap.* 8. *Dubrav. libr.* 23. *Æneas Sylv. Hiſtor. Bohem. cap.* 33. Sigiſmundi hujus, poſtea Imperatoris, caſus varios & mirabiles antequam Imp. fieret, per modum Indicis tantùm ex auctoribus, quos nominat, excerpſit *Boeclerus in Excerpt. Controv. illuſtr. XIII. Tom.* 3. *Diſſert. pag.* 472.

A. C. 1395. PRÆLIVM AD NICOPOLIN *inter Sigiſmundum & Bajazetem*, quo victus eſt Sigiſmundus. Præcipua iſtius cladis cauſa fuit Johannes Philippi Burgundiæ Ducis filius, qui primam aciem invito Sigiſmundo ſumſerat regendam. Hiſtoria hujus prælii petenda eſt ex *Bonfin. libr.* 2. & *Dubrav. Hiſtor. Bohem. libr.* 23. item *Laonic. Chalcocondyl. libr.* 2. *Paulus Æmilius libr.* 10. *Joh. Naucler. Gener.* 47. Johannes Burgundus captus à Turcis, & redemtus poſtea, in memoriam captivitatis Ordinem militarem inſtituit Equitum aurei Velleris. *Chron. Melanchthon. libr.* 5. *p. m.* 107. *a.*

BAJAZETES *à Tamerlane captus cavea ferrea includitur.* Bajazetes à victoria ad Nicopolin parta ad obſidionem Conſtantinopolis reverſus erat, quæ diutius reſiſtere tanto hoſti, attritis Græcorum viribus, non potuiſſet, niſi interpellata obſidio fuiſſet irruptione Tamerlanis in Aſiam: qui filium Bajazetis ad Sebaſten victum inter-

Digitized by Google

emerat. Huic igitur ipſe Bajazetes in Cappadocia occurrit, Scytharum Europæorum multarumque gentium auxiliis inſtructus. Dimicatum eſt inter hos ad Stellam montem in campis, quos Turci lingua ſua Caſſovaſi, i. e. Anſerum campos, nominant, A. C. 1397. eo exitu, ut circiter 140000. hominum ceciderint. Tum Bajazetes equo plurimis ſagittis confoſſo, captus eſt, & catenis vinctus aureis, inque cavea ferrea circumductus, miſerabile ſpectaculum toti Aſiæ præbuit. Denique impatiens calamitatum, illiſo ad caveam capite, ſibi ipſi in Jonia mortem conſcivit. Vid. *P. Perondinus in Vita Tamerlanis cap. 9. Wolfgangus Drechslerus de Rebus Turcicis*, &c. & inprimis *Boecleri Diſſertatio cui titulus* TIMVR, *Tom. I. Diſſertat. pag.* 300. ubi quidem hæc expeditio ad annum 1403. refertur Scriptores de hac clade Bajazetis indicat idem *Boeclerus Excerpt. Controv. Illuſtr. XII.*

BOMBARDÆ INVENTÆ *dicuntur à Bertholdo Schwartz. Monacho.* (Hoc non eſt in primis editionibus *Schraderi*) Inventio pulveris pyrii & bombardarum, ad quem præciſe hujus Seculi annum, & ad quem auctorem referenda ſit, non adeò certum eſt. Imperante Sigiſmundo id factum eſſe ſcribit *Dubravius Hiſtor. Bohem. libr. 23.* Quod inventorem attinet, Germanum fuiſſe plerique conſentiunt; etiam exteri. *Platina in Vrbano VI. Laonicus Chalcocondylas libr. 5. Jovius in Elogiis Doctorum Virorum.* &c Monachum quoque profeſſione fuiſſe conſtat; quanquam & hoc negat *Aubertus Miræus Chron. ad annum* 1380. Chymicus certè fuit, quem alii aliter, plerique tamen Bertholdum Schwartz vocant. *Aventin. libr. 7. Annal. Bojor. Münſterus libr. 5. Coſmograph. pag. 598. ex Epiſtola D. Achillis Gaſtari, Medici. Auctor Epigramm. apud Schoenborn. Polit. libr. 6. cap. 9. pag. 596.*

Quæ latuere alios, Münſterus nomina ponit,
Bertholdumque vocat nomine reque Nigrum.

Notat tamen *Morhoff. Polyhiſt. Tom. 2. libr. 2. Part. 2. cap. 38. num. 3.* quod *Rogerus Baco*, Anglus, jam tum pulveris pyrii meminerit in *Epiſtol. de Operibus Secretis artis & naturæ*: qui diu ante Schwartzium iſtum vixerit: adeoque in dubium vocat, utrum Germanis ea inventio tribuenda ſit, an potius Anglis. De tempore minus convenit, aliis ad medium hujus Seculi, aliis ad finem referentibus. Sed fortaſſis hi facile conciliari poſſunt, ſi diſtinguatur inter inventionem ipſam & inventi primum uſum. De modo & occaſione inventionis pluribus agit *Schopperus de Germania Part. 2. cap. 5. fol. 306. Polydor. Virgil. de Rerum Invent. libr. 2 cap. 11.* Add. *Wimpheling. Epitom. German. cap. 64. Beſold. de Bombard. & Typograph. Eugenius Gentilinus de Bombardis.*

Meyerus

Meyerus de veris inventis Germanorum. Reimmann. Hiſtor. Liter. German. Sect. I. Quæſt. 229.

Reſtant VIRI DOCTI, quorum in hac alterâ parte Tabulæ pauci quidem nominantur, ſed iidem tamen ferè literarum bonarum reſtauratores.

FRANCISCVS PETRARCHA certè talis fuit, qui natus in agro Florentino, poſtea varia eruditione celeberrimum ſibi nomen comparavit, Poetices inprimis ſtudio deditus. Primus omnium Latinam linguam à barbaricæ pravitatis mendis inculpatam reſtituit, ac undique laceram exornavit. Luſit etiam elegantiſſimis verſibus Italicis amores ſuos erga Lauram. Opera ejus partim proſa, partim carmine ſcripta recenſet *Geſner. in Biblioth.* & *Bellarm. de Script. Eccleſ. pag. 276.* Vid. & *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 1. pag. 523.* & *de Poët. Latin. c. 7. pag. 76. ſeq. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 14. cap. 3 pag. 393.* Vitam Petrarchæ ſcripſit *Thomaſinus.*

JOHANNES TAVLERVS. Hic vir pietatis ſingularem habuit laudem, concionator egregius, qui Argentinæ in collegio Dominicanorum vixit: ubi & ſepulcrum ejus viſitur, cui inſculpta imago ejus, Agnum Dei digito monſtrans. Eum *Johannes Eckius* de fide ſuſpectum habuit: nempe ea aliquando ſcripſit, quæ Romanæ Eccleſiæ dogmatibus ſaniora ſunt. Scripta ejus quæ ſint vide apud *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad annum* 1350. *pag.* 278. De eodem vid. *Catalog. Teſtium Veritat. libr. 18. pag. 771. Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap. 14. pag. 716. Arnoldi Hiſtoria Theologiæ Myſticæ pag. 299.* & *Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 14. cap. 3. pag. 394.* Extat & *Hiſtoria Johannis Tauleri*, quam *Johann Georgius Lipper* Lunæburgi in VIII. inprimi fecit 1689. & *M. Georg. Friderici Heupelii* noſtri *Memoria Joh. Tauleri inſtaurata.*

JOH. WICLEFVS. Fuit hic Anglus, Profeſſor Oxonienſis, qui circa hoc tempus multa ſcribere coepit contra receptas Seculi ſui opiniones & dogmata: inprimis in libello, cui ipſe *Alethiæ* i e. Veritatis titulum impoſuit: ex quo poſtea Huſſus quoque melius informatus eſt, idemque libros Wiclefi in Bohemiam intulit, qui 200. numero, auro & argento fibulati, poſtea juſſu Archiepiſcopi Pragenſis publicè cremati ſunt. Ipſe Wicleſus propter profeſſionem doctrinæ in exilium miſſus, moritur in Anglia A. C. 1387. d. 31. Decembr. Ejus verò corpus, Martini Pontificis juſſu, exhumatum,

Digitized by Google

ac publicè combuſtum eſt anno 41. ab obitu ejus, Chriſti 1428. Wiclefi hiſtoriam multi conſignarunt, quam breviter unà cum compendio dogmatum ejus, ex ſuis auctoribus recenſet *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap. 14. pag. 901. ſeqq.* ex *Lelando*, *Balæo*, *Auctore Teſt. Verit.* &c. Add. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 14. cap. 5. pag. 398.*

BALDVS DE VBALDIS, Peruſinus, JC. Bartholi diſcipulus, Juris Doctrinam Bononiæ profeſſus eſt, & ob inſignem eruditionem tam in Jure civili quàm Canonico circa hæc tempora inclaruit. Extant ejus *Commentarii in Jus Civile.* Vid. *Jacobus Bergomas in Chron. libr. 14. pag. 557.* Plura de eo vid. apud *Fichard. in Vit. JCtorum*, ex quo *Geſnerus in Bibliotheca.*

JOHANNES BOCACIVS, Certaldenſis, bonarum literarum poſt Petrarcham, cujus auditor fuit, Aſtronomiæ item & Philoſophiæ reſtaurator. Magnam eruditionis & induſtriæ laudem retulit opere, quod *Genealogiam Deorum* vocat; item, *Compendio Hiſtoriæ Romanæ*, aliïsque quæ recenſet *Jacobus Bergomas ad annum 1375.* & ex eo partim *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 1. pag. 525. ſeqq.* quem vide pluribus agentem de hoc Bocacio.

TAB. XXVI. & SEC. XV.

Quæ de RVPERTI expeditione Italica, in Seculum XV. incidente, & de JODOCO Marchione Moraviæ dicenda erant, jam tum ad ſuperiorem Tab. diximus.

A. C. 1411. SIGISMVNDVS, Wenceslai frater, poſt Ruperti mortem & Jodoci tergiverſationem in acceptando Imperio, conſenſu Electorum, cui ipſe dicitur ſuum addidiſſe tanquam Marchio Brandeburgicus, in Imperatorem electus eſt; cùm prius fuiſſet Hungariæ Rex, ejus regni poſſeſſionem non ſine magnis turbis ac cædibus conſecutus. Quod tamen ſuo ſe ſuffragio elegerit, negat *Gundlingius* in ſeinem Abriß zu einer rechten Reichs-Hiſtorie *pag. 251. num. 96.* ne quidem præſentem in Comitiis Electoralibus fuiſſe aſſerens: quod apparet etiam ex literis nuntiatoriis Electorum de hac electione; ubi non ipſe Sigiſmundus, tanquam Elector Brandeburgicus, ſed ejus Legati (ſeine Machtbotten) nominantur inter Principes Francofurti eo nomine congregatos. Eas literas ex archivo Argentinenſi exhibet *Wenckerus in Appar. & Inſtr. Archiv. pag.* 308. add. quæ *ibid. pag. præc.* habentur.

Dictum

Digitized by Google

Dictum eſt ſupra, quod Marchionatum Brandeburgicum, à Carolo IV. patre ſuo emtum, Sigismundus obtinuerit. Factus autem Imperator, Fridericum Burggravium Noribergenſem, ex familia Hohenzollerana, A. C. 1417. eo inveſtivit, hac tamen conditione, ut Electoratum hunc ipſi rurſum cedere teneretur, acceptis 400000. aureorum Hungaricorum; vel ſi eum ſine prole maſcula mori contingeret, idem ad Sigiſmundum aut fratrem ejus Wenceslaum rediret. Et poſteri hujus Friderici adhuc eum obtinent. Et hoc eſt, quod Tab. noſtra habet:

Marchia Brandeburgica in Fridericum Burggr. Noribergenſem collata. De Burggraviis Noribergenſibus vid. *Melanchth. Chron. libr. 5. p. m. 47. b.* Add. *Samuelis Pufendorffii Hiſtor. Brandeburg. Sagittarius in Hiſtor. Elector. Brandeburgenſ. ab Orig. ad ann.* 1680. deducta, quæ edita eſt Jenæ 1695. Ipſe Sigismundus Princeps fuit omnibus corporis animique dotibus eo faſtigio dignis ornatus, totâ tamen vita bello infeliciſſimus. De clade ejus à Turcis ad Nicopolin acceptâ, ſupra diximus. Sub eodem etiam

A. C. 1421. *Initium belli Huſſitici contra Ziſcam* fuit. Cauſa præcipua Huſſi & Hieronymi Pragenſis ſupplicium, qui contra datam à Sigismundo fidem ſalvi conductus, ab Epiſcopis ſeculari poteſtati ut hæreſiarchæ traditi, exuſti ſunt. Id quod Bohemi bello & rebellione adverſus Sigismundum ulti ſunt: interim enim Wenceslaus mortuus erat. Cum itaque Sigismundus Huſſitas ulturus, totius Imperii Rom. viribus adverſus illos proficiſceretur, Martinus quoque Papa, miſſo Cardinale Juliano, indulgentias iis promitteret, qui contra Huſſitas militarent, ter tamen ab illis repulſi, & maximis cladibus affecti ſunt Germani, Ziſca & poſthunc Procopio Raſo ducibus ſemper victoriam reportantibus. De expeditionibus Huſſiticis multa collegerunt *Lehmannus*, *Schilterus*, *Dattius*, quæ typis edita hiſtoriam iſtam egregie illuſtrant. Ziſca ille ita appellatus eſt, quod altero oculo, in prælio amiſſo careret, aliás Johannes de Trocznowa dictus, Camerarius Wenceslai Regis fuit, ab eodem, ut ferunt, ad arma ſumenda animatus. Vid. plura de eo apud *Becmann. in Hiſtor. Orb. Terrar. p.* 708. Conſedit quidem aliquantùm hic turbo, poſtquam in conventu Egrano cum iis transactum eſt, & libertas quædam illis relicta, confirmataque poſt in Concilio Baſileenſi, anno Seculi 38. Sigismundus interim in regno Bohemiæ, etſi utcunque pacato, ſubſiſtere non eſt auſus, vitamque Brinnæ in Moravia clauſit, Seculi anno 37. & Imperii 27. Succeſſorem in utroque regno Hungariæ & Bohemiæ habens Albertum Auſtriacum, unicæ filiæ ſuæ maritum. Conf. *Chronic. Belg. M. Æneas Sylvius in*

Digitized by Google

Hiſtor. Bohem. Langius in Chronic. Citizenſi, *Chron. Elwangenſe*, *Cuſpinianus*, *Nauclerus*, *Laonicus Chalcocondylas* (ex cujus libris III. Annal. eximia monumenta excerpſit *Freherus*) *Lehmann. in Chron. Spirenſi.* Huſſitici belli Hiſtoriam ex Pontificiis tradiderunt *Dubravius*, *Hagecius*, *Borecius* in ſcriptis ſuis de rebus Bohemicis: *Joh.* item *Cochlæus Hiſtoriæ Huſſitarum libris 12. Æneas Sylvius Hiſtor. Bohem.* Ex Evangelicis *Gallus Zalansky*, *Concionibus de Vita Huſſi*, *Zacharias Theobaldus*, qui omnium diligentiſſimè Huſſiticas res tractavit, fatente ipſo è Soc. J. Scriptore *Balbino*. Idem *Theobaldus* etiam Sigismundi Imp. res uberius exponit, & *Part. 2. cap. 2.* brevem Vitæ & mortis ejus Hiſtoriam & elogia exhibet.

A. C. 1437. ALBERTVS II AVSTRIACVS, de quo prædiximus, in Roman. quoque Imperatorem creatus eſt, rarâ felicitate eodem anno tribus regnis potitus. Bella, quæ geſſit cum Bohemis, Moravis, Polonis, non tam nomine Imperii, quàm ipſius geſta ſunt, ad dotem conjugis, cujus Bohemia hereditaria fuit, vindicandam. Non eſt coronatus Romæ à Pontifice, ejus tamen auctoritate confirmatus: qui mos antea rarior, ut Imperatores, qui non poterant propter turbas aut alia impedimenta coronari, nihilominus tamen confirmarentur: quod deinceps ſæpius factum eſt. *Chron. Belg. Magn. pag. 376.* Ingens de hoc Alberto fuerat expectatio, quam breve ejus Imperium irritam fecit. Nam cùm adverſus Turcos bellum pararet, dyſenteria correptus, in caſtris apud Strigonium mortuus eſt, A. C. 1439. ſecundo Imperii. Vid. *Chron. Belg. M. Nauclerus, Cuſpinianus*, *P. Lang. Chron. Citic. Mutius*, *Zachar. Theobaldus Belli Huſſit. Part. 2. cap. 3. uſque ad cap. 7.*

A. C. 1440. FRIDERICI *III. res*, quia pleræque in alteram partem Seculi incidunt, illuc differemus Nunc

HISTORIAM IMPERII CONSTANTINOPOLITANI
uſque ad hujus interitum memorabimus.

A. C. 1417. JOHANNES PALÆOLOGVS, *Andronici fil.* poſt Emanuelis patrui mortem, quæ ſecundùm *Rupertum pag. 613. fin.* incidit in annum Chriſti 1419. Imperii labentis habenas ſuſcepit. Quem tamen alii prorſus omittunt, interque eos *Philippus Melanchthon in Chron.* Breve certè ejus imperium fuit; & ſucceſſit

A. C. 1420. JOH. PALÆOLOGVS *Emanuelis fil.* cujus itidem nullæ commemorantur res geſtæ Neque enim conari quicquam potuit, circumſeptus undique & concluſus ab hoſtibus, omnique exutus potentia. Invitatus ab Eugenio Pontifice venit in Italiam, cum celebraret Concilium Florentinum. Inde reverſus domum non diu ſupervixit.

A. C.

Digitized by Google

A. C. 1444. CONSTANTINVS PALÆOLOGVS *Emanuelis filius* natu minimus, & ultimus Conſtantinopolitanus princeps. Nam ſub eo A C. 1453. *Conſtantinopolis à Turcis occupatur.* Eam Mahomethes II. Turc Imp. contracto in Europa Aſiaque quadringentorum millium exercitu, terra marique clauſit, & poſt 54. dierum obſidionem d. 29. Maji prædicti anni expugnavit. Speciales ejus obſidionis eventus, & ſævitiam hoſtium in expugnata urbe, quam per triduum diripiendam dedit tyrannus, deſcribere longum foret. Conſtantinus Imp. cum reliqua fugientium turba ſalutem quæſiturus, portaque erupturus, prementium rabie eliſus periit. Caput ejus haſtæ longæ ſuffixum, hoſtium caſtris jucundum ſpectaculum præbuit. Tanta in ea expugnatione ſpolia retulerunt Turcæ, ut de locuplete proverbium apud eos ortum ſit: *Interfuiſti direptioni Conſtantinopolitanæ.* Atque ita tandem defecit, quæ jam diu cum morte luctata erat, Nova Roma, & Imperium Orientale penitus everſum eſt. Vltimorum, quos diximus, Principum res petendæ ex *Laonic. Chalcocondyl. libr.* 8 & *Georg. Phranzæ libr.* 3. Hiſtoriam verò expugnationis Conſtantinopoleos præter hos fuſius exequuntur *Leunclav. libr. 15. Hiſtor. Muſulm. pag. 578. ſeqq.* & in *Annal. Turc. pag. 28.* & *in Pandect. num. 129. Petrus Juſtinianus libr. 3. Hiſtor. Venetæ pag. 154. ſeq. Reuſner. libr. 3. Epiſtol. Turc. pag. 113. & libr. 4. pag. 135. Leonard. Chienſis de captivitate Conſtantinopoleos & Godefred. Langus de eodem argumento. Jacobus Struckhuſius in Syntagm. Hiſtor. Saraceno-Turc. pag. 168. ſeqq. Continuator Michaelis Glycæ. Commentariorum Pii II. Papæ libr. 1. pag. 38. Crantzius Saxon. libr. 11. cap. 33. Chriſtoph Richerius de rebus Turc. libr. 4. Philipp. Melanchthon. Chron. libr. 5. p. m. 309. a. ſeqq. Cangei (Monſieur du Cange) Conſtantinopolis Chriſtiana deſcriptio.* Auctores hujus hiſtoriæ & momenta præcipua indicat *Boeclerus Exc. Controverſ. Illuſtr. XVIII. in Tom. 3. Diſſert. pag. 476.*

RES ECCLESIÆ memorantur hæ:

A. C. 1401. CRACOVIENSIS ACADEMIA *conditur.* Ejus fundamenta jacta fuere jam A. C. 1364. erecta verò & conſummata vel inſtaurata à Vladislao Jagellone Rege, conſentiente Bonifacio IX. Prima lectio in Jure Canonico incepta eſt feria ſecunda poſt Jacobi Apoſtoli, per Archiepiſcopum Cracovienſem. Profeſſores à Pragenſi Academia accerſiti, cenſus è ſalinis & telonio deſumti. Vid. *Mechor.* item *Genebrard. pag.* 710. add. *Middendorp. de Orb. Chriſt. Academiis.*

HERBI-

HERBIPOLENSIS & LIPSIENSIS *Academiæ inſtituuntur.* De harum Academiarum fundatione vid. eundem *Middendorpium. Herbipolenſis* quidem Academia à Gerhardo Epiſcopo inſtituta fuit jam in fine Seculi præcedentis, impetratis unde neceſſe erat privilegiis; ſed ob continuos tumultus bellicos brevi exolevit, Studioſis Erfurtum concedentibus. Eam poſtea inſtauravit Julius Epiſcopus. *Lipſienſis* verò ortum cepit ex decremento Pragenſis Academiæ: in qua cùm controverſia orta eſſet de ſuffragiorum plurium privilegio, quo Germani Bohemive gauderent, in electionibus magiſtratus Academici, & pro Bohemis pronuntiatum fuiſſet à Rege, ad quem controverſiam detulerant, Germani facta conjuratione, Praga omnes diſceſſerunt, numero ad 5000. (ut *Æneas Sylvius* habet, multò vero plures, ut *Dubravius* & *Hagecius*) Lipſiam petentes: eorumque in gratiam, Fridericus Elector Saxoniæ Academiam eo loco fundavit anno 1409. Vid. & *Naucler. Gener.* 47. *pag.* 264. *b. Crantz. Metropol. libr.* 11. *cap.* 8. qui 2000. tantum illuc conceſſiſſe Germanorum tradunt. *Pfeifferus in Lipſia libr.* 3. § 13. *ſeqq.*

A. C. 1414. CONCILIUM CONSTANTIENSE propter Schiſma potiſſimùm convocatum fuit à Johanne XXIII. Pont. urgente Sigismundo Cæſare, qui ipſe ea cauſa plerosque omnes Chriſtiani nominis Reges adiit, hortatus illos, ut in commune conſulerent. Quamobrem Maximilianus I. Imp. Sigismundum per jocum appellavit des Heil. Römiſchen Reichs Büttel. De Sigismundi Imp. curà circa emendationem Eccleſiæ teſtatur ejus *Reformatio* apud *Goldaſtum*, Germanicè verſa per Fridericum Von Landeſtron / Imperatoris Sigismundi Conſiliarium: quæ etiam Baſileæ excuſa extat 1521. 8. ſub titulo: Keyſers Sigismundi Reformation der Chriſtlichen Kirchen / ſo Er ihm in dem Concilio zu Coſtnitz vorgenommen. *Neu in Mantiſſa ad Whear. Relect. Hiem. pag.* 170. Erant enim tunc temporis III. ſimul Pontifices, Johannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII. Vid. *Joh. Marius de Schiſmate libr.* 2. *fin.* & *libr.* 3. Horum Pontificum factionibus propè omnes Europæ provinciæ dividebantur. Et jam inde ab Innocentio III. per annos 200. nullum fuerat Concilium publ. Ordinisque Eccleſiaſtici ſtatus corruptiſſimus medelâ indigebat, quamvis propè jam immedicabilis. Congregatur ergo Concilium Conſtantiæ ad lacum Acronium, tanta frequentia, ut diſcrimina & velut claſſes eſſent faciendæ, diviſis in V. partes Patribus. Initio Itali, Germani, Galli, Angli præcipuæ dignationis erant: poſtea & Hiſpani advenere. Cæteræ nationes aliis aliæ harum adſcribebantur. Quod tribus harum generatim placebat, id reliquæ ratum

ſanxere.

ſanxere. De Concilii igitur arbitrio tribus illis Pontificibus abrogatur magiſtratus, &

A. C. 1417. MARTINVS V. *eligitur Papa Rom.* In eodem etiam propter dogma JOH. HVS anno 1415. & anno ſeq. HIERONYMVS PRAGENSIS *comburitur*, tametſi fide publica Cæſaris eò veniſſent. Cùm enim nollent ad mandatum Concilii Præſulum dogmata ſua recantare, ut hæreſiarchæ damnati ſunt, qui igne ſupplicium luerent, traditique poteſtati ſeculari: à quâ, quod Concilium judicavit, executioni mandatum eſt. Quanquam Hieronymus toto anno poſt Huſſum crematus eſt, in carcere interim detentus, ſperantibus Concilii Patribus, fore ut dogmata ſua revocaret. Et hoc quidem ille etiam fecit, periculi metu: ſed mox animo reſumto, revocationem à ſe factam, petens admitti in publicum conſeſſum, iterum damnavit, ſeque ipſum veritati adverſatum in eo eſſe, palàm profeſſus eſt. Videatur *Hiſtoria obitus & ſupplicii Hieronymi Pragenſis à Poggio Florentino ſcripta.* Articuli præterea Wiclefi & Huſſi à Patribus damnati ſunt. Dogmata illa quænam fuerint, ex ſuis auctoribus oſtendit *Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. Sect. 14. pag. 904. ſeq. & 911 ſeq.* Doctrinæ Huſſi capita etiam exhibet *Zachar. Theobaldus de Bello Huſſitico Part. I. cap. 2.* qui de cæteris cum Huſſo & Hieronymo actis in Concilio accuratè ſcripſit. Conf. *Opera Huſſi* Noribergæ impreſſa. De hoc Concilio Conſtantienſi & de rebus Huſſiticis multi ſcripſere. Vid. *Æneas Sylvius Hiſtor. Bohem. cap. 36. Henricus Mutius libr. 27. Joh. Dubravius libr. 24.* & *Acta hujus Concilii integro volumine impreſſa.* Item, *Emanuelis Schelſtrateni Acta Conſtantienſis Concilii*, & *Ejusdem Tractat. de ſenſu & auctoritate Conſtantienſis Concilii, contra Mainburgium.* Inprimis vero *Hermanni von der Hardt Magnum Oecumenicum Conſtantienſe Concilium* VI. Tomis comprehenſum, & auſpiciis Rudolphi Auguſti, Ducis Brunſuicenſis, anno 1700. in fol. editum. Item, *Platina, Kromayerus in Hiſtor. Eccleſ. pag. 446. ſeqq. Arnoldus in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 15. cap. 4. pag. 414.* qui pag. ſeq. etiam de Baſileenſi Concilio agit. Huſſi Hiſtoriam exhibet *Chriſtophorus Walpurgerus in Huſſo Combuſto*, impreſſo Geræ 1624. *Reimmann. Hiſtor. Literar. German. Sect. I. Quæſt. III. & ſeq.*

A. C. 1420. ROSTOCHIENSIS ACADEMIÆ *initium, & paulò poſt* LOVANIENSIS. *Roſtochienſem* Johannes & Albertus Megapolitani Duces cum Senatu urbis condidere; *Lovanienſem* verò Academiam anno Seculi 26. excitavit Johannes, Antonii fil. Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi; utrique vero Martinus V. privilegia conceſſit, ita tamen, ut Theologico Collegio carerent, quod Succeſſores demum

Digitized by Google

mum addidere. De Roſtochienſi Academiâ vid. *Chytræus Chron. Saxon. libr. 11. cap. 3.* De Lovanienſi *Nicolai Vernulæi Hiſtoria Academiæ Lovanienſis* libris III. Lovanii 1927. 4to. excuſa; & *Juſti Lipſii Lovanium, ſeu Academiæ & oppidi Deſcriptio.* Antverpiæ 1605. 4to. De utraque *Bzovius ad annum* 1419. & 1425. & *Middendorpius de Orb. Chriſt. Academiis.*

A. C. 1431. CONCILIUM BASILEENSE & PRAGMATICA SANCTIO *in Galliis promulgata.* In Concilio Conſtantienſi decretum erat, ut poſt quinquennium aliud Concilium haberetur: quod Martinus V. Papiam primùm, mox Senas convocavit. Sed illo interim mortuo, congregati ſunt Patres Baſileæ, fruſtra impedire conante Eugenio IV. Succeſſore Martini. In eo ergo Concilio, quod præſente Sigismundo & præſidente Juliano Cardinale Pontificis Legato, habitum eſt, liberius quàm unquam in Pontificum poteſtatem inquiſitum eſt. Hinc nata in Galliis Pragmatica Sanctio, & Biturigibus à Carolo VII. Rege & Proceribus regni promulgata; qua approbantur & recipiuntur Conſtitutiones Conſtantienſes & Baſileenſes, ſubjicientes Pontificem Concilio, & frenum injicientes Pontificum in beneficiis conferendis, in controverſiis Romam trahendis, in annatis exigendis, in Cardinalibus creandis uſurpationi, avaritiæ, ambitioni. Vid. *Paulus Æmilius libr.* 10. Huic Concilio Eugenius oppoſuit Ferrarienſe, quod poſtea ob peſtem Florentiam transtulit. Et hoc eſt, quod ſignatur

Ad A. C. 1438. CONCILIUM FLORENTINUM, quod Pontificii Oecumenicum nonum numerare ſolent. In eo Græci quoque cum ſuo Imperatore & Patriarcha aderant, auxiliorum adverſus Turcos Conſtantinopoli imminentes indigi. Hinc factum, ut Romanis nonnulla cederent, ac in quibusdam articulis tum quidem conſentirent: unde concordia inſtituta videbatur. Sed Græci iſti domum reverſi, à ſuis malè accipiuntur, & acta iſta reſcinduntur. Conf. *Hiſtor. Concil. Florentini à Sylveſtro Sguropulo* ſcripta, & *Marci Eugenici*, Epiſcopi Epheſini, *Epiſtola de Synodo Florentina*; qui & ipſe interfuit: de qua *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *pag.* 301. ubi & *pag. ſeq. de Sylveſtro Sguropulo.* Eugenius Papa à Concilio Baſileenſi aliquoties citatus, cùm non compareret, Pontificatu indignus judicatur, & in ejus locum eligitur Amadeus Sabaudiæ Dux, hactenus Eremita, dictus Felix V. qui Lauſannæ ſedem fixit. Hinc novum Schiſma natum. Eugenius interim concilium rurſus Lateranum indixerat, ut Baſileenſi derogaret. Sed ipſe ei immortuus, anno Pontificatus decimo ſexto, in ejusque locum

A. C.

Digitized by Google

A. C. 1447. NICOLAVS *V. Papa Rom* electus eſt, Thomas Sarzanus prius dictus: qui uno anno Epiſcopus, Cardinalis & Papa creatus fuit, librorum &, quæ ex iis petuntur, artium fautor inſignis & promotor. Ei etiam Felix V. publicæ tranquillitatis cauſa ceſſit, à Friderico III. Imper. perſuaſus, anno dignitatis ſuæ decimo. Vid. de ſupra dictis *Platina, Blondus, Cuſpinianus in Sigismundo Chron. Belgic. M. Concilij Baſileenſis hiſtoriam* II. libris complexus eſt *Æneas Sylvius*; quos poſtea Pontificatum adeptus, abolere conatus eſt. Vid. & *Tom. III. Concil. pag.* 414.

Sub rubrica VARIORVM in hac Tabula notatur:

WILHELMVS VON BOCKELEM *Harengas ſale primus condiiſſe ſcribitur.* (Et hoc non eſt à *Schradero* adjectum.) Celebritatem ſibi comparavit Wilhelmus iſte van Bockelem hoc invento, quod poſtea multum lucri attulit Hollandis præſertim, apud quos piſcatura harengarum unum ex principalibus fundamentis mercaturæ:quas tamen conſervare in longum tempus, atque exteris ita communicare non licuiſſet, niſi ſalitas. Sepultus eſt hic Bockelius Enckhuyſæ, ferturque Carolus V. Imper. in gratam rei memoriam ſuper ſepulcrum ejus harengam talem ſalitam comediſſe. *Becmann. Hiſtor. Orb. Terrar. Part. I. cap.* 10. *pag.* 426.

TAMERLANES *obit.* Poſtquam ad Ægyprum uſque victor penetraſſet, & vaſtitatem induxiſſet ubique terrarum, quas adiit, Indorum rebellionem compreſſurus, dives ſpoliis Samarcandam in regiam ſuam rediit, ibique diem obiit ſupremum. Filii ejus neque indole neque fortuna pares, diſcordiis ſemet & diuturnis cladibus peſſum dedere. Vid. *Perodin. in Vita Tamerlanis*, & *Boecler. Diſſertat. I. de Tamerlane, Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap.* 15. *Sect.* 2.

A. C. 1410. *Poloni* CRVCIGERIS *Pruſſiæ partem eripiunt.* Magiſter Ordinis tunc erat *Vlricus de Jungingen*, quem Lithuaniæ imminentem, Vladislaus Jagello Rex propè Grünwald oppidum cruento prælio vicit, in quo utrinque 100000. occiſi: ut habet inſcriptio Sacelli prope dictum oppidum. Altero quoque prælio eodem anno commiſſo, victi Crucigeri Polonis partem Boruſſiæ cedere coacti ſunt. Vid. *Cromerus de origine & rebus geſtis Polonorum. Eraſmus Stella in Antiquitatibus Boruſſiæ.* Boruſſi quoque tyrannicæ dominationis Crucigerorum pertæſi, hoc ipſo Seculo, Caſimiro IV. Regi Poloniæ ſe ſubjecerunt. Vnde ea pars deinceps Boruſſia Regia vocata eſt. Sed hæc poſtea geſta ſunt.

Digitized by Google

A. C. 1413. MAHOMETH I. *inſtaurator fortunæ Turcarum.* Narratio de rebus Turcicis poſt Bajazetem valde confuſa eſt ac diſſona, uti notat *Peucerus in Chron. Philippi Melanchthonis libr. 5. p. m. 190. & ſeqq.* ubi videatur etiam de filiis Bajazetis. Cæterùm annales Turcici à captivitate Bajazetis ad Mahomethem interregnum ſtatuunt. Hic verò Mahometh Valachos aſperrimo bello attrivit, & profectus in Aſiam tum recepit loca à Tamerlane occupata, tum verò plurimos Turcicæ nationis Principes in Galatia, Ponto, Cappadocia, Cilicia partim pulſos funditus extirpavit, partim compeſcuit. Sedem imperii habuit Adrianopoli, & conflixit cum Sigismundo in campis Columbacenis: quod tamen alii ad Celebrinum referunt. Vid. *Leunclav. Annal. Turc. libr. 9. Laonic. Chalcocondyl. libr. 4. Georg. Phranzes libr. 1.*

Alberto Saxone abſque liberis defuncto, FRIDERICUS MARCHIO MISNIÆ *Saxoniæ Ducatum & Electoralem dignitatem obtinet.* (Hoc ab Interpolatoribus inſertum eſt.) Poſtquam Albertus Dux & Elector Saxoniæ, Aſcaniæ lineæ directæ ultimus, ſine prole deceſſit, diſceptantibus de ejus ſucceſſione Lauenburgico, Palatino & Brandeburgico, Sigismundus Imp. memor fidei & meritorum Friderici Bellicoſi Marchionis Miſniæ & Landgravii Thuringiæ, Eidem Saxoniam, tanquam priſcum Witikindeorum (à quibus deſcendiſſe fertur: vid. *Georg. Fabricii Origines Illuſtriſſimæ Stirpis Saxonicæ libr. 6.* Item *Eliæ Reuſneri Stemma Witikindeum*) patrimonium cum Electoratu, ſolenni inveſtitura Poſonii contulit; à quo hodierna & Electoralis & Ducalis familia Saxonica deſcendit. Vid. de hac translatione Electoratus Saxonici *Albertus Krantzius in Saxon. libr. 11. cap. 10. Hortlederus de Bello Smalcald. Tom. I. libr. 4. cap. 23. Fabric. Orig. Saxon. libr. 7. pag. 696. Chytr. Saxon. Cyriac. Spangenberg. Chron. Saxon.*

AMURATH II. *Mahomethis fil.* ex Aſia tranſportatis per Helleſpontum copiis Theſſalonicam cepit. Multa paſſus ab Vladislao Poloniæ & Hungariæ Rege, & à Johanne Hunniade. Tandem in altero bello ad Varnam inſigni victoria potitus eſt contra Chriſtianos, de qua poſtea. Fuit eidem Bellum cum Caramanno i. e. Ciliciæ Principe, qui non ſemel ipſum laceſſivit. Ita breviter res hujus Amurathis complexus eſt *Rupertus in Obſerv. ad Synopſin Beſoldi pag. 619.* Ejuſdem Amurathis alumnus fuit Georgius Caſtriotus, dictus Scanderbeg, princeps Epiri, quam ipſe contra arma Turcica diu fortiter defendit. Extat hujus Scanderbegi hiſtoria prolixe libris XIII. à *Marino Barletio*, Scodrenſi, Latinè ſcripta, & in linguam poſtea Germanicam traducta à *Joh. Pinciano.* Præcipuas Scanderbegi res attigit

P. Jo-

Digitized by Google

P. Jovius in elogiis Illuſtr. Virorum. De eo vid. & *Chron. Melanchthon. libr. 5. p.m. 194. ſeq. 202. Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap. 15. p. 836.* Hæc & cætera de Amurathe petenda ex *Annal. Turcicis*, *Laonico Chalcocondyla, Georgio Phranze*, &c.

TARTARI, *vulgò* Zigeuner/ *primùm viſi in Germania.* (Etiam hoc lemma non eſt à *Schradero.*) Errones hi, aliàs Cingari, Gallis & Anglis Ægyptii, Belgis Heydens/ Hiſpanis Gittani dicti, re ipſa autem colluvies variarum gentium nusquam habitans, & Ægyptiorum & Nubianorum olim nomen mentita. Tartari unde vocentur, ut hîc in Tab. noſtra, mihi quidem non conſtat, niſi quod *Hottingerus* reliquias Tartarorum ſub Tamerlane eſſe putat. Tempus, quo Germaniæ & aliis occidentalibus Europæ tractibus innotuerunt, plerique ſtatuunt circa annum Chriſti 1417. inter quos *Spondanus in auctario Chronologico ad Epitomen Annal. Baronii ad annum* 1418. Plura de Cingaris his vid. apud *Camerar. Horar. Subciſ. Cent. 1. cap. 17. & Cent. 2. cap. 75. Hottinger. Hiſtor. Eccleſ. cap. 15. Sect. 1. pag. 29. Becmann. Hiſtor. Orbis Terrar. part. 1. cap. 9. pag.* 403. & qui ibi laudantur Scriptores.

A. C. 1432. HENRICVS *VI. Angl. Rex Lutetiæ* REX GALLIÆ *coronatur.* De diuturno bello inter Gallos & Anglos ex controverſia de ſucceſſione orto, diximus ſupra. Eo durante, anno hujus Seculi 32. Angli, ut majeſtatem partibus ſuis in Francia conciliarent, Henricum VI. Quinti è Catharina Francâ filium in Galliam evocant, qui annum 12. agens, Lutetiæ, cujus tunc potiebantur Angli, coronatus eſt; regnique Francici titulum contra Carolum VII. tunc regnantem ſibi aſſerere conatus eſt, quo titulo quidem hodie utuntur Reges Angliæ. Vid. *Paulus Æmilius Hiſtor. Franc.* item, *Inghirramus Monſtreletus*, qui hiſtoriam Caroli VI. & Caroli VII. R. G. ſcripſit. *Polydor. Virgil. libr.* 19.

VLADISLAVS *Poloniæ & Hungariæ Rex.* Albertus Imp. qui idem Hungariæ & Bohemiæ Rex erat, moriens uxorem Eliſabetham reliquit gravidam, quæ deinde peperit Ladislaum Poſthumum. Sed vidua, ex Procerum conſilio, Ladislaum Poloniæ Regem in thorum & regnum adſcivit. Eundem tamen poſtea repudiavit, & cum infante Ladislao Viennam ad Fridericum III. Imp. ſe recepit. Hic Ladislaus Poſthumus etiam regni Bohemici hæres erat, quanquam Bohemi eo neglecto, Albertum Bavariæ Ducem ad regnum evocabant, quod ille regio animo abnuit. Ladislaus verò Poloniæ & Hungariæ Rex [illegible] in Varnenſi prælio periit; de quo paulò pôſt. Vid. [illegible] *in Alberto, Bonfin. Hiſtor. Hungar. Æneas Sylvius Hiſtor. Bohem. Nauclerus*, & præſertim *Philippus Callimachus Experiens*, qui

Digitized by Google

de rebus ab Vladislao, Poloniæ atque Hungariæ Rege, opus compoſuit.

ARS TYPOGRAPHICA *inventa*. Hæc ars nobiliſſima parturienti ingeniorum polituram Europæ à divina providentia donata, maximos renaſcentibus literis progreſſus & commoditates attulit. Inventio autem ejus debetur Johanni Mentelio, Argentinenſi, cui eam aſſerit *Chron. Argentinenſe MSc. Hieronymus Gebvilerus in Panegyri Carolina, Jac. Spigelius, Wimphelingius, Valentinus Müntzerus, Bernhardus Hertzog, Baptiſta Fulgoſus, Michael Meyer.* Vid. Bericht von Erfindung der Buchdruckerey in Straßburg: licet nonnulli ei hanc laudem abjudicent, qui vel Joh. Fauſtum, Moguntinum, (*Serar. libr. 1. Rerum Mogunt. cap. 37. & Bernhard. Malinkrot* &c.) qui tamen à Gutenbergio Mentelii Socio accepit; vel civem quendam Harlemenſem, ut *Hadr. Junius in Batavia ſua*, illius inventorem faciunt. Sunt etiam qui hanc gloriam Germanis noſtris omnino præripere volunt, in his *Pomponius Lætus, ad Auguſtinum Maphæum* ſcribens: Imprimendi facultas multis Seculis intermiſſa, paulò ante revocata eſt: *Jovius*, qui *Hiſtoriarum libr.* 14. aſſerit, in regione Sinarum libros, ante multos annos impreſſos, extare: & *Conſalvus Mendoza libr. 3. cap.* 16. de regno Chinæ ſcribit, artem typographicam, 500. annis antequam ad Germanos veniret, eò loci in uſu fuiſſe. Vid. etiam *Joh. Petr. Maphæus Hiſtor. Indicar. libr.* 6. Quæ verò ſit differentia inter Serum ſeu Chinenſium artificium in exprimendis literarum typis, & Europæorum, oſtendit *Morhoff. Polyhiſt. Literar. libr. 4. cap. 2. num. 6.* ubi plura de typographia ejusque inventore. Add *Moelleri Hypomn. ad h. l. Morhoffii pag.* 388. At *Johanni de la Caille & Molineto*, qui hanc laudem non Mentelio, ſed Guttenbergio, itidem Argentinenſi tribuunt, tanquam exteris facile condonandum, quod ignorabant, hunc illius ſocium fuiſſe. Idem accidit *Tentzelio*, quem prælaudatus *Mollerus* ait, ſolidè refutaſſe iſtos Argentinenſium patronos &c. in ſeinem Diſcurs von der Löblichen Buchdrucker-Kunſt in Teutſchland. Quaſi verò hi rectius noverint, quæ Argentinæ geſta ſunt, quàm ipſi Argentinenſes, quorum alioqui laudi nihil decedit, ſive Guttenbergius, ſive Mentelius hujus inventionis auctor prædicetur. Conf. *Reimmann. Hiſtor. Literar. Germ. Sect. 3 Quæſt.* 157. Notus eſt interim ille Aprutini Epiſcopi verſus de Typographo: *Imprimit ille die, quantum non ſcribitur anno.* Conſulatur præter alios *Polydorus Virgilius de Rerum Invent. libr. 2. cap. 7. Guido Panciroll. Tit. 12. Nov. Repert. Boeclerus Orat. Seculari de arte typograph. Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap. 15. pag.* 44 [illegible] alii, qui de origine artis typographicæ ex profeſſo ſcrip[illegible] recenſet *Struvius Introduct. ad rem literar. cap. 5. pag. 195. ſeq.* [illegible]perio Turcico

Digitized by Google

cico non toleratur typographia ex politicis rationibus. Vid. *Becmanni Hiſtor. Orbis Terrarum Part. 1. cap. 9. §. 4. pag. 398.*

A. C. 1444. PRÆLIVM AD VARNAM *inter Amurathem & Vladiſlaum.* Commiſſum eſt hoc prælium d. 10. vel ut alii, d. 11. Nov. ipſo Martini feſto; ſed utrumque verum eſſe poteſt: quippe triduanum prælium fuit. Ceciderunt ex Chriſtianis 10000. ex Turcis 30000. Rex ipſe Ladislaus periit, cum Juliano Cardinale, quem Eugenius Papa miſerat, ut ad pacem violandam Ladislaum impelleret, & à religione Jurisjurandi auctoritate Pontificia abſolveret. Tradunt non Turcarum tantùm, ſed & Chriſtianorum libri, conſtitutum in maximo diſcrimine Amurathem auxilium coelitus imploraſſe contra Chriſtiani Regis perfidiam. Quippe cum Amurathes eo tempore, quo bellum primum cum Vladislao finiit, ab eo certum aliquod pacis inviolabiliter ſervandæ pignus petiiſſet, data eſt illi profano quorundam conſilio, hoſtia Romanæ Eccleſiæ ritu conſecrata, ne ullo modo de fide & voluntate Regis, accepto tam auguſto pignore, dubitaret. Poſtea verò ruptis per ſummum ſcelus, quas prædiximus, induciis, cùm ad arma & aciem res deducta fuiſſet, Amurathes è ſinu prolatâ Chriſtianorum hoſtiâ, & ſublatis ad coelum oculis, in hujusmodi erupit verba: Chriſte, ſi Deus es, ut Chriſtiani tui de te perhibent, vindica perfidiam Tuorum, qui te mihi dedere pignori, & nihilominus pacem adeò religioſè ſancitam, per ſummum ſcelus violarunt. Vid. *Leunclav. Pandect. Turc. num. 116. De* hac *clade Varnenſi* extant *Petri Callimachi Experientis* libri 2. Add. *Laonic. Chalcocondyl. libr. 7. Sylvius Europæ Statu cap. 4. Georg. Phranzes libr. 2. cap. 18. Bonfin. Dec. 3. libr. 6. Mutius libr. 28. P. Jovius libr. 2. Elogiorum,* ſub effigie Juliani Cæſarini Cardinalis. *Philipp. Melanchthon. Chron. libr. 5. p. m. 182. ſeq.* & ex his *Bernegger. Obſerv. Hiſtor. Polit. 24. pag. 254.* Quæ ad cladem Varnenſem pertinent momenta, additis auctoribus breviter indicat *Boecler. Excerpt. XVII. Controv. Illuſtr. in Tom. 3. Diſſertat. pag. 475. ſeq.*

JOH. HVNNIADES *Hungariæ Gubernator.* Hic Heros, alias Johannes Corvinus, ex clade Varnenſi divina providentia ſervatus, haud dubiè virtute ſua à Turcorum tyrannide vindicavit Hungariam. Jam ante à Ladislao Transſylvaniæ præfectus, multos Turcorum exercitus deleverat. Poſt interitum verò Ladislai, Gubernator regni Hungariæ manſit, donec Ladislaus Poſthumus, Alberti Imp. filius, duodecimum annum expleviſſet, atque interim contra Amurathem ejusque Succeſſorem Mahomethem fortiſſimè defendit Pannoniam. Nec quisquam Regum Ducumve res majores & Europæ utilio-

utiliores contra Turcos geſſit. Genus ejus à Scaligeris Veronenſibus derivant viri docti, ut teſtatur *Rupertus Obſerv. ad Synopſin Beſoldi pag. 619. Peucerus in Chron. Carionis* ait, Semi-Dacum ſeu Walachum fuiſſe & Comitem Biſtricienſem: ubi vide plura de hoc Heroë *libr. 5. p. m. 180. b. & 183. ſeq.* Add. *Bonfin. Dec. 3. libr. 6. & 7.* &c.

Dilatis interim aliis perſequemur VIROS CELEBRES, qui hac priore parte Seculi floruerunt: inter quos primo loco nominatur

JOH. FROSSARDVS. Is præter duos libros, quos *de laudibus Philippæ Reginæ* ſcripſit (erat illa Eduardi III. Angliæ Regis uxor) etiam nomen ſuum illuſtravit *Chronico ſui temporis*, quod incipit ab anno 1323. & extenditur usque ad annum 1399. continens præcipuè hiſtoriam belli inter Gallos & Anglos geſti. Epitomen ejus *Sleidanus* Latinè dedit. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 4. pag. 543. Whear in Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium pag. 23.*

THEODORICVS à NIEM, aliquot Pontificum Scriba, poſt Epiſcopus Verdenſis fuit. Hiſtoriam annorum 38. complexus fuit libris IV. quorum 3. priores ſunt *de Schiſmate univerſali*, quartus verò inſcribitur *Nemus unionis*. Perducit autem hiſtoriam ſuam uſque ad annum 1410. quam eò accuratius ſcripſiſſe exiſtimandus eſt, quòd ipſe res omnes noſſe potuit ex actis. Scripſit & alia: de quibus vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 4. pag. 545. Reimmannus Hiſtor. Liter. German. Sect. I. Quæſt. 313. Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part. I. pag. 299. ſeq.*

JOH. CAPREOLVS Tholoſanus, Ordinis Prædicatorum, ſcripſit *Commentaria in IV.* libros ſententiarum, in quibus Thomæ doctrinam ex ipſo Thoma explicat, & objectiones eorum, qui illam oppugnarunt, diſſolvit. *Bellarmin. de Script. Eccleſ. ad annum.* 1410. *pag.* 281.

PETRVS AB ALLIACO Epiſcopus Cameracenſis & Cardinalis, Gerſonis Præceptor, ſcripſit multa theologica, quæ recenſet *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad annum* 1410. *pag.* 282. & philoſophica, de quibus vid. *Morhoff. Polyhiſt. Tom. 2. libr. 1. cap. 13. num. 7.* & præterea *Vitam Petri Coeleſtini Papæ*, qui ſe Pontificatu abdicavit. Vid. & *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 5. pag. 548.*

JOH. GERSON, Gallus, Cancellarius Pariſienſis, ſuo tempore pietatis & eruditionis nomine illuſtris, unde etiam *Doctor Chriſtianiſſimus* cognominatus eſt, multa opera ſcripſit, quæ III. tomis in fol.

Digitized by Google

fol. primùm edita ſunt Argentorati 1488. poſtea Pariſiis 1606. auctiora prodierunt. Recenſet ea *Bellarm. ad annum* 1420. Hic Gerſon eſt inter eos, qui contra depravatos Rom. Curiæ & Eccleſiæ mores diſciplinamque ſcripſerunt. Vid. *Thuan. libr.* 22. *Tom.* 1. *pag.* 677. editionis Aurelianenſis. Vita Gerſonis extat operibus ejus præmiſſa.

BARTHOLOMÆVS FACIVS, Genuenſis, Laurentii Vallæ æmulus, præterquam quòd Arriani de geſtis Alexandri ejusque Indica vertit Latinè; etiam libros X. compoſuit *de Rebus ab Alphonſo I. Rege Neapolitano geſtis.* Item, *Commentarios de Genuenſium rebus adverſus Venetos geſtis.* Vid. de eo *Jovius in Elogiis cap.* 99. *Voſſius de Hiſtor. Latin.* 3, 5. *pag.* 555.

LEONARDVS ARETINVS, Italus ſuo tempore doctiſſimus, ſcripſit multa, inter quæ præcipua ſunt Commentarius *de rebus ſuo tempore in Italia geſtis*, & *Hiſtoria Florentina* libri XII. Argentorati editi 1610. item, *Hiſtoria Gothorum.* Cætera ſcripta, nec non elogia hujus Leonardi vid. apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr.* 3. *cap.* 5. *pag.* 556. *ſeqq.* & quos ibi allegat. *Jovius in Elogiis* hanc laudem ei tribuit, quòd primus Græcarum literarum decus à multis Seculis barbarorum tyrannide conculcatum erexit atque reſtituit.

POGGIVS FLORENTINVS octo Pontificum & denique Reip. Florentinæ Secretarius fuit. Bene meritus eſt de re literaria, inventis à ſe & in lucem productis aliquot veterum auctorum operibus. Nonnullorum etiam verſiones ex Græco in Latinum dedit. Præcipuum ejus opus eſt *Hiſtoria Florentina*, in qua tamen reprehenditur, quod pleraque ea omiſerit, quæ ad civiles diſcordias pertinerent. Scripſit idem etiam hiſtoriam obitus & ſupplicii Hieronymi Pragenſis, ad Leonardum Aretinum. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem Part.* I. *pag.* 301. Vid. de eo *Jacobus Bergomas in Chron. Suppl. ad annum* 1416. & *Jovius in Elogiis. Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 3. *cap.* 5. *pag.* 548. *ſeqq. Adolphus Clarmundus in Vitis Clariſſ. in re literar. Viror. Part.* 3. *pag.* 98.

PAVLVS BVRGENSIS de S. Maria dictus, ex Judæo Chriſtianus, & Epiſcopus Burgenſis creatus, ſcripſit *Additiones ad Poſtillam Nicol. Liram*, quæ extant in ipſo Lirano. Scripſit etiam *Scrutinium Scripturarum* libris II. *Bellarm. ad annum* 1430. *pag.* 284.

ALFONSVS TOSTATVS, Hiſpanus, Epiſcopus Abulenſis, vir eruditiſſimus, de quo dictum eſt: *Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.* Scripſit vaſtos commentarios in Scripturam, aliaque theologica, quæ commemorat *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad annum* 1440. *pag.* 287. Vid. & *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 3. *cap.* 7. *pag.* 578.

Digitized by Google

Nicolaus Panormitanus Siculus, vir Juris Canonici peritiſſimus, ſcripſit plurima, maximè ad illud Jus pertinentia, quæ tomis VIII. comprehenduntur in editione Veneta anni 1592. & recenſentur à *Bellarm. d. l. pag.* 288.

Laurentius Valla, vir de Latina inprimis lingua optimè meritus, præter verſiones Herodoti & Thucydidis, quas dedit, etiam *Elegantiarum libros 6.* edidit. Item libros III. *de rebus geſtis Ferdinandi Arragonum Regis*, qui extant in Tom I. *Hiſpaniæ illuſtratæ.* Primus etiam ſcripto Donationem Conſtantini in dubium vocare auſus eſt; aliaque ſcripſit, in quibus Sacri ordinis Viros perſtringit. Vid. de eo *Jovius in Elogiis*, & cæteri quos indicat *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 7. pag. 579. Morhoſſ. Polyhiſt. Literar. libr. 4. cap. 10. num. 6.* & *Moellerus ad Morhoff. pag. 394. Clarmund. Vit. Clarorum in re literaria Virorum Part. 4. pag. 5.*

Blondus Flavius, Foroliviensis, Eugenii IV. pluriumque Pontificum Rom. Secretarius, ſcripſit *Romæ triumphantis* libros X. quod opus dedicavit Pio II. Pontifici: inſuper *Romæ inſtauratæ* libros III. quos inſcripſit Eugenio IV. Papæ, item *Italiæ illuſtratæ* libros VIII. Tum autem *Hiſtoriarum Decades 3.* ab inclinato Rom. imperio, h. e. ab anno 400. uſque ad annum 1440. Scripta illius in Epitomen contrahere dignatus eſt Pius II. Pontifex. Vide plura de Blondo apud *Voſſium libr. 3. cap. 7. p. 585. ſeq. Neuium in Acceſſion. ad Vasari Relect. Hiem. pag. 182.*

Antonius Florentinus in patria urbe Archiepiſcopus, qui in SS. numerum ab Hadriano VI. anno 1523. relatus eſt, præter Summam Theologiæ, ſcripſit *Chronicon tripartitum*: cujus pars prima eſt ab orbe condito uſque ad Conſtantinum M. & Sylveſtrum P. M. altera inde uſque ad Henricum VI. & Innocentium III. h. e. A. C. 1198. tertia hinc uſque ad Fridericum III. & Pium II. h. e. anno 1459. quo ipſo obiit. Plura de eo pete ex *Voſſio de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 7. pag. 587.* & quos indicat auctoribus. Add. *Bellarminus.*

Nicolaus Cusanus, Cardinalis, vir eruditione planè magnus, & præter Theologiam etiam Mathematica Scientia inſtructus, ſcripſit multa ad hanc & illam pertinentia, quæ partim recenſet *Trithemius in Viris Illuſtr. German. pag. 157.* & *Bellarmin. de Script. Eccleſ. pag. 294. Thom. Pope Blount Cenſ. celebr. Auctorum pag. 467. Reimmann. Hiſtor. Literar. German. Sect. I. Quæſt. 113.* Volumen operum ejus Baſileæ primùm editum eſt. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 6. pag. 563.*

Dionysius Carthusianus, natione Belga, ſcripſit in omnes libros Scripturæ divinæ: item in 4. libros Sententiarum. Scripſit &

Digitized by Google

& alia plura, quorum catalogum unà cum Vita ipſius, invenies poſt finem commentarii in librum IV. Sententiarum. *Bellarmin. de Script. Eccleſ. ad annum 1450. pag. 296.*

Ad RES IMPERII GERMANICI redeuntibus occurrit

A.C. 1440. FRIDERICVS *III.* Imp quem, quia ejus imperium maximam partem ultra medium Seculi excurrit, hucusque diſtulimus. Fuit is Erneſti Ferrei Auſtriæ Ducis filius, adeoque Alberti II. Cæſaris patruelis, in cujus locum ad Imperium vocatus eſt ab Electoribus: de qua electione ejus vid. *Chron. Belg. M. pag. 376.* Ipſi quidem per ſe debiles vires & inimici multi erant. Aliqui Quartum hujus nominis, *Petrus Lambecius* etiam Quintum vocat. Sed ſtylo curiæ in Germañia recepto Tertius ſemper vocatur. Bellum initio ſtatim paſſus eſt ab Vlrico Ciliæ Comite, Ladislai Poſthumi avunculo magno, qui puerum adminiſtrationemque Auſtriæ, cujus ille hæres erat, ſibi deberi contendebat. Quæ res tunc ſopita, poſtea recruduit, cùm Ladislaus adoleviſſet, & Ciliæ Comes ad gubernationem regnorum eum admittendum poſceret: ubi Fridericus, etſi adjutus à Principibus Germaniæ, oppugnatus tamen à ſuismet civibus & obſeſſus, reddere Ladislao gubernationem coactus eſt. Italiam ingreſſus anno 1452. *Imperator Romæ coronatus eſt* à Nicolao V. Pont. ſalutatusque Rex Longobardorum. Apud *Freherum Tom. 2. pag. 21. & ſeq.* & *Tom. 3.* exhibentur illuſtria monumenta ad coronationem ejus pertinentia. Ipſe actus coronationis inprimis luculenter deſcribitur ab *Ænea Sylvio in Hiſtoria Friderici III.* pag. 72. & 75. ubi multa aliis non obſervata annotantur. Hujus verò Æneæ Sylvii magna eſt auctoritas in rebus Friderici, quippe qui hujus Cæſaris Secretarius primùm fuit, poſtea Papa ſub nomine Pii II. Ipſe Fridericus Princeps fuit pacis amantiſſimus, bellumque nulli movit, motum verò ab aliis ſtatim compoſuit. Cùm Carolus Audax Burgundiæ & totius Belgii potentiſſimus Dux, Imperii ditiones invaſiſſet, & Noveſium Colonienſis ditionis urbem obſediſſet, tum demum viribus Imperii contractis adverſus eundem Fridericus in expeditionem profectus, caſtra ei oppoſuit, ita tamen ut inter ipſa arma de pace ſit conventum, Burgundi filia unica Maximiliano Friderici filio deſponſatâ. Vid. *Comineus libr. 5. Hiſtoriar.* Scriptores cæteros de hac expeditione Friderici III. indicat *Boecler. Excerpt. Controv. Illuſtr. XXII.* Et hoc eſt quod in Tab. noſtra notatur his verbis:

Digitized by Google

A. C. 1477. MARIA CAROLI BVRGVNDI FILIA NVBIT MAXIMILIANO AVSTRIACO: per quas nuptias poſt interitum Caroli, brevi pòſt ad Nanceium cæſi, omnes illæ provinciæ in Auſtriacos devolutæ ſunt. Graviſſimum Friderico bellum fuit cum Matthia Hungariæ Rege, in quo præter alia multa incommoda, Viennam etiam amiſit. Mortuus eſt Fridericus anno 1493 poſtquam Imperii annos 52. quot nullus Imperatorum, impleviſſet. Scriptores rerum ejus ſunt inprimis paulò ante laudatus *Æneas Sylvius*; deinde *Cuſpinianus, Gerh. de Roo, Fuggerus in Spec. Honor. Auſtr. Chron. Belg. M. Faſcic. Temp. Nauclerus.* Opuſcula complura ad res Friderici III. illuſtrandas pertinentia exhibet *Freberus Tom. II. Script. German.* quorum potiora recenſet *Neu in Mantiſſa ad Wheari Relect. pag.* 173. *ſeqq.* Friderico III. imperante etiam anno 1454. *Pruſſia Ordines in Poloniæ Regis clientelam ſe contulerunt*, à Crucigeris ſcilicet ob eorum tyrannidem deficientes. Vid. *Chytræus in Chron. Saxon.* Quæ porrò circa Pruſſiæ poſſeſſionem inter Polonos & Ordinis Teut. Magiſtros acta ſint, & de Alberto Brandeburgico in Ducem Boruſſiæ creato, ad ſeq. Tabulam dicetur.

A. C. 1493. MAXIMILIANVS I. Friderici filius, patre adhuc vivo anno 1486. Rex Romanorum creatus, à parentis morte plenas imperii habenas accepit. Is verò jam antea dotales Conjugis ſuæ provincias partim adverſus Ludovicum XII Galliæ Regem, partim ipſos rebelles ſubditos armis retinere coactus, varia toto octennio bella geſſit, auxiliis Patris & Imperii Procerum, à Saxonibus inprimis adjutus; Brugis etiam Flandriæ interim à civibus ſuis captus, carcerique incluſus. A Patris verò morte, cùm Matthias Rex Hungariæ fato functus eſſet, recepit Viennam cæteraſque urbes patri ſuo Friderico ab Hungaris ademtas: potuiſſetque regno ipſo potiri, ni ſponte ceſſiſſet Ladislao Bohemo, cum quo tamen hereditariam pactus eſt ſucceſſionem in utrumque regnum, ſi ſtirps interiiſſet. Cùm hactenus non ſine magnis & Cæſaris Judicis & litigantium incommodis, cives Imperii, qui lites haberent, aulam Cæſaream ſequi, atque inde juſtitiæ adminiſtrationem repetere neceſſe haberent, Maximilianus conſilium cepit inſtituendi judicii nomine Cæſaris & Statuum exercendi: quod lege publica conſtitutum, & JVDICIVM CAMERALE nuncupatum eſt, des Keyſers und des Reichs Cammer-Gericht / anno 1495. d. 7. Auguſti in Comitiis Wormatienſibus. Tenor ejus habetur in articulis XXVI. in Receſſibus Imperii. Quanquam ab initio ſedes certa non eſt denominata, & anno 1500. in renovata Auguſtæ ordinatione Camerali, Noribergam eſt translatum, tamen

men poſtea demum anno 1530. Carolus V. Imp. pro perpetuâ ſede Judicio Camerali aſſignavit Spiram, cum exceptione certorum caſuum. Vnde noſtris demum temporibus, Spirâ à Gallis captâ, & incendiis vaſtatâ, Wetzlariam translatum fuit. De ipſo Judicio Camerali videndi Scriptores Juris publici & qui veluti Indices ſcripſerunt *Wehnerus in Obſerv. pract. Beſoldus in Theſ. Pract. Speidelius in Notabilibus*, voce Cammer-Gericht. Item, *Lundorp. Act. publ. Joh. Andreas Gerhardus de Judicio Aulico & Camerali. Conring. Diſſertat. de Judic. Germ.* De inſtitutione vero ejus præter alios conſulatur *Dattius de Pace publ. libr. 2. 3. 4. 5.* & Scriptores rerum Maximiliani infra nominandi. Idem Maximilianus

A. C. 1509. *Bellum contra* HELVETIOS *parùm felix* geſſit. Cùm enim Helvetiorum libertas & cum Gallis foedera ſuſpectari coepiſſent, Maximilianus Cæſar petiit ab eis, ut ſe foederi Suevico adjungerent, adjectis, ni facerent, minis. Cùm negarent Helvetii, qui interim & ipſi vires ſuas confirmarunt, adſcitis perpetuo foedere Rhætis anno 1498. auctis utrinque ſuſpicionibus, res in bellum erupit; quod à Suevico foedere auſpiciis Maximiliani parùm feliciter geſtum, auxit Helvetiis animos, ut magis magisque à communione Imperii recederent. Vid. de hoc bello *Pirckheimeri libri 2. apud Freherum Tom. 3. Rer. German.* Add. *Naucleri Chronicogr.* Item, *Stumpffii* Schweitzer-Chronick / & Wurſteyſen Baßler-Chronick. Cætera Maximiliani quanquam in ſeq. Seculum congruunt, tamen ne ſeries rerum ejus abrumpatur, hic ſubnectere placet.

In annum 1507. incidunt *initia belli inter* MAXIMILIANVM *&* VENETOS; & ſeq. anno, nempe

A. C. 1508. FOEDVS CAMERACENSE *contra Venetos* ictum eſt, de quo *Juſtinian. Hiſtor. Venet. libr. 11. P. Bembus Hiſtor. Venet. libr. 8. & 9.* Etiam Gallus quidam Anonymus ſcripſit *l' Hiſtoire de la Ligue faite a Cambray contre la Republique de Veniſe.* Liber prodiit Pariſiis II. tomis in 12. Coiit illud foedus inter Cæſarem Maximilianum, Reges Galliæ & Hiſpaniæ ác Pontificem Julium. Veneti tot hoſtibus impares, initio ſolos Helvetios in ſuis partibus habebant. Sed paululùm recreati ſunt ſeparatâ pactione Pontificis; cujus ſtudio quidem cum Hiſpano etiam pax coiit, & foedus factum ad Gallos Italia expellendos. Veruntamen Pontifex rurſus alienatus à Venetis, cum eodem Hiſpaniæ Rege & Maximiliano denuo foedus fecit contra Venetos; quibus poſt mortem Ludovici XII. Franciſcus Rex Galliæ opem tulit. Denique poſt multas utrinque clades, cùm Cæſar accepta ingenti pecuniæ ſummâ pácem cum Venetis feciſſet,

Digitized by Google

bello 8. annorum finis eſt impoſitus. Vid. *Juſtinianus de rebus Venetis libr.* 11. *ſeqq. P. Bembus H. V. libr.* 6. *ſeq. Hieronymus Rubeus Hiſtor. Ravennat. libr.* 8. *Iſaacius Pontanus Hiſtor. Geldr. libr.* 11. *Petrus Martyr in Epiſtolis paſſim.* Summam hujus belli Veneti diligenter contraxit *Megiſerus in Annal. Carinth. part.* 3. *libr.* 11. *cap.* 9. Ad res Maximiliani hoc quoque pertinet, quòd Rupertum Palatinum teſtamento contra jura Imperii hereditatem Bavariæ adeuntem, nec decedere regione occupata volentem, proſcripſit, totiusque Imperii armis oppugnavit, ſupplicemque poſt clades multas factum, rurſum in gratiam recepit. De quo extat ſeorſim *Joh. Trithemii, Abbatis* tunc *Spanheimenſis, Hiſtoria belli Bavarici*, &c. Idem Maximilianus Comites Wirtenbergenſes in Ducum faſtigium primus extulit. Conjuges habuit duas priorem Mariam Burgundam, Caroli Audacis filiam unicam, è quo conjugio Philippum ſuſtulit, cujus matrimonio cum Johanna Arragonia, Ferdinandi Catholici filia, totum Hiſpanorum imperium, quod tunc temporis in Americam uſque ſe coepit extendere, Belgicæ Auſtriacæque potentiæ conjunctum eſt. De hoc Philippo, tanto Principe, & Caroli V. patre, miror nullam in Tabula noſtra mentionem fieri: cujus res præter alios diligenter conſignavit *Haræus in Annal. in Philippo Auſtriaco.* Laudes ejus memorabili panegyrico executus eſt *Eraſmus Roterodamus.* De eodem *P. Martyr. in Epiſtol. paſſim.* Alteram uxorem duxit Maximilianus Blancam Galeácii filiam, è qua nulli liberi. Ipſe anno 1519. poſt comitia Auguſtæ Vind. habita, in quibus de bello Turcis inferendo conſultatum eſt, deceſſit, imperii anno 26. Res geſtas ejus ſcripſerunt *Cuſpinianus*, cujus conſilio & opera diu uſus eſt, *Nauclerus*, *P. Jovius*, *Gerhardus de Roo*, *Huldr. Mutius*, &c. Add. Opuſcula varia *Tom. II. Freberi* comprehenſa.

Titulus RERVM ECCLESIÆ, notat primùm fundationes Academiarum, & ad annum Seculi LV. ponit

GRYPHISWALDENSIS *Academiæ initium*, quod tamen alii ad annum 1457. d. 18. Octobris referunt.

Ad annum 1472. INGOLSTADIENSIS *Academia conditur*, à Ludovico Divite, Bavariæ Duce. Item FRIBVRGENSIS, quæ ab Alberto Archiduce Auſtriæ fuit fundata. Et hæc quidem Academia noſtris temporibus, poſt captam ſcilicet à Gallis anno 1677. urbem, & iisdem ceſſam in pacificatione Neomagenſi, Conſtantiam ad lacum

cum Acronium translata fuerat. Sed poſtquam Friburgum vi pacis Ryſvicenſis ad Auſtriacos rediit, etiam Academia iterum ibidem ſtabilita eſt. Eodem anno, i.e. hujus Seculi 60. BASILEENSIS quoque inſtituta eſt à Pio II. Pontifice M. TUBINGENSIS verò anno 1477. auſpiciis Eberhardi Comitis & poſtea primi Ducis Wirtembergici; confirmante Sixto IV. Pontifice, primusque ejus Rector Magnificus fuit ſæpe à nobis laudatus Nauclerus. HAFNIENSIS à Chriſtiano Oldenburgico, Rege Daniæ: de qua *Caſpari Bartholini Tract. de ortu, progreſſu & incremento Academiæ Hafnienſis* Hafniæ 1620. MOGUNTINA denique à Diethero de Iſenburg A. C. 1475. & 1482. De quâ videndus *Serarius libr. 1. Rer. Mogunt.* De omnibus verò *Middendorpius de Orb. Chriſt. Academiis.*

JOH. WESSELUS *Grœningenſis, Wormatienſis Concionator, damnatur Moguntiæ.* Fuit hic ex illorum numero, qui per hæc tempora Pontificis auctoritatem convellere, & corruptionem Curiæ & Eccleſiæ Rom. taxare auſi ſunt; quo nomine ejus per occaſionem mentio infertur apud *Thuanum libr. 22. Tom. I. p. m. 677.* Vid. de eo *Catal. Teſtium Veritatis.* Item *Chemnit. Part. 4. Exam. Concil. Trident. pag. 139. ſeqq. Hottingerus Hiſtor. Eccleſ. cap. 15. pag. 39. & 53.* Opera ejus reliqua (nam maximam partem Monachi poſt ejus mortem cremaverunt) Baſileæ junctim impreſſa ſunt, cum præfatione Lutheri, ſub titulo: *Farrago rerum Theologicarum.*

A. C. 1497. HIERONYMUS SAVANAROLA *juſſu Alexandri VI. crematur Florentiæ.* Fuit hic Savanarola Monachus Dominicanus, qui ob abuſus Papales acerrimè caſtigatos, in odium Papæ Alexandri VI. & Cleri incurrens, graviſſimo vivicomburii ſupplicio, unà cum duobus Sociis Sylveſtro & Dominico, Florentiæ juſſu dicti Pontificis ſublatus eſt: humani tamen multum in affectatis vaticiniis, & inita cum adverſariis temeraria ſponſione paſſus, ut ex *Franc. Guicciardini Hiſtor. Florent. libr. 3.* patet. Vid de eo & *Cominæus de Bell. Neapol. libr. 3.* ubi ipſe cum eo ſe loquutum eſſe ſcribit, & *libr. 5. fin.* Conf. *Sixtus Senenſ. Biblioth. Sacr. libr. 4. pag. 300. Catalog. Teſt. Veritatis pag. 890.* ubi dogmata ejus recenſentur. De eodem *Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr. 15. cap. 5. pag. 416. ſeq.* Acta ejus pleniſſimè ſcripſit *Joh. Franciſcus Picus, Comes Mirandulanus*, & ex eo *Bzovius ad annum* 1492. *Sect. 20. ſeqq.* Extat & in *Parergis Hiſtorico-Theologicis* Diſſertatio de Hieronymo Savanarola. At Alexander VI. P. M. cujus juſſu Savanarolam crematum eſſe diximus, homo fuit, ut *Onuphrius Panvinius* ait, ad perniciem Italiæ natus, de quo noti ſunt verſus *Jov. Pontani*:

Vendit

Google

Vendit Alexander Sacramenta, altaria, Chriſtum,
Vendere jure poteſt, emerat illa prius.
Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iſte:
Semper ſub Sextu perdita Roma fuit.

Inter IV. filios habuit Cæſarem Borgiam, ſpurium nequiſſimum: & duas filias. In alteram harum Lucretiam, ita *Sannazarius*,

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, ſed re
Thais, Alexandri filia, ſponſa, nurus.

Ipſe Alxxander veneno periit, teſte *Onuphrio*, *Jovio*, *Guicciardino*, qui *libro I. Hiſtor.* perfidiam ejus & mores turpiſſimos candidè notat, quod facit & *Machiavellus de Principe*, & *Volaterranus libr.* 22.

Ad VARIORVM titulum accedimus, ſub quo quæ occurrunt in hac altera parte Seculi, ampliſſimam dicendi materiam ſuppeditant. Sed nos, pro inſtituto noſtro, breviter expoſituri, uberiorem ſingulorum explicationem ex ſuis auctoribus petere jubebimus.

In Turcico Imperio MAHOMETH *II. ſucceſſit* Amurathi II. patri. Hic eſt, qui Conſtantinopolin expugnavit, & cæſo Conſtantino Palæologo, antiquiſſimum Orientis Imperium evertit. Idem & capta Trapezunte, ubi Comneni ſedem habebant regiam, & horum ſtirpe omni exciſâ, Trapezuntium imperium deſtruxit Regna inſuper 12. & ſuper 200. urbes Chriſtianis eripuiſſe dicitur. Vſun-Caſſanem, qui Perſiam occupaverat, (de quo paulò poſt) vicit. Imperator haud dubiè magnus, ſed crudelitatis nomine infamis, cùm jam orbis imperium animo ſibi deſtinaret, in Aſiatica expeditione apud Nicomediam obiit anno 1481. ætatis 53. regni 32. Plura de eo vid. in *Hiſtor. Muſulmannica libr.* 15. & *Annal. Turc.* Item, *in Cruſii Turco-Græcia libr.* 1. *Laonic. Chalcocondyl. libr.* 8. 9. & 10. *Chron. Carion. libr.* 5. *p. m.* 198. *ſeqq.* Add. *Lipſ. libr. Monit. & Exempl. Polit. cap.* 8.

A. C. 1455. *Angli Gallia omni pelluntur.* Tenebant Angli adhuc in Gallico continente Normanniam & Aquitaniam, quibus eos hoc tempore, multis prius prœliis fractos, expulit Carolus VII. cùm interim Henricus VI. Angliæ Rex domeſticis ſeditionibus, per Lancaſtrenſium & Eboracenſium factiones agitaretur. *Paulus Æmilius libr.* 10. *Sylvius Europ. Statu. cap.* 39. *Polydor. Virgil. Hiſtor. Angl.* Non parùm etiam ad inſtaurandam rem Gallicam eo tempore contulit ſive virtus

virtus ſive præſtigiæ Joannæ d'Arc, puellæ ruſticæ ex Lotharingia, quæ poſtea Puellæ Aurelianenſis nomen meruit. Hæc tempore obſidionis Aurelianenſis, circa annum 1415. deſperatis rebus omnibus, ſe Carolo Regi divinitus in auxilium miſſam, palam profitebatur; pulſisque ab obſidione Aureliæ Anglis, victricia arma longe lateque circumferebat: donec tandem ab Anglis capta, & publicè in foro Rotomagenſi combuſta fuit, odio magis iraque, quod ab ignobili puellâ viri bello illuſtres tot clades accepiſſent; quàm quod aliquid tam atroci ſupplicio dignum commiſiſſet. Vid. *Joh. Iſaacus Pontanus Rerum Geldr. libr. 9. Boxhorn. Hiſtor. Vniverſ. pag. 945.* Hiſtoriam puellæ Aurelianenſis diligenter ſub examen revocavit, & peculiari *Diſquiſitione Hiſtorico-theologica* complexus eſt *Voëtius Volum. 2. Diſputat. de Signis & miraculis.* Præterea ſeorſim de ea ſcripſerunt *Valerand. de Varane de Geſtis Joannæ: Joh. Hordalius Hiſtor. Joannæ: Goldaſtus in Sibylla Franc.* Præcipua momenta circa hanc hiſtoriam Puellæ Aurelianenſis & auctores notat breviter *Boecler. Excerpt. Controv. Illuſtr. XIV. Tom. 3. Diſſertat. pag. 473.*

A. C. 1458. MATTHIAS HVNNIADES *Rex Hungariæ.* Hic erat alter ex filiis Joh. Hunniadis, Hungariæ quondam Protectoris: de quo diximus. Hujùs fratrem Ladislaum, ob cædem Henrici Ciliæ Comitis, Ladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ, Alberti Imp. filius, capite plecti juſſerat; Matthiam verò in Auſtriam primùm, mox in Bohemiam captivum abduxerat. Qui dum ibi aſſervatur, capitis ſententiam expectans, interim Ladislaus Rex in ipſo apparatu nuptiarum, quas cum Magdalenâ, Caroli Galliæ Regis filia, celebraturus erat, poſtquam non toto biduo ægrotaſſet, moritur. Georgius Podiebracius Bohemiæ regnum obtinet; Matthias captivus ab Hungaris, memoriâ paternorum meritorum, Rex eligitur, & ex carcere ad regnum vocatur: quem Podiebracius, deſponſa ei filia ſua, dimittit: cui tamen non parem poſtea gratiam retulit Matthias, inſtinctu Pontificis graviſſimo bello eum adortus, quo Moraviam, Sileſiam & Luſatiam ſubegit. Prius verò contra Turcos egregiè rem geſſit, inprimis in defenſione Belgradi, à cujus obſidione Mahomethem, magnis cladibus affectum diſcedere coëgit. Matthias hic alioqui literarum & literatorum fautor inſignis fuit, mortuus Viennæ, quam tum adhuc tenebat, anno Seculi 90. Vid. *Æneas Sylvius Bohem. cap. 68. &c. & in Statu Europæ cap. 1. Nauclerus Gener. 49. Bonfin. de Rebus Hungar. Dubravius in Hiſtor. Bohem. Theobaldi* Huſſiten-Krieg *Part. 3. pag. 13. & 99. Chron. Carionis libr. 5. p. m. 233. ſeqq.*

Digitized by Google

VSVNCASSAN *Perſiam occupat.* Hic *Vſuncaſſanes*, qui & *Aſſimbejus* dictus, ex Turcica ſtirpe, Cappadociæ, Armeniæ & vicinarum aliquot regionum dominus fuerat, & nuper interemto ſive Molaonchre, ſive ut alii volunt, Demiro Perſ. Regi, ex vetuſta ſtirpe Gemſæ, magni apud Parthos Sultani, regnum abſtulerat. Habebat in matrimonio Deſpinam, Davidis Comneni filiam, Regis Trapezuntini, cujus regionibus cùm imminerent Turcæ, Vſuncaſſanes miſſa legatione ad Mahomethem, ut à Soceri regno abſtineret, flagitavit. Cùm hic ægrè ferret leges ſibi præſcribi, novique Regis felicitati invideret, omnem armorum apparatum ex Europa in Aſiam convertit, atque ſic

A. C. 1473. MAHOMETH & VSVNCASSAN *bello colliduntur*, in quo Vſuncaſſan duobus prioribus præliis victor, tertio ad Arſengam, multitudine tormentorum obrutus, infelici exitu ſuperiores victorias corrupit. *P. Jovius Hiſtor. libr.* 13. *P. Bizarrus Hiſtor. Perſ. libr.* 10. *Laonic. Chalcocondyl. libr.* 9. *Archontolog. Coſmica. Chronicon Carionis libr.* 5. *p. m.* 199. *ſeq. Cruſii Turco-Græcia libr.* 1. *Bzovii Annal. ad A. C.* 1457. *Sect.* 20.

A. C. 1477. CAROLVS BVRGVNDVS *occumbit in prælio ad Nanceium.* Carolus hic cognomine Audax, Philippi Boni Burgundiæ Ducis filius, Princeps ſuo tempore longè potentiſſimus, & verè magnus fuit, niſi quod ſe ambitione in tranſverſum rapi paſſus eſt. Provincias à patre accepit florentiſſimas, quas ipſe etiam non parvis additamentis auxit; ſed eas denique viribus per continua bella exhauſtis fractas, & cladibus deſolatas, moriens reliquit. Bella geſſit cum Ludovico XI. Rege Galliæ, cum Renato Lotharingo & Helvetiis, in quorum ſocietate tunc erant liberæ Alſatiæ civitates; & ab his triplici prælio victus eſt: primò ad Granſonem exutus caſtris, omnia impedimenta cum machinis amiſit: ſecundò ad Murtiam 30000 virorum cæſis debilitatus eſt: tertio ad Nanceium, quam urbem media hyeme oppugnabat, victus, tribus vulneribus acceptis periit. De tribus his cladibus Caroli, dicterium eſt Germanicum: Granſon das Gut / Murten den Muth / Nancy das Blut / ſcilicet abſtulit. *Boecler. in Excerpt. Controverſ. Illuſtr. XXIII.* epitaphium hoc ejus fuiſſe notat:

Oppida trina tibi, Dux Carole, dira fuere;
In rebus Granſon, grege Murten, corpore Nanſe.

Vid. *ibidem* etiam Scriptores, inprimis *Cominæus Commentar. de Geſtis Ludovici XI. libris* 7. *prioribus. Paulus Æmilius libr.* 10. *Bilibald. Pirckhemer. libr.* 1. *de Bello Helvet. Jacobus Meyerus Balliolanus Annal. Flandr.* Vitam hujus Caroli ſcripſit *Hadrianus Barlandus.* A. C.

A. C. 1481. *Mahomethi ſuccedit* BAJAZETHES *II.* filius, qui primùm ſublatis æmulis, inteſtino bello defunctus, in Aſiam arma convertit adverſus Caithbeium, Mamalucorum in Ægypto Sultanum, à quo tamen geminâ clade affectus, priore ad Adenam, altera graviſſima ad Tarſum Ciliciæ, ab Aſia deinceps abſtinuit, uſque ad bellum Perſicum cum Iſmaele Sophi, de quo poſtea; & in Europam reverſus, Venetis bellum intulit, eosque penè ad deſperationem adegit. Ad extremum tamen, opem Venetis ferente Hiſpaniæ & Galliæ Rege, pacem fecit anno 1501. Tandem conflictatus inteſtinis diſcordiis, Selimo filiorum minimo tradidit Imperium, à quo mox occiditur, poſtquam 31. annos imperaſſet. Vid. *Annal. Turc. & Hiſtoria Muſulmannica Leunclavii. Loniceri Hiſtoria Turc. libr.* 1. *Cuſpinian. in Bajazethe II. Pauli Jovii Hiſtoria ſui temporis libr.* 17. *Chron. Carionis libr.* 5. *p. m.* 205. *ſeqq.*

A. C. 1490. RVSTANVS *regnum Perſiæ occupat* alias *Roſtambeck* dictus, de quo vid. *Bizarrus Hiſtor. Perſ. libr.* 10. *Archontolog. Coſmica.*

MAVRORVM *in Hiſpania* REGNVM *a* FERDINANDO *deletum*, INQVISITIO *inſtituta, quæ ei* CATHOLICI *nomen dedit.* Ferdinandus hic ducta in uxorem Johannis II. Caſtiliæ Regis filia Eliſabetha, Caſtiliam cum Arragoniâ conjunxerat. Is jam latè potens in Hiſpania Maurorum regnum in Bætica, quæ hodie Granata, coepit oppugnare. Occaſionem ejus belli ſuſcepti vide apud *Petrum Martyrem libr. I. Epiſtol.* 32. Totius deinde regni viribus aggreſſus Mauros, tandem anno Seculi 90. expugnata Granata, Hispania omni exterminavit, 770. circiter annis poſtquam Saraceni Hiſpaniam invaſerant. De hoc bello Granatenſi vid. *Ælius Antonius Nebriſſenſis, in rebus à Ferdinando & Eliſabetha geſtis: Joh. Mariana libr.* 20. *Franc. Tarapha de Regibus Hiſpaniæ. Sabellicus libr.* 8. *Ennead.* 10. *Lucius Morineus libr.* 20. *Carolus Verardus in Expugnatione Granadæ. Petrus Martyr ab Angeriâ Epiſtol.* 40. & *ſeqq. uſque ad* 93. *ferè omnibus.* Add. *Epiſtol.* 137. *Mich. Ritius libr.* 3. *de Regibus Hiſpaniæ*, item *Hiſtoria Conſalvi Magni* 3. *libris à Paulo Jovio conſcripta.* Subinde & *Judæi* ex Hiſpania expulſi, qui non vellent Chriſtiani fieri: 140000. familiarum emigraverunt. Hac occaſione etiam INQVISITIONIS OFFICIVM inſtitutum in Mauros primùm & Judæos, ſed poſtea etiam in quoscunque alios ſeveriſſimè exercitum eſt, qui vel in leviculis rebus à religione Pontificia diſſentiunt. Vid. *Hiſtoria Inquiſitionis Pauli Servitæ*, & ex Proteſtantibus *Boxhorn. Hiſtor. Vniverſ. pag.* 289. *ſeqq.* Item, qui rigorem ejus compluribus exemplis manifeſtavit, *Reginaldi Conſalvi Montani tractatum*, cui titulus: *Artes aliquot Sanctæ Inquiſitionis Hiſpanicæ detectæ*, qui Germanicè prodiit

Digitized by Google

Ambergæ, interprete *Joachimo Beringero.* Ex Pontificiis de Inquiſitione Hiſpaniæ ſcripſerunt *Ludov. à Paramo*, *Paulus Venetus* & *Cæſar Carena*. Vid. *Becmanni Hiſtor. Orbis Terrarum Part.* 2. *cap.* 1. §. 1. & 11. Expulſio Maurorum & Judæorum, & hæc tam rigidè exercita Inquiſitio ſunt præcipuæ cauſæ, cur tantopere hominum inopia laboret Hiſpania. Inde tamen Catholici titulum promeruit Ferdinandus, licet ejus originem altius deducere nonnulli ſatagant, à Flavio Recaredo Rege Gothico, qui propter ejectos Arrianos circa annum 590. Catholici cognomen accepit: de quo ſuo loco dictum. Sed ille titulus tum nondum continuatus, & tanquam ſolennis coronæ annexus fuit, ſicut in Ferdinando factum eſt, cui Alexander VI. Papa hunc titulum tribuit, ita ut ſequentibus Regibus proprius & hereditarius eſſet: Vid. *Becmann. Notit. Dignit. Illuſtr. libr.* I. *Diſſertat.* 2. *cap.* 2. & *Hiſtor. Orbis Terrarum Part.* 2. *cap.* 1. §. 18. De titulo hoc in Ferdinandum collato præter alios conſulendus *P. Martyr Epiſtol.* 157.

A. C. 1492. Orbis novus *detegitur*. Hoc enim anno 1492. prima navigatio ſuſcepta eſt à Chriſtophoro Columbo Genuenſi, auſpiciis Ferdinandi & Eliſabethæ Regum Hiſpaniæ: quam ſequutæ ſunt poſtea aliæ ejusdem navigationes 1493. 1496. 1498. quibus ille multas verſus occidentem regiones, hactenus Orbi incognitas, invenit, inventasque Rex coli juſſit & frequentari. Laudes hujus Chriſtophori Columbi ſive Coloni vide apud *Alfonſ. Garſiam Matamorum de Academiis & Doctis Viris Hiſpaniæ, in Hiſpania Illuſtrata, Tom.* 2. *pag.* 821. Navigationem ipſe Columbus deſcripſit in *Epiſtola*, quæ exhibetur itidem in *Hiſpan. Illuſtrata tom.* 2. *pag.* 1281. Fuſius autem commemoratur in *Novo Orbe*, Baſileæ edito 1532. *pag.* 90. *ſeqq.* Add. *Joh. de Laet in Novo Orbe*, *libr.* 1. Narrat & breviter *Joh. Baptiſta Ricciolius in Geogr. Reformat. libr.* 3. *cap.* 22. Non diu poſt Columbum, anno ſcilicet 1497. Americus Veſputius, Florentinus, eodem profectus navibus ampliſſimam terrarum partem detexit, quæ hodie quoque ab ejus nomine America vocatur. Suſcepit autem quatuor eodem navigationes, quas ipſe deſcribit: uti videre eſt in *Novo Orbe* Baſileæ impreſſo *pag.* 155. *ſeqq.* Et Columbus quidem partem Septentrionalem adiit. Veſputius verò Meridionalis Americæ littora detexit: quanquam poſt illos in interiora magis ab aliis penetratum eſt. Add. *Caſpar Ens. libr.* 1. *Hiſtor. Indic. cap.* 2. *Joſeph. à Coſta libr.* 1. *de natura novi Orbis. Joh. Petrus Maffeius libr* 1. *Hiſtor. Indic. Petrus Martyr Epiſtol.* 130. 138. &c. & *in Oceanicis Dec.* 1. Cùm verò interim Johannes Portugalliæ Rex in detegendis Africæ & Aſiæ locis occupatus fuiſſet, & ultra Caput Bonæ Spei claſſibus miſſis, viam ſibi in Indiam aperuiſſet; inter

inter duos Reges brevi æmulatio & gravis controverſia orta eſt, in bellum eruptura, niſi auctoritate Alexandri VI. Pontificis fuiſſet deciſa: qui ductâ quaſi à Septentrione in Auſtrum linea, quæ totum terrarum Orbem æqualiter divideret, partem quæ verſus Orientem erat, Johanni Portugalliæ Regi, occiduam Ferdinando Catholico conceſſit; de mera ſcilicet liberalitate, & ex certâ ſcientiâ ac de Apoſtolicæ ſedis plenitudine: ut habet ſtylus Rom. Curiæ conſuetus. Integram Bullam exhibet *Bzovius in Annal. ad annum* 1493. & ex eo *Becmannus Hiſtor. Orbis Terrarum Part.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. qui de hac controverſia eo loco pluribus agit, & *Part.* 1. *cap.* 1. *num.* 13. Cæterùm an expediat Europæis inventio Novi Orbis, à nonnullis diſputatum eſt, negante inter alios *Trajano Boccalino Relat. ex Parnaſſo* 90. *Cent.* 2. Vid. dictum *Becmannum Part.* I. *cap.* 6. *Sect.* 3. *num.* 5.

A. C. 1494. CAROLVS *VIII. Galliæ Rex* Ludovici XI. filius ac ſucceſſor fuit, & jam anno 1483. regnare coepit. Nomen autem ejus hic ponitur ad annum 1494. quia hoc anno celebrem illam expeditionem Italicam ſuſcepit: in qua primò quidem omnia feliciter ei ceſſerunt, & totum regnum Neapolitanum, paucis exceptis locis, in poteſtatem ejus venit. Sed ad extremum Gallorum tyrannide & libidine offenſis Neapolitanis, & in foedus contra eum coeuntibus Alexandro VI. Pontifice, Maximiliano I. Cæſare, Ferdinando Catholico Rege Hiſpaniæ, Ludovico Moro, Duce Mediolanenſi & Venetis; relinquere tantam prædam Ferdinando Arragonio, quem expulerat, & non ſine clade excedere Italia coactus eſt. Ante hanc expeditionem Carolus Annam Britanniæ citerioris heredem, Maximiliano Auſtriaco deſponſam, etſi nuptiis jam per legatum celebratis, cùm ad maritum iret, interceperat, ſibique matrimonio junxerat, remiſſa Maximiliano filia Margaretha, quæ jam toto novennio Lutetiæ educata, nuptiis Caroli deſtinabatur. Mortuus eſt apoplexia, cum regnaſſet annos 15. Res Caroli VIII. & inprimis expeditionem ejus Neapolitanam deſcripſit *Cominæus* libris V. qui à *Sleidano* Latinè converſi ſunt; & *Alexander Benedictus* libris II. qui ſubjunguntur *Petro Juſtiniano* in editione Argentinenſi. Add. *Arnoldi Ferroni liber.* 1. & 2. *Guicciardinus*, &c.

A. C. 1498. ISMAEL SOPHI *coepit in Perſia.* Erat hic, uti traditur, Vſuncaſſanis ex filia nepos, & Jacuppo avunculo veneficæ uxoris dolo è vivis ſublato, ad regnum Perſiæ occupandum animum adjecit. Quod etiam perfecit, victoque Alvante Jacuppi filio, Perſiam ſibi ſubjecit, continuatisque ſucceſſibus, & victis Scythis, regni fines & potentiam ſuam ita auxit, ut Turcis jam formidabilis

Digitized by Google

eſſet; quos magnis cladibus affectos, ne in Europa progredi, & inchoatum victoriarum curſum perſequi poſſent, remoratus eſt. Ad extremum tamen à Selimo in campis Calderanis victus eſt. De hoc bello ſcripſit ſeorſim *Henricus Penia.* Vid. de hoc Iſmaele Sopho *P. Jovius Hiſtor. ſui temp. libr.* 13. & 14. *Annal. Turc. Leunclavii. Petri Bizarri Hiſtoria Perſ. Archontolog. Coſmica. Joh. de Laet in Deſcriptione Status Perſici. Chronic. Philippi* ſeu Peuceri potius, *libr.* 5. *p. m.* 210. *ſeqq.*

A. C. 1499. LUDOVICUS *XII.* Rex Galliæ, prius Aurelianenſis Dux, Caroli VIII. patruelis, jam regnum ſuſcepit anno 1498. & ipſe bellis Italicis ſe implicuit, repetita prætenſione in Mediolanenſem Ducatum, & in regnum Neapolitanum; & illum quidem, prima expeditione expulſo Ludovico Moro, occupavit; hoc cum Ferdinando Catholico ſocio, poſt ejectum Fridericum Regem diviſit; ſed utroque tandem excidit, in Italia nihil retinens, niſi Genuam, quam oppreſſerat: Mortuus eſt anno 1515. Varias illius in Italiam expeditiones & ſingulares earundem eventus, cæteraque hujus Regis, inter quæ clades etiam ab Henrico VIII. Angliæ Rege acceptas, ſpeciatim memorat *Joh. Tilius Rer. Gallic. libr.* 1. *Arnoldus Ferronus libr.* 3. & 4. Add. *Haræus*, *Jovius*, *P. Martyr. in Epiſtol. paſſim*, *Guicciardinus*, *Gerardus de Roo*, *Pont. Heuterus in Reb. Auſtr.* Oeſterreichiſcher Ehren-Spiegel / *Michael Coccinius de Bellis Italicis.* Item res Ludovici XII. ſeorſim deſcripſit, ſed more Panegyriſtæ, *Joh. Serranus.*

Nunc VIROS CELEBRES, qui alterâ hac parte Seculi floruerunt, enarrare tempus ſte. Primus nominatur

THOMAS DE KEMPIS, Prior Canonicorum Regularium S. Auguſtini Congregationis Windshemienſis fuit. Hic relictis Scholaſticorum ineptiis, Theologiæ myſticæ ſe dedere coepit, & varia ſcripſit opuſcula, quæ *Henricus Sommalius* junctim II. tomis imprimi fecit Antverpiæ 1607. Inter ea inprimis laudantur libri IV. *de Imitatione Chriſti*, qui tanti ſunt habiti, ut in omnes propè linguas converterentur. Vid. de eo *Bzovius Annal.* 1471. *Sect.* 21. & 22. ubi ejus πρωτογραφίαν tradit. *Bellarminus de Script. Eccleſ. ad annum* 1460. *Arnoldi Hiſtor. Theolog. myſtica pag.* 323. & *in Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. libr.* 15. *cap.* 3. *pag.* 410. *Reimmann. Hiſtor. Literar. German. Sect.* 1. *Quæſt.* 109. Libros tamen de Imitatione Chriſti nonnulli ei abjudicant, & *Gerſonem* auctorem faciunt.

BAPTI-

Digitized by Google

Baptista Mantvanvs, Carmelitarum Prior generalis, Poeta ſuo tempore inſignis, à nonnullis Virgilio æquiparatus; de quo tamen parùm honorificè judicat *Julius Cæſar Scaliger de Art. Poet. libr.6. pag.727.* Scripſit plurima carmine, aliqua etiam proſa. Vid. de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap.11. pag.665.* nam in libro *de Poetis Latinis* ejus non meminit, quod miror. Add. *Jovius in Elogiis.*

Georgivs Trapezvntivs, in Creta natus fuit, ſed quia paternum genus à Trapezunte Cappadociæ civitate referebat, Trapezuntii cognomen aſſumſit. Primùm Romæ Scholam habuit, poſtea Nicolai V. Pont. Secretarius factus. Multa è Græcis vertit, nec pauca Latinè ſcripſit. Inter ea eſt *Rhetorica*, quam commendat *Morhoff. in Polyhiſt. Literar. libr.6. cap.1. num* 19. & *Camparatio Platonis & Ariſtotelis*, quam refutavit *Cardinalis Beſſarion.* Vid. de eo etiam *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.3. cap 8. pag.599.* & *Leo Allatius* in libro *de Claris Georgiis.*

B. Platina. Vtrum Baptiſtæ an Bartholomæi prænomen habuerit, non ſatis convenit. Ejus inprimis celebratur opus *de Vitis Pontificum* uſque ad Paulum II. quod dedicavit Sixto IV. à quo præfectus erat Bibliothecæ Vaticanæ. Ab hoc Sixto Pontificum XIV. hiſtoriam uſque ad Pium V. adjecit *Onuphrius Panvinius.* Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.3. cap.7. pag.588. Whear. in Relect. Hiem. Part. 1. pag.159. Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. pag.304.*

Nicolavs Perottvs Saxoferratenſis, Archiepiſcopus Sipontinus, vir Græcis & Latinis literis pereruditus, ſcripſit in Martialem 2. volumina, quibus titulum fecit *Commentariorum Linguæ Latinæ, ſeu Cornucopiæ*: de quo honorificè judicat *Morhoff. Polyhiſt. Literar. libr. 4. cap.9. num.9.* Scripſit & *Laudes Friderici III.* item, *de Puerorum educatione*, & præterea *Orationes* & *Epiſtolas*, teſte *Geſnero in Biblioth.* Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. cap.7. pag.588.* Plura de eo *Jacobus Bergomas libr.15. ad annum 1454. Raphaël Volaterranus Commentar. Vrbanorum libr.21. P. Jovius in Elogiis. Adolphus Clarmundus in Vitis Virorum in re literar. Clariſſ. part.6. pag.66.* & quos præterea ibi citat in fine.

Franciscvs Philelphvs, Anconitanus, Eques Auratus & Poeta laureatus, Emanuelis Chryſoloræ gener, Palæologi Imp. ad Pontificem legatus, Græcas literas poſtea docuit Bononiæ, Romæ, Mediolani, Patavii & Mantuæ. Scripſit utraque lingua, tam proſa quàm carmine, multa volumina. Recenſentur Opera ejus à *Geſnero in Biblioth.* Sed plura de eo apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr.3. cap.7. pag.590.*

ÆNEAS

Digitized by Google

Æneas Sylvius Piccolominæus, primùm Imperatori Friderico III. à Secretis, deinde Epiſcopus Senenſis, tum Cardinalis, denique Papa ſub nomine Pii II. ſcripſit longè plurima, quæ recenſent *Platina in ejus Vita*; *Jacobus Philippus Bergomas in Chron. libr. 15. ad annum* 1454. Ea quæ Hiſtoriam ſpectant, inter quæ præcipua eſt *Hiſtoria Bohemica*, ſignantur à *Voſſio de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 7. pag.* 593. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. pag.* 303. Multa tamen impiè Pius damnavit, quæ Æneas ſcripſit; unde illud natum: Quod Æneas probavit, Pius damnavit. *Hottingerus Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. XV. pag.* 147. *Joh. Gobelinus* Pio II. à Secretis, *commentarios* conſignavit *de Rebus à Pio II. Papa*, ſeu potius de rebus omnibus ſub Pii Pontificatu ab anno 1458. ad annum 1464. tota Europa *geſtis*: libris 12.

Laonicus Chalcondylas, ſeu *Chalcocondylas*, Athenienſis, Græcè *Hiſtoriam Turcicam* libris X. complexus eſt. Orditur ab Ottomanno Orthogulis filio, qui regnare coepit circa annum 1300. definit in anno 1463. Argumentum ſingulorum librorum in Chronologia ſua complexus eſt *David Chytræus*. Latinè vertit *Conradus Clauſerus Tigurinus*, at Gallicè *Blaſius Vigenerius Borbonius*, & commentario præterea illuſtravit. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Græc. libr. 2. cap.* 30. *pag.* 311. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. pag.* 299.

Rodolphus Agricola, Friſius, vir ſuo tempore maximus, & literarum in Germania inſtaurator, fuit Latinè, Græcè & Hebraicè doctiſſimus, philoſophus ſummus. Quæ ſcripſerit, *Jacobus Philippus Bergomas in Chronicis* (qui eum Rudolphum à Groningen vocat, quia in agro Groeningenſi natus eſt) *Trithemius* & alii dicent. Vitam ejus & ſtudia commemorat *Hottingerus in Hiſtor. Eccleſ. Sec. XV. ſect. I. pag.* 40. *ſeqq.* ubi de bibliotheca Heidelbergenſi, cujus colligendæ Electori Palatino auctor fuit Agricola. Vid. & de eo *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 6. pag. 566. Adolph. Clarmund. Vit. Clariſſ. in re liter. Virorum Part. 6. pag.* 224. *Reimmann. Hiſtor. Literar. German. Sect. 3. Quæſt.* 227.

Jovianus Pontanus Cereti in Vmbria natus. Et hic vir omnino ſummus fuit, inter Ciceronianos habitus, Orator, Poëta, Hiſtoricus undiquaque laudatiſſimus: Multa præclara edidit, quæ recenſet *Geſnerus in Bibliotheca*. Laudes ejus vide apud *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 6. cap. 8. pag. 607. ſeqq.* & eos qui à Voſſio citantur. Add. *Clarmund. Vit. Clar. in re lit. Virorum Part. 7. pag.* 83.

Sabellicus, ſeu pleno nomine, M. Antonius Sabellicus, bonarum literarum apud Venetos Profeſſor, & vir doctiſſimus fuit. Maximè celebratur *Hiſtoria Enneadum II.* ab orbe condito uſque ad annum

annum 1504. poſt quem annum biennio ſuperfuit. Sunt & alia ejus opera, tomo uno Venetiis olim comprehenſa, quæ recenſet *in Italia* ſua *Leander*, ubi Æquicolas deſcribit, & *Jacobus Philippus Bergomas in Suppl. Chron. libr.* 16. ubi luculentum ejus elogium invenitur. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 3. *cap.* 12. *pag.* 669. *ſeq.* Vitam ejus ſcripſit *Petrus Georgius Chalcedonius. Adolph. Clarmund. Vitar. Part.* 4. *pag.* 64. Add. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. pag.* 205.

ALEXANDER AB ALEXANDRO, JCtus Neapolitanus, reliquit *Genialium Dierum libros VI.* multiplici doctrina refertos, qui ſunt promtuarium antiquitatis, veteriſque hiſtoriæ. In eos commentatus *Tiraquellus* fontes oſtendit, unde quæque hauſta eſſent. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 3. *pag.* 608. *ſeq.*

GABRIEL BIEL, natione Germanus, ſcripſit theologica & philoſophica. *Occami* libros in epitomen redegit: Commentatus eſt *in libros Sententiarum*: Scripſit *expoſitionem Canonis Miſſæ.* Editus & eodem auctore liber *de Monetis*, cum notis *Marquardi Freheri* in 4to. *Bellarm. de Script. Eccleſ. ad annum* 1490. *pag.* 300.

JOH. PICVS *Mirandulanus Comes*, vir ingenio & doctrina maximus quanquam non ultra 32. annos vixit; quod illi tempus aſtrologi in vindicationem ſuæ artis prædixerant, adverſus quos ille librum ſcripſerat acutiſſimum. Libri ejus plerique philoſophici & cabaliſtici ſunt argumenti. Opera ejus recenſet *Bellarmin. de Script. Eccleſ. ad annum* 1490. *pag.* 301. & *Jacobus Philippus Bergomas Chron. libr.* 16. *pag.* 436. Eſt & frater ejus JOH. FRANCISCVS PICVS, cujus itidem non pauca ſunt ſcripta, inter quæ egregius eſt liber *de Prænotione rerum*: item, *Examen vanitatis doctrinæ gentium: libri de Studio humanæ ac divinæ Philoſophiæ*, & alia nonnulla, quæ cum fratris ſui operibus junctim edita ſunt Baſileæ fol. *Morhoff. Polyhiſt. Tom. II. libr.* 1. *cap.* 7. *num.* 16.

MARSILIVS FICINVS, Florentinus, inſignis Philoſophus Platonicus ſuo tempore fuit, cui editionem Platonis debemus non quidem omnium emendatiſſimam ſed tamen non contemnendam. Scripſit plurima opuſcula, fundamentis Platonicis ſuperſtructa, tam Theologica quàm Medica & Philoſophica, duobus tomis comprehenſa: quorum ſyllabum habet *Bellarmin. de Script. Eccleſ. ad annum.* 1490. *pag.* 302, Vid. etiam *Morhoff. Polyhiſt. Tom.* 2. *libr.* 1. *cap.* 7. *num.* 15.

BAPT. FVLGOSVS, aliis Fregoſus vel Campofulgoſus, cùm eſſet Dux Genuenſium, principatu à patruo ſuo dejectus fuit anno 1483. Quò verò exilii dolorem levaret, totum ſe ſtudiis dedit, atque ad filium Petrum ſcripſit libros IX. *Factorum & dictorum memorabilium*;

Digitized by Google

quos ex Italico ſermone in Latinum tranſtulit *Camillus Gilinus*, Mediolanenſis. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 8. pag. 612.*

Hermolaus Barbarus, Patritius Venetus, & poſteà Patriarcha Aquileienſis, invita republ. cujus tum legatus erat, ab Alexandro VI. Pontifice creatus, ut erat vir doctiſſimus, cùm alia multa edidit, tum etiam *Plinii* Veronenſis *Hiſtoriam Naturalem* accuratè caſtigavit. Reliquit & librum *de conſcribenda hiſtoria*, & plura alia. Vid. de eo *Jovius in Elogiis. Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 8. pag. 621. ſeqq.* ubi etiam de fato ejus. *Adolph. Clarmund. Vit. Clar. in re liter. Vir. Part. 4. pag. 19.*

Angelus Politianus, à Monte Politiano Hetruriæ oppido, ubi natus eſt, alias Baſſus dictus, Medicææ domus alumnus fuit, & literas Græcas Latinasque annis XI. Florentiæ docuit, non undecimo ætatis anno, im eilfften Jahr ſeines Alters / ut nuperus Auctor, qui ſe *Adolphum Clarmundum* vocat, *in Vitis Virorum literis Clariſſim. Part. 3. pag. 164.* ex *Voſſio* malè lecto aut intellecto, commemorat. Fuit Philoſophus, Poeta & Orator ſuo tempore celeberrimus. Laudatur inter alia ejus labor, quo *Herodianum* latinè interpretatus eſt. Extant etiam ejus *Epiſtolæ* cum commentariis. Plura de eo *Jovius in Elogiis. Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 8. pag. 628. Morhoff. Polyhiſt. Literar. Tom. I. libr. 1. cap. 23 num. 30.*

Raphael Volaterranus vir multæ erat doctrinæ & induſtriæ. Ejus præcipuum opus eſt *Commentariorum Vrbanorum libri* 38. quos quia Romæ ſcripſit, Vrbanos appellavit, & ex mille amplius utriuſque linguæ auctoribus ſe congeſſiſſe, ipſe ait. Vid plura de eo deque his ejus commentariis judicia apud laudatum modò *Jovium in Elogiis* & *Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 12. pag. 672. Adolph. Clarmund. in Vitis Clar. Virorum Part. 2. pag. 55.*

Philippus Cominæus, ex illuſtri Cominæa apud Flandros gente natus, octennium vixit in aula Caroli Audacis, Burgundiæ Ducis, ſed pretio corruptus tranſiit ad Ludovicum XI. Regem Galliæ, cui longè gratiſſimus fuit. De hujus quoque rebus geſtis ſcripſit Gallicè (neque enim Latinè ſciebat) libros X. ab anno Chriſti 1464. nec non de rebus filii ejus Caroli VIII. libros V. opus laudatiſſimum, quod *Johannes Sleidanus* Latinè vertit, & Vitam Cominæi adjecit. De quo ejusque hiſtoria amplius conſulatur *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 10. pag. 642. ſeqq.* & quos ibi citat, *Scævola Sammarthanus libr. 1. Miræus Elog. Belg. Jacobus Marchantius.* &c.

Petrus Crinitus, Florentinus, Politiani diſcipulus, ſcripſit libros *de Honeſta diſciplina*, & *Vitas Poetarum Latinorum*, aliaque nonnulla

nulla in proſa & carmine: quæ vide apud *Geſnerum in Bibliotheca, Voſſium de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 12. pag. 673* ubi judicium de eo: nihil in eo non mediocre, multa etiam infra mediocritatem.

JOH. REVCHLINVS, Phorcenſis, mutato in Græcum nomine *Capnio* dictus ab Hermolao Barbaro tunc, cùm à Maximiliano Imp. (*Majus* dicit, à Philippo Electore Palatino) Romam miſſus eſſet. Præcipua ejus laus eſt, quod Hebrææ linguæ ſtudium in Germania excitavit, quo nomine multa tulit ab adverſariis, *Pfeffercornio* inprimis Judæo baptizato ejusque ſociis. Scripſit *Grammaticam* & *Lexicon* aliaque in uſum Juventutis, quam magno applauſu docebat: item in gratiam Philippi Palatini Epitomen Hiſtoricam contexuit. *Vitam Reuchlini* ſcripſit *Joh. Henricus Majus*, & ipſe Phorcenſis, tunc temporis Profeſſor Durlacenus. Add. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 10. pag. 643. Adolph. Clarmund. Vit. Clariſſim. in re literaria Virorum Part. 7. pag. 111 Reimmann. Hiſtor. Literar. German. Sect. 3. Quæſt. 214. ſeqq.* Ad elogia Reuchlini pertinet etiam *Eraſmi* illud *Colloquium*; cui titulus: *Reuchlini ἀποθέωσις.*

JOH. TRITENHEMIVS, natione Germanus, Abbas Spanheimenſis, ſcripſit plurima opera, ſed notiora hiſtorica quæ ſimul edita ſunt Francofurti 1600. Præcipua ſunt chronicon Hirſaugienſe & Spanheimenſe. Vid. *Bellarmin. de Script. Eccleſ. ad annum 1500. pag. 305.* item *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part. 1. pag. 303.* & *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 10. pag. 644.* Magiæ ſe ſuſpectum reddidit opere *de Septem Secundis Intelligentiis orbem moventibus*, quod *Steganographian* inſcripſit: quem tamen alii ab ea ſuſpicione vindicare nituntur. Vid. *Reimmann. Hiſtor. Liter. German. Sect. 3. Quæſt. 188.* ubi plura de Trithemio & præſertim de ejus Steganographia.

JOH. NAVCLERVS, Nobilis Suevus, & primus Rector Academiæ Tubingenſis, ſcripſit Chronicon ingens, continens res memorabiles ab initio mundi uſque ad annum 1500. Opus diſtinguitur in 2. volumina, quorum primum continet Generationes 63. ab Adam uſque ad Chriſtum; alterum continet Generationes 51. Huic Naucleri Chronico appendicem 14. annorum addidit *Nicolaus Baſelius*, Monachus Hirſaugienſis. *Bellarmin. de Script. Eccleſ. ad annum 1500. pag. 304. Voſſius de Hiſtor. Latin. libr. 3. cap. 10. pag. 646. Schopperus in Germania ſua, Prologo. Melch. Adami in Vitis Philoſoph. Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. pag. 206.*

Digitized by Google

TAB. XXVII. & SEC. XVI.

Ad Seculum XVI. progredimur, in cujus initio quæ facies & habitus rerum fuerit, operæpretium eſt legere apud *Thuanum* id graviter exponentem *libr. I.* Adde *Jovium libr. I. Hiſtor.*

Poſtquam de primis duabus rubricis, quæ ad res Maximiliani I. pertinent, jam diximus, memorandus venit

A. C. 1519. CAROLVS *V.* cujus res geſtæ cùm ſint ampliſſimæ, indicari hic potius unde repeti poſſint, quàm enarrari debent. Hoc primò notamus generaliter, quod ſub Imperio Caroli V. magna rerum converſio facta ſit per Europam, non in religione tantùm, ſed & in magnorum Principum & regnorum fatis: qua de re ſubinde exempla occurrent in ſeqq. Erat ipſe Carolus Maximiliani ex filio Philippo nepos, Parentis ſui præmatura morte totius Hiſpaniæ, Indiæ & Neapolis Rex factus, Belgicarum inſuper provinciarum dominus, cùm fratri Ferdinando, poſt avi ſui Maximiliani mortem, provincias Auſtriacas, quæ in Germania ſunt, reliquiſſet. Poſt multam Electorum deliberationem (quam *Sleidanus* exhibet *libr. 1.* & *Goldaſtus* in den Politiſchen Reichs-Händlen *Part. 1. cap. 5.* & *in Politicis Imperial. 2, 5* Add. *Freber. Tom. 3. pag.* 133. Vid. etiam circa electionem Caroli V. notata *Boeclero in Excerpt. Controv. Illuſtr. XXV. Tom. III. Diſſertat. pag.* 480. *ſeq.*) Romanorum quoque Imperator creatus eſt anno ætatis 19. Reſtricta tamen hujus Cæſaris poteſtas fuit, Capitulatione tunc primùm ab Electoribus præſcripta, ſuadente id ratione temporis & perſonæ. De qua *Goldaſtus Part. 2.* Politiſcher Reichs-Händlen & *Limnæus Commentar. in Capitulat. Caroli V.* Prima ejus

A. C. 1521. COMITIA WORMATIENSIA fuerunt, in quibus præter alia Regimentum Imperii conſtitutum eſt. In iisdem Comitiis etiam Lutherus proſcriptus eſt ab Imperatore, poſtquam evocatus retractare libros ſuos, niſi convictus erroris, recuſavit. Edicti hujus ſumma capita exhibet *Sleidanus* libr. 3. integrum *Goldaſtus Tom. 3.* Fuit Carolo perpetua æmulatio & bella cum Franciſco I. Galliæ Rege: cauſæ Bellorum de Mediolani & Belgii poſſeſſione. Quod bellum cùm ſæpius recrudeſceret, plerumque tamen meliori Caroli fortuna geſtum eſt. Nam & in eo

A. C.

A. C. 1525. FRANCISCVS GALLIÆ REX *in prælio ad Papiam captus* eſt, quod prælium longè atrociſſimum fuit. Videatur præter alios P. *Martyr Epiſtol.* 810. & 812. *Haræus Annal. Belg. pag.* 561. *Pont. Heuterus Auſtr. libr.* 9. *cap.* 2. *Joh. Buſieres Hiſtor. Franc. libr.* 16. Quanquam hanc victoriam moderatè ferre videretur Cæſar, tamen ex metu potentiæ victoris nata eſt

S. LIGA *inter Pontificem Gallum & Venetos*, cui etiam *Sfortia* & *Britanni* acceſſerunt, ad tuendam Italiæ libertatem. Sed Cæſar ulturus Pontificem, nominis Pontificii auctoritatem per Hiſpaniam abolet: eodem tempore Columnii à Cæſare inſtigati Romam occupant, & Clementem in Mauſoleo Hadriani obſident; mox ad eandem totis viribus itum, & à Cæſarianis

A. C. 1527. ROMA *capta & direpta*, nongenteſimo anno, poſtquam à Totila poſtremò vaſtata fuit. Extat apud *Schardium Tom.* 2. *commentarius captæ urbis Romæ, anno* 1527. *ductore Carolo Borbonio*, cum præfatione *Joachimi Camerarii pag.* 1197. Add. *Zenocarus libr.* 1. *pag.* 44. *ſeq. Epitome Jovii libr.* 24. *Onuphrius Panvinius in Vita Clementis VII. Franciſcus Guicciardinus Hiſtoriar. libr.* 18. *Juſtinian. libr.* 12. *Thuanus libr.* 1. *pag.* 17. *Pont. Heuterus libr.* 9. *Sleidanus libr.* 6. *pag.* 159.

A. C. 1529. CONVENTVS SPIRENSIS celebratus eſt, in quo nomen Proteſtantium primùm auditum; cùm quidam Principes Comitiorum illorum decretis, eò quòd progreſſionibus doctrinæ veritatis coeleſtis fraudi eſſe poſſent, aſſentiri ſe non poſſe, neque iis teneri velle, publicè proteſtati ſunt; primusque ex illis fuit Johannes Dux Saxonum, quem imitati alii. Vid. *Joachim. Camerar. in Vit. Philippi Melanchthonis*: *Sleidanus libr.* 6. *p. m.* 166. 171. 176. *Chytræus libr.* 13. *pag.* 314. Acta Proteſtationis & formula habentur apud *Hortlederum Tom.* I. *libr.* 1. *cap.* 455.

Eodem anno VIENNA *à* SOLIMANNO OBSESSA, poſt captas in Hungaria Belgradum & Budam: ſed Vienna, quanquam vicies in ea obſidione impetu facto oppugnata à Turcis, ſtrenuè tamen defenſa eſt per abſentiam Cæſaris & Ferdinandi fratris, à Ludovico Principe Palatino, ope militum Germanorum; ita ut Solimannus, amiſſis ſupra 60000. de ſua militia, irritus cogeretur recedere.

Cùm poſt exhibitam anno 1530. in Auguſtanis Comitiis (de quibus poſtea in rebus Eccleſiæ) Auguſtanam Confeſſionem, omnia ad vim Proteſtantibus inferendam ſpectarent, Socii ejus confeſſionis Smalcaldiæ convenientes, foedere pro ſui defenſione mutua ſe conſociarunt, quibus deinde exteri quoque Reges Daniæ Sueciæque, imò etiam Gallus & Anglus acceſſere, & hi duo poſtremi quidem, non ex

Digitized by Google

ex religionis cauſa, ſed ut potentiam Caroli ſibi ſuſpectam retunderent. Verùm cum Carolus ope interim Ordinum Germaniæ adverſus Galliæ Regem indigeret, arma diu contra Proteſtantes decreta diſtulit uſque in

A. C. 1546. quo anno INITIVM BELLI SMALCALDICI fuit: de quo bello videndi *Sleidanus*, *Thuanus*, *Lambert. Hortenſius*, *Ludov. ab Avila*, & qui Græcè id bellum compoſuit, *Joach. Camerarius*; cui Latinus ejus interpres *Simon Stenius* ſupplementum addidit, apud *Freherum Tom. 3. Rer. German.* Add. præter alios Hiſtor. Eccleſ. Scriptores narrationem de hoc bello *Arnoldi* in ſeiner Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *Part. 2. libr. 16. cap 3.* pro ſuo more & genio loquentis. In hoc bello apud Foederatos multitudo Ducum ac diſſenſus exitio fuit. Eventus is fuit, ut Elector Saxoniæ in prælio ad Mühlbergam captus, capitis damnaretur; quæ ſententia deditione Witebergæ redemta eſt. Philippus Landgravius Haſſiæ ſupplex factus, tamen præter datam fidem captivus detentus fuit. Socii cæteri, inprimis Würtenbergicus, & Imperiales Civitates ſuperioris Germaniæ variè multati, Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis Epiſcopatu dejectus eſt. In Saxonis locum Mauritius ejus cognatus, per quem potiſſimum impugnatus fuerat, in Electoratum & pleraſque ditiones ejus inveſtitus. Magdeburgum victoris impetum ſola ſtitit (cujus obſidionis hiſtoria ſeorſim ſcripta à *Sebaſtiano Beſſelmeyero*, cive Magdeburgico, legitur apud *Schardium Tom. II. pag. 1684. ſeqq.*) donec facta commutatione rerum cùm Pontifex ipſe culpam interfecti Aloyſii filii ſui, Ducis Parmenſis, in Cæſarem conferret, & ſimul ægrè ipſum haberet, quòd Cæſar in Comitiis decretum de religione feciſſet; Mauritius etiam propter detentum in captivitate Landgravium ſocerum ſuum, itemque Albertus Brandeburgicus pro eo liberando cum Henrico II. Galliarum Rege foedus iniiſſent: hinc conflatum fuit bellum, de quo Tab. noſtra

Ad annum 1552. *Bellum à* MAVRITIO SAXONE *geritur contra* CAROLVM *Imp.* Tum enim penè oppreſſus Oeniponte Cæſar à Mauritio, cùm noctu fugere cogeretur, & Henricus Rex cum exercitu 30000. Meti urbe Imperii dolo occupata, in Alſatiam irrumperet, non ſolùm captivorum Principum dimiſſio Cæſari extorta eſt, ſed & amplior formula pacis religionis; quandoquidem Paſſavii cum Ferdinando in eas conditiones pactus eſt Mauritius, quæ deinde in Comitiis Auguſtanis in publ. Imperii legem profecerunt. De qua re denuo ſub rebus Eccleſiæ dicetur. De juſtitia belli hujus à Mauritio in Cæſarem moti ſcripſit *Cornelius Crullus Vindicias Mauritianas, ſive Diſcurſus hiſtorico-politicos de juſtitia belli Mauritii.* Lipſiæ 1631. in 4to.

Edi-

Digitized by Google

Edidit etiam *Joh. Fridericus à Brand Vindicias Mauritianas*, *Joh. Bodino de Expeditione Mauritii El.* anno 1552. oppoſitas Jenæ 1677. 4to. Pace cum Mauritio facta, non tamen Albertus Brandeburgicus quievit; ſed is per Franconiam & Rhenum Epiſcopos maximè perſecutus eſt, ingentesque prædas egit. Inde

A. C. 1553. *Conflictus inter* MAVRITIVM *&* ALBERTVM BRANDEBVRGICVM *ad Sivershuſium* acerrimus fuit, in quo Mauritius Elector Saxoniæ poſt cruentam victoriam ex vulnere periit. Albertus poſtea proſcriptus à Cæſare, in Galliam profugit, unde redux factus apud affinem ſuum, Carolum Marchionem Badenſem, Pfortzhemii mortuus eſt. Extat *Hiſtoria pugnæ infelicis inter Mauritium & Albertum Marchionem*, auctore *Thoma Wintero* quam *Tom. II. Script. German.* exhibet *Schardius* (Hæc quanquam in alteram partem Seculi excurrunt, tamen propter connexionem hic ſtatim cum rebus Caroli commemoranda putavi.) Carolus autem anno eodem 1553. cum exercitu in Lotharingiam profectus, Metenſem urbem obſedit fruſtra, inſtante hyeme; paulò poſt alius ejus exercitus ad S. Quintini fanum in Belgio penè internecione à Gallis cæſus eſt. Quæ fortunæ ejus converſio eum permoviſſe creditur, ut ſe Imperio & regnis hereditariis abdicaret, quæ poſteriora filio ſuo Philippo reliquit: Imperium reſignavit per fratrem Ferdinandum (quem multis ante annis Rom. Regem, reclamante fruſtra Joh. Friderico Saxoniæ Electore, eligi curaverat) in Collegii Electoralis manus. Id contigit anno 1555. Vid. *Wilhelmus Godelevaus* apud *Schardium pag.* 1893. *ſeqq.* ubi & reperitur Hiſtoria rerum, quæ inter abdicationem Caroli V. & electionem Ferdinandi acciderunt. Carolus in Hiſpaniam profectus, procul à turba in ſeceſſu ſuo paucis pòſt annis placidè deceſſit d. 21. Sept. 1558. cùm vixiſſet annos 58. menſes 6. d. 25. regna hereditaria annos 40. Imperium annos 36. tenuiſſet. *Caroli V. mortem Evangelicam* ſingulari *Diſſertatione* Lipſiæ 1682. demonſtratum ivit *Joh. Fridericus Meyerus*, celeberrimus poſtea Theologus. Ad bella, quæ ſub eo in Germania geſta ſunt, etiam referendum bellum Ruſticanum anno 1525. præ cæteris Germaniæ calamitoſum; (de quo *Hubert. Thom. Leodius de bello Ruſt.* apud. *Freherum Tom. 3. Petrus Crinitus de Tumult. Ruſt. in eodem Tomo Freheri*, *Petrus Gnodalius apud Schardium Tom. 2. Sleidanus de Statu. Relig. libr. 4. Cruſius in Annal. Suev. libr. 2. Part. 3. pag. 583.*) & Monaſterienſe cum Anabaptiſtis, ex eodem ferè principio profectum: de quo poſtea &c. Ipſe Carolus Princeps fuit, quo Germania poſt Carolum & Ottonem Magnos non vidit majorem. Conſulantur de eo *Jovius*, *Sleidanus*, *Thuanus*, apud quem & elogium Caroli *libr. 2. pag. 638, & ſeq.* meretur legi. *Guiliel-*

mus

Digitized by Google

mus Zenocarus in Vita Caroli. Haraus Annal. Belg. Petrus Martyr. in Epiſtolis, inde à libro 29. paſſim. Add. *Goldaſtus* in den Politiſchen Reichs-Händlen / *Hortlederi Acta publ. Jacobus Perizonius in Hiſtoria Seculi XVI.* quam uſque ad exceſſum Caroli V. perduxit, & cæteri ſupra jam laudati. Multos quoque Scriptores rerum Caroli V. reperias in *Freheri Tom. III. Rerum German.* & *Sim. Schardii Tom. II.* Vid. *Neu in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. pag.* 177. *& ſeqq.*

Jam ordo nos vocat ad RES ECCLESIÆ, quam tenebris erronearum opinionum dudum obſcuratam, hoc Seculo exortus coeleſtis veritatis Sol coepit illuſtrare, cujus Phoſphorus fuerunt bonæ literæ, deterſa barbarie in Academiis ſubinde inſtitutis eluceſcentes; & quidem

ACADEMIA WITEBERGENSIS, anno Seculi ſecundo inſtituta, eam felicitatis prærogativam habuit, ut inde primùm exorientis Evangelii radii puriores paulò poſt in totum orbem diffunderentur. Maximilianus Imp. in Comitiis Wormatienſibus jam anno 1495. hortatus erat Electores, ut ſuis quisque in terris Academiam conderet. Et hujus hortatu erecta eſt à Friderico Electore Saxoniæ Academia Witebergenſis anno 1502. d. 18. Octobr. Vid. *Chytræus libr. 5. pag.* 128. Eaque in re adjutore & conſiliario uſus eſt Elector fratre Erneſto Magdeburgico Archiepiſcopo, quem Reimundus Legatus Cardinalis Garcenſis extimulabat. Conf. *Fabric. Orig. Saxon. libr. 7. pag.* 797. & *Middendorpius de Academ.* Huc ſpectant etiam *Andreæ Sennerti Athenæ & Inſcriptiones Witebergenſes*, 1687. 4to.

A. C. 1506. ACADEMIA FRANCOFURTENSIS *ad Viadrum*, ſimiliter hortatore Cæſare fundata eſt à Joachimo I. Electore Brandeburgico, magno Doctorum Mæcenate, anno 1506. d. 27. April. de quâ vid. iterum *Chytræus libr. 6. pag.* 146. *Joh. Chriſtophorus Becmanni Notitia Univerſitatis Francofortanæ*, in fol. anno 1707.

A. C. 1515. SACRORUM BIBLIORUM EDITIO COMPLUTENSIS. Magnifica hæc Bibliorum polyglottorum editio curata eſt Compluti in regno Caſtellæ, auſpiciis & ſumptibus Franc. Ximenii Cardinalis & Archiepiſcopi Toletani. Atque idem etiam Academiam Complutenſem inſtituit. Vid. *Alfonſus Garſias Matamorus de Claris Hiſpaniæ Viris & Academiis. Gomezius in Vita Ximenii Cardinalis. Middendorpius de Orb. Chriſt. Academiis.* Meminit etiam *Thuanus fine libri XI.* ubi

ubi Franc. Nonium Pincianum Ximenio in hanc rem operam ſuam addixiſſe teſtatur.

A. C. 1517. MARTINVS LVTHERVS *contra Indulgentias Papales cœpit diſputare.* Divinâ ſic diſponente providentia occaſionem rei dedit Joh. Tetzelii, Dominicani, impudentia, qui per illas terras venalem peccatorum expiationem auctoritate Leonis X. Papæ, & Alberti Archiepiſcopi Moguntini & Magdeburgenſis, vaniſſimis præconiis venditabat. Contra has ergo Indulgentias pridie Calend. Nov. 1517. ſuas theſes affixit templo arcis Witebergenſis Martinus Lutherus, Auguſtinianus tum Monachus, & Theologiæ Doctor ac Profeſſor in Academia Witeb. publicans eas ad diſputandum; miſitque etiam illas ad Albertum Archiepiſcopum, unà cum literis ſuis, quibus ei fraudes & impoſturas horum præconum detegebat. Sed ab Archiepiſcopo nihil reſponſi retulit. Ab hoc initio inchoatum ingens illud Reformationis opus DEus per Lutherum, heroico ſpiritu ad hoc inſtructum, tandem etiam perfecit: cùm quidem Lutherus nunquam eò progreſſurus fuiſſet, quò proceſſit, (ſi humana conſilia ſpectemus) niſi adverſariorum impudentiâ ad inquirendam diligentius & defendendam animoſius veritatem incitatus fuiſſet: quod nôtat præter alios *Sleidanus* libr. I. Subinde enim etiam auctoritatem Papæ in dubium vocare, mox magis magisque ex verbi divini lectione illuminatus, errores Pontificiæ Eccleſiæ alios detegere atque impugnare cœpit: quæ Lutheri in agnitione veritatis incrementa ſatis ex ipſius Scriptis patent legentibus. De cujus viri perſona & laudibus præſtat tacere, quàm parùm dicere. Qualis fuerit, partim ſcripta ipſius teſtantur, & cùm alii hiſtorici in ſuis monumentis, quæ pleraque in omnium ſunt manibus, tum Vitæ ejus ſeorſim exaratæ Scriptores complures, quos curioſè recenſet *Chriſtianus Junckerus, in præfatione Vitæ Lutheri, nummis & iconibus illuſtratæ, præfixâ.* De Luthero deque ipſa reformatione, ſiniſtra & cœca Pontificiorum Scriptorum illius Seculi judicia, (nam nec noſtro tempore ceſſant illæ calumniæ) nonnulla ſive ex ignorantia ſive ex pravitate ingenii profecta, producit *Boeclerus in Libello memoriali Seculi XVI. p.* 197. *ſeq.* Subjungens tamen etiam aliorum ex iisdem quidem caſtris judicia graviora & cordatiora. Cæterùm de hoc initio Reformationis per Lutherum, ejusque ſucceſſu conſulendi ſunt *Sleidanus de Statu Religionis, Thuanus, Joachimus Camerarius in Vita Melanchthonis*, ipſe *Lutherus Tom. I, Jenenſi*, &c. *Chytræus Chron. Sax.* & qui unus inſtâr omnium eſſe poteſt, quanquam poſt hos omnes ſcripſit, Illuſtr. *Seckendorff. in Hiſtor. Lutheraniſmi*, oppoſita

ſita libro *Ludov. Mainburgij* ſub eodem titulo ſcripto. Cujus tanti viri hiſtoria eò majorem auctoritatem habet, quòd ex tabulis publicis & monumentis authenticis, quorum inſpiciendorum ipſi copia fuit, pleraque deſumſit. Addendi *Vitæ Lutheri Scriptores. Arnoldus Hiſt. Eccl. Part. 2. lib. 16. cap. 5.* de Luthero pro more ſuo judicat, laudes ejus & vituperia miſcens.

A. C. 1521. INITIA SECTÆ ANABAPTISTARUM. Quod Germani proverbio uſurpant: Wo GOTT der HERR eine Kirche bauet / da bauet der Teuffel eine Capelle darneben / id tum accidit. Circa hæc enim tempora, dum ſacræ ædes paſſim in Germaniâ purioris Evangelii prædicationi conſecrantur, diverſis ejus partibus Anabaptiſtæ ſeſe prodere cœperunt, quorum furor poſtea demum Monaſterii in Weſtphaliâ erupit, graviſſimisque cladibus penſatus eſt. In ea enim urbe Anabaptiſtæ potiſſimùm ſedem conſtituerunt, omniaque ſceleribus, monſtroſis dogmatibus & tumultibus repleverunt, rege etiam facto Joanne Leydenſi, Sartore. Sed obſeſsâ ab Epiſcopo & fœderatis urbe, ſupplicio infamium auctorum res finita eſt anno 1535. quæ cœperat 1533. Et initia quidem Sectæ Anabaptiſtarum in annum demùm 1527. refert *Sleidanus libro 6.* & hic quidem numerus anni debebat poni in Tabulâ noſtra, qui etiam ad ſequens lemma convenit. Carlſtadius quidem jam anno 1522. turbas dederat Witebergæ ſtatuas è templis ejiciendo, qui deinde paucis pòſt annis Anabaptiſtarum quoque ſomnia amplexus eſt. De Carlſtadio *Arnoldus Hiſt. Eccl. & Hær. Part. 2 lib. 16. c. 19.* & de Anabaptiſtis Seculi XVI. ibid. *cap.* 21. & de turbis Monaſterienſibus *Part. 4. Sect. 2. Num.* 28. exhibet narrationem cujusdam ex ipſis Anabaptiſtis Monaſterienſibus. Vid. *Joah. Camerarii Vita Melanchthonis p. 51. ſeq.* Cæterùm Monaſterienſis tragœdia prolixè deſcribitur à *Sleidano libro* 10. *Lamberto Hortenſio Monfortio libro de tumultu Anabaptiſtarum. Anton. Corvino libello de miſerabili Monaſterienſium obſidione, excidio, memorabilibus rebus tempore obſidionis in urbe geſtis, apud Schardium tomo 2. p. 1331.* Add. *Chytræus libro 14. p. 354. ſeq. Joh. Iſac. Pontan. Hiſtor. Geldr. lib.* 11. *Heresbachius in hiſtoria Anabaptiſtica.* &c. *Micrælius Hiſt. Eccl. Libr. 3. Sect. 2. p. 814. ſeq. Hartnaccius in Contin. Hiſtor. Eccleſiaſt. Micrælii Part. 2. Art. 1. p. 1325.*

MARPURGENSIS ACADEMIA inſtituta eſt à Philippo Magnanimo, Landgravio Haſſiæ 1527. veteribus quibusdam Monaſteriis in collegia converſis & uſibus Academiæ deſtinatis; varias poſtea mutationes paſſa, ex mutationibus Dominorum & religionis. Hodie ad Haſſo-Caſſellanum ſpectat, & Calvini doctrinam fovet.

A. C.

A. C. 1529. Foedvs Smalcaldicvm, de quo dictum jam aliquid ſupra, ubi de Carolo V. Initia & prima tentamenta talis fœderis, ad defenſionem religionis & Chriſtianorum rituum, jam tum anno 1526. fecerant Torgaviæ Johannes Elector Saxoniæ & Philippus Haſſiæ Landgravius. Renovata & ampliata eſt illa pactio Magdeburgi eodem anno, ubi etiam Magdeburgi vetus Civitas acceſſit: quo anno Albertus quoque Brandenburgicus, primus Dux Boruſſiæ, cum Electore Saxoniæ pactus eſt Regiomonti, eadem cauſa. Tandem in Conventu Smalcaldienſi primò ſub finem anni 1530. formula quoque fœderis conſcripta, & ſequenti anno confirmata eſt. Acceſſerunt interim plures fœderati, renovatumque eſt fœdus in 10. annos altero conventu Smalcaldico 1536. ibique formula ſubſidii & contributionis perſcripta. Huic poſtea fœderi contrarium fœdus oppoſuerunt (den Catholiſchen Gegen-Bund) Carolus Imper. Ferdinandus Rex aliique Electores & Principes, initum Norimbergæ 1538. Acta harum confœderationum vid. apud *Hortlederum tom. 1. lib. 8.* Hiſtoriam ipſam apud *Sleidanum lib. 7. ſub finem, & lib. 8. princ. & lib. 9. fin.* &c. apud *Chytraum lib. 13.*

A. C. 1530. Avgvstana Comitia, religionis & belli Turcici cauſa indicta fuerunt; maximè tamen religionis negotium agitatum, quam actionem diligenter conſignavit *Sleidanus lib. 7.* In illis Comitiis exhibita eſt à Principibus Proteſtantibus Confeſſio fidei, Auguſtana hinc dicta. & prælecta in publico conſeſſu: quæ tamen poſtea decreto, quod 19. Novembris, non ſubſcriptis Proteſtantium nominibus exiit, damnata fuit, reditusque ad Eccleſiam & reſtitutio ablatorum imperata, niſi armis coërceri vellent. Add. *Chytraus lib. 13.* qui & ſeorſim *Acta horum Comitiorum* edidit. *Hiſtoriam* verò *Auguſtanæ Confeſſionis* ſingulari opere ſcripſit *Joh. Cœleſtinus*, S. S. Theol. D. & Eccleſ. Colonienſis Præpoſitus; de cujus ſcripto (quod hodie raró invenitur) vide judicium *Reimanni Introduct. ad Hiſt. Liter. p. 89.* Add. *Lauterbachius de Miraculis Aug. Confeſſionis.* Eſt etiam *Ambroſii Wolffii Hiſtoria Aug. Confeſſionis*, ſcripta à *Chriſtophoro Herdeſiano*, Syndico Reip. Norimberg. homine Reformatis addicto, qui ſub nomine Ambr. Wolffii latere voluit. Is contra Lutheranos vehemens & maledicus eſt.

A. C. 1535. Initivm Sodalitii Jesvitici. Cujus auctor fuit Ignatius Lojola, miles Hiſpanus, idemque confirmavit Paulus III. P. anno 1540. De Sodalitii hujus ortu, inſtitutis, artibus, progreſſu præter multos alios, inprimis *Ludov. Lucius*, Profeſſor Baſileenſis, luculentos commentarios ſcripſit. De eâdem ſocietate

cietate ejusque auctore ſcripſerunt *Maffæius*, *Haſenmüllerus*, *Rudolphus Hoſpinianus*, *Chemnitius tractatu de origine Jeſuitarum*. Videri etiam poſſit *Scioppii* libellus, cui titulum fecit: *Reſpublica Solipſorum*. Secularem ejus hiſtoriam in panegyricas laudes adornatam anno 1640. edidit *Damianus*. Add. *Thuanus lib.* 37. ad ann. 1564.

A. C. 1541. COLLOQVIVM WORMATIENSE *inter Philippum & Eccium*; quod tamen poſt paucos dies abruptum eſt, literis eâ de re ad Cæſarem miſſis, & Ratisbonam translatum. Sed Pontifex, ægrè ferens, quòd Cæſar religionis curam ſuſciperet ad ſe pertinentem, miſſo legato impedivit, ne procederet negotium, ſed ad Concilium, cujus ſpem faciebat, remitteretur. Vid. *Sleidanus lib.* 13. *Oſiandri Hiſtor. Eccleſ. Centur. XVI. lib.* 2. *c.* 44 *ſeqq.*

ACADEMIA REGIOMONTANA *in Pruſſia*, per Albertum Brandenburgicum, primum Boruſſiæ Ducem inſtituta eſt. De quâ vid. *Swertii Athen. Belg. p.* 82. & *Chytræi Chronic. lib.* 16. *p.* 409.

A. C. 1546. INITIVM CONCILII TRIDENTINI. Cœptum quidem id Concilium eſt anno 1546. & 1552 iterum finitum, denuo inſtauratum & finitum 1562. 1563. de quo aliqua in *Goldaſti Politicis Imperialibus Part.* 25. Conſulatur *Sleidanus*, & inprimis *Hiſtoria Concilii Tridentini* libris 8. deſcripta Italicè à *Paulo Sarpio*, Veneto, Theologo Ordinis Fratrum Servorum, ſub nomine *Petri Suavis Polani*; ſed in Latinum converſa à *M. Antonio de Dominis*. Extat etiam Germanica verſio. Hanc Hiſtoriam *Pallavicinus II.* tomis refutare aggreſſus eſt, quo ſcripto Cardinalitiam dignitatem emeruit. *Examen Concilii Tridentini* theologicum ſcripſit *Mart. Chemnitius*.

A. C. 1548. *Libellus* INTERIM *promulgatur*. Conſcriptus eſt hic libellus juſſu Cæſaris, à Julio Pflugio, Epiſcopo Naumburgenſi, Michaële Sidonio & Joh. Islebio Agricola, qui contineret articulos de religione obſervandâ *Interim*, dum Concilium legitimè inſtituitur. Qui poſtquam promulgatus eſt, neutri parti arriſit: Proteſtantibus tamen à Cæſare obtrudi cœpit, ſed pleriſque fruſtra. Inter quos conſtantiſſimus fuit captivus Elector. Etiam Magdeburgenſes ſuâ conſtantiâ claruerunt, quorum de hoc Interim nota eſt cantio:

Seelig iſt der Mann / der GOTT vertrauen kan/
Und willigt nicht ins Interim, dann es hat ein Schalck hinder ihm.

Impugnatum eſt ſcriptis hoc *Interim* à Proteſtantibus pariter & Pontificiis. Vid. de hac cauſa Interimiſtica *Sleidanus lib.* 20. & 21. *Suavis*

vis Hiſtor. Concil. Trident. lib. 3. p. 323. Recbenberg. in ſingulari Diſſertat. de Interim Auguſtano.

IENENSIS ACADEMIA *inſtituitur*, à Johanne Friderico Electore Saxoniæ d. 25. Januar. 1548. Sed filii ejus plenis privilegiis impetratis publicarunt. Videatur *Swertii Athen. Belg. p. 79. Chytrai Chronic. lib. 19. p. 499.*

Ad VARIA pergimus,
ſub qua rubrica notatur ad annum Seculi ſeptimum

SIGISMVNDVS *Rex Poloniæ*, Jagellonis nepos, Caſimiri filius, Hujus Caſimiri quatuor filii reges fuerunt, *Vladulaus* Bohemiæ & Hungariæ, qui ad Varnam periit, *Johannes Albertus* patri in Poloniæ regno ſucceſſit, & huic *Alexander* frater in eodem regno: Alexandrum 1506. mortuum excepit *Sigumundus* filiorum Caſimiri natu minimus, qui 41. annos regnavit: & cum Moſchis cruenta bella geſſit, quos anno 1514. memorabili ad Boryſthenem prælio devicit. Vid. *Chytræus in Chronico.*

A. C. 1510. SELIMVS *fil. Bajazetis* II. imperium à parricidio auſpicatus, per 8. deinde annos geſſit, Turcicorum tyrannorum immaniſſimus, ſed bellis invictus. Nam poſt victoriam de Iſmaële Sopho, Aladolum quoque, tractuum circa Taurum montem & Armeniæ Regem, vicit & necavit: mox Gamſone Gaurio Ægypti Sultano, &, qui huic ſuffectus eſt, Tomumbejo (ſic *Jovius* eos appellat) debellatis, Mamalucorum in Ægypto regnum evertit, fineſque Imperii Turcici ad Lybiam usque extendit. Inde in Europam arma verſurum, mors intercepit anno 1520. Vid *Leunclav. Pandect. Turc.* & *Annal. Turc.* ejusdemque Muſulmaniſche Hiſtorie. *Loniceri Hiſtor. Turc. libr. 1. Cuſpinianus in Selimo. Jovius libr. 17. & 18. Cruſii Turco-Græcia, libr. 1.*

A. C. 1515. FRANCISCVS VALESIVS *Gall. R.* Primus hujus nominis, Ludovici XII. proximus agnatus, huic ſine maſculâ prole defuncto ſuccedit, perpetuus deinde Caroli V. antagoniſta. Quæ bella cum hoc, & cum Rege Angliæ Henrico VIII. ac quo eventu geſſerit, longum eſſet enarrare. Maximè memorabile eſt prælium ad Ticinum, quo victus & captus Franciſcus, inque Hiſpaniam abductus, nonniſi poſt integrum annum libertatem duris conditionibus redemit, quas tamen poſtea non omnes implevit. Magnus literarum & literatorum fautor fuit, unde Pater literarum dictus. Vixit annos 52. menſes 6. dies 19. regnavit annos 32. menſes 3. Hiſtoria ejus petenda præcipuè ex *Fr. Harai Annalibus, Arnoldo Ferrono, Thuano lib. 1. & 2. Joh. Buſſieres Hiſt. Franc. lib. 16. 17. 18.* De

Digitized by Google

ſententia *Petri Caſtellani*, Epiſcopi Matiſconenſis, qui animam hujus Regis ſtatim cœlo receptam fuiſſe dixit, igni purgatorio non indigentem, quam in parentatione hujus Regis pronuntiavit, & lepido circa hanc dicterio *Joh. Mendozæ*, vid. *Thuanus lib. 3. p. m. 86.*

A. C. 1519. *Nummi unciales primùm cuſi.* Eſt in Bohemia in confinibus Voitlandiæ Vallis Joachimica, argenti fodinis celebris, quæ anno 1516. ſtudioſius inquiri, & vallis ipſa ædificiis excoli frequentarique cœpit. Hinc anno 1519. primi nummi argentei unciales, Thaler Germanis & Joachimici, à valle Joachimica denominati, in eadem cuſi ſunt: ac primis illis thaleris una in facie S. Joachimi effigies, in averſa verò Stephani Slikii, ac pòſt Regis Ludovici nomen impreſſum fuit. *Chytræus Chron. lib. 7. & 8.*

A. C. 1520. Solimannus *patri Selimo* ſuccedit. Hic Imperium Turcarum per 46. annos & 6. menſes cum graviſſimo Chriſtianæ rei damno tenuit. Profligato Gazelle Syriæ Præfecto, qui rebellabat, verſis in Hungariam armis, Belgradum ſeu Albam Græcam expugnavit. Hinc Rhodum aggreſſus 400. navibus, 200000. militum, ſexto poſt menſe deditione cepit, feſto nativitatis Chriſti (hoc eſt, quod ſeorſim in Tabula noſtra notatur: *Solimannus Rhodum capit*) quanquam Magiſter Equitum Rhodiorum cæterique ſumma virtute repugnaſſent. Scripſit *de* hoc *bello Rhodio* libros 3. *Jac. Fontanus apud Schardium Tom. 2. p. 88. ſeqq.* Add. *Jovius lib. 21. Petrus Martyr Epiſt. lib. 35. Epiſt. 767. & libr. 36. Epiſt. 778.* Ludovicum II. Regem Hungariæ ad Mohacz vicit, ubi ipſe Ludovicus in fuga in voraginem delatus, interiit. De hoc Ludovico, in quo omnia præmatura fuerunt, vid. *Becmanni Hiſtoria Orbis Terrarum Part. II. cap. 9. §. 5. p. 712.* Ejus annum natalem literæ numerales in his verbis oſtendunt: ante DIeM natVs. Victoriæ ejus præmium Budam Solimannus occupavit. Vid. *Balbinus Rerum Bohemic. lib. 5. cap. 11. Georg. Bartholdi Pontani Bohem. lib. 7. Dubravii Hiſtor. Bohem. lib. 33. Stephani Broderith Deſcriptio cladis in campo Mohacz, apud Schardium tom. 2.* Viennam obſedit fruſtra. De qua obſidione vid. præter alios *Anonymus apud Schardium tom. 2.* (quem *Annalibus* ſuis *Turcicis* adjunxit *Leunclavius*) & *Melchior Soiterus de bello Pannonico apud* eundem *Schardium.* A Sopho Perſarum ſemel iterumque profligatus eſt. Hungaricam expeditionem aliquoties reſumſit, in qua anno 1543. arcem Granenſem, & Belgradum denuo occupavit. Videantur *Joh. Martini Stella de Turcarum in regno Hungariæ anno 1543. & 1544. ſucceſſibus Epiſtola 4.* apud *Schardium Tom. 2.* Rerum à Ferdinando contra Turcas geſtarum anno 1556. hiſtoria extat *Wolffg. Lazij*, & Dialogus

Baſilij

Baſilii Joh. Heroldi apud Schardium itidem *tom. 2.* Reliqua Solimanni petenda ex *Leunclavii Supplemento Annaliùm Turcicorum*, & *Loniceri rerum Turcic. lib. 1.* Προσωπογραφίαν ejus dabit *Busbequius*, qui coràm vidit, *Epiſt. 1.*

CHRISTIERNVS *Daniæ & Sueciæ Rex.* Hic verè fortunæ pila fuit, quæ eum ad ſummum felicitatis & potentiæ faſtigium evexit, tantum ut gravior ex alto lapſus eſſet. Quæ ei fata in infantia ſingulari omine ſignificata ſunt. Cùm eſſet Rex Daniæ & Norvegiæ, Sueciam quoque armis ſibi ſubjugavit, captâ Holmiâ anno 1520. (malè enim in Tabula noſtra annus 1522. ſignatur) Ibi igitur d. 4. Novembr. ſolenni pompâ coronatus fuit. Sed hæc ſolennia in triſtem cataſtrophen exierunt, imperatâ à Rege Suecicorum Procerum cæde: quæ *laniena Holmienſis* dicitur. Et ita quidem tria iſta regna conjunxerat. At Sueci, tyrannicæ ejus dominationis & crudelitatis pertæſi, ductu GVSTAVI, dein Regis hujus nominis I. in libertatem ſe vindicarunt. Vid. *Loccenii Hiſt. Suec. lib. 5. Joh. Magni Hiſt. Goth. lib. 24. c. 3. Meurſii Hiſt. Dan. libr. 3. ann. 1520. Chytræi Chron. libr. 9. pr. Narratio Anonymi apud Schardium Tom. 2. p. 960. Sleidan. libr. 4.* Dani quinetiam Chriſtiernum II. regno ejecerunt, Regemque fecerunt FRIDERICVM Holſatiæ Ducem. Chriſtiernus exul, poſt multos irritos in recuperando regno conatus, à Danis captus, & per annos 26. in cuſtodia detentus fuit, donec ei mors miſeriarum finem attulit anno 1559. Vitam ejus, ſanè multis caſibus memorabilem, ſingulari opere deſcripſit *Joh. Suaningius.* Add. *Chytræi Chronic. Saxon. lib. 9. 10. 11. Arnoldus Huitfeldius in Chriſtierno II.* & *Joh. Meurſius Hiſtor. Danic. lib. 3.* qui quidem non ultra annum Seculi 23. proceſſit.

ALBERTVS, *Ordinis Teutonici Magiſter*, DVX PRVSSIÆ *creatus à Poloniæ Rege.* Jampridem Reges Poloniæ ſibi Boruſſiam vindicare cœperant, & cum Magnis Ordinis Teutonici Magiſtris (qui hactenus erant membra Imperii) multa bella geſſerant. Tandem Albertus Brandenburgicus, Ordinis Magiſter, poſtquam fruſtra Imperii auxilium invocaſſet, ſe ſubmiſit Polonis, ea pactione, ut Pruſſiam à Rege Poloniæ in feudum acciperet, ejusque Dux crearetur. Vid. *Thuan. lib. 1. & 5. Chytr. lib. 11. p. 281. ſeqq. Sleidan. lib. 5. fin. Alex. Gaguinus Tom. 1. Rer. Polon. p. 60.* &c. et quod acta ipſa & formulas attinet, *Jac. Priluſius tom. 1. Rerum Polonic.* inprimis p. 224. &c. Controverſia ob id mota, quod hæc transactio in detrimentum Imperii facta eſſet, & ventilata ſæpius. Videatur *Sleidan. lib. 7. 8. & 20.* Sed non tantùm nexus ille feudalis inter Boruſſiam

Bran-

Brandeburgicam & Polonicam jam tum anno 1657. per pacta Velavienſia ſublatus eſt, verùm etiam noſtris temporibus Pruſſia Brandeburgica in regnum evecta.

CHRISTIANUS III. *Daniæ Rex*, mortuo patre Friderico I. medio quidem interregno, Rex demum factus 1534. (non ut in Tabula noſtra 1537.) non ſine contradictione; multum celebratur omnigenâ virtute. Hic eſt, qui anno 1537. Reformationem doctrinæ & cultus in Dania Norvegiaque ſuſcepit, de conſilio Martini Lutheri & Joh Bugenhagii, Pomerani; & ſeq. anno Brunſuigæ Proteſtantium fœderi adſcriptus eſt. Obiit 1559. Cal. Januarii, cùm vixiſſet annos 56. regnaſſet 24. *Huitfeldius in Chriſtierno III. Chytræus lib.* 11.

A. C. 1547. HENRICUS II. *Galliæ R.* Franciſci I. filius ſecundo-genitus fuit. Res ejus contra Anglos in Scotia præcipuè geſtæ; item in Cæſareanos bello Parmenſi, fœdusque ejus cum Mauritio Saxone, unde bellum, in quo Tullum, Metim & Virodunum occupavit; (quam expeditionem *Rabutinus* deſcripſit) geſta deinde in finibus Belgii; rurſusque in Anglos, quibus Caletum extorſit, & cætera hujus Regis petenda ex *Thuano* diverſis libris, *Sleidano lib.* 24. *Freigii Paraleip. ad Ferron. Haræi Annal. Pont. Heutero Rerum Auſtr. lib.* 13. *&* 14. Periit ſingulari caſu, in haſtiludio cum Comite Mongomerio congreſſus, cùm fragmentum haſtæ per apertam galeæ bucculam irrumpens, lethale illi vulnus inflixiſſet, ex quo decimo pòſt die mortuus eſt. Hiſtoriam vid. apud *Thuanum lib.* 22. *Meteranum lib.* 1. *Stradam lib.* 1.

A. C. 1548. SIGISMUNDUS AUGUSTUS *Rex Poloniæ*, Sigismundo patri ſucceſſit. Hic Livoniam cum ingenti exercitu ingreſſus, Magiſtrum Ordinis Teutonici, Guilielmum Fürſtenbergium, jam ſupplicem anno 1553. in fidem & clientelam accepit. Anno verò 1561. Gotthardus Kettlerus, alius Teutonici Ordinis Magiſter, Livoniam immaniſſimis Moſchorum graſſationibus preſſam, pactione tradidit Sigismundo Auguſto, & ab ipſo Dux Curlandiæ creatus eſt. *Sleidanus libr.* 28. In bello contra Johannem Baſilidem Moſchum multa præclarè geſſit. In eo, cùm anno 1572. moreretur, ſtirps Jagellonum defecit. De rebus ejus vid. *Alex. Gaguinus tom.* 2. *Rerum Polonicarum.* Addatur *Thuanus lib.* 5. *&* 28. *Chytræus lib.* 18. *fol.* 539. *ſeqq.*

Inter VIROS CELEBRES (quorum hoc Seculum eſt feraciſſimum) primo loco in Tabula noſtra nominatur

HIER. CARDANUS, Mediolanenſis, portentum ingenii, & in-

Digitized by Google

inſigne exemplum mixtæ cum Sapientiâ dementiæ, (ita judicante *Morhoffio*) novator in multis & polygraphus, ſiquis alius. Tot enim libros ſcripſit, ut de ſuis libris ipſe librum conſcripſerit, quo recenſet tempora & occaſiones librorum à ſe ſcriptorum. Fuit alioqui hic vir mirè ſuperſtitioſus, unde à nonnullis magiæ inſimulatur; ſunt & qui atheiſmi eum accuſant; ſed ab aliis defenditur. Quæ de genio ſuo paſſim ipſe recenſet, ea pro confiɛto habet *Naudeus*. Præter alia multa ſcripſit libros *de Subtilitate*, quos refutandos ſibi ſumſit *Jul. Caſ. Scaliger Exercitationum exotericarum libris* 18. Opera ejus omnia, quæ in omni philoſophiæ genere libros continent, philologicos, logicos, morales, phyſicos, politicos, aſtrologicos, X. voluminibus in folio collegit atque edidit *Carolus Sponius*, moderante *Naudao*, qui etiam Vitam Cardani à ſe ſcriptam præfixit, quam vide. *Morhoff. Polybiſt. Tom.* 2 *libr.* 2. *cap.* 14. *n.* 2.

OLDENDORPIVS *JCtus* fuit, patria Hamburgenſis, Alberti Crantzii ex Sorore nepos, Coloniæ Agrippinæ ac deinde Marpurgi multis annis Jus Civile profeſſus, ſcripſitque commentarios in multas Juris partes, inprimis *Practicam Actionum forenſium* abſolutiſſimam; item, *Interpretationes in LL. XII. Tabb.* Vid. de eo *Guido Pancirollus de Claris Interpretibus Legum. Melch. Adami in Vitis JCtorum Germanorum.*

DVARENVS (*Franciſcus*) itidem JCtus fuit magni nominis, ſed Gallus ex citeriore Britannia oriundus, Cujacii & Balduini æmulus. Scripſit Diſputationes Juris pleraque complectentes, quæ ad univerſum jus ſpectant. Hæc ejus ſcripta juridica in pretio habentur, & junctim prodierunt bis Lugduni, & bis Francofurti. Ipſe vir fuit doctus, quem tamen ex *Æmari Ranconeti* ſchedis multa petiiſſe, *Thuanus* dicit *libr.* 23. ad annum 1559. Vid. de eo & *Pancirollus libr. cit.* & *Thomas Pope-Blount Cenſur. Auctorum Celebrium p.* 660.

ZWINGLIVS. Huldricus Zwinglius, Theologus Helvetius, & ſummus Tigurinæ eccleſiæ antiſtes fuit, primusque in Helvetia Pontificiis Indulgentiis ſe oppoſuit, & reformationem doctrinæ ſuſcepit, quo tempore in Germania idem egit Lutherus, à quo tamen in articulo de S. Cœna diſceſſit, colloquio quoque Marpurgi ob id inſtituto interfuit. Scripſit multa theologica, quæ recenſet *Melch. Adami in Vitis Theologorum.* In Bello Tigurino inter Tigurinos & Quinquepagicos miniſterio ſuo fungens, in acie cæſus eſt, anno 1531. Vid. *Sleidanus* de eo paſſim, & de morte *libr.* 8. Add. *Thomas Pope Blount Cenſur. Celebr. Auctorum, p.* 560. *Reimmanni Hiſtor. liter. Germ. Sect.* 3. *Quæſt.* 58.

Digitized by Google

CALVINUS. Joh. Calvinus, Noviodunenſis Gallus, alter Reformatæ, quam vocant, eccleſiæ Patriarcha, unde Calviniani dicti, in juventute Jurisprudentiæ ſimul & Theologiæ operam impendit. Poſt varias deinde peregrinationes, Genevæ receptus in Miniſterium ſacrum, cœpit ibi abolere Pontificiam religionem; quanquam cum multis conflictatus difficultatibus, aliquandiu inde diſceſſit, & Argentinæ interim Gallicanam inſtituit eccleſiam. Genevæ dein reſtitutus, opus reformationis perfecit, annosque 23. ibidem docuit. In S. Scripturam multa commentatus eſt; nec non alios libros dogmaticos edidit: quorum nonnullos memorat *Sleidanus*, ut *Antidotum*, *lib.* 15. librum *de reliquiis Sanctorum. ibid. de hæreticis tollendis*, *libro* 25. Vid. *Melch. Adami Vit. Theologorum.*

JOH. CUSPINIANUS, Suinfurtenſis, aliàs Spieshammer dictus, Poëta & Medicus, Maximiliani I. Cæſaris Orator & Conſiliarius, ſcripſit *de Conſulibus Rom.* item, *de Cæſaribus* inſignem commentarium condidit. Idem quoque res Auſtriacas, & geſta Marchionum, Ducum, Archiducum deſcripſit, aliaque: de quibus vid. *Voſſius de Hiſtor. Latin. libr.* 3. *cap.* 10. *pag.* 651. *Wheari Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 25. & *Neu in Acceſſ. p.* 209. Vita ipſius Cuſpiniani expoſita eſt à *Nicol. Gerbelio*, JC. & adjuncta Cæſaribus Cuſpiniani.

ROB. GAGUINUS, ex Arteſia Gallus, præter alia inclaruit libris 11. *de Geſtis Francorum*: in quibus tamen affectui in ſuam gentem nimis indulſiſſe cenſetur. Perduxit eam hiſtoriam ad expeditionem Caroli VIII. in Italiam anno 1493. ſuſceptam. Vid. de eo *Paul. Jovius in Elog. Voſſius de Hiſtor. Latin. lib.* 3. *c.* 11. *p.* 663. *Aubertus Miræus in Elog. Belg. Whear. in Mantiſſa de Hiſtoricis gentium particularium p.* 25. *ſeq.*

SCHNEIDEWINUS. Joh. Schneidewinus, Stolbergæ in Thuringia natus, inclyti nominis JCtus fuit, quem Juvenem Lutherus filii loco habuit. In Academia Witebergenſi Profeſſor Juris, & Aſſeſſor præterea Judicii provincialis allectus, ſcriptis *in Inſtitutiones Juris Juſtinianeas* laudatiſſimis *commentariis*, nec non *ſuper Jus feudale*, de poſteritate quoque bene meritus eſt. Plura de eo *Melch. Adami in Vitis JCtorum*, & *Pancirollus de claris Interpretibus Legum.*

ALBERTUS CRANTZIUS, Profeſſor Theologus Hamburgenſis, & ejus Collegii Decanus, auctor eſt *Metropolis* Saxonicæ, quâ continetur Hiſtoria eccleſiaſtica de Eccleſiis Caroli M. ætate conſtitutis vel inſtauratis. Scripſit item *Hiſtoriam Saxonicam* libris 13. *Hiſtoriam Vandalicam* libris 14. Item, *Chronicon Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ.* Orditur à Caroli M. temporibus, & progreditur ad annum

1504.

1504. Obiit 7. Decembr. anni 1517. quo anno Lutherus cœperat Indulgentias oppugnare; de quo ejus auſu cum paucis antè mortem diebus nuntium accepiſſet Crantzius, exclamavit: ô Frater Martine, abi in tuam cellam, & dic, miſerere mei DEUS! ut refert *Chytræus Saxon. lib.* 7. *p.* 196. De Crantzio vid. *Voſſius de Hiſtor. Lat. libr.* 3. *c.* 10. *p.* 647. *Pantaleon Part.* 2. *Illuſtrium Germ. Virorum. Melch. Adami Vit. Philoſoph.* *Neu in Acceſſ. ad. Whear. Relect. Hiem. p.* 306. & in *Acceſſ. Part. II. ad Mantiſſ. de Hiſtoricis particularibus, pag.* 226. *&* 324.

THOMAS CAJETANVS, Cardinalis ex Ordinis Dominicani Magiſtro creatus à Leone X. Pont. In hujus enim gratiam in Concilio Lateranenſi, à Julio II. cœpto, & à Leone X. continuato, orationem habuerat pro aſſerenda Pontificis auctoritate ſupra Concilium, quæ Oratio extat *Tomo IV. Conciliorum* in Concilio Lateranenſi ultimo *fol.* 547. Hunc deinde legatum ſuum miſit Leo ad Auguſtana Comitia anno 1518. ſub Maximiliano habita, & actio ejus ibidem cum Luthero deſcribitur à *Sleidano libr.* 1.

THEOPHRASTVS PARACELSVS, aliàs *Bombaſtus* ab Hohenheim dictus, ex nobili familia, mirabili vir ingenio, Medicinam inprimis profeſſus eſt, cujus Doctor fuit, ſed & in Theologia & Philoſophia novator, quanquam ipſe penè illiteratus; unde argutè à *Morhoffio* novus quaſi literati orbis cometa vocatur. Hoc certè fatendum eſt, habuiſſe eum magnam naturæ arcanorum cognitionem: quod ſi in juventute literarum cultura ei contigiſſet, non majus habitura fuerat nomen Germania. Dejecta propè de ſede Schola Galenica Medicorum, medicinæ ſpagiricæ, quæ ab ipſo Paracelſica dicta, auctor fuit: quam in rem multos libros edidit. Quin & aliqua ejus ſunt theologica ſcripta, quibus ille plurimum invidiæ in ſe derivavit; habeturque quaſi pater Enthuſiaſtarum recentium, qui è Theologia & Philoſophia quaſi mixtum aliquod chaos confecerunt. De Theologia ejus vid. *Arnold. in Hiſt. Eccl. & Hær. Part.* 2. *lib.* 16. *cap.* 22. qui pro ſua hypotheſi, tanquam Enthuſiaſtarum fautor, honorificè de eo judicat; & Idem amplius de doctrina & vita Theophraſti *Part.* 4. *Sect.* 2. *num.* 20. A magiæ tamen crimine, cujus ſuſpectus fuit, eum liberat *Gabriel Naudæus.* Philoſophiam ejus *Thomas Eraſtus* impugnavit. De operibus ejus, præcipuè chymicis, vid. *Morhoff. in Epiſt. de transmutatione metallorum*, & in *Polyh. Tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 15. *n.* 16. & *ejusdem Tomi lib.* 2. *c.* 16. Plura *Melchior Adami de Vitis Medicorum.*

SYLVESTER PRIERIAS, Pedemontanus, Ordinis Dominicani,

Digitized by Google

& poſtea Profeſſor Patavinus fuit, denique Sacri quod vocant, Palatii Magiſter factus eſt. Hic inter primos cum Luthero in arenam deſcendit, ſcriptoque adverſus eum Dialogo, confidenter admodùm ſibi victoriam pollicitus eſt. Huic tamen ſcripto Lutherus reſpondit, & thematibus ejus themata alia è ſacris literis petita oppoſuit. Cui iterum reſcripſit Sylveſter, Pontificiæ poteſtatis hyperaſpiſten ſe profeſſus acerrimum. Vid. *Sleidanus de Stat. Relig. & Reip. lib.* 1. *princ.* Scripſit multa tam theologica, quàm philoſophica, nonnulla etiam Juridica; Scoto inprimis offenſus, *Malleum Scotiſtarum* ſcripſit ad defenſionem doctrinæ D. Thomæ. Vitam ejus breviter conſignavit *Leander Albertus lib.* 4 *de Viris Illuſtr. Ord. Prædicatorum.*

Jason Mainus JCtus fuit ſuo tempore celeberrimus, patria Mediolanenſis, & in ea urbe Ducalis Senator, etiam apud Ludovicum XII. Regem Galliæ in magno honore fuit. Scripſit commentarios in totum Jus civile; item, Conſilia, aliaque Juridica. Extat ejus *Oratio in Nuptiis Maximiliani I. Imperatoris & Auguſtæ, Blancæ Mariæ*, in *Tomo II. Freberi.* Mortuus anno ætatis 84. Chriſti 1519. Vid. *Geſneri Biblioth.* Item, *Pancirollus de Clar. Legum Interpp. lib.* II. *c.* 127. *Jovius in Elogiis c.* 66. *Thomaſius de Plagio Literario n.* 471.

Phil. Beroaldus. Duo fuerunt hujus nominis, pater & filius, Bononienſes. Senior è ſummis ſui Seculi viris fuit, lectionis propè infinitæ; qui tamen in rebus judicio, in ſtylo κακοζηλίᾳ ſæpe labitur. Opera ejus edita ſunt Baſileæ 1513. item, Pariſiis 1529. Inter ea præcipuum eſt *Commentarius in Suetonium.* Ipſe jam anno 1504 mortuus. Filius cognominis Poëta fuit patre melior. De utroque vid. *Voſſius de Hiſt. Lat. libr.* 3. *cap.* 11. *p.* 667. *Paulus Jovius in Elog. n.* 51. *Gaddius Tom.* 1. *Scriptorum non-eccleſiaſticorum p.* 79.

Beatus Rhenanus, cognomine Bildius, Seleſtadienſis, præclarè meritus de *Tacito*, *Tertulliano*, *Plinio*, *Livio*, *Velleio*, quos partim primus edidit, partim caſtigavit, & notis illuſtravit. Multa quoque è Græco vertit. Idem luculentis commentariis editis res Germanicas illuſtravit. Vitam ejus deſcripſit *Jo. Sturmius.* Vid. *Voſſium de Hiſt. Lat. libr.* 3. *cap.* 10. *p.* 653.

Maranta. Neſcio an hic intelligatur Robertus Maranta, JC. cujus extant *Conſilia* Venetiis impreſſa fol. 1591. Fuit etiam *Bartholomeus Maranta*, quem Ferrantis Imperati Neapolitani in ſcribenda *Hiſtoria Naturali* adjutorem fuiſſe vel conſultorem, aſſerit *Morhoffius Polyhiſt. Tom.* 2. *libr.* 2. *c.* 7. *n.* 5. Sed is ſerius vixit.

Ludo-

LVDOVICVS COELIVS RHODIGINVS vir fuit doctiſſimus, rerum naturalium & humanioris doctrinæ peritiſſimus, &, quod non parùm ad laudes ejus facit, Julii Cæſaris Scaligeri præceptor. Primùm Mediolani, poſtea Patavii Latinas & Græcas literas profeſſus eſt. Ejus ſunt XXX. libri *Lectionum Antiquarum*, omnigenâ eruditionis copiâ referti, tam in philoſophia quàm in medicinâ, præcipuè verò in humaniori doctrinâ: unde in poſtrema editione Francof. & Lipſiæ 1666. procuratâ, *Cornu Copiæ* inſcribuntur. Quod opus ejus miſcellum inprimis commendat *Voſſius de Hiſt. Lat. libri* 3. *Part.* 4. (quæ eſt de Hiſtoricis prætermiſſis) *cap.* 10. *p.* 814. quem vide; item, *Morhoffii Polyhiſt. Liter. libr.* 1. *cap.* 21. *n.* 50. *Reimmann. Hiſt. Liter. Germ. Contin. libr.* 2. *Sect.* 3. *Quæſt.* 272. *p.* 699.

JOH. AVENTINVS, aliàs *Thurnmair*, Bojus, de poſteritate benè meritus eſt *Annal. Bojorum* libris 7. quos ex authenticis codicibus reſtituit & auxit *Nicol. Ciſnerus*, novâ autem editione elegantiſſimâ nuper ornatos vidimus. Deſinit hiſtoria ejus in anno 1533. Plura de Aventini ſcriptis vide apud *Geſner. Biblioth.* Add. *Henr. Pantaleon de Illuſtr. Germ. Viris Part.* 2. *fin.* Ejusdem Vita ab *Hieronymo Ziglero* ſcripta, & ejus Hiſtoriæ præfixa eſt. Videatur & *Voſſius de Hiſt. Latin. libr.* 3. *c.* 10 *p* 655. *Neuius in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. Sect.* 3. *pag.* 24. & Idem *in Acceſſ. Part.* 2. *pag.* 77. *ſeq.* Vid, egregium de eo judicium *Bœcleri in Præf. præmiſſa Hiſtoriæ Seculi IX. & X.*

ANTON. BONFINIVS, Tuſculanus, celebris Hungaricæ hiſtoriæ ſcriptor, Matthiæ Corvini Regis gratiâ floruit, cujus etiam impulſu *Hungaricarum rerum Commentarios* confecit, quorum ſunt Decades IV. cum dimidia. Præter hanc hiſtoriam extat Ejusdem *Sympoſion Beatricis*, ſeu *Dialogorum de Virginitate & fide Conjugali* libri 3. quibus continentur multa ad laudem Matthiæ Corvini & Reginæ Beatricis pertinentia. Edidit ex Bibliotheca ſua *Jo. Sambucus*, Tirnavienſis. Idem Bonfinius Hermogenem, Philoſtratum & Herodianum Latinè interpretatus eſt. Vid. *Voſſius de Hiſtor. Lat. libr.* 3. *cap.* 10. *pag.* 658. *ſeq.*

POLYDORVS VIRGILIVS, Patriâ Vrbinâs, nomen ſibi paravit primùm libris VIII. quos *de rerum inventoribus* ſcripſit. Poſtea factus Rom. Pontificis in Angliâ Quæſtor, & Wellenſis Archidiaconus, Londini edidit librum *de Prodigiis*. Denique *Hiſtoriam Anglicanam* ſcribere aggreſſus, libris XXVI. eam complexus eſt, Henrico VIII. Regi dedicatam. In qua tamen neque Anglis neque aliis operam ſuam ſatis probavit. Vid. *Voſſius de Hiſt. Lat. lib.* 3. *c.* 12. *p.* 678. *Reimmann. Hiſt. Lit. Germ. Contin. lib.* 2. *Sect.* 3. *Quæſt.* 272. *p.* 697.

LEANDER ALBERTUS, Bononienſis, Vir ſcriptis ſuis clariſſimus, Ordinis Prædicatorum fuit, & præter alia *de hujus Ordinis Illuſtribus Viris* libros VI. edidit. Laudatiſſimum verò ejus opus eſt, quo *Italiam* illuſtravit. Vid. *Voſſius ibid. p. 697.*

LUDOVICUS VIVES, Valentinus natione Hiſpanus, inter ſuæ ætatis viros doctiſſimos meritò connumeratus, & Eraſmi Roterodami familiaris fuit. Scripſit plurima philoſophica, philologica & theologica. Opera ejus omnia (præter *Commentarios in Auguſtinum de Civ. Dei*) duobus Voluminibus in fol. comprehenſa, edidit Baſileæ Epiſcopius 1555. Sunt & aliæ eorum editiones. Vid. *Geſner. Bibl.* De ejus Vitâ & Scriptis plura *Paul. Jovius in Elog. Alphonſus Garſias in Commentario de Doctis in Hiſpaniâ Viris, &c.*

THOMAS MORUS, Cancellarius Angliæ ſub Rege Henrico VIII. fuit, in Republ. civili pariter & literaria celebris. Nota eſt inter alia, quæ ſcripſit, ejus *Utopia*, ſeu de optimo reip. ſtatu. Cætera ejus ſcripta partim recenſet *Geſnerus in Biblioth. Epiſtolæ* ejus, quas ille non memorat, editæ ſunt junctim cum *Philippi Melanchthonis, Ludovici Vivis* & *Eraſmi* Epiſtolis Londini 1641. fol. Opera ejus omnia uno volumine in fol. prodierunt Lovanii 1566. De Scriptis ejus judicia vid. apud *Burnet. Hiſtor. Reformat. lib. 3. p. 355. ſeq.* Vitam & mortem ejus deſcripſit *Eraſmus Roterodamus.* Ipſe enim Morus, quod divortium Regis ſui Henrici improbabat, & inprimis decreto ejus, quo ſe caput totius per Angliam eccleſiæ conſtituebat, abrogata Pontificis poteſtate, ſubſcribere conſtanter recuſabat, in carcerem primò conjectus, ac deinde capite plexus eſt. De morte Thomæ Mori habetur luculenta narratio *Nicolai Schombergii*, Cardinalis Capuani, in libro Italico, cujus auctor eſt *Zilletus*, eique titulum fecit: *Lettere del Principe* &c. Vid. *Camerarius Oper. Subciſ. Centur. I. c.* 28. ubi etiam epitaphium ejus à *Jo. Secundo* Hagienſi ſcriptum exhibetur. De hiſtoricis quibusdam ejus opuſculis vid. *Voſſius de Hiſt. Lat. lib. 3. c. 13. p. 686.* Conf. *Boiſſardus in Iconibus.*

DOMINICUS SOTO, Segovienſis, Prædicatorum Ordinis Theologus, multa reliquit tam philoſophica moralia, quàm theologica: de quibus vid. *Geſneri Bibliotheca.* Eminent tamen inter ejus ſcripta libri X. Commentariorum *de Juſtitia & Jure*, quibus acceſſerunt libri *de Juramento & adjuratione*, editi Venet. 1600. Plures alii ejus commentarii ſunt theologici & philoſophici. *Morhofſius Polyhiſt. Tom. 2. libr. 1. cap. 14. n. 26.*

AMBROSIUS CATHARINUS, Ordinis Dominicani, Archiepiſcopus

ſcopus Compſæ, ſcripſit *Commentarios in Epiſtolas 7. Canonicas*; item, *in Apocalypſin Johannis.* Vid. *Poſſevinus in Apparatu Sacro.*

PAVLVS JOVIVS, Novocomenſis, Medicus, & poſtea Epiſcopus Nucerinus, inter hiſtoricos celebre nomen adeptus eſt. Scripta ejus ſunt plurima, inter quæ eminent *Hiſtoriarum ſui temporis* libri XLV. quorum tamen VI. qui à quarto ſequebantur, in clade urbis Romanæ perierunt. Sex item alii à XVIII. numerando, qui hiſtoriam à Leonis morte ad Romanam cladem continebant, ab ipſo auctore ſuppreſſi ſunt, eorumque loco Epitomæ tantum habentur. Deſinit in anno 1546. Præterea ſcripſit *Elogia Virorum Illuſtrium* libris VII. Item, *Vitas Illuſtrium Ducum*: nec non *Turcicorum Imperatorum Vitas. Hiſtoriam XII. Vice Comitum Mediolanenſium. De rebus Turcicis*, Italicè, & *de Ordine ac diſciplina Turcicæ militiæ.* Eſt & liber ejus *de Piſcibus Romanis*, &c. Opera Jovii omnia prodierunt duobus voluminibus in fol. Florentiæ 1550. & Baſil. 1578. & in 8. tribus voluminibus Venetiis 1552. Judicia de hiſtoria Jovii varia ſunt. Pleriſque tamen ob ſubleſtam fidem vapulat. Videatur de eo *Thuanus libr.* 11. *ad annum* 1552. *Boiſſardus in Iconibus. Aubertus Miræus in Elog. Belg. Geſnerus in Bibliotheca* pauca tantùm ejus opera, omiſſis præcipuis, recenſet. Mirum quoque eſt tam celebris Hiſtorici nullam mentionem fieri apud *Voſſium*, in editione Lugdunenſi 1651. Quanquam auctor nuperus, qui *Vitas Clariſſ. in re literar. Virorum* edidit Germanicè, in Vita hujus Jovii ad *Voſſium* quoque remittit, tùm in libro ejus *de arte hiſtorica p.* 50. tum *de Hiſtor. Lat. libr.* 1. *c.* 10. cui tamen loco non convenit; forte ſcripſit *libr.* 3. pro quo typographus per errorem 1. poſuerit, ut ſunt ſphalmata typographica in illo libro infinita. De hiſtoria Jovii etiam *Whear. in Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 25. & *Neu in Acceſſ. p.* 209.

A. C. 1535. ZASIVS *obiit.* Fuit hic Vdalricus Zaſius, Conſtantienſis, magni nominis JCtus, & Friburgi in Briſgoja Jus docuit, atque inſtaurando præcipuè illius Civitatis Jure municipali, de republ. ſicuti de Academia præclarè meritus eſt. Teſtatur hoc Epitaphium, quo Senatus Friburgenſis ejus monumentum exornavit. Habentur ejus commentarii in Jure varii, partim ab ipſo vivo, partim poſt mortem ejus editi. Vid. plura de Zaſio apud *Joh. Fichardum in Vitis JCtorum*, ex quo partim excerpſit *Geſnerus in Biblioth.* Add. *Melchior Adami in Vitis JCtorum.*

EOBANVS HASSVS, inter Poëtas ſui temporis præcipuus fuit. Ejus laudantur inprimis *Pſalmi Davidici* carmine Latino expreſſi. Extant *Epiſtolæ* illius à *Joachimo Camerario* collectæ; qui & *Vitam Eobani* præmi-

præmiſit : ubi plura de eo vide. Add. *Melchior Adami in Vitis Philoſophorum*. De Epiſtolis ejus *Morhoffius Polyhiſtor. Literar. libr.* 1. *c.* 24. *num.* 18.

A. C. 1536. ERASMUS *obit.* Deſiderius Eraſmus Roterodamus, Phœnix eruditorum ſui temporis non ſine cauſa dicitur. Magna fuit ejus viri veneratio, & meritò quidem; ingenium excellens, vaſtum, diffuſum, fœcundum, acre, promtum & ad omnia paratum, in decus & miraculum Seculi natum. Triumphare duobus his civibus poteſt Batavia, Eraſmo & Grotio, quibus pares poſtera Secula non facilè datura ſunt, judicante *Morhoffio.* Scripta ejus ſunt propè innumera, philoſophica, philologica, theologica &c. quæ partim recenſet *Geſnerus in Biblioth.* & *Poſſevinus in Apparatu Sacro. Vitam Eraſmi* ſcripſit *P. Scriverius.* Catalogum Scriptorum Eraſmi vide etiam in *Hadriani Barlandi Epiſtola ad Fratrem*, quæ eſt *in collectione Epiſtolarum Eraſmi libr.* 1. *fol.* 46. Conſulatur porrò de Vita ejus *Aubertus Miræus in Elog. Belg. Swertius in Athen. Batav. Auctor Vitæ Eraſmi apud Melchiorem Adami in Vitis Philoſoph. pag.* 86. *ſeq. Adolphus Clarmundus in Vita Eraſmi*, quæ eſt Vitarum ejus prima; & quos ibi allegat. Ædibus, in quibus Roterodami habitavit, ſequens Diſtichon inſcriptum eſt:

Fatalis ſeries nobis invidit Eraſmum:
Sed Deſiderium tollere non potuit.

BRENTIUS. Joh. Brentius, Suevus, magnum inter Theologos nomen, Martini Lutheri & Philippi Melanchthonis in reformandâ per Germaniam eccleſiâ ſocius fuit. Primum Halæ Suevorum, poſtea, à Duce Würtembergico evocatus, Tubingæ, ac demum Stutgardiæ ſummis in eccleſia muneribus præfuit, cum maximo univerſæ reip. Chriſtianæ emolumento. Interfuit Colloquiis de religione pluribus; ſcripſit etiam in univerſa propè Biblia S. Commentarios exegeticos, aliosque libros dogmaticos. Opera ejus VIII. tomis in folio continentur. De quibus vid. *Geſnerus in Biblioth.* De Brentio vid. & *Thuanus libr.* 47. *Melchior Adami in Vitis Theolog. Cruſius in Annal. Suev. Hendreich. in Pandect. Brandeb.* Mirum eſt, quòd *Reimmannus in Hiſt. Lit. Germ. nov. libr.* 2. *Sect.* 3. *pag.* 64. ubi de Theologis agit, qui cum Luthero opus reformationis aggreſſi ſunt & adjuverunt, hujus Brentii ne verbulo quidem meminit, qui tamen in primis nominandus erat.

A. C. 1540. BUDÆUS *obit.* Guilielmus Budæus Lutetiæ Pariſiorum natus, heros in re literaria ex præcipuis, & magnum Galliæ ſuæ

Digitized by Google

ſuæ decus, cum Eraſmo de principatu eruditionis certavit, Græcæ Latinæque linguæ cognitione, tum civilis Sapientiæ & Jurisprudentiæ laude celeberrimus, Senator Regius, Supplicumque in regia libellorum Magiſter fuit. Ejus ſunt opera multa philologica & juridica IV. tomis comprehenſa. Inter illa ſunt *de Philologia libri 2.* Item, *libri 5. de Aſſe*; item, *Commentarius Græcæ linguæ*: inter hæc, Commentarii in Pandectas: item in τὰ πρῶτα. Vid. plura apud *Geſnerum in Bibliotheca.* Etiam de vita & Scriptis ejus conſulatur *Beza in Iconibus Paulus Jovius in Elogiis Doctorum Virorum num. 97. Boiſſardus in Iconibus, Sammarthanus in Elogiis Gall.* & qui *Vitam Budæi* ſeorſim ſcripſit *Ludovicus Regius*, teſte *Morhoffio in Polyhiſt. Literar. libr. 1. cap. 15. num. 41.* Vide egregium Budæi elogium, quod ei tribuit popularis ejus *Lud. Vives in Not. ad Auguſtini de C. D. libr. 2. cap. 17. lit. a. pag. 208.*

A. C. 1546 LVTHERVS *obit.* De Megalandro hoc, ad reformationem eccleſiæ divinitus excitato, diximus jam aliqua ad illud ſub Titulo Rerum Eccleſiaſt. *Mart. Lutherus contra Indulgentias Papales diſputat.* Mortuus eſt hoc anno 18. Febr. die Concordiæ nomine in faſtis ſignato, neque bellum Proteſtantium, à quo ſemper dehortatus erat, videre neceſſe habuit. De vitâ ejus & fatis, rebusque circa repurgationem religionis geſtis, nec non de ſcriptis ejus, quæ ſunt longè plurima, conſuli potius debent Vitæ ejus Scriptores, *Philippus Melanchthon, Joh. Matheſius, Joh. Pellicarius, Nicol. Selneccerus*, &c. ex quibus aliisque unum opus concinnavit *Matthæus Dreſſerus*, quod inſcripſit *Hiſtoriam Lutheri.* Adeundi præterea *Sleidanus, Thuanus*, & inprimis *Vitus Ludovicus à Seckendorff in Hiſtoria Lutheraniſmi.* Dedit & ante annos non ita multos *M. Chriſtianus Juncker Vitam M. Lutheri nummis & iconibus illuſtratam.* Ejusdem Vitæ delineationem brevem exhibet etiam *Reimmannus in Hiſtoria ſua liter. Germ. nov. libr. 2. Sect. 3. Quæſt. 13. ſeqq.* & de ſcriptis ejus ſpeciatim *Quæſt 46.*

ALCIATVS *obit.* Andreas Alciatus, Mediolanenſis JCtus ſuo tempore clariſſimus, ſcripſit multa philoſophica & ad humaniorem literaturam pertinentia, (quò referenda ſunt ejus *Emblemata*, de quibus vid. *Morhoffius Polyhiſt. Literar. libr. 7. cap. 3. num. 5.*) plura verò etiam Juridica. Opera ejus recenſet *Ghilinus in Theatro hominum literatorum*; & partim *Geſnerus in Bibliotheca.* Vid. de eo etiam *Thuanus libr. 8. ad ann. 1551, Clarmund. Vitar. Part. VII. Vit. 3.*

Digitized by Google

Nunc ad Hiſtoriam CÆSARVM redeundum eſt. Succeſſit autem Carolo V. Imperatori

A. C. 1558. FERDINANDVS I. frater ejus, qui illo adhuc vivo jam Rex Rom. creatus erat anno 1530. In electione autem ejus maximis turbis agitata controverſia eſt, utrum vivo adhuc Imperatore debeat Rex Rom. creari; cui ſe oppoſuit Elector Saxoniæ. Controverſia illa ſummatim ex *Sleidano* peti poteſt, *libr.* 7. ad annum 1530. & momenta ejus cognoſcuntur ex iis, quæ *Goldaſtus* habet *in Politicis Imper. libr.* 2. *cap.* 1. *&* 2. & in Politiſchen Reichs-Händlen *libr.* 2. *cap.* 2. *& libr.* 5. *cap.* 1. ubi exhibentur quoque Reverſalia, quæ Ferdinandus I. Electoribus dedit. Poſtea quoque de Imperio ipſi controverſiam movit Paulus IV. Pontifex, cauſatus, Carolum adhuc Imperatorem eſſe, nec ſe invito Imperium potuiſſe deponere. (Vid. inprimis *Thuanus libr.* 21.) Cui per Seldum Cancellarium ſuum fortiter reſpondit Ferdinandus; quod ſcriptum typis editum eſt; nec unquam Pontificis ſive confirmationem ſive coronationem requiſivit: quod & ſubſequentes Imperatores in hunc uſque diem obſervarunt; fuitque Carolus Imperatorum poſtremus, qui à Pontifice conſecrati ſunt, primus verò eorum, qui in certa capita, quæ Capitulationem vocant, Collegio Electorali ſe obſtrinxit: quod ipſum Ferdinandus facere coactus eſt. Hujus præcipuum opus eſt Pax Religionis, cujus in Paſſavienſi Transactione primum ovum poſuit, in Comitiis deinde Auguſtanis, quibus ipſe, etſi adhuc nomine fratris, præſedit, perfecta: de qua poſtea. Neque ejus Imperium quicquam, præter hanc pacem, memoratu dignum habuit in Germania; niſi illud huc referas, quod notatur in Tabula noſtra

Ad annum 1562. GOTHARDVS KETTLER, *Magiſter Ord. Enſiferi, Curlandiæ Dux creatur à Polono, &* LIVONIA *ab Imperio avellitur.* Nimirum, ut jam ſupra diximus, Gothardus hic cùm impar eſſet Moſchis Livoniam crudeliſſimè vaſtantibus eam hac pactione tradidit Sigismundo Auguſto Regi Poloniæ, ut ipſe viciſſim ab eo Dux Curlandiæ crearetur: qua de re vid. *Sleidanus libr.* 28. ad annum 1561. & *Alex. Gaguinus Tom.* 2. *Rer Polon.* Obiit Ferdinandus ann. 1564. Ejus hiſtoria petenda ex *Sleidano*, *Thuano*, *Famiano Strada*, *Goldaſto* in den Politiſchen Reichs-Händlen / *Limnæo de Capitulationibus.* Add. *Busbequius* ſub finem *Epiſtolæ* 4. ubi inſigne elogium Ferdinandi, quod & meritus eſt. Alios quosdam minutiores de rebus Ferdinandi I. Scriptores indicat *Neu in Mantiſſa ad Wheari pag.* 184. *ſeq.*

A. C. 1564. MAXIMILIANVS II. Ferdinandi fil. biennio ante mortem patris Romanorum Rex creatus eſt, anno ſcilicet 1562. à morte verò patris pleno jure Imperator fuit. Incidit in ejus Imperium bellum illud, quod geſtum eſt contra Joh. Fridericum Saxoniæ Ducem Gothanum, per Auguſtum Electorem Saxonem, cui executio Imperii nomine demandata fuit. Receptaverat enim ille Grumbachium perduellem declaratum, cæterosque ejus conjuratos, à quo Adolphus Zobelius Epiſcopus Herbipolenſis occiſus per inſidias, & Herbipolis hoſtiliter direpta fuit. Id quod ſub Ferdinando adhuc contigit, executio verò hæc Judicii Imperialis ſub Maximiliano. De his turbis Grumbachianis extat Relatio ſingularis apud *Schardium Tom. 4.* item *Petri Lotichii Narratio Hiſtorica de cæde Melchioris Zobelii, Epiſcopi Herbipolitani, apud eundem Schardium Tom. 3. Rer. German.* Fuit alioqui mitiſſimus & pacificus princeps Maximilianus, puriori doctrinæ favens, & ſeptem linguarum cognitione excellebat. Scriptores ſunt *Thuanus, Famianus Strada, Chytræus*, apud quem oratio funebris laudes ejus complexa, *libr. 33. pag. 629. ſeqq.* Politiſche Reichs-Händel / item, *Politica Imperialia Goldaſti.* Electio ejus in Regem Rom. exhibetur apud *Schardium, Tom. 3. pag. 2063.* & coronatio *pag. 2066.* Sub eo

A. C. 1572. CYPRVS *amittitur*: quam integro jam Seculo, per teſtamentum Catharinæ Cornaræ, ultimæ Cypri Reginæ hereditate acceptam, Veneti tenuerant. Nunc verò Selimus II. Turcarum Imp. à Venetis eam repetebat; cùm negaretur, bello aggreſſus eſt. Quanquam autem Veneti ad defendendam Inſulam juncta cum Pio V. Pontifice & Philippo II. Hiſpan. Rege ſocietate, claſſem validam eò miſerant, tamen ignaviâ Hieronymi Zanii, & ambitione ducum ad Cretam ſedentium, omnis bene gerendæ rei occaſio amiſſa eſt, & Nicoſiâ primùm à Turcis intra unum menſem capta, & Famaguſtæ (quæ olim Salamin) poſt XI. menſium fortiter toleratam obſidionem, ſequutâ tandem deditione, tota Inſula in barbarorum poteſtatem venit, quorum in dedititios inſignis perfidia & crudelitas fuit. Vid. *Leunclavius in Supplemento Annal. Turc. Thuanus libr. 49. Cicarella in Pio V. Chytræus libr. 22. Natalis Comes libr. 20. 21. & 22.* & qui ſeorſim deſcripſerunt bellum hoc Cypricum, *Joh. Baptiſta Contarenus*, & *Petrus Bizarrus.*

A. C. 1576. RVDOLPHVS II. patri Maximiliano II. ſucceſſit, jam anno præcedente Rex Rom. electus. Is diuturnum ac difficile cum Turcis bellum geſſit, quorum partibus Hungarorum plerique, duce BotsKajo, favebant. Præliis quidem Rudolphus aliquoties

victor; quod ſummam tamen rei attinet, bello victus fuit. In hoc enim bello anno 1594. *Raba à Turcis capta*; & quanquam *Strigonium* (Gran) anno ſeq. *Imperator recuperavit*, tamen poſt decennium *à Turcis* denuo *expugnata* fuit, ſicuti & *Alba Regalis ab iisdem recuperata* eſt: quæ ſpeciatim notantur in Tab. noſtra, quanquam poſtrema in ſequens Seculum excurrunt. Sub eodem anno 1583. & 1584. in Germania pacem turbavit controverſia Colonienſis, cum GEBHARDUS TRUCHSESSIUS, Colonienſis Archiepiſcopus, uxore ductâ Proteſtantium religioni ſe addixiſſet, & nihilominus Electoratum retinere vellet. Cui cùm ſuppetias tuliſſet Caſimirus Elector Palatinus & Batavi; contrà Hiſpani & Capitulum ſuis copiis eum dioeceſi exturbarunt, quâ etiam cedere tandem coactus eſt. De hac cauſa Colonienſi ſcripta publicata indicat *Neu in Acceſſ. ad Whear. Part. 2. pag. 118. ſeqq.* Vid. *Chytræus libr. 26. & 27.* Succeſſerunt his ſimiles turbationes & bellum propter Epiſcopatum Argentinenſem, inter Joh. Georgium Brandeburgicum, cui Civitas & Canonici Proteſtantes adhæſerunt, & Carolum Lotharingum, quem Canonici Pontificii pluribus ſuffragiis elegerant. Quod bellum poſt gravia Alſatiæ damna illata, interventu Principum ac Cæſaris autoritate induciis primò, mox Hagenoënſi transactione omnino finitum eſt. Natum etiam eſt ſub Rudolpho bellum propter ſucceſſionem in Ducatus Juliacenſem & Clivenſem: de quo infra ad Tabulam ſequentem dicendi erit occaſio. Hæc quia ſub Rudolpho in Germania geſta, quanquam pleraque ſequenti Seculo congruunt, digna memoratu duxi, tacentibus ea de re Tabulis noſtris: cætera in ſequenti Tabula notata illuc diſſerimus. Mortuus eſt Rudolphus anno 1612. imperii 36. Res ejus uberius expoſuerunt *Thuanus libr. 23. & ſeqq. Chytræus Saxon. libr. 26. Metteranus, Caſpar Ens in Mercurio Gallo-Belgico, Famianus Strada.* Eas quoque exhibet *Dan. Eremita in Itinerario Germanico*, (nam is in comitatu Ducis Hetruriæ Germaniam peragravit) & famoſo carmine traducit: ſed contra eum *Chriſtoph. Adamus Rupertus in Obſervat. in Synops. Beſoldi pag.* 712. Rudolphum hunc vindicavit. Addi etiam poteſt inter Scriptores Hungaricos, *Nicol. Iſthuanſius*, qui ad Imper. Matthiam hiſtoriam ſuam perduxit, editus Colon. 1685. fol. item *Relationes Francofurtenſes*, quæ ſub hoc adornari coeptæ ſunt.

In altera hac parte Seculi ad RES ECCLESIÆ pertinet

A. C. 1552. TRANSACTIO PASSAVIENSIS, quippe pacis religioſæ prodromus. Carolus enim Cæſar Oenipoonte fugatus armis Mauritii, factis cum eo induciis, fratrem Ferdinandum Regem cum mandati

datis de tractandâ pace Paſſavium abire permiſit: qui paucis rebus conceſſis, Germaniam ſuæ tranquillitati reſtituit. Dimiſſus hinc carcere Belgico Philippus Landgravius, & Joh. Fridericus Elector, (quem titulum ad dies vitæ retinere permiſſus eſt) libertati priſtinæ reſtitutus fuerat à Cæſare, cùm is Oeniponte profugeret. Transactionis Paſſavienſis (in quam tamen Rex Galliæ & Albertus Brandeburgicus conſentire noluerunt) formula extat apud *Sleidanum libr.* 24. Add. *Thuanus libr.* 10. *Chytræus libr.* 17. *Hortlederus Actorum Tom.* 2. *libr.* 5. *Gulielmus Zenocarus libr.* 3. *pag.* 118. *Natalis Comes libris* 4. *prioribus.* Poſt annum tertium, promiſſa Patavii

Pax religionis in Comitiis Auguſtanis firmatur. In his enim Comitiis poſt multam actionem, VII. Calend. Octobr. recitatum eſt Decretum, quo pax religionis, ut vocant, continetur, per eamque libertas religioni conceſſa eſt, dataque cuilibet Imperii Statui poteſtas in ſuis provinciis ac ditionibus duarum religionum, quas diſtinctionis causâ antiquam & novam vocari obtinuit, utram vellet introducendi, relictâ iis qui in alterutrius religionis exercitium conſentire nollent, facultate aliò cum poſſeſſionibus ſuis emigrandi, determinatoque ad emigrandum juſto temporis ſpatio: de bonis eccleſiaſticis cautum, ut quæ Proteſtantes jam poſſiderent, retinere poſſent, cætera ſuis poſſeſſoribus religioſis relinquerent: in illa ipſa tamen Eccleſiaſtici Pontificiæ partis jus aliquod retinere ſe ſunt proteſtati, quod Reſervatum vocant. Evangelici contra capiti iſti, quo perſonis Eccleſiaſticis & religioſis, ſi mutare religionem Pontificiam vellent, in ſua ſtatione & dignitate muneris permanere denegatum eſt, nonniſi cum diſſenſus ſui declaratione, tandem acquievere. Acta horum Comitiorum, præſertim quæ ad religionem pertinent, uberius exponuntur à *Sleidano* partim *fin. libri* 25. partim *libr.* 26. ubi *p. m.* 856. etiam Decretum de libertate religionis exhibetur. Addatur Reichs-Abſcheid zu Augſpurg 1555. 25. *Sept.* Acta omnia peculiari opere edidit *Chriſtoph. Lehmannus*, ubi præmittitur Transactio Paſſavienſis. Conſuli etiam poſſunt ſupra laudati *Thuanus*, *Chytræus*, *Natalis Comes &c.*

A. C. 1560. HVGENOTTORVM *nomen.* Odioſum hoc nomen, quo Proteſtantes in Gallia tunc primùm vocari coeperunt, unde originem traxerit, docet *Thuanus libr.* 24. *Tom.* 1. *p. m.* 741. Illud tamen Hugenoti, ſicut & Papiſtæ, vocabulum, tanquam contumelioſum, anno 1561. edicto regio prohibitum eſt. *Idem libr.* 28. *Tom.* 2. *pag.* 35. Sed tamen nec hodie omnino ceſſavit uſurpari.

Digitized by Google

A. C. 1561. COLLOQVIVM POSSIACVM *in Gallia*: rectius *Poſſiacenum* (nam Poſſiacum urbs ipſa eſt) inſtitutum fuit religionis causâ auſpiciis Caroli IX. Regis, qui & ipſe præſedit, quo ex Reformatis *Theodorus Beza* & *Petrus Martyr Vermilius* & *Marloratus* venerunt. Acta ejus prolixè exponit *Thuanus libr.* 28.

A. C. 1563. *Finis Concilii Tridentini*, quod quidem coeptum anno 1546. atque interim interruptum anno 1552 dilapſis patribus ad rumorem, quòd Mauritius & copiæ Proteſtantium Oenipotentem uſque veniſſent, & clauſtra Alpium occupaſſent; inſtauratum verò denuo, finem ſuum ſortitum eſt hoc anno, eum quidem, ex quo nullus ad errores in religione tollendos, aut aulæ Rom. Clerique mores corrigendos fructus ad Eccleſiam pervenit, vehementius, imò & inconciliabiliter ſtabilito ſchiſmate, & ſpe omni Principibus Regibusque ademtâ, quam de Concilio hoc conceperant. Solus Hiſpaniæ Rex & Itali hoc eventu lætari viſi ſunt. Decreta verò ejus continent Doctrinæ Pontificiæ Summam, in iis præſertim capitibus, quæ illo tempore controverſa eſſe coeperunt, unà cum anathematiſmis in contradicentes jactis. Videatur inprimis *Hiſtoria Concilii Tridentini*, à *Paulo Sarpio*, Veneto, Theologo Ord. Fratrum Minorum, ſub nomine *Petri Suavis Polani*, Italico ſermone deſcripta, & à *M. Antonio de Dominis* in Latinum converſa. Add. *Sleidanus*, *Thuanus libr.* 32. *ſeqq.* & *Goldaſti Polit. Imperial Part.* 25.

A. C. 1564. COLLOQVIVM MAVLBRVNNENSE. Inſtitutum hoc Colloquium eſt à Friderico Electore Palatino & Chriſtophoro Duce Würtenbergico, in monaſterio Maulbrunnenſi, quod eſt in ditione Würtenbergica, VI. à Spira milliaribus diſtans; ut diu inter ipſos de præſentia corporis Chriſti agitatæ quæſtioni finis imponeretur. Duravit hoc Colloquium in ſeptiduum, nihilque effectum eſt, neque finita de graviſſima quæſtione controverſia. Vid. *Thuanus libr.* 36. *Tom. II. p. m.* 284 *ſeq.* ubi nominantur etiam Theologi utriusque partis, qui interfuerunt. Extant etiam *Acta Colloquii* typis impreſſa.

CONGREGATIO ORATORIA S. NERII. Hanc congregationem inſtituit hoc tempore *P. Philippus Neri*, Florentinus, cum P. Franc. Maria Taruſio, Politino, & ejus Presbyter poſtea fuit celeberrimus Cardinalis *Baronius*, ut ipſe de ſe prædicat *Præf. Annal.* ſuorum ad Sixtum V. Pont. Inſtitutum hujus Oratorii, Papali auctoritate firmati, vid. in *Theatri Europ. Tom. XIV. pag.* 872. ad annum 1695. ubi de Jubilæo à Patribus Ordinis celebrato. Ab eod. Nerio ſollicitatus *Baronius*, *Annalium* ſuorum opus condidiſſe dicitur. Vid. *Neu in Acceſſ. ad Wheari P.* 1. *pag.* 320.

A. C.

A. C. 1586. COLLOQVIVM ALTENBVRGENSE, in quo agitatæ ſunt controverſiæ de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, de viribus liberi arbitrii, de corpore Doctrinæ Philippi. Pro quibus pugnabant *Eberus*, *Salmuth*, *Cruciger*, *Mollerus*, *Prætorius*, Electorales Saxonici Theologi, qui propter has lites juſſu Auguſti Saxoniæ Electoris Alteburgi cum Thuringicis, *Wigando*, *Cœleſtino*, *Irenæo*. *Kirchnero*, *Roſino*, hoc anno 1568. collocuti, remiſiſſe aliquid viſi ſunt, dum illic eſſent: domum autem reverſi, ſua iterum ſcriptis defendere coeperunt. *Thuanus libr.* 46. *Tom. II. p. m.* 615. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Gothan. pag.* 776. *Acta Colloquii.*

ARGENTORATENSIS ACADEMIA. Excitaverant jam anno 1538. Argentinenſes Gymnaſium, opera Joh. Sturmii, cujus celebritas etiam exteros magnâ frequentiâ attraxit. Anno verò 1566. (non 1668.) Academiæ privilegia à Maximiliano II. impetraverunt, ut in poſterum Baccalaureos quoque & Magiſtros crearent. Vid. *Cruſius Annal. Suev. Part.* 3. *libr.* 12. *cap.* 12. *pag.* 227. Anno demum 1621. ampliſſima Vniverſitatis privilegia à Ferdinando II. Cæſare iis conceſſa ſunt. Conſulatur inprimis *Boeclerus in Oratione Seculari Jubilæi Scholarum Argentoratenſium* 1638. Item, *Acta Introductionis.*

A. C. 1572. BENEDICTVS ARIAS MONTANVS *SS. Bibliorum regiam editionem abſolvit.* Hic Arias Montanus, Hiſpalenſis cùm eſſet linguæ Sanctæ apprimè peritus, à Philippo II. Rege Hiſp. Bibliis Complutenſibus (de quibus ſupra) elegantiore forma recudendis deſtinatus, egregiam admodùm operam in eorum editione cum Fabriciis Boderianis fratribus Falezianis Antverpiæ navavit, unde ſibi æmulos tanto odio accendit, & in iis *Leonem Caſtrenſem*, qui *de LXX. Interpretibus Commentarium* ſcripſit, ut ad cauſam dicendam citatus Romam, vix venia impetrata, pro tantorum laborum præmio ſeceſſum in Bætica ſua, in quo ſe bona conſcientia fretus, ſacrorum librorum lectione ac lucubratione ſolaretur, acceperit. Verba ſunt *Thuani libr.* 120. *fin.* ad annum 1598. quo Arias Montanus mortuus eſt.

LVGDVNENSIS ACADEMIA in Batavis. Eam Ordines Confoederati in medio bello inſtituerunt, poſt ſolutam ab Hiſpanis graviſſimam ejus urbis obſidionem; uſi in eam rem operâ Jani Douſæ, quem Curatorem Academiæ conſtituerunt. Vid. *Grotium Annal. libr.* 2. *Meteranus*, *Douſa in Annal.*

ACADEMIÆ JVLIÆ *natalis* 15. *Octobr.* Julius Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis, qui Henrico acerrimo Lutheranorum hoſti ſucceſſerat, uti erat ipſe puriori doctrinæ addictus, ita eandem in ſuis ditionibus introducere ſtuduit, ſimulque bonas literas promovere:

quem

quem in finem Helmſtadii Academiam fundavit, quæ ab ipſius nomine Julia vocata eſt. Vid. *Chytræus libr. 23. pag. 639.* cujus, nec non Martini Chemnitii & Timothei Kirchneri ad eam rem operâ uſus eſt Julius. Add. *Acta & Natalis Academiæ Juliæ. Thuanus libr. 62.* Extat & *Henrici Meimbomii Oratio de Academiæ Juliæ origine & incremento*, in Ejuſdem *Tom. 3. Rerum Germanicarum.*

ALTORFFINA ACADEMIA, curâ Reipubl. Noribergenſis, ad quam oppidum pertinet, excitata, impetratis à Rudolpho Cæſare privilegiis. Extat de hac Academia Altorffina *Actus promulgationis privilegiorum confirmatorum & amplificatorum, & Renuntiatio Doctorum Theologiæ prima, cum programmatum & actionum gratiarum* auctario, quo Academiæ Hiſtoria plenius exponitur. Altorffii 1698. 4to.

A. C. 1580. FORMVLA CONCORDIÆ. Hic liber, in quo quicquid hactenus inter Lutheranos controverſiam peperit, definitum deciſumque fuit, poſt multos ſuper ea re habitos Theologorum conventus à Jacobo Andreæ, Davide Chytræo, Martino Chemnitio, Andrea Muſculo, Chriſtophoro Cornero, Nicolao Selneccero conſcriptus, & auſpiciis Auguſti Electoris Saxonici, poſt factam ejus communicationem, publicatus eſt 1580. cui ſubſcripſerunt Electores, Principes. Comites, Civitates multique è Nobilitate, & præterea 8000. Miniſtrorum tam Eccleſiæ quàm Scholæ, & formula hæc Concordiæ in Saxonicis aliisque eccleſiis hodieque Symbolici libri auctoritatem obtinet. Fuerunt tamen multi etiam ex Auguſtan. Confeſſ. Sociis, qui ſubſcribere recuſarunt, impugnataque eſt à Theologis tum aliis, tum inprimis Tilemanno Heſshuſio, & Matthia Flacio. Vid. *Thuanus libr. 47. princ. Chytræus Præf. Form. Conc. & Fabricius Saxon.* aliique. *Arnoldus in ſua Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. Part. 2. libr. 16. cap. 18. pag. 213. ſeqq.* de Formulâ Concordiæ ejusque auctoribus, pro ſuo ſpiritu & genio, iniquè admodum judicat. Vid. *Eundem Part. 4. Sect. 2. num. 16.* ubi de ejus libri erroribus. De eadem ſingularia quædam notat Auctor Reformatus Scripti, cui titulus Chriſtliche Erwegung der Hiſtorie der erſten Religions-Motuum zwiſchen den Evangeliſch-Lutheriſche und Reformirten rc. præſertim *pag. 170.* ubi inter alia memorat, quòd tunc temporis Rex Daniæ Fridericus II. tam alienus fuerit ab hoc Libro Conc. ut eum flammis traderet; jubens, ut noctu ignis ſibi excitaretur in camino: nam cepiſſe ſe ingentem diabolum, quem crematurus eſſet, & hunc librum eò conjeciſſe, ut penitus combureretur: & hujus rei teſtem allegat Hiſtoricum Danum Peter Hanſen Reſen in ſeiner Dähniſchen Chronick / fol. 328. ſeq. Sanxiſſe præterea ſub capitis poena, ne exemplar ejus libri ullum in regna ſua impor-

Digitized by Google

importaretur: idque edictum Regium legi apud *Angelium Werdenhagen de Rebuspubl. Hanſeaticis Part. III. c. 17. p. 434.*

A. C. 1583. COLLOQVIVM QVEDLINBVRGENSE. Huic anſam dederunt prædictæ controverſiæ circa capita quædam doctrinæ in Formulâ Concordiæ comprehenſæ, inprimis illa de omnipræſentiâ carnis Chriſti, quam Heſshuſius negabat; Timotheus verò Kirchnerus in hoc Colloquio contra illum aſſerere conabatur. Sed Heſshuſius tamen Sententiam non mutavit, eamque ex illo tempore multi Doctores Helmſtadienſes, aliique per Germaniam defenderunt. Videantur *Acta Colloquii & Fabricius.*

A. C. 1586. COLLOQVIVM MOMPELGARDENSE, inter Aug. Confeſſionis Socios & Genevenſes inſtitutum fuit, impulſu Henrici Navarræ Regis, tum adhuc Calviniani. In eo de Cœna Domini, Perſonâ Chriſti, communicatione idiomatum, Prædeſtinatione, imaginibus, baptiſmo diſputatum eſt inter Theologos Bezam, Muſculum, Faium, Hubnerum, Alberium, ex una; & Jac. Andreæ Lucamque Oſiandrum ex altera parte. Conſulantur *Acta* Colloquii, anno ſequente à Theologis Würtembergenſibus edita, & *Thuan. libr.* 85.

A. C. 1594. JESVITÆ GALLIA PELLVNTVR. Occaſionem dedit Joh. Caſtelli tentatum parricidium, qui Henricum IV. Regem in imo labro graviter cultro feriit, cùm jugulum petiiſſet. Is ergo cùm ad mortem damnatus eſſet, eodem judicio, quòd ex eorum Schola percuſſor prodiiſſet, Jeſuitæ toto regno exterminati ſunt. Rem prolixius narrat *Thuanus extremo libro III.*

PVRITANI *in Anglia* per hæc tempora exorti ſunt. Hoc autem nomine ſe appellabant ii, qui ceremonias cum Pontificiis communes (quas Eliſabetha Regina, reformatis poſt mortem Mariæ Sororis Eccleſiis Anglicanis retinuerat) inprimis verò hierarchiam damnabant, Epiſcoporum auctoritatem aboleri volentes, quòd libertati conſcientiarum eſſet adverſa. Epiſcopos Regina defendebat, cum Puritanis ſentiebant è plebe plurimi; ſed regia poteſtate territi quietè tunc quidem vivebant. Quantas enim poſtea ſub Carolo I. turbas dederint, ſuo loco dicetur. De initiis Puritanorum in Anglia videatur *Thuan. libr. 43. p. m. 805. Strauchius Contin. Sleidani de IV. S. J. p. 590. ſeq.*

A. C. 1599. *Pax Religionis in Gallia promulgatur.* Poſt diuturna ob religionem bella civilia, tandem Henricus IV. Rex edicto Nannetenſi Proteſtantibus in regno ſuo de libertate religionis cæteriſque privilegiis cavit, quod Edictum in Nannetibus primùm con-

 d.tum,

Digitized by Google

ditum, ſuperioris Britanniæ urbe, inde nomen accepit, & anno 1599. promulgatum, ad noſtra usque tempora à Succeſſoribus Regibus ſubinde confirmatum, valuit, donec anno 1685. ab hodierno Rege aboleretur: qua de re infra. Vid. de hac pace religionis in Gallia, & edicti hujus tenore *Thuan. libr. 122. Tom. 5. pag. m. 859. ſeqq.*

Sub Titulo VARIORVM notatur ad annum

1553. *Eduardo VI. in Anglia ſuccedit Soror* MARIA. Succeſſerat Eduardus VI. novennis tum puer, Henrico VIII. Regi, anno 1547. mortuo. Ipſius verò ſexennio pòſt ſequuta morte, quam nonnulli veneno per Johannem Dudleium Northumbriæ Ducem procuratam eſſe volunt, hic quidem Dudleius Johannam Suffolciam, filii ſui uxorem, Reginam facere conatus, invitam ad regnum rapuit. Sed victus & Majeſtatis damnatus, Johanna verò miſerabili morte affecta eſt: regnumque ad Eduardi Sororem Mariam, legitimam ejus heredem rediit. Hæc Philippo Auſtriaco Hiſpaniarum heredi nupſit, Caroli V. filio; & graviſſimis perſecutionibus puriorem religionem extirpare in Anglia cùm cœpiſſet, quarto pòſt anno, nulla relicta prole è vivis exceſſit. Vid. *Johannes Sanderus, Georg. Buchananus, Lilii Chron. Regum Angliæ, Sleidanus libr. 21. Thuanus libr. 13. Natalis Comes libr. 7. & 8.*

A. C. 1558. ELISABETH *Angliæ Regina*, Mariæ Sorori ſucceſſit, è carcere ad ſolium evecta, quæ deinceps usque ad ſequentis Seculi annum 3. ipſi emortualem regno præfuit, princeps laudatiſſima. Hæc religionem Pontificiam tota Anglia rurſus abrogavit, ſpreto excommunicationis Pontificiæ edicto. Ipſa cælebs manſit, quanquam aliquoties à magnis procis de matrimonio compellata. Scotos & Gallos inimicos habuit; & in his Guiſios præcipuè. Scoticum bellum, Lethæ obſidione nobilitatum, pacificatione Edinburgenſi finitum eſt. De Hiſpanis anno 1588. ingenti victoria potita eſt, diſſipata eorum claſſe invincibili, de qua *Camden. Part. 3. ad hunc annum pag. 513. &c. Strada Dec. 2. libr. 9. pag. 542.* &c. *Thuanus libr. 89. & ſeq. Grot. Hiſtor. libr. 1. p. 116. ſeqq.* Geſta hujus Reginæ omnia per annos exequitur laudatus *Camdenus, & Thuanus.* Etiam de Eliſabetha Regina quædam per compendium memorat *Joh. Wolffg. Jægerus Hiſt. Eccl. & Politic. Seculi XVII. libr. 4. c. 3.*

CAROLVS IX, *Gall. Rex.* Poſt mortem Henrici II. in haſtiludio occiſi, ut diximus, regni Gallici habenas ſuſcepit filius *Franciſcus* II. ſub quo magna rerum in Gallia commutatio facta, Guiſiis in

in ſummum potentiæ apicem evectis : unde conjuratio adverſus ipſos, & ſubinde tumultus ac bellum. Sed Franciſco Rege poſt annum & ſemeſtre ferè mortuo, Carolus IX. quindecim tum annos natus, in regimen ſucceſſit: quod bellis civilibus inquietum fuit : dum Proteſtantes, graviſſimis licet perſecutionibus vexati, opprimi ſe non patiuntur, eorumque partes ſequuti regii ſanguinis Principes, Borbonii & Condæi, contrariæ Guiſiorum factioni ſe opponunt. Regnum hujus Principis infamávit laniena Pariſienſis, de qua paulò poſt. Mortuus anno 1574. Succeſſorem habuit Henricum III. fratrem, deſerto Polonico regno, ad aviti regni habenas capeſſendas reverſum. Res Caroli IX. ut & Henrici III. copioſe exequitur *Thuanus*, Scriptor proprius, inde *à libr.* 27. cui addi poteſt *Euſebius Philadelphius* (ſub quo nomine latere voluit *Theodorus Beza*) qui *de Carolo IX. R. G. ejusque matre* ſcripſit, teſte *Wheαro in Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium p.* 24.

A.C. 1566. SELIMVS II. *Solimanni fil.* Turcorum Imp. pace facta cum Maximiliano II. Imp. Venetis Cyprum eripuit, ingenti viciſſim clade navali ad Echinadas Inſulas affectus, Duce Chriſtianorum Johanne de Auſtriâ : Hiſpanos Africa ejecit : Corcyrâ occupatâ, Johannem Valachiæ Waiwodam occidit : poſt octennium Imperii mortuus eſt. *Thuanus libr.* 39. 49. 50. *Leunclavius ſupplement. Annalium Turc. Natalis Comes libr.* 17.

A. C. 1567. INITIA BELLI BELGICI. Quod imminutis à Philippo I. Belgarum privilegiis, & introducta potiſſimum per Albanum Inquiſitione Hiſpanicâ excitatum, deinceps, interpoſitis quidem induciis decennalibus ab anno ſcil. 1610. ad 1620. in Seculi ſeq. annum 48. tractum eſt, & in pacificatione Monaſterienſi compoſitum. Cùm interim florentiſſima Belgii portio ſe jugo Hiſpanico ſubtraxiſſet, Republ. ſeparatâ Vnitarum Provinciarum nomine conſtituta : quæ illis libertas per prædictam pacificationem confirmata eſt. Hujus belli altius repetita initia vid. apud *Thuanum libr.* 40. *princ.* & de apertâ defectione ab Hiſpanis, *libr.* 41. *princ.* Cæterùm bellum hoc Belgicum ex profeſſo ſcripſerunt *Meteranus*, *Famianus Strada*, *Caſpar Ens*, *Grotius* & *Douſa in Annal. Meurſius in Belgicis*, *Haræus in Annal. Nicol. Burgundicus in Belgicis*, *Bentivoglio.*

A. C. 1572. NVPTIÆ PARISINÆ, ad omnem poſteritatem infames, die Bartholomæi (cujus etiam nunc apud Gallos malè ominatum nomen eſt) celebratæ inter Henricum Navarræ Regem & Margaritam Valeſiam. Ad eas Carolus IX. Rex Galliæ, à Regina matre inſtigatus, pleróſque Reformatæ religionis principes & Socios

 invita-

Digitized by Google

invitaverat, eaque ipſâ nocte, facto à Colinii cæde initio, univerſos crudeliter trucidari juſſit. Sequutæ ſunt toto regno cædes Proteſtantium, juſſu Regis factæ, intraque paucos dies multa eorum millia interierunt. Actus hujus tragœdiæ ſpeciales, caſusque memorabiles qui legere cupit, adeat *Thuanum lib. 52.* ubi etiam refert excuſationes Regis per literas, qui tamen mox in Senatu facti invidiam in ſe recepit. Et *ſeq. libro 53.* memorat varia de hac laniena Pariſienſi judicia. Ipſius *Thuani* de hoc facto judicium vel hinc colligi poteſt, quod per totam vitam Bartholomæi diem deteſtatus eſt, illos *Statii* verſus de eodem uſurpans:

Excidat illa dies ævo, ne poſtera credant
Secula; nos certè taceamus, & obruta multâ
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.

Pontifex verò Romanus, ad quem Colinii caput miſſum eſt, Gregorius XIII. ingens gaudium ob eam rem teſtatus eſt, indictis ad agendas Deo gratias ſupplicationibus. Præter *Thuanum*, qui accuratè hanc lanienam deſcripſit, vid. *Oſiandri Epitom. Hiſtor. Eccleſ. Centur.* 16. *libr.* 3. *c.* 69. *Famianus Strada libr.* 7. *Gramondus Hiſt. Gall. libr.* 6. *p.* 308. *Richardus Dinothus in Hiſtor. belli civil. Galliæ, Cicarella in Gregorio XIII.* Graviſſimas de hac laniena *literas Maximiliani Cæſaris ad Lazarum Schwendium* datas, exhibet *Goldaſtus in Conſtitut. Imperial. p.* 383.

A. C. 1574. Amurathes III. filius Selimi II. in Turcico Imperio ſucceſſit, tyrannidem ſuam à parricidio quinque fratrum orſus. Hic cum Iſmaele Perſarum Rege, eoque per venenum ſublato, cum Muhamede Hodabende, Succeſſore ejus, bellum geſſit, toti Aſiæ funeſtiſſimum. De quo vid. *Bizari Hiſt. Perſ. Thuan. libr.* 67. Etiam cum Rudolpho Imp. bellavit, & violatis ſæpius induciis, neceſſitatem ingentis apparatus ei impoſuit. Plura de eo *Thuanus libr.* 80. 84. & 114. *Leunclavius Supplement. Annal. Turc. Chytræus libr.* 27. *Natalis Comes libr.* 28.

A. C. 1576. Stephanus Bathor *Rex Poloniæ.* Poſtquam digreſſus ex Polonia Henricus vacuum thronum reliquerat, ut Gallicum occuparet, abrogato ei à Polonis regno, pars Senatorum Maximilianum Cæſarem, alii verò Stephanum Bathorium Transſylvaniæ Principem, in Regem ſuum eligunt; qui, dum Maximilianus cunctatur, in capeſſendo regno, prævaluit, atque inauguratus eſt. *Thuanus libr.* 60. & 61. apud quem etiam Stephani Regis elogium vide

vide *libr. 85. fin.* Gedanenſibus illatam ab hoc Rege cladem deſcribit *Joh. Laſicius tom. 3. rerum Polon. Chytræus libr. 24. 25. Thuanus lib. 65.* Geſta ejusdem adverſus Moſchos anno 1579. apud Eundem *Laſicium in Supplemento , & Thuanum libr. 69. 72.* Add. *Reinoldus Heidenſteinius de Bello Moſcovitico.* Mortuus eſt Stephanus an. 1586. Succeſſore Sigismundo , Johannis III. Sueciæ Regis filio , contra quem electus ab alia parte Maximilianus Auſtriacus : ſed accepta clade captus , regnoque renuntiare coactus eſt. *Chytræus lib. 28.*

A. C. 1578. SEBASTIANUS *Luſitaniæ Rex in Africa perit.* Is Mulei Mahometum Feſſæ & Marocci Regem , à patruo ſuo Mulei Maluce expulſum , reſtituere volens , expeditionem ſuſcepit infelicem. Poſtquam enim in Africam trajeciſſet, commiſſo prælio 4. Auguſti hujus anni tres Reges occubuerunt, Malucius ſcil. & Mahomet cum ipſo Sebaſtiano. Succeſſit in regnum Luſitaniæ Henricus Cardinalis , Sebaſtiani patruus magnus , quem ſenem & orbum controverſia de ſucceſſione exercuit. Eo verò anno 1580. defuncto ,

A. C. 1581. PHILIPPUS II. *Hiſp. Rex Luſitaniam occupat* , fugatoque per Albanum Ducem Antonio (qui ex fratre Henrici Ludovico , ſed cœlibe , natus erat) quanquam ille populi favore uſus , jam Vlyſſipone per tumultum inauguratus erat , toto regno potitus eſt. Erat autem Philippus Henrici ex Sorore nepos , & jam tùm eo vivo de jure ſucceſſionis in id regnum egerat. Et cùm ille moriens teſtamento ſucceſſorem in ambiguo reliquiſſet , hoc jus ſuum perſecutus eſt. Ex eo tempore Hiſpani Reges Luſitaniam obtinuerunt usque ad annum ſequentis Seculi quadrageſimum. Vid. de his rebus *Thuanus libr. 65. & 69. Chytræus libr. 24. & 25. Euardus Nunneſius Cenſur. 67. in Joſ. Texeiram. Hieronymus Conneſtagius de Portugalliæ & Caſtellæ conjunctione , ex Ital. Lat. Tom. 2. Hiſpan. Illuſtr. Joh. Antonius Viperanus de obtenta à Philippo II. Portugallia. Cicarella in Gregorio XIII.* De iisdem prolixè agit *Auctor Hiſtoriæ regnorum Hiſpaniæ , Portugalliæ & Africæ* , ex Italica in Germanicam linguam converſæ ab *Alberto* Fürſten.

A. C. 1582. CALENDARIUM GREGORIANUM. Gregorius XIII. qui Pio V. ſucceſſerat , Calendarium novum , à ſe Gregorianum vocatum , ope Liliorum confectum , edidit. In eo ablati è Calendario veteri Juliano 10. dies ; & quarta decima luna primi Hebræorum menſis , quo Paſcha agitur , ad 21. Martii diem , ubi tempore Synodi Nicenæ fuiſſet , reducta eſt. Ea res miras paſſim turbas excitavit ; Proteſtantibus tamen plerisque , quibus hi

Digitized by Google

novi Faſti obtrudebantur, ne quid Pontifici Rom. poteſtatis aut imperii in alias gentes concedere viderentur, veteres retinentibus. Vid. *Chytraus libr. 25. p. 711. ſeqq. Thuanus libr. 76.* Conſulantur etiam illi, qui hoc Calendarium ſub examen revocarunt, quique pro & contra ſcripſerunt, *Sethus Calviſius*, *Guldinus* &c. quos indicat *Strauchius Contin. Sleidani pag.* 491 Noſtris tamen temporibus anno 1699. decreto publico in Ratisbonenſibus Comitiis facto, hoc Calendarium emendatum & ab Imperii Ordinibus etiam Proteſtantibus receptum, & Imperiale Calendarium vocatum eſt.

A. C. 1587. MARIA SCOTIÆ REGINA *decollatur.* Hæc Maria pridem Franciſco II. Galliæ & Scotiæ Regi, poſtea Henrico Stuarto nupta (ex quo matrimonio natus Jacobus VI. futurus M. Britanniæ Rex) cùm ille maturè mortuus eſſet, cum Darlio, mox cum Bothvellio matrimonium contraxerat, interim etiam Rizii, Cantoris Subalpini, amoribus implicita; fugato denique à conjuratis Bothvellio, in carcerem detruſa, & regnum ejurare coacta erat: inaugurato in matris locum Jacobo, tum adhuc infante. Evaſit quidem iterum ex carcere Maria; ſed prælio victa in Angliam profugit; ubi eam Eliſabetha Regina patrocinio promiſſo ſuſcepit, ſed ſubinde agitatâ ejus cauſâ in cuſtodiam dedit. In quâ dum eſſet, de inſidiis & machinationibus contra ipſam Eliſabetham ſuſpecta atque convicta, filio Jacobo Scotiæ Rege, & legato Gallico, nomine ſui Principis, fruſtra intercedentibus, pronunciatâ in ipſam mortis ſententiâ publicè ſupplicio affecta eſt. Qua de re prolixè *Cambdenus*, & *Buchananus* ad annos qui huc pertinent. Item, *Thuanus* præſertim *libro* 86. Momenta hujus cauſæ, additis auctorum locis, unde petenda, notat *Bæclerus Excerpt. Contr. Illuſtr. XXXI. in Tom. 3. Diſſ. pag.* 484.

A. C. 1589. *Henrico III. in Gallia ſuccedit* HENRICVS IV. Succeſſerat Henricus III. fratri Carolo IX. cujus morte auditâ ex Polonia in Galliam properavit. Turbulentum ibi imperium habuit, à factione inprimis Guiſianâ. Hiſtoria ejus petenda ex *Thuano a libro* 58. Ejus etiam fata exequitur *Barclaius in Argenide.* Poſtquam verò ille anno 1589. Cal. Auguſti parricidiali ſcelere occiſus fuit à Jacobo Clemente, Monacho Dominicano, HENRICVS IV. NAVARRÆ REX, legitimus regni Gallici heres, commendatus Proceribus à morituro, non ſine maximis tamen difficultatibus, regnum adiit, belloque adverſus æmulos geſto victor, & ejuratâ denique religione reformatâ, cui hactenus addictus fuerat, in eodem confirmatus eſt, princeps inter ſummos Heroas numerandus. Res geſtas

Digitized by Google

ſtas cùm in regno contra factionem Pontificiam, tum adverſus Hiſpanos aliosque exteros, cæteraque hujus Regis, qui plerisque Europæ rebus eo tempore arbiter intervenit, non aliunde meliùs petere licet, quàm ex *Thuano* usque ad finem hiſtoriæ ejus, id eſt annum 1607. Vita ejus etiam ab aliis ſeorſim ſcripta habetur, ex quibus reliqui triennii geſta petenda, usque ad annum ei fatalem 1610. Inter hos eſt *Petrus Matthæus JC. & Hiſtoricus Regius libris* 7. *Wilhelmus Soſſius*, *Hieronymi de Benevento Diſcours des faits du Roy Henry le Grand*, & *Hardouini de Perefixe Hiſtoire du Roy Henry le Grand. Apophthegmata* ejus ſpeciatim ſcripſit *Zinckgrafius.* Add. *Les Memoires du Roſne, Duc de Sully.*

A. C. 1595. MAHOMETH III. Amurathi III. patri ſuccedens, imperii auſpicia à cæde 18. fratrum fecit, quos omnes more Turcico ſtrangulari juſſit. Multas deinde Chriſtianis clades in Hungaria intulit, nonnullas viciſſim accepit. Vid. de eo *Thuan. libr.* 114. 121. 126. 130. *Seth. Calviſ. in Chronolog. Turſellin. Epit. Hiſtor. libro* 10. *Gothardi Arthuſii Hiſtoria Pannonica.* Mortuus eſt hic Sultanus anno 1604. tyrannidis expleto octennio.

A. C 1600. MAVRITII NASSOVII VICTORIA *ad Neoportum Flandriæ.* Hanc victoriam ab exercitu Confœderatorum Belgarum Duce Mauritio Naſſovio reportatam de Hiſpanis, deſcribunt præter *Thuanum libr.* 25. *Meteranus*, *Famianus Strada*, *Caſpar Ens* ad hunc annum. Quibus addantur cæteri rerum Belgicarum Scriptores, ſupra nominati.

Reſtant VIRI CELEBRES, qui hac altera parte Seculi potiſſimùm floruerunt:

In his JAC. CVJACIVS, Toloſanus, JCtus excellentiſſimus fuit, quem *Joſ. Scaliger ad Varronem de Re ruſtica* Phœnicem JCtorum vocat. Eum tamen in antiquo Jure verſatiorem fuiſſe, & in theoria magis quàm in praxi valuiſſe, nonnulli judicant. Opera ejus V. tomis in fol. edita ſunt Pariſ. apud Sebaſt. Nivelle 1584. Vitam ejus ſcripſit *Papirius Maſſonus.* Conf. *Scævola Sammarthan. in Elog. Gallorum. Thuan. libr.* 99. *Roland. Mareſ. libr.* 1. *Epiſt.* 40. *Huet. de Clar. Interpp. Teiſſier in Elog. Viror. Erud. Gall.* Vita Cujacii, nec non Barnabæ Briſſonii, aliorumque JCtorum, comparet in *Decade Vitarum à Friderico Jacobo Leitkero* edita Lipſiæ 1686.

BARNABAS BRISSONIVS, Pictavienſis Gallus, itidem magni nominis JCtus & Præſes Curiæ Pariſienſis fuit. Ejus ſcripta celebran-

brantur: *De Solennibus Formulis pop. Rom.* libri 8. *De Connubiorum jure* liber, & *de nuptiarum ritu. De regno Perſarum libri* 3. *Antiquitatum ad Juris Civilis illuſtrationem* libri 4. Briſſonius hic miſerabili morte periit, Pariſiis in carcere ſtrangulatus, eò quod Ligæ adhærere contra Henricum IV. Regem conſtanter recuſaſſet. Epitaphium ei à *Paſſeratio* ſcriptum tale eſt:

Lumen Pariſii unicum Senatûs
Extinctum ſcelere hîc jacet latronum.
Damnatæ tenebris valete leges!

Plura de eo vid. apud *Thuan. libro* 102. *Scæv. Sammarth. in Elog. Gall. Leitkerus in Vit. Clariſſ. JCtorum, p.* 209.

CORASIVS JCTVS Toloſanus, ſcripſit multa, quæ partim ſeorſim edita ſunt. Opera verò ejus omnia, ſtudio D. *Val. Guil. Forſteri* junctim prodierunt II. tom. in fol. Witebergæ apud Bergerum 1603. & index rerum & verborum in opera ejus ibid. 1605. Vitam ejus ſcripſit *Matth. Weſenbecius*; quæ annexa eſt Tractatui *Coraſii de Servitutibus Prædiorum.* Marpurgii 1592. 8.

FRANC. HOTOMANNVS Pariſinus, & ipſe JCtus fuit, Scriptis clariſſimus, plerisque Juridicis, partim etiam philologicis. Opera omnia, quæ edidit, & ſcripta ejus poſthuma III. tomis in folio comprehenſa, prodierunt accurante Leone Vignonio 1599. Vid. de eo *Thuan. libro* 99. *Leitker. in Vit. Clariſſ. JCtorum.*

A. C. 1556. JOH. SLEIDANVS *obit.* Hic vir hiſtoricis ſcriptis celeberrimus, Reip. olim Argentoratenſis Syndicus fuit, cujus nomine legationes obiit, ſemel anno 1551. ad Henricum II. Gall. Regem; iterum ad Concilium Tridentinum. Sicuti & anno 1545. à Principibus Proteſtantibus ad Regem Angliæ cum Ludovico Bambachio miſſus erat. *Ejus Commentarii de Statu Religionis & Reip. Germanorum Carolo V. Imp.* opus laudatiſſimum, libris 26. abſolvuntur, & in omnium manibus ſunt. Diverſa de eo judicia, item Continuatores ejus recenſet *Neu in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. Part.* I. *p.* 306. *ſeqq.* Neſcio quid in mentem venerit auctori nupero Vitarum, *Adolpho Clarmundo*, quando *in* hujus *Sleidani Vita p.* 159. ſcribit: Wo Jac. Aug. Thuanus in der Hiſtorie auffgehört / da fanget dieſer Sleidanus an / &c. cùm tamen *Thuanus* deſinat in anno 1607. *Sleidanus* verò incipiat ab anno 1517. & ad 1556. usque hiſtoriam ſuam perducat, quo & mortuus eſt. Sed hic ejus Scriptoris error tranſeat cum cæteris. Scripſit item *Sleidanus de IV. Summis Imperiis*, ad Carolum V. usque, inde continuavit *Strauchius* & *Schurtzfleiſchius*

aliique.

Digitized by Google

aliique. Vid. *Nevii Acceſſiones ad Wheari Relect. Hiem. pag.* 40. & 506. Superſunt præterea duæ ejus *Orationes* , *ad Carolum V.* una , altera *ad Principes Germaniæ Ordinesque Imperii.* Vertit & ex Gallico in Latinum *Cominæi & Froſſardi Hiſtorias Gall.* & *Seſellij libros* 2. *de Republ. Gallica & Regum officiis.* De *Vita Sleidani* conſulatur *Thuanus libr.* 17. ubi inſigne ejus elogium. *Georg. Hornius in præfat. ad lection. Sleidani de IV. Summis Imperiis. Boiſſardus in Iconib. Melch. Adami in Vit. German. Teiſſier in Elog. Viror. Erud. Gall.* Paſſim etiam ipſe de ſe ſuisque functionibus in *Commentariis ſuis.*

A. C. 1558. JVLIVS CÆSAR SCALIGER *obit.* Divinus hic vir , qui ſuo tempore eruditionis Principatum ſine controverſia obtinuit , ipſe ex Principali familia , quæ diu in Italia floruit , ortus , Burdigalæ verò in Gallia natus fuit. Armis ab ineunte Juventute exercitus, deinde ſerò quidem literis ſe dedit , ingeniique excellentia eò provectus eſt , ut in philoſophia omnique genere literaturæ parem non haberet. Ejus opera philoſophica , philologica , poëtica ſunt , ſummoque omnia ſtudio & ingenio ſcripta. Elogium ejus eſt apud *Thuanum libr.* 21. ad annum 1558. Add. de Vitis & ſcriptis ejus *Sammarth. in Elog. Gall. Teiſſier in Elog. Virorum Erud. Gall. Boiſſard. in Iconibus.* Etiam ex *Epiſtolis* ipſius *Scaligeri* multa diſcas , quæ ad ipſius conditionem & vitæ genus pertinent. Inter *Orationes* ejus duæ ſunt *adverſus Eraſmi Ciceronianum* ſatis amarulentæ. Conf. de genere ejus & vita *Epiſt. Joſ. Scaligeri* , filii , quæ eſt *ad J. Douſam* ſcripta , & in Epiſtolarum ejus collectione prima.

A. C. 1560. PHILIPPVS MELANCHTHON *obit.* Hic eſt ille Germaniæ Phœnix , & bonarum literarum puriorisque doctrinæ in ea reſtaurator optimus maximus, B. Martini Lutheri ea in re fidus paraſtata , omniumque laborum atque ſtudiorum Socius ; Sacrarum pariter & profanarum literarum explicator fideliſſimus , Doctor ſolertiſſimus , & nomen omnibus Germanis meritò venerabile. In Academia Witebergenſi , auſpiciis Electoris Saxoniæ , totos annos 42. docuit , nec ore tantùm , ſed & ſcriptis alios erudivit variis. Nullum enim eruditionis genus intactum reliquit , ut in ſingulis habitare non peregrinari videretur. Opera ejus plurima & utiliſſima Baſileæ junctim edita. Inter ea *Chronicon* , quod aliàs vocatur *Carionis* , quia hic primas in eo lineas duxit , Melanchthonem tamen Reformatorem habet , & ex magna parte auctorem : de quo vid. *Neu in Acceſſ. ad Whear. Relect. Hiem. p.* 42. *ſeq. Part.* 1. Vitam tanti Viri deſcripſit *Joachimus Camerarius* , unde cætera peti poſſunt. Add. *Melch. Adami in Vitis Theolog. Reimmannus in Hiſtor. Lit. Germ.*

Digitized by Google

Sect. 3. Quaſt. 97. & 127. & prolixum ejus elogium apud *Thuanum libr. 26.*

HENRICVS STEPHANVS, Roberti filius, Pariſinus, typographus fuit, ſimulque vir doctiſſimus, qui patris æmulatione Græcis præſertim auctoribus vel édendis vel caſtigandis de Republ. literaria optimè meritus eſt. Scripſit & alia philologica & critica, inprimis ad Græcam literaturam pertinentia. Ante omnia verò celebratur ejus Theſaurus Græcæ linguæ; ob quem Alpha Lexicographorum Græcorum vocatur à *Morhoffio, Tom. 1. libr. 4. c. 8. n. 6.* qui etiam alibi *Tom. 1. libr. 1. c. 7. n. 27.* dicit, quod Vdalricus Faggerus hunc Stephanum publico ſtipendio aluerit, ut libros Græcos ederet. In illo autem *Theſauro* promtuarium & horreum totius Græciſmi deprehendas; unde cæteri omnes exſcribunt. De ipſo Stephano vid. *Thuan. libr. 120. fin. Scæv. Sammarthan. Elog. Gall. &c.*

NICOL. COPERNICVS Thorunii in Boruſſia natus, Mathematicus excellentiſſimus, inventor Syſtematis mundi, quod ab eo Copernicanum dicitur, cùm terram mobilem, Solem in univerſo mundi immobilem ſtatuit: qua in ſententia, licèt hucusque paradoxa, hodie tamen plerosque Sectatores habet. Scripta ejus mathematica, inter quæ *Revolutionum Tabulæ*, cum *Canone Triangulorum*, adhuc in pretio habentur. Debebat hujus viri nomen in priori parte Tabulæ poni, quippe jam anno 1543. mortui. Vid. de eo *Melch. Adami in Vit. Philoſ. Germ.* Extat etiam *Vita Nicolai Copernici* à *Gaſſendo ſcripta.* Add. *Reimmann. Hiſt. Lit. Germ. lib. 2. Sect. 3. Quaſt. 353. p. 521. ſeqq.*

WOLFG. LAZIVS, Vienna-Auſtrius, Medicus quidem profeſſione fuit, ſed & Philoſophiam & Philologiam excoluit, rerum Græcarum, Romanarum & Germanicarum Scriptor. Ejus enim ſunt libri XII. *de Rom. republ. in exteris provinciis*, Francofurti ad Moen. 1598. fol. Item, *Commentarii rerum Græcarum.* Præterea libri 12 *de Gentium Migratione*; & *Chronographia Pannoniæ.* Plura de eo vid. *Thuan. libr. 16. Lipſ. Lovan. libr. 1. cap. 11.* & *Cent. 2. Epiſt. Miſc. 24.* &c.

ANDR. TIRAQVELLVS, JC. Gallus, & Pariſienſis Curiæ Senator fuit; cujus præter ſcripta merè Juridica, quæ ſunt longè plurima, etiam celebrantur *Semeſtria in Alexandri ab Alexandro Genialium dierum libros 6. &c.* Opera ejus omnia 7. tomis diſtincta fol. prodierunt Francofurti apud Feurabend. 1574. & 1597 & Venetiis 1577. Vid ejus elogium apud *Thuanum libr. 21.* ad annum 1558. *Sammarth. in Elog. Gall.*

FLA-

Digitized by Google

FLACIVS ILLYRICVS, Albona natus, Theologus fuit ex Lutheranis celeberrimi nominis. De quo ut contra Adiaphoriſtas Saxonicos receptum in Mauritii ditionibus Interim defendentes, ſcriptis invectus ſit, memorat Sleidan. *libr.* 21. *ad ann.* 1549. *p. m.* 658. Idem in diſputatione cum Victorino Strigelio, habita Vinariæ in Principum conſeſſu, forte eò prolapſus erat ἀκυρολογίας, ut diceret, peccatum eſſe ipſam hominis ſubſtantiam, quod cùm deinde defenſum iret vehementius, multa inde in Eccleſiam redundarunt incommoda. De cætero vir hic ſcriptis ſuis de publico benè meritus eſt: inter quæ præcipuè commendantur *Hiſtoria Eccleſiaſtica Centuriis Magdeburgenſibus* comprehenſa, in qua adornanda unà cum Sociis ſtrenuam operam navavit: Item, *Clavis Scripturæ*, & *Catalogus Teſtium Veritatis.* De eo *Thuan. libr.* 61. *Melchior Adami in Vitis Theolog. German.* &c.

JAC. ANDREÆ, Theologus de Eccleſia Evangelica meritiſſimus, Joh. Brentii in Academia Tubingenſi Succeſſor fuit. Aliquot de Religione Colloquiis interfuit, cum Theologis Genevenſibus congreſſus ſæpius, cum Theod. Beza in Colloquio Montisbelgardenſi, cum Joh. Piſtorio in Badenſi diſputavit, fortiſſimus Papæ & Rom. Eccleſiæ oppugnator. Scripta ejus pleraque ſunt eriſtica, partim contra Pontificios, partim contra Calvinianos & Theod. Bezam. Vid. *Thuan. lib.* 99. *ad annum* 1590. *Melch. Adami in Vit. Theolog. Germ.* Huic viro, qui operam ſuam ad concinnandam Formulam Concordiæ contulit, valdè iniquus eſt *Arnoldus*, eumque acerbè perſtringit in ſeiner Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *Part.* 2. *libr.* 16. *c.* 18. *pag.* 214.

HADR. TVRNEBVS ex Normannia Gallus, Criticus magni nominis, cujus Opera Argentorati edita 1600. tribus tomis diſtincta ſunt. Inter ea eminent *Adverſaria* ejus, in quæ congeſſit varia ſuper auctores Latinos obſervata. De quibus & de ipſo Turnebo vid. *Morhoff. Polyh. Liter. libr.* 5. *c.* 1. *n.* 6. Epitaphium ejus apud *Phil. Labbeum in Theſauro Epitaphiorum* breve & acutum:

Turnebus jacet hîc! quis ſit ſi quærere pergis,
Jam dignus es, qui neſcias.

De Vita ejus & Scriptis vid. *Scav. Sammarth. in Elog. Gall. Geſner. in Bibl. Thuan. libr.* 38. *ad annum* 1565. *Huet. de Clar. Interpret. &c.*

JOACHIMVS CAMERARIVS, ex familia nobili, ſed re non admodum lauta natus, apud Germanos verè literatorum Hercules,

& non cum vulgo nominandus, ſui temporis Phœnix, omnium doctrinarum non ſuperficiaria ſcientia inſtructus, ſeu in mathematicis, ſeu in enarratione auctorum, ſeu in philologicis aliquid ſuſceperit. Quo elogio eum ornat *Morhoff. in Polyh. Liter. lib.* 4. *c.* 8. *n.* 4. ubi de ejus *Commentariis Græcæ linguæ* agit. Plurima in lucem edidit Scripta limatiſſima, quæ partim ipſo vivo prodierunt, partim iis colligendis edendisque literatum orbem demeruit filius cognominis, de quo *Thuan. lib.* 120. *fin.* ubi & patrem laudat, inprimis vero *libr.* 59. *Tom.* 3. *p. m.* 65. Vid. & *Melch. Adami in Vit. Germ. Jac. Thomaſ. Præf.* 75. *in laudibus Camerarii. Reimmann. Hiſt. Liter. Germ. Contin. lib.* 2. *Quæſt.* 132.

WILH. XYLANDER Auguſta-Vindelicus, literarum Græcarum Profeſſor Heidelbergæ, præclaram nominis famam & immortalem adeptus eſt gloriam, tum ex aliis ſcriptis philologicis & hiſtoricis, tum ex optimis auctoribus, præſerim Græcis, partim recognitis, partim in Latinum ſermonem converſis. *Thuan. libr.* 62. *tom.* 2. *p. m.* 133. *Melch. Adami in Vit. Philoſ. Adolph. Clarmund. Part. VI. Vit.* 2.

GEORG. BVCHANANVS, Scotus, Hiſtoricus & Poëta inſignis, de hiſtoria patria inprimis optimè meritus eſt. Scripſit enim libris 20. *Hiſtoriam rerum Scoticarum*, quam eximia laude perſequitur *Thuanus libr.* 76. Item, *de Jure Regni apud Scotos Dialogum*, quem *Barclaius* refutavit in libro *contra Monarchomachos.* Scripſit & *Poemata varia.* Ejus etiam eſt *Paraphraſis Pſalmorum Davidicorum poëtica. &c.* Vita ejus variis fatis ágitata fuit, de qua, ſimul & ſcriptis vid. *Zeiler. Part.* 2. *p.* 26. *Thuan. libr.* 76. *ad annum* 1582. *Cambden. in Annal. Eliſabethæ anno* 1567. *Herm. Conring. de Civil. Prudentia* &c.

JO. STVRMIVS. Magnus hic vir eandem cum Sleidano patriam habuit, cujus & in ſchola condiſcipulus ac deinde amiciſſimus fuit. Is ut de orbe literato in univerſum, ita inprimis de Schola Argentoratenſi præclariſſimè meritus eſt, quæ ipſius potiſſimum operá conſtituta primùm atque ordinata, mox & ornata doctrinà ejus, ubi deinde Academiæ jura accepit, ipſum Profeſſorem eloquentiæ habuit longe celeberrimum. Et primùm quidem Pariſiis docuerat, inde evocatus à Senatu Argentoratenſi, per 43. annos deinceps Gymnaſii & Academiæ Rector fuit, & Succeſſore ſibi vivo conſtituto, ut petierat, Melchiore Junio, mortuus eſt octogenario major. Scriptis præterea plurimis partim theologicis, partim philologicis rem literariam egregiè juvit, à Principibus & Magnatibus amatus & expetitus. De Vita ejus conſulatur *Joh. Philippus*

pus Glaſerus in Narratione peculiari *de* hoc *Sturmio. Melch. Adami in Vit. Philoſoph. p.* 342. *ſeqq. Geſner. in Biblioth. Thuan. lib.* 96. *fin. Boecler. in Orat. Seculari Jubilæi Scholaſtici Argent.* ubi inter alia elogia ei dicitur *Sapientiæ eloquentiſſimus & Eloquentiæ ſapientiſſimus Magiſter.* Reperies etiam elogia & ſcripta hujus Sturmii, præſertim quæ de re Scholaſtica agunt, in *Morhoff. Polyh. liter. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 19.

MART. CHEMNITIVS Brunſuicenſis, de Eccleſia DEI optimè meritus, Martini Lutheri & Philippi Melanchthonis Diſcipulus fuit. Inter alia multa de religione egregia ſcripta, præclariſſimum ejus opus eſt *Examen Concilii Tridentini.* Idem in *Formula Concordiæ* conſcribenda cum cæteris Theologis utilem operam præſtitit. Mortuus eſt Brunſuici, ubi Antiſtes fuit, anno ætatis 64. poſtquam veritatem evangelicam ore & ſcriptis maſculè propugnaſſet. Vid. *Melch. Adami in Vit. Theologor. Reimmann. Hiſtor. Liter. German. Sect.* 3. *Quæſt.* 97. Ejus elogium eſt apud *Thuanum libr.* 84. ad an. 1586.

TYCHO BRAHE, eques Danus, verâ aſtrorum ſcientiâ, & obſervationibus longo tempore & magno ſumtu factis, Principis Aſtronomorum nomen promeritus eſt. Scripta ejus à *Jac. Kepplero*, cui tam claras ingenii ſui reliquias, ne perirent, teſtamento legavit, edita ſunt. Fridericus II. Daniæ Rex ipſi Huenam Inſulam, multum è mari extantem conceſſit, facto ea de re decreto, ut ibi Philoſophiæ ſtudiis, & inprimis aſtrorum contemplationi invigilaret. Vnde Tycho, extructa ibi anno 1576. arce inſigni Vraniburgo, ea opera perfecit, quæ maximum ei nomen, & aſtronomiæ non exigua incrementa addidere. Vid. *Pontan. Chronograph. Daniæ p.* 729. *Thuanus libr.* 126. ad annum 1601. Vita ejus ſcripta eſt à *P. Gaſſendo.*

A. C. 1595. REINERVS REINECCIVS. Fuit ille patria Steinheimenſis, qui *Syntagmate genealogico & hiſtorico*, ſumma diligentia ac fide concinnato, aliiſque ſcriptis magnam gratiam ab ſtudioſis inivit, & literas diu in Academia Julia profeſſus eſt Verba hæc ſunt *Thuani libr.* 113. ad annum 1595. qui Reineccio emortualis fuit. *Syntagma* ejus *Hiſtoriæ Juliæ* acerba auctoris morte, quantum ad ultimam partem attinet, interruptum eſt, de quo perquàm honorificè judicat *Boecler. Diſſert. de Vtil. ex Hiſtor. Vniv. contextu capienda.*

A. C. 1600. DAVID CHYTRÆVS *obiit.* Suevus hic fuit patria, & poſtea in Roſtochienſi Academia Profeſſor, Theologus & Hiſtoricus, utrobique ſcriptis in publicum editis celeberrimus. Sunt autem ſcripta ejus partim theologica, in quibus Commentarii

in varios S. Scripturæ libros; aliique libri dogmatici; partim Hiſtorica & Chronologica. Inter Hiſtorica eſt ejus *Saxonia*, opus egregium, laudatum inprimis à *Boeclero*, rigido alioqui talium cenſore, in *Diſſert. de Vtilitate ex Hiſtoria Vniv. contextu capienda.* Alia judicia de eodem vid. in *Neuij Acceſſion. ad WhearumPart. II.* ubi deHiſtoricis particularibus. Orditur eam Hiſtoriam ab anno 1500. & ad annum 1599. perducit. Eſt & hic referenda *Hiſtoria Aug. Confeſſionis*, & cætera, quæ longum eſſet enumerare. *Vita D. Chytræi à variis ſcripta* prodiit Roſtochii apud Laurent. Albert. 1602. in 4. De eo *Thuan. libr. 126. ad annum 1601.* Vid. etiam *Reimmann. Hiſtor. Literar. German. Contin. libr. 2. Sect. 3. Quæſt. 234.*

TAB. XXVIII. & SEC. XVII.

Vltimi hujus Seculi res pluribus Tabulis exponuntur, tum propter rerum ubertatem, tum quod noſtris temporibus propiora etiam ſpecialiùs ſibi recenſenda putavit auctor: quorum tamen aliqua talia ſunt, ut indicaſſe ſufficiat, atque ob hoc ipſum prolixiori explicatione non indigent. Alioqui de uno hoc Seculo grande volumen fuerit ſcribendum. Et hæ quidem poſtremæ Tabulæ multum diſcrepant à prima earum editione in 8vo. *Obſervationibus Ruperti ad Synopſin hiſtoricam Beſoldi* annexâ, quæ vivo etiamnum *Schradero* prodiit, ad annum 1658. perducta. Sunt enim in noviſſimis editionibus adjecta, demta, immutata plurima, uti conferenti patebit.

Ad annum Seculi XVII. I. ſub REBVS IMPERII notatur

CHRISTIANVS II. ELECTOR SAXONIÆ. Pater hujus Chriſtianus I. Elector jam anno 1591. mortuus, tres filios impuberes reliquerat, ideoque adminiſtratio Electoratus & pupillorum tutela interim Friderico Wilhelmo Saxoniæ Duci commiſſa. Ex his filiis natu maximus erat Chriſtianus, qui decimum octavum jam annum ingreſſus, ipſe Electoratus Saxonici gubernationem ſuſcepit, ac per decennium geſſit, mortuus nimirum anno 1611. Succeſſorem nactus fratrem Joh. Georgium I. Vid. *Supplem. Chytræi, Strauch. Contin. Sleidani pag. 513. & 528.*

A. C. 1602. *Alba Regalis à Turcis recuperatur.* Dictum ſupra ſub rebus Rudolphi II. Vid. *Wolffg. Jægeri Hiſtor. Eccleſ. & Polit. libr.*

libr. 3. *c.* 7. ut & de eo, quod paulò poſt notatum: *Strigonium à Turcis expugnatur.*

A. C. 1604. Svichardvs Archiepiscopvs Mogvnt. Ortus ex familia Nobilium Cronebergenſium præfuit Electoratui & diœceſi annos 22. & anno 75. ætatis deceſſit, ſuccedente Georgio Friderico à Greiffenclau, ſed tantùm in triennium.

Donawerda capta. Huic ad Danubium in Suevia ſitæ Civitati ea calamitas accidit ex tali cauſa: Abbas monaſterii S. Crucis ſolenni pompa, quam proceſſionem vocant, per urbem ducta, è Civibus Evangelicæ religioni addictis, contumelia affectus erat. Ob id factum à Cæſare Imperiali proſcriptione icta Civitas, & à Maximiliano Bavaro, cui executio mandata erat, in poteſtatem redacta eſt; in eaque manſit, fruſtra in integrum reſtitui petentibus Proteſtantibus. Nec minima hæc diſſidentiæ inter Ordines Imperii occaſio fuit, quæ ſubinde aucta, denique in funeſtum Germaniæ bellum erupit. Noſtra tamen ætate, per occaſionem belli Gallo-Bavarici, Maximiliano Emanuele Electore poſt Hœchſtetenſem cladem profugo, & occupatis omnibus ejus ditionibus à Cæſare, hujus ſingulari clementia Donawerdenſes liberi pronuntiati, & in jura Civitatis Imperialis atque priſtina privilegia, quaſi poſtliminio reſtituti ſunt, decretumque hoc Cæſareum in Comitiis Ratisbonenſibus dictatum eſt, d. 9. Junii 1705. De tumultu Donawerdenſi ejusque Civitatis expugnatione vid. *Meteran. libr.* 28. *Thuan. lib.* 138. *pag.* 1304. *ſeqq.*

A. C. 1608. Matthias Rex Hvngariæ. Matthias hic Archidux Auſtriæ, Rudolphi Cæſaris frater, pace facta cum Botscajo Tranſſylvaniæ Principe, adverſus fratrem Cæſarem in Bohemiam exercitum duxit, diſcuſſurus, ut ferebatur, conſilia Hiſpanienſium, qui Ferdinando Archiduci Hungariam & reliquas ditiones Auſtriacas deſtinarent, tanquam addictiori partibus Pontificiis. Cui cùm Cæſar Rudolphus II. occurreret, tamen ante fuſum ſanguinem, pax coiit inter fratres, interventu Electoris Saxonici, ita ut Imperator regnum Hungaricum & Ducatum Auſtriæ daret Archiduci Matthiæ, eique ſubſidium mitteret contra Turcam. Atque ita Matthias factus eſt Rex Hungariæ, futurus poſt quadriennium etiam Imperator. *Piaſecius in Chron. pag.* 255. *Mauroceņus libr.* 18. *pag.* 685. *Meteran. libr.* 28. *Sethus Calviſius in Chron. Strauch. Contin. Sleidani pag.* 522. *ſeqq.*

Joachimvs Fridericvs Elector Brandebvrgicvs *obit, ſuccedit* Johannes Sigismvndvs, filius ſcil. prioris: qui eo nomine inter

inter Electores Brandeburgicos notandus eſt, quòd primus, deſerta religione Lutherana, quam pater, avus & proavus ejus profeſſi erant, Calvinianæ ſe addixit, quam Succeſſores quoque in hunc diem retinuerunt. Adminiſtrationem ditionum Brandeburgicarum filio ſuo Georgio Wilhelmo vivus tradidit, privatam ipſe vitam acturus; ſed brevi pòſt ex apoplexia deceſſit. Plura de his Electoribus vid. in *Puffendorffii Hiſtor. Brandeb.* quam quidem rebus Friderici Guilielmi ſcribendis ſpeciatim adornavit.

A. C. 1609. JOHANNES GVILIELMVS CLIVIÆ DVX *obit*, & quidem improlis. Vnde graves ortæ controverſiæ de ſucceſſione in ditiones ejus, Juliacenſem & Clivenſem Ducatum; inprimis *Joh. Sigismundo* Electore Brandeburg. & *Wolffgango Wilhelmo* Palatino-Neoburgico, ut qui ſororibus defuncti erant nati, jus ſuum in illas defendentibus, & poſſeſſionem ſtatim invadentibus: etſi Imperator terras illas in ſequeſtrum recipi juberet à Leopoldo fratre, Argentinenſi & Paſſavienſi Epiſcopo, donec ipſe rem dijudicaret: cùm interim etiam *Saxonica Domus* jam diu expectativam haberet. Tracti in partes etiam exteri, & expulſus terris illis Leopoldus Auſtriacus, ſolum Juliacum retinebat: quod tamen etiam à Mauritio Naſſovio, poſt inducias Belgicas expeditiore, & Chriſtiano Anhaltino obſeſſum, ſimulque auxiliaribus Gallorum copiis oppugnatum, deditionem fecit poſt trimeſtre. Ipſi verò Principes poſſidentes de finibus paulò poſt inter ſe contendere cœperunt, *& Neoburgicus* ſuſcepta religione Pontificia Hiſpanos, *Brandeburgicus* Belgas Confœderatos adjutores habuit, cùm nihil Imperatoris auctoritas in illa cauſa attenderetur. Nudatis per hos motus Pontificiorum molitionibus, Principes quidam Proteſtantes hinc occaſionem ceperunt Vnionis faciendæ; præſertim cùm *Donawerdenſis* & *Aquisgranenſis executiones* cauſam Proteſtantium valdè gravarent. Cui Vnioni Status Pontificii Ligam deinde oppoſuerunt: quæ ſeminaria fuerunt inſecuti belli tricennalis, quo Germania conflagravit. De Juliacenſi & Clivenſi controverſia, & exinde ſecutis motibus vid. *Meteran. libr.* 29. *Gramond. libr.* 1. *pag.* 15. *ſeq.* Addantur *Relationum Francofurtenſium rhapſodiæ* de anno 1609. & ſeqq. *Strauch. Contin. Sleidani pag.* 523. & 529.

A. C. 1612. MATTHIAS Imperator, Rudolphi fratris ut in regnis Hungariæ Bohemiæque, ſic etiam in Imperio Romano-Germanico Succeſſor fuit. Electio ejus & coronatio exhibetur apud *Goldaſt. Polit. Imperial. I*, 14. *pag.* 170. & Polit. Reichs-Händel *I*, 13. Ipſius ſub Imperio nihil quidem in Germania turbatum eſt, niſi

niſi quod factionum iſta nomina Vnionis & Ligæ adhuc durarent, & in Comitiis Ratisbonenſibus Evangelici varia gravamina exhiberent, quorum illud præcipuum erat, quòd in cauſis religionem ſpectantibus nollent in poſterum plurium ſuffragiis ſtare: qua in re illis ſatisfactum eſt. Sed tamen ſub eo Germanici belli internecini ſemina jacta ſunt, Bohemicis motibus ſe prodentibus anno Seculi 18. cùm ſua ſibi privilegia imminui Bohemi Proteſtantes quererentur ipſique Regi ſuo rebellarent, armaque pararent. De quibus poſtea. Mortuus eſt hic Imperator anno 1619. imperii 7. Scriptores ſunt *Octav. Strada*, *Meteranus libr. 30. ſeq. Henricus Spondanus in Auctario Annalium. Oſeas Schadæus in Contin. Sleidani*, *Gramond. libr. 4. Relat. Francof. Piaſecius*, *Theatrum Europæum*; quod deinceps inter præcipua monumenta ſæpius nobis erit allegandum: inprimis autem res Matthiæ & Ferdinandi II. diligenter & præclaro judicio tradit. Extat etiam noviſſimè edita Gieſſæ 1701. in 4to. *Sylloge Rerum præcipuarum tempore Matthiæ Cæſaris in Europa geſtarum, Immanuelis Weberi.*

A. C. 1613. HENRICVS JVLIVS DVX BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRG. *obit*, *ſuccedit* FRIDERICVS VLRICVS: Vterque Wolffenbütelæ reſidebat. Et quidem *Henricus Julius* is eſt, qui in Epiſcopatu Halberſtadenſi Evangelicam religionem introduxit, mortuus poſtea Pragæ, ubi tùm Cæſar erat. *Fridericus Vlricus*, filius ejus primogenitus, Princeps literis egregiè imbutus multa tulit in bello tricennali. Circuli Inferioris Saxonici exercitu victo ad Lutteram, (de quo ſuo loco) reconciliatus quidem Cæſari fuit, ſed poſtea denuò in partes Suecorum concedere coactus eſt. Fracto crure ex lapſu ab equo mortuus eſt. Ab eodem

A.C.1615. BRVNSVIGA *obſidetur*.Cui quidemCivitati hactenus imedietatem Imperii ſibi aſſerenti, (vid. *Gaſtel de Statu Europæ fol.* 118 & *Knipſchild lib* 4. *cap.* 1. *num.* 25.) jam ante Henricus Julius pater ejus imminebat, ſed auctoritate Cæſaris Rudolphi II. ab incepto deſiſtere coactus Qua de re *Thuanus libr.* 133. Denuo ergo filius eandem ſibi ſubjicere tentavit: neque veò plus effecit, quàm ut poſt quadrimeſtrem obſidionem inde diſcederet: ita tamen, ut cives ad homagium ipſi præſtandum ſe obligarent. Anno demum 1671. Rudolphus Auguſtus Civitatem ſibi ſubjecit: ut ſuo loco dicetur. *Rhapſodia Relationum Francof. ſub hoc anno. Strauch. Continuat. Sleidani pag.* 515. *&* 532. *Cluver. Epit. Hiſtor. p.* 855.

A. C. 1617. FERDINANDVS *creatur Rex Bohemiæ.* Hunc conſanguineum ſuum, quippe Ferdinandi I. Imperatoris & Annæ, Bo-

Digitized by Google

hemiæ heredis, ex filio Carolo nepotem, Matthias Imperator improlis cùm eſſet, adoptavit, & quòd propter ſenectutis infirmitates non multum vitæ ſibi ſupereſſe cerneret, vivus etiamnum in regno Bohemiæ ſibi Succeſſorem, conſenſu Fratrum & totius Domûs Auſtriacæ, conſtituit, conventu provinciali Pragam indicto: in quo Ordines Regni Bohemiæ, in Regem ſe accipere eundem, ſolenniter profeſſi ſunt, & poſtea coronarunt: ea tàmen conditione, ut usque ad mortem Cæſaris regimine abſtineret, & coronatus Rex Bohemiæ appellaretur. Vid. *Lundorp. Act. Part. 1. cap. 4. & 5. Guilielm. Lamormainus in Vita Ferdinandi II. Theatr. Europ. Tom. 1. fol. 16.* Quæ mox turbæ inſecutæ ſint, rejecto à Bohemis Ferdinando, & Friderico V. in Regem electo, unde belli tricennalis initium, ſub ſequenti lemmate dicetur.

A. C. 1618. PRÆCIPITATIO PRAGENSIS 13. *Maji.* qui actus etiam *Defeneſtratio* dici conſuevit, & geminum exemplum Pragæ habuit, prius anno 1419. die 30. Julii, cùm Ziſcæ, ut creditur, conſilio, ex curiâ Novæ Vrbis Pragenſis Conſules unà cum Vrbis Judice à plebe tumultuante dejecti ſunt: poſterius hoc, quo tempore Bohemi Evangelici, qui Status ſub utraque vocantur, conventum Pragæ celebrarunt in arce partis minoris, ſeu Collegio Carolino. Ibi ergo Status ſub utraque ſuas de infractis literis majeſtatis, à Rudolpho II. ſibi conceſſis, querelas & gravamina conſiliariis atque officialibus regni, quos Cæſar diſcedens Pragæ reliquerat, expoſuerunt; cumque his reluctaretur *Wilhelmus Baro de Slabata*, Superior Judicii Provincialis Præfectus, & *Jaroslaus Smeſansky Comes Martinizius*, eos in Cancellariam abductos unà cum Secretario *M. Philippo Fabricio* (ita vocat *Theatrum Europæum*, ſed *Lundorpius* Michnam, *Strauchius* Platterum) è feneſtrâ in ſubjectam foſſam præcipites dederunt; quo tamen caſu nullus dejectorum periit. Hujus rei monumentum adhuc viſuntur Pragæ duæ pyramides eo loco erectæ, cum ſuis inſcriptionibus, quas exhibet *Beimann. Hiſtor. Orb. Terr. cap. 6. Part. 1. pag. 204.* Et Bohemi quidem ſcriptâ ad Cæſarem apologiâ ſe exculpare conati ſunt: interim tamen quòd intelligerent, graviter his offenſum Cæſarem, factâ confœderatione, Regis ſui, religionis & majeſtaticarum literarum hoſtibus bellum indixerunt, & duce *Matthia Comite Turriano*, non contemnendas equitum peditumque copias conſcripſerunt. Sicut hæc omnia prolixius memorantur in *Theatr. Europ. Tom. 1. fol. 16. ſeqq. Lundorp. Act. Part. 1. cap. 8. & ſeqq.* Hinc ergo factum eſt

INITIVM BELLI TRICENNALIS, cùm & Cæſar & Rex Ferdinandus

dus arma pararent, & ducibus Henrico Julio Lauenburgico, Henrico Tampierio & Comite Bucquoio aliisque in Bohemos moverent: qui ſecutâ interim morte Matthiæ, Ferdinandum Regem abnuentes, Daniæ Regi *Chriſtiano IV.* & Saxoniæ Electori *Johanni Georgio I.* regni faſces detulerunt; ſed his recuſantibus, tandem *Fridericus V. Palatinus Rheni & Elector*, gener Jacobi Regis M. Britanniæ, regnum oblatum accepit. Natum hinc bellum totam paulatim Germaniam traxit, ſubinde aliis atque aliis in partes venientibus: quod nonniſi poſt 30. annos pace Weſtphalicâ finitum eſt. Scripſerunt hoc bellum, ſed diverſis affectibus, multi, inter quos præcipuus eſt *Puffendorffius*, cujus eſt opus *de rebus Suecicis*, item *Brachelius* à *Thuldeno* continuatus, *Waſſenbergius*, *Caraffa*, *Chemnitius*, *Baptiſta Burgus & Anonymus* quidam, &c. quibus addantur *Acta belli Bohemici*, *Theatrum Europæum*, *Relationum Francofurtenſium rhapſodiæ.*

FERDINANDVS *Rex Hungariæ.* Sicut Bohemiæ regno ante mortem ſuam de Succeſſore proſpexerat Matthias, ita eadem providentia coronam quoque Hungaricam in Ferdinandum vivus contulit, nequa poſt ipſius exceſſum controverſia ei moveretur. Sed id tamen cavere non potuit. Nam & Hungariæ Proceres Evangelici, recuſato Ferdinando, ad Bethlenium Gaborem Transſylvaniæ Principem confugerunt: qui dum regno imminet, Turcorum & Hungarorum auxiliis adjutus, pleraſque urbes recepit, & pace cum Ferdinando ſemel iterumque facta, cùm ſubinde bellum renovaret, morte tandem ſuâ Ferdinando pacatum regnum reliquit. Vid. *Lamormain. in Vita Ferdinandi II.* & Scriptores paulò ante laudati.

A. C. 1619. FERDINANDVS II. IMPERATOR, cùm jam ante à Matthia Cæſare Rex Bohemiæ & Hungariæ, tanquam hereditaria ſucceſſione deſignatus eſſet, ut diximus, etiam Imperium Romano-Germanicum, poſt hujus mortem vacuum relictum, accepit, Francofurti electus à Collegio Electorum, Bohemis, ne ad hoc Ferdinandus tanquam Rex Bohemiæ admitteretur, fruſtra repugnantibus. Hic perpetuo bello implicitus, pacem toto Imperii ſui tempore non habuit. Nam cùm Bohemi Fridericum Palatinum coronaſſent, contra eum copiis ſuis & Maximiliani Bavariæ Ducis movit, dum interim Saxoniæ Elector in Luſatiam impetum facit, & Spinola dux Hiſpanicus ex Belgio in Palatinatum copias ducit. Palatinum non Bohemia tantùm, ſed & hereditariis ditionibus omnibus expulit: etſi copiæ Vnionis, ducibus Mansfeldio, Marchione Badenſi, & Chriſtiano Brunſvicenſi, Anglico auxilio &

pecunia adjutis, diu adhuc afflictas partes ſuſtentare conarentur. In ſumma tamen victor Ferdinandus copiis ſuis univerſam Germaniam inundavit; Fridericum Palatinum proſcripſit; Septemviratum unà cum Superiore Palatinatu in Maximilianum Bavarum contulit. Pro Friderico reconciliando Socer ejus Jacobus Britanniæ Rex ſedulò quidem laboravit, ſed nihil potuit efficere. Bohemi ſuppliciis, exiliis, libertatis & religionis jactura multati ſunt. Pro eodem Palatino Daniæ quoque Rex & Saxonicus Inferior Circulus arma ceperunt; quanquam verior cauſa fuit, quòd Circulum Saxonicum militaribus hoſpitiis citra neceſſitatem opprimi ſentirent. Sed belli hujus idem, qui prioris, eventus fuit. Victor Ferdinandus ad iniquas pacis conditiones Regem & Fœderatos ei Principes adegit; quæ pax Lubecæ vix confecta eſt, cùm Sueci potentiam Auſtriacam ſuſpectam habentes, pecunia adjuti Gallica, prætextu tamen oppreſſæ religionis Evangelicæ & Germaniæ libertatis, in arenam & ipſi deſcenderunt; & à Pomeraniæ urbe Stralſunda incipientes, cum victoria indies ulterius progreſſi, eo tempore quo Cæſar edictum de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis, quæ poſt Paſſavienſem transactionem occupata erant, militari manu in Saxonia exequi conabatur, eodem venerunt, fœdereque illigati cum Electoribus Saxone & Brandeburgico, partis ſubinde alia ex alia victoriis, omnem propè Germaniam in ſuam poteſtatem redegerunt, dum Saxo interim Bohemiam invaderet, eàque ferè totâ potiretur. Eademque partium fortuna fuit etiam poſt mortem Regis, usque ad annum 1634. quo afflictis Nerolingenſi clade Evangelicorum partibus, & ſequuta pacificatione Pragenſi, Rex Galliæ apertè in partes Evangelico-Suecicas conceſſit, copiisque ſuis ſeorſim Cæſarem & Hiſpanum non in Belgio ſolùm & Catalonia Italiaque, ſed & in Germania impugnavit. Suecos, qui duce Banerio usque in Pomeraniam receſſerant, in Germania adhuc adjuverunt Haſſiæ Caſſellenſis Landgravia & Dux Brunſuicenſis. Poſt Pragenſem pacem confectam, in mediis turbis Imperator filium ſuum Ferdinandum III. Romanorum Regem creari curavit, contra quam electionem deinde proteſtati ſunt Elector Trevirenſis, tùm Viennæ captivus, & Carolus Ludovicus, Friderici V. Palatini, Bohemiæ Regis electi, filius, tunc adhuc exul. Ipſe enim Fridericus eodem anno, quo Guſtavus Adolphus in prælio occubuit, fato ſuo functus eſt; qui annus Sigismundo quoque Poloniæ Regi fatalis fuit. Imperator verò filii coronationi non diu ſuperſtes anno 1637. deceſſit, imperii, quod inquietum accepit ac turbatiſſimum reliquit, decimo

octavo.

octavo. Conſulatur *Guilielmus Lamormainus in Vita Ferdinandi II. Theatr. Europ. Caraffa de Bello Germanorum, Brachelius, Baptiſta Burgus, Gramondus libr. 4. Piaſecii Hiſtor. Polon. Strauch. Continuat. Sleidani*, & alii, quos nominat *Neu in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. p.* 188.

CLADES EXERCITVVM

utrinque acceptæ in bello tricennali deinceps ſpeciatim recenſentur, & primùm quidem

A. C. 1620. ANTI - CÆSAREI *ad Pragam* 8. *Nov.* Commiſſum eſt prælium hoc planè decretorium in Albo monte propè Pragam Bohemiæ metropolin, inter Cæſareanos ſub duce Bucquoio & Bavaros duce Tyllio ex una parte, & Friderici Palatini copias, ex Bohemis, Hungaris & Germanis conflatas, ex altera, quarum dux erat Chriſtianus Anhaltinus; eo eventu, ut Palatini exercitus Cæſareorum vim non ſuſtinens, initio fugæ ab Hungaris facto, omnino profligaretur, & caſtris exueretur, multis millibus cæſis, amiſſisque omnibus tormentis atque impedimentis. Accepta hac clade Rex ipſe Palatinus, neglecta regni corona & archivo, cum uxore, liberis & ſupellectile ſua Pragâ fugiens, Breslaviam Sileſiæ abiit; urbs verò ſe Cæſari ſubmiſit. Deſcriptio hujus pugnæ petenda ex *Theatri Europæi Tom. I. Relatione Francofurtenſi ad hunc annum*, & Scriptoribus belli tricennalis ſupra laudatis. Add. *Jegeri Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Decenn.* 2. *libr.* 10. *cap.* 4. In eo loco, ubi commiſſum eſt prælium, Imperator Ferdinandus poſtea magnificum templum extrui fecit

A. C. 1622. CÆSAREI AD HAGENOAM. Ceperat Hagenoam in Alſatia Comes Mansfeldius circa initium hujus anni: quam quod magni intererat Cæſaris recuperari, poſt diſceſſum Mansfeldii Leopoldus Auſtriacus, Cæſaris frater, cum exercitu Alſatiam ingreſſus, magna vi oppugnabat. Laboranti civitati ſuppetias laturus Mansfeldius advolat, & non exiguâ clade affectum ſolvere obſidionem, & turpiter fugere cogit. Specialior hujus prælii hiſtoria petenda ex *Theatri Europæi Tom. I. fol.* 720. Sed prior tempore fuit clades Bavarici exercitûs *ad Mingelshemium*, quippe quæ in medium Aprilis, illa verò ad Hagenoam in Majum incidit. Hic itidem à Mansfeldio (cujus in caſtris tunc etiam Fridericus Palatinus erat) victi Bavari Tyllio duce, ad 2000. ſuorum amiſerunt, 4. tormenta, 13. vexilla equitum & 4. peditum hoſtibus relinquere coacti. vid. *Theatr. Europ. Tom. I. fol.* 718. & reliqui belli hujus Scriptores.

Digitized by Google

Sed hæc jactura paulò poſt penſata eſt majore clade exercitûs ANTI-CÆSAREI *ad Wimphenam 7. Maji* ſub Marchione Bada-Durlaceno, qui & ipſe Palatini partes fovebat. Hunc Tyllius, cui ſe paulò ante Ferdinandus de Corduba cum Hiſpanicis auxiliis conjunxerat, propè Wimphenam oppidum ad Nicrum amnem ſitum aggreſſus, cùm & numero copiarum ſuperior eſſet, & calamitas ex illato in pulverem pyrium igne aciem pugnantium turbaſſet, cruento prælio vicit, caſtrisque penitus exuit. *Theatr. Europ. fol. 719. &c.*

AD MOENVM verò prope Hőchſt oppidum eodem anno 9. Junii, exercitus qui ſub Chriſtiano Duce Brunſuicenſi erat, eandem fortunam expertus eſt: quippe à Ligiſticis cæſus, magnum ſuorum numerum in acie & in fuga, quos Mœnus amnis hauſit, cum omnibus impedimentis amiſit. *Theatr. Europ. fol. 727.* &c.

CÆSAREI AD FLERV 19. *Aug.* Ferdinando Corduba duce, qui Mansfeldio & Chriſtiano Brunſuicenſi, cum ſuis copiis ad Fœderatos Belgas tendentibus, in finibus Brabantiæ ſe oppoſuit. Sed res ſecus ceſſit. Nam victus non vulgari virtute hoſtium, qui Hiſpanorum & Neapolitanorum aciem aliquoties incredibili audacia perfregerunt, amiſſis ſuorum multis millibus, locum illis tandem dare coactus eſt. Et hi deinde nullo impediente, in caſtra Mauritii Naſſovii, Hiſpanos ab obſidione Bergæ ad Somam depulſuri, pervenerunt. *Theatr. Europ. fol. 758. &c.*

A. C. 1623. ANTI-CÆSAREI AD STATLOHVM. Oppidum hoc eſt in Weſtphalia in diœceſi Monaſterienſi: ubi à Tyllio cum copiis Ligiſticis contra Chriſtiani Brunſuicenſis exercitum biduo toto pugnatum eſt d. 5. & 6. Auguſti. Brunſuicenſibus per 8. aditus, hoſtium perſequentium impetum fruſtra remorari conantibus. Nam victi ad extremum, aliquot millibus ſuorum occiſis & pluribus captis, tormenta cum impedimentis omnibus hoſti relinquere coacti ſunt. *Theatr. Europ. Tom. 1. fol. 845. &c.*

CÆSAREI IN HVNGARIA, ubi Bethlenius Gabor cum ſuis Hungaris & auxiliis Turcicis caſtra Cæſareanorum, qui viribus inferiores erant, obſedit, nec parùm detrimenti illis attulit: quanquam juſto prælio non eſt decertatum. Denique induciis factis diſceſſit. *Theatr. Europ. fol. 859.*

A. C. 1625. AD NIENBVRG 27. *Aug.* Cùm Tyllius Nienburgum, Lunæburgicæ ditionis oppidum, flagrante tunc bello cum Rege Daniæ & Inferioris Saxoniæ Circulo, obſidione premeret, Danicas copias commeatum introducturas aggreſſus eſt, ſed cum clade repulſus, multos ſuorum amiſit. *Theatr. Europ. Tom. I. fol. 973. &c.*

Neque

Neque tamen hæc inter capitales pugnas recenſenda eſt. Reliquas clades exercituum, ſequenti Tabulâ notatas, eousque differimus.

Nunc ad RES ECCLESIÆ progrediendum eſt.

A. C. 1601. COLLOQVIVM RATISBONENSE, auſpiciis Maximiliani Bavariæ Ducis & Philippi Ludovici Palatini Neoburgici habitum eſt, inter Doctores Ægidium Hunnium, Heilbronnerum, Rungium &c. Theologos Lutheranos, ex una; Gretſerum, Hungerum, Tannerum &c. Jeſuitas, ex altera parte, ſuper principiis fidei & Judice controverſiarum: Jeſuitis, hæc talia in quæſtionem deducentibus, ne cogerentur è Scripturis de fidei articulis controverſis diſputare. Quæſitum igitur, quinam libri ſint Canonici? quis idoneus eorum interpres? quis infallibilis Proponens? an S. Scriptura ſufficiat omnibus fidei cauſis decidendis. Videantur *Acta* Latinè & Germanicè edita, Ingolſtadii & Witebergæ impreſſa. Item *Narrationes Hiſtoricæ de iſto Colloquio à D. Hunnio Rungioque ſcriptæ.* Add. *Thuan. libr. 126. Tom. 5. p. m. 962.*

A. C. 1605. CLEMENTI VIII. *Pontifici Romano ſuccedit* LEO XI. *& huic* PAVLVS V. Prenſabant quidem etiam alii Papalem dignitatem, inter quos *Cæſari Baronio*, Celebri Annalium Scriptori, ne eligeretur, Hiſpanorum invidia obfuit, quòd ille *Annalium Tom. X.* negaſſet, talia eſſe Hiſpanorum Regum in Siciliam jura, qualia ſibi illi arrogant. *Robertus* verò *Bellarminus*, paris famæ Cardinalis, Montaltana factione excluſus eſt; unde factum, ut *Alexander Medicæus* fuerit electus ſeptuagenarius ſenex, qui LEONIS XI. aſſumto nomine vigeſimo quinto poſt electionem die moritur. Electus igitur *Camillus Borgeſius*, *Senenſis*, qui PAVLI V. titulum adoptavit. *Thuan. libr. 134. princ.*

A. C. 1606. VENETI EXCOMMVNICANTVR, à Paulo V. Pontifice. Quòd enim leges quasdam majorum renovaverant, quibus cavebatur, ne liceret absque Senatûs conſenſu templa nova aut cœnobia exſtruere, clericisque fundos donare ac immobilia bona, inque carcerem nonnullos Sacerdotes flagitiis infames miſerant, Jeſuitis hæc talia accuratè Romam perſcribentibus, Paulus Venetorum cùm urbi tùm ditioni ſacris interdixit. Poſt multas deinde calami & armorum concertationes, vix tandem reconciliati Pontifici ſunt, interventu Regis Galliarum. Pro Pontifice tunc ſcripſerunt *Baronius* & *Bellarminus*; Venetorum jura cordatis ſcriptis defendit *Paulus Servita*, Monachus, & præter eum *Joh. Marſilius.* Jeſuitis territorio Veneto interdictum, etiam poſt pacem factam, nec ante quadrageſimum

ſimum

Digitized by Google

ſimum ab emigratione eorum annum ſunt revocati. Videatur prolixè de his diſſidiis agens *Thuanus libr.* 137. Add. *Anton. Mauroc en. Hiſt. Venet. Jul. Cæſaris Bulengeri Hiſt. libr.* 12.

A. C. 1607. Academia Giessena *conditur.* Factum id per occaſionem Calviniſmi in Haſſia introducti. Quippe Mauritius Landgravius Haſſo-Caſſellanus, princeps alioquin inter doctiſſimos numerandus, dudum Calviniſmi ſtudioſus, biennio ante Marpurgo expulerat Joh. Winckelmannum, Balth. Menzerum, aliosque Aug. Confeſſionis propugnatores, ſubrogatis ſuæ religionis Doctoribus, dejectisque templorum imaginibus, & imperatà in adminiſtratione Cœnæ Dominicæ panis fractione. Hoc verò anno Seculi ſeptimo, Academiam Gieſſæ, quæ civitas tunc ad Caſſellanum pertinebat, inſtituit, in qua eadem doctrina propagaretur. *Strauch. Contin. Sleid. pag.* 520.

A. C. 1609. Rudolphus Imperator, Bohemis et Silesiis literas majestatis concedit. Has literas majeſtatis Proteſtantes in Bohemia & Sileſia tandem magno negotio obtinuerunt à Rudolpho; eam rem non parùm promoventibus diſcordiis inter fratres Matthiam & Rudolphum, cùm hic ſolicitus, ne à ſubditis deſereretur, faciliùs illorum precibus deferret, præſertim Electore Saxonico intercedente. Per has literas majeſtatis liberum religionis exercitium & exſtruendorum templorum facultas iis conceſſa eſt Ea privilegia Matthias poſteà inſtinctu Pontificis conatus eſt revocare: ut tamen ipſe quoque ea confirmaret, pervicerunt ſubditi, dum alio pacto fidelitatem jurare recuſant. Et iſtas quidem literas cùm labefactari poſtmodum ſentirent Bohemi, iis, de quibus jam diximus, bellis occaſio data eſt, totius Germaniæ vaſtationem poſt ſe tracturis. Exhibentur hæ literæ majeſtatis à *Lundorpio Part. I. c.* 24. *p.* 71. *ſeqq.* & in *Theatri Europæi Tom.* 1. *pag.* 7. *ſeqq.* unde, quæ circa hanc rem acta ſunt, peti poſſunt.

Valentinus Weigelius *nova Sectæ Autor.* Erat hic Weigelius Tſchopæ in Miſnia Paſtor, qui præter *Poſtill:* ſcripſit *Philoſophiam myſticam* & *Aſtrologiam theologizatam*, multum tribuens contemplationibus phyſicis, adeoque lumini naturæ etiam in Theologia. De dogmatibus ejus & Sectatoribus nonnullis, qui hodieque Weigeliani vocantur, vid. *Hiſtor. Eccleſ. Goth. libr.* 2. *cap.* 5. *Sect.* 2. *p.* 795. ubi etiam de Socinianorum & Arminianorum Sectis per hæc ipſa tempora exortis: de quibus miror tacuiſſe Chronologum noſtrum. Plura de Valentino Weigelio ejusque dogmatibus *Hartnaccius in Continuatione Hiſtor. Eccleſ. Micrælii, Part.* 1. *Art.* 3. *pag.* 1384. *ſeqq.* & talibus

addictior

Digitized by Google

addictior *Arnoldus Hiſtor. Eccleſ. & Haret. Part.2. libr.17. cap.17. & Part.3. cap.1.*

A. C. 1614. GRONINGENSIS ACADEMIA *aperitur* in Occidentali Friſia; de cujus inſtitutione atque introductione vid. *Vbbo Emmius*, (qui primus ejus Rector fuit) in *Annal. Friſia.* Item *Godfridi Hegenitii Itinerarium Friſico-Hollandicum.*

A. C. 1617. JVBILÆVS EVANGELICORVM *in Germania*, in memoriam Reformationis Eccleſiæ ante centum abhinc annos miniſterio Lutheri coeptæ, celebratus eſt in omnibus locis, quibus Auguſt. Confeſſio recepta fuit. Quod Pontificios, alioqui ſatis jam infenſos Lutheranis, malè habuit: qui jam tum meditabantur conſilia de minuendis deſtruendisque Evangelicorum viribus. Et ei rei claſſicum cecinit Paulus V. P. M. & ipſe ſuis Jubilæum promulgans, qui (ut habet Indictionis diploma) hæreticorum, ita Evangelicos vocat, everſionem & concordiam Principum Pontifici addictorum intendit. De Jubilæo Evangelico videantur *Acta à Saxonicis, Argentoratenſibus & aliis edita. Weckii Chron. pag.320. ſeqq.* Add. *Chriſtian. Juncker in Vita Lutheri nummis illuſtrata. pag.284. ſeqq.* ubi etiam nummorum ſecularium variis in locis cuſorum icones exhibet.

BEARNIA & BOHEMIA *ob religionem affliguntur.* Bearnia ſeu Benearnenſis Ducatus ad Navarræ regnum pertinebat, è quo totos jam 60. annos Papiſmus prorſus exulaverat, à Johannâ Labretanâ, Ludovici XIII. Regis aviâ exactus. Illam igitur provinciam, hactenus à Galliæ regno ſeparatam, licet eundem Principem haberet, uniri Galliæ legibus & religione Cardinalis Richelius, qui regni negotia ferè ſolus regebat, ſuaſit: idque factum, nequicquam reluctantibus Benearnenſibus, ac reſtituta Pontificiis eccleſiaſtica bona, miſſarum ſolennia introducta, templa repurgata, quaſi quæ profanata fuiſſent. Conceſſa tamen eſt de cætero religionis libertas, ipſisque paſtoribus à Rege conſtituta ſalaria, qui pridem de bonis eccleſiaſticis vixerant. Cùm cæteri in Gallia Proteſtantes hoc exemplum ad ſe quoque pertinere arbitrarentur, Synodo habitâ, Benearnenſibus opem ferre decreverunt. Inde conflatum eſt bellum, quod in expugnationem Rupellæ deſiit; & pax ad arbitrium victoris data, cum qualicunque religionis libertate; potentia & præſidia cuncta Reformatis erepta ſunt. Quæ omnia *Gramondus libr.3. pag.193. ſeqq.* & *libr.6.* ac deinceps prolixè exequitur, ſed in Sectarios, quos vocat, præter hiſtorici modum acerbus. *Theatr. Europ. Tom.1. pag.* 484. Par ferè cum Benearnenſibus fatum habuerunt Bohemi, qui per hæc tempora de læsâ libertate religionis ſibi per Literas Majeſtaticas conceſsâ, & imminu-

Digitized by Google

tis aut alienâ interpretatione affectis privilegiis querebantur, adeoque illorum defenſioni ſe præparabant: quæ res in ſæpius memoratum bellum erupit, quod deinde magnam partem Europæ involvit: ipſis tamen Bohemis perniocioſiſſimum fuit, qui ea ipſa, pro quibus pugnabant, privilegia, & libertatem religionis prorſus amiſerunt. *Theatrum Europæum. Lundorpii Acta.*

A. C. 1619. *Synodus Dordrechtana* decreto Ordinum Fœderati Belgii inſtituta eſt ob Arminianiſmum, qui in illis provinciis invaluerat, auctore *Jac. Arminio*, in Academia Leidenſi Profeſſore Theologo, qui ſeceſſionem à cæteris Calvinianis fecit, in V. Capitulis cum Lutheranis ſentiens, dum interim reliquos Calvinianos errores retineret, in quibusdam etiam ab utriſque diſcederet. Dogmata Arminii, quibus Sectatores ejus poſtea (nam ipſe anno Seculi IX. mortuus eſt) multas alias opiniones adjecerunt, partim recenſentur in *Hiſtor. Eccleſ. Goth. libr. 2. cap. 5. Sect. 2. pag. 795. ſeqq.* Cùm interim Arminiani (qui & Remonſtrantes dicti à libello, cui nomen erat *Remonſtrantur*, Ordinibus Hollandiæ oblatum) multos haberent defenſores, multos etiam oppugnatores, unde non exiguæ turbæ in illis provinciis exortæ; Dordraci tandem Synodus eſt inſtituta, in qua à congregatis Reformatorum è Galliis, Angliâ, Germaniâ, Helvetiâ, Belgio Theologis, Arminiani condemnati & proſcripti ſunt. Vid. *Hiſtor. Eccleſ. Goth. l. c.* & *Strauch. Contin. Sleidani pag. 510.* quique hic & illic citantur Scriptores: quibus add. *Theatrum Europ. Tom. I. pag. 308. ſeq. Jageri Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Decenn. 2. libr. 9. cap. 8. Arnoldi Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. Part. 2. libr. 17. cap. 4. pag. 459.* & de Arminianis ſeu Remonſtrantibus *ibid. cap. 8. pag. 503.* & *Part. 4. Sect. 3. num. 7.* Alios qui de Remonſtrantibus ſcripſerunt, indicat *Möllerus in præfatione, Tomo I. Polyhiſtoris Morhoffiani præfixa, pag. 23.* & de Synodo Dordracenâ *Buddeus in Lex Hiſtor. Univerſ.*

A. C. 1621. Gregorius XV. *P. R.* dictus prius *Alexander Ludoviſius*, Bononienſis, Paulo V. in Sede Papali ſucceſſit, ſed parùm ultra biennium eam obtinuit, anno 1623. mortuus. *Gramond. libr. 8. pag. 387.* & *libr. 13. pag. 592.* Acta hujus Pontificis circa controverſiam inter Dominicanos & Franciſcanos agitatam de immaculata conceptione B. Virginis, item, novorum quorundam S. S. interque eos Ignatii Lojolæ conditoris, & Franc. Xaverii, Apoſtoli Societatis Jeſu ad Indos, ab eo promulgatæ canonizationes &c. videantur in *Luc. Waddingi Legation. Hiſpan. deſcript.* Add. *Franc. Carriere Vit. Gregorii XV.*

Academia Rintelenſis *inauguratur.* Eodem anno, quo Argentinenſis

tinenſis Academia, à Ferdinando II. pleniſſima Vniverſitatis privilegia accepit, etiam Rintelenſis in Comitatu Schaumburgico Academia inaugurata fuit, 7. Julii, quam, conceſſis ab Imper. privilegiis & immunitatibus, Erneſtus Comes Schaumburg. reditibus dotavit. Vid. *Calviſ. pag.* 987. *Vbſe Hiſtor. Eccleſ. pag.* 371.

A. C. 1622. *& ſeqq.* AVSTRIACI, MORAVI, SILESII *&* BOHEMI *ad Pontificiam religionem compelluntur.* Ferdinandus Imper. profligatis ubique Palatini partibus victor ad religionem evangelicam ſuis ditionibus omnino eliminandam animum adjecit. Auſtriaci igitur, Moravi, Sileſii, Bohemi per hæc tempora tantâ perſecutionis ſævitiâ adacti ſunt ad ejurandum Evangelium, ut parùm illa abeſſet ab Albani crudelitate. Qua de re querelæ publicis ſcriptis tùm in vulgus editæ teſtantur: nec quicquam profuit Sileſiis, quòd, cùm ultrò ad officium rediiſſent, de religionis libertate à Cæſare ipſis cautum fuit: neque valuerunt interceſſiones Electoris Saxonici, aliorumque Principum Evangelicorum, quò minus Cæſar, cujus aures ſolis Jeſuitis patebant, in propoſito perſiſteret. Hoc igitur Ferdinandi Zelo centies centena millia hominum ad Eccleſiæ Rom. gremium fuiſſe revocata, gloriatur *Lamormainus in ejus Vitâ.* Videantur de his perſecutionibus, præter Scripta ſeorſim publicata, *Theatr. Europ. Tom. I. pag.* 748. 862. *&c.* & *Relat. Francof. paſſim ad hos annos.*

A. C. 1623. VRBANVS *VIII. P. R. Maffeus Barberinus* prius dictus, patria Senenſis, Gregorio XV. ſucceſſit, doctrinâ & Poëtices etiam ſtudio inſignis. Sedit 21 annos, paucis diebus minus. Extat *Vita Vrbani VIII.* Vid. & *Gramond. libr.* 13. *pag.* 592. *ſeqq. Buddeus in Lex. Hiſtor. Vniverſ.* Impenſè mihi placuit tetraſtichon, à neſcio quo, ingenioſo ſaltem, Poeta factum, de recens electo hoc Pontifice, cujus favorem Galli ſibi tùm promittebant contra Hiſpanos. Alluditur in eo ad Apes in Vrbani Inſignibus: ubi Gallus ait:

Gallis mella dabunt, Hiſpanis ſpicula figent.
Hiſpanus reſpondet:
Spicula ſi figent, emorientur Apes.
Intercedit Italus:
Cunctis mella dabit, nulli ſua ſpicula figet:
Spicula nam princeps figere neſcit Apum.

A. C. 1628. *Reformatorum ultimi conatus fracti* EXPVGNATA RVPELLA 29. *Octobr.* Cum Reformatis in Gallia poſt primam defectionem, ab anno 1621. tractum hucusque bellum fuit, quo durante Rex munitionibus, urbibus, receptaculis Reformatorum ultra centum

 tum

Digitized by Google

tum in poteſtatem redactis, tandem Richelii Cardinalis conſilio pariter atque adminiſtratione uſus, ultimum eorum aſylum Rupellam poſt diutinam obſidionem, tandem fame ſubegit. Memorabilis hæc obſidio fuit propter moles inprimis in mari jactas cohibendo Oceano, nec non propter obſeſſorum conſtantiam, qui nonniſi poſt extremam bulimiam ſe dediderunt. Hiſtoria obſidionis hujus petenda præcipuè ex *Gramondo libr.* 18.

Quæ ſub titulo VARIORUM in hac Tabella memorantur, hæc ſunt:

A. C. 1601. CAROLUS SUECIÆ REX *creatur*, IX. hujus nominis, excluſo ſcilicet Sigiſmundo, qui vivente adhuc patre Johanne Rex Poloniæ factus, religionem Pontificiam amplexus erat: mortuo verò Johanne regnum quoque Sueciæ hereditario jure adierat. Carolus verò Sudermanniæ Dux, patruus Sigismundi, per abſentiam ejus regnum adminiſtrabat, jam tum anno 1593. ſolenniter Gubernator à Senatu Suecico conſtitutus. Cujus cùm auctoritas in Sueciâ major eſſet, quàm ipſius Regis, hinc orta æmulatio ſubinde in bellum erupit. Tandem anno hujus Seculi quarto, (non primo, ut perperam habet Tabula noſtra) in comitiis Norcopienſibus ab Ordinibus & Senatoribus regni Sueciæ ipſum regnum Sigiſmundo abrogatum, & in Carolum translatum eſt, ſimul unio hereditaria, jam à Guſtavo avo inſtituta, certis legibus ſancita. Videatur hac de re ſcriptum, cui titulus: *Exegeſis hiſtorica cauſas commemorans, quibus Ordines regni Suecici provocati Sigiſmundum Regem Poloniæ ejusque progeniem &c. Suecano exuerunt diademate*, quod Francofurti editum eſt anno 1617. *Joh. Typotii Relatio hiſtorica de regno Suecico & bellis civilibus atque externis.* Item, *Stanislaus Lubienſky in hiſtoria profectionis Sigiſmundi in Sueciam. Thuanus libr.* 131. *pag.* 1108. *Puffendorff. Hiſtor. Suec. & Ejusdem Contin. Introduct. ad Hiſtor. &c.*

A. C. 1602. BIRONIUS *Lutetiæ decollatur.* Erat hic Bironius Mareſchallus Franciæ, qui Regi ſuo regnoque ſtrenuam operam in bellis navaverat, optimè de utroque meritus. Sed poſtea in alia longè conſilia delapſus, colluſiſſe cum Sabaudiæ Duce, & in regem regnumque conjuraſſe, Lafinii indicio & ſuismet ſcriptis convictus, tanquam reus læſæ majeſtatis capitale ſupplicium ſubiit, in carcere Pariſino ſeu Baſtiliâ decollatus. Acta circa hanc rem prolixè narrantur à *Thuano libr.* 128. *Tom.* 5. *à pag.* 1017.

A. C.

A. C. 1603. ELISABETH ANGLIÆ REGINA *obit,ſuccedit* JACOBVS *VI.* Eliſabetha glorioſiſſima, & omnium, quæ unquam regnarunt, feliciſſima foemina, poſt 45. & amplius annos regni, 69. cum dimidio vitæ exactos, deceſſit, cujus elogium luculentiſſimum vid. apud *Thuan. libr.* 129. ad hunc annum, ubi de morte ejus. Vitam ejus & res geſtas *Cambdenus* deſcripſit. Addatur *Memoria Eliſabethæ à Verulamio condita.* Eſt & *Jac. Thomaſii* peculiaris *Diſſertatio* Lipſiæ edita, quâ *Vitam Eliſabethæ* deſcripſit. Summam quoque rerum geſtarum ejus Jacobus Rex inſigni inſcriptione, monumento ipſius in templo Weſtmonaſterienſi addita, expreſſit, quam exhibet *Becmann. in Hiſtor. Orbis Terrar. Part.* 2. *cap.* 4. *pag.* 569.

JACOBVS verò amitæ ejus pronepos, ab ipſa teſtamento deſignatus ſucceſſor, cui unanimia regni Ordinum ſuffragia conſenſerunt, poſt ipſius mortem Angliæ regnum cum regno Scotiæ conjunxit, magnæ Britanniæ Rex primus ſalutatus, Regum doctiſſimus, qui variis etiam ſcriptis editis, eruditionem ſuam teſtatus eſt: quæ omnia uno volumine comprehenſa ſub titulo *Operum regiorum* edidit *Jacobus Montacutus*, Windonienſis Epiſcopus. Alioqui lenitas ejus nimia, ſeu, ut durius alii loquuntur, mollities notatur: nihil minus certè, quàm bellicoſus fuit. Quæ res ejus exiſtimationem apud alios Reges minuit. Et in ipſa Anglia dicterium hinc natum:

Rex erat Eliſabeth, nunc eſt Regina Jacobus.

Præfuit autem regnis ſuis uſque ad annum Seculi 25. quo mortuus eſt. De eo vid. *Acta Hiſtorica regiminis Eliſabethæ & Jacobi*, Londini anno 1658. in 12. edita. Item, *Wilhelmi Sanderſonii Vita Mariæ Reginæ Scotiæ, & Jacobi Regis*, Anglice ſcripta, *Arturi Wilſoni Vita Regis Jacobi*, eadem lingua ſcripta. Quibus add. *Roberti Jonſtoni, Scoto-Britanni, Hiſtoria Rer. Britannicarum ab anno* 1572. *& initio Rerum Jacobi VI. ad annum* 1629. *&c.*

A. C. 1604. *Muhammedo ſuccedit.* ACHMET *filius* in Turcico imperio, novem annorum puer, cùm major natu juſſu parentis fuiſſet occiſus. Nunquam ante in ea familia acciderat, ut impubis ad imperium admitteretur. *Thuan. libr.* 130. *pag.* 1066.

A. C. 1606. PRODITIO PVLVERARIA *Londini*, in perniciem Jacobi Regis totiusque Parlamenti Anglicani adornata fuerat, per quam ſcilicet Domus Parlamentaria cum ipſo Rege & congregatis Parlamenti membris vi pulveris pyrii disjicienda perdendaque erat. Ea ut nulla crudelior unquam (verba ſunt *Cluveri in Epitom. Hiſtor. pag.*842.) ita haud ſcio, an quæ mirabilius aperta uſpiam legatur. Conſcele-

 ratorum

ratorum unus monuerat occultis literis Montaquilium, ne intereſſet comitiis, quæ improviſum ictum ſenſura, nec viſura percuſſorem eſſent. Id ſuſpicionem Regi ſagaci movit, ut ſubeſſe crederet periculum. Scrutati cellam curiæ ſubterraneam inveniunt 36. dolia pulveris nitrati plena. Injectæ manus Fauckio, qui ocreatus fortè ad januam adſiſtebat. Is excuſſus cùm funes cannabinos celare nequiret, ſtatim crimen prodidit Ejus peracti rei Jeſuitæ, nec pauci Magnates, partim cæſi in fuga, partim ſupplicio affecti ſunt: monſtrum horribile, antequam exiret in lucem, raro Dei beneficio in partu ſuffocatum. Rem prolixius narrat *Thuanus libr. 135. pag. 1105. ſeqq. Spondanus in Auctario Annalium Baronii*, & *Scriptores Hiſtoriæ Jacobi Regis* ſupra laudati. Extant etiam in diverſis linguis *peculiares de horrenda hac conjuratione narrationes*, quarum una *Barclaji Satyrico* ſubjuncta legitur: quibus addenda *Actio in Henricum Garnetum, Societatis Jeſuiticæ in Angliâ Superiorem, & cæteros qui proditione longè immaniſſima, Sereniſſ. Britanniæ M. Regem & Regni Angliæ Ordines pulvere fulminali è medio tollere conjurarunt, a Wilhelmo Camdeno Latinè verſa.*

A. C. 1610. *Henrico IV. Galliæ Regi ſuccedit* LVDOVICVS XIII. Henricus IV. Princeps incomparabilis, pace jam pridem domi conſtituta, maximis conſiliis apparatibusque intentus, à ſceleratiſſimo ſicario, *Franc. Ravaillac*, in rheda ſua gemino ictu percuſſus ad cor, indigna morte periit, florentiſſimum regnum Ludovico filio tum novenni relinquens. De morte Henrici, præter alios, vid. *l'Abbé du Bois Diſcours ſur l'aſſaſſinat de Henry le Grand. Gramond. libr. 1. princ.* & Scriptores Vitæ Henrici IV. Succeſſit itaque in locum Regis occiſi, Magni cognomine, LVDOVICVS XIII. filius, Juſti cognomentum adeptus; qui cum per ætatem impar eſſet gubernationi, Maria Medicæa, novi Regis mater, regni Regens renunciata eſt. Regnavit annos 33. Videndus de eo *Gramondus*, qui ſcripſit *Hiſtoriæ Gallicæ libros* 18. inde ab exceſſu Henrici IV. uſque ad annum 1629. *Scipionis du Pleix Hiſtoria Ludovici XIII. Baronis de Chabans Hiſtoria Belli Hugonotarum ſub Ludovico XIII. Hiſtoire de Louis XIII. compoſée par Meſſire Charles Bernard, Conſeiller & Hiſtoriographe du Roy &c.*

A. C. 1611. *Carolo Sueciæ Regi ſuccedit* GVSTAVVS ADOLPHVS. De Carolo ſupra dictum. Ejus filius Guſtavus Adolphus regnum Sueciæ ipſi jam deſtinatum in comitiis Norcopenſibus anno 1604. à morte patris accepit, Heros incomparabilis: cujus res geſtæ contra Danos, Polonos, & contra Cæſarem & Ligiſtas in Germania, quam hoc belli fulmen non toto biennio ferè totam in poteſtatem redegit, cùm ſint longè plurimæ maximæque, hic ſpeciatim commemorari

non

non poſſunt; petendæ potius ex *Puffendorffi Hiſtoria Suecica*, & *Ejuſdem Continuat. Introd. ad Hiſtor.* partim etiam ex *Theatro Europ.* & *Scriptoribus belli tricennalis*, quibus add. *Relationes Francof.* Periit victor in prælio ad Luzam, anno 1632. regni 21.

Chriſtiano II. Saxoniæ Electori JOH. GEORGIVS frater ejus ſucceſſit hujus nominis primus, qui poſtea belli tricennalis non exigua pars fuit. Quippe primum pro Cæſare contra Bohemos & Sileſios ſtetit, & utramque Luſatiam armis ad ejus obſequium reduxit: poſtea cùm videret, quò tenderent conſilia Cæſaris, cum Suecis foedere illigatus, eundem oppugnavit, in Bohemia præſertim, quam ab initio ferè totam occupavit: poſt Nerolingenſe verò prælium labantibus Evangelicorum partibus, pacificatione Pragenſi cum Cæſare transegit, & ut Sueci Imperio exigerentur, ſuas copias cum Cæſareanis conjunxit: triennio ante pacem univerſalem inducias cum Suecis fecit. Mortuus eſt anno 1657. cum Electoratui præfuiſſet annos 45. Vid. *Theatrum Europaum* & *Scriptores belli tricennalis.*

A. C. 1617. MVSTAPHA TVRC. IMP. Huic Achmetes frater moriens, quanquam haberet filios, dominatus Turcici gubernacula tradidit, cùm hactenus in cella incluſus orationibus vacaret. Sed mox inviſus auſteritate, poſt trimeſtre in priſtinum redactus eſt carcerem: è quo tamen rurſus 1622. evocatus, OSMANE, nepote ex fratre, qui interim imperaverat, à Janizaris deſerto & ſtrangulato, in ſolium reſtituitur, Sed ſeq. anno denuo depoſitus,id AMVRATHI IV. vacuum fecit, Othmanis fratri, adoleſcenti 14. annorum. Et hoc eſt, quod paulò inferius in hac Tabula notatur, ad annum 23. *Muſtapha* AMVRATHI *cedit Turcicum Imperium*, Vid. *Chriſtoph. Beſoldi Hiſtoria Conſtantinopolitano-Turcica. Deſcriptio ſtatus Imperii Ottomannici*, quæ extat *Diarii Europ. contin.* 21.

A. C. 1618. COMETA ARSIT, inſolitæ magnitudinis, minor tamen eo, qui noſtra ætate anno 1681. fulſit. At hic prior è ſigno Scorpii, contra ſignorum ſeriem, in ſeptentrionem tendebat, & Booten ferè totum perluſtravit. Extant de eo varii tractatus à Mathematicis editi.

PLVERS *monte obruitur.* Pluers vicus ſatis amplus in Rhætia fuit, ad radices montis altiſſimi ſitus. Is velut Dei manu ſubitò abruptus, veſperaſcente 25. Auguſti die, vicum totum cum omnibus incolis uno momento obruit ac ſepelivit, rariſſimo divinæ indignationis exemplo. Caſum hunc præter Relationes, quibus ſeorſim deſcribitur, memorat *Theatrum Europ. Tom.* 1. *pag.* 114. *ſeq.* ubi etiam icon exhibetur.

A. C.

A. C. 1619. PHILIPPVS *IV.* REX HISPANIÆ regni habenas ſuſcepit non hoc quidem anno 1619. in quo numero error eſt, ſed 1621. Hujus enim anni 31. Martii mortuus eſt Philippus III. qui erat vitæ ejus 43. regni 23. decem diebus antequam induciæ cum Belgis expirarent; & ſucceſſorem reliquit filium Philippum IV. tum ſedecennem. Sub hoc magna ſtatim in aulâ Hiſpanicâ mutatio facta, quibusdam, qui Patris facilitate abuſi erant, gradu dejectis & dignitate privatis. Geſta hujus Regis *contra Belgas,* in quos tandem per pacem Weſtphalicam 1648. omni juri ſuo renuntiavit, liberosque pronuntiavit; *in Germaniâ*, ubi bello tricennali in favorem Ferdinandi II. & Domûs Auſtriacæ ſe immiſcuit; *in Italiâ* ob ſucceſſionem Mantuanam, item in *Monacenſi* Principatu & *Neapolitanâ* rebellione; *contra Gallos*, quibuscum totos 24. annos bello implicitus fuit, & denique *cum Luſitanis*, qui anno 1640. ab eo defecerunt: hæc omnia hîc ſpeciatim commemorare longum foret: ſi qua tamen ad ſuos annos in Tabula noſtra notantur, ea explicabimus. Cæterùm ſub hoc Rege potentia Hiſpanica, quæ ſub patre in ἀκμὴν pervenerat, haud parùm coepit diminui, magisque etiam ſub filio ejus Carolo II. decrevit. Vid. interim de eo Scriptores horum temporum, *Theatr. Europ. Cluver. Epit. Hiſtor.* ex parte etiam *Gramond.* de primis, & *Diar. Europ.* de ultimis ejus annis. &c.

A. C. 1621. SOCIETAS AMERICANA *in Foed. Belgio inſtituitur.* Cum per inducias duodecennales inter Hiſpanos & Batavos confoederatos inter alia cautum eſſet, ne Batavis liceret mercium cauſa in Americam navigare, expirantibus jam hoc anno induciis, & recrudeſcente bello, Ordines confoederati Belgii ad ſtabilienda in illas terras commercia, Societatem hanc Indiæ Occidentalis inſtituerunt, & certis articulis legibusque muniverunt. Vid. *Theatr. Europ. Tom. I. pag. 646 ſeqq.* ubi etiam prædicti articuli exhibentur.

A. C. 1623. HEIDELBERGENSIS BIBLIOTHECA *Romam transfertur.* Bibliotheca hæc inſtructiſſima, totâque Europâ celeberrima fuit. Sed expugnatâ anno 1622. Heidelbergâ, Electoris Palatini ſede, circa finem deinde ejus anni aut principio ſequentis, ex templo S. Spiritûs, ubi aſſervabatur, exportata & in doliis compacta, partim Romam, partim aliò translata eſt. Quanquam enim oſtenditur hodieque Romæ in Vaticano Bibliotheca Palatina, tamen non integram illuc perveniſſe conſtat. *Theatr. Europ. Tom. I. pag. 832. &c.*

A. C. 1626. CAROLVS REX BRITANNIÆ *coronatur*, ſucceſſor Jacobi patris. Hic principio regni adverſus Hiſpanos & Gallos ſimul eodem tempore bellum ſuſcepit, finitum pace cum Gallis quidem

dem facta anno 1629. cum Hiſpanis 1630. Sed poſt pacem cum exteris Principibus ſtabilitam, graviores turbæ eum exceperunt in regno ſuo, quibus tandem ad extrema redactus infeliciſſimus Regum, & populi ſui victima factus, tragicum habuit exitum: de quo ſuo tempore dicemus. Hujus principis ingenium tale fuiſſe obſervant, ut plerumque ab uno extremo in alterum delaberetur, & dum errorem vult corrigere, in contrarium incurreret: quæ res inter cauſas infelicitatis ejus recenſetur. Videatur de eo pluribus *liber, cui titulus: Seſquiſeculum Anglicanum.* item, *Wilhelmi Sanderſon Hiſtoria Vitæ & regni Caroli. Theatrum Europ.* &c.

A. C. 1629. INDVCIÆ BELLI INTER POLONIÆ ET SVECIÆ REGES. Geſtum fuerat hactenus bellum illud in Livonia potiſſimum & Boruſſia, Sueco plerumque potiores obtinente. Induciæ inter utrumque Regem in ſexennium, exeunte anno 1629. factæ: de quibus vid. *Theatr. Europ. Pufendorff. Hiſtor. Suec. Cluverii Epitom. Hiſtor. pag.* 894.

A. C. 1630 GVSTAVI ADOLPHI *Suec. Regis* ADVENTVS IN POMERANIAM. Hic enim Rex firmatis cum Polono induciis, in Germaniam movit, opitulaturus tum aliis Germaniæ Proceribus, qui amiſſam lugebant libertatem, tum Stralſundiæ incolis inprimis, tutelam ſuam, quam imploraverant hactenus, præſtiturus. Bellum ergo Cæſareanis indicit: de cujus cauſis videatur *Balthaſar Henkelius, Tractatu de bello tàm protectitio quàm vindicatorio Guſtavi Adolphi*, ex quo breviter eas adducit *Strauchius Contin. Sleidan. pag.* 552. Poſtquam ergo Rugiam inſulam & finitimas occupavit Rex Sueciæ, profligato felicibus præliis Cæſareano præſidio; deinde cum claſſe in Pomeraniæ portubus appulit, & Stetinum ejus metropolin, dedente Bogislao Duce, totamque Pomeraniam contra Cæſareanos defenſurus, præſidiis occupavit. Inde ulterius progreſſus, inito cum Saxone & Brandeburgico Electoribus foedere, quæ quantaque geſſerit, paucis dici non poteſt. Potiora tamen in ſequentibus indicabuntur. Videantur interim *Scriptores belli Sueco Germanici Spanhemius, Brachelius, Waſſembergius, Caraſſa, Chemnitius, Baptiſta Burgus, Theatr. Europ.*

Sequuntur VIRI CELEBRES ſecundùm eorum annos emortuales: quorum cùm magnus hic texatur catalogus, qui fuerint, breviſſimè tantùm indicabimus.

Et quidem ad primum Seculi annum nominatur TYCHO DE BRAHE,

Digitized by Google

HE, de quo tamen ad ſuperiorem Tabulam, ubi itidem nominatus fuit, jam diximus. Anno Seculi

1. RICHARDVS STREINIVS, Liber Baro Auſtriacus fuit, antiquitatum Romanarum, quas & ſcriptis illuſtravit, cognitione præſtans. Is unam & alteram pro Ordinum Belgicorum libertate defenſionem, ſed ſuppreſſo nomine, veritus Auſtriacorum Principum, quibus ſuberat, offenſionem, publicavit; & poſtremò in Theologicis ſtylum exercuit, & ad Robertum Bellarminum admonitionem expreſſo nomine ſcripſit. *Thuan. libr.* 126. *pag.* 982.

ANTONIVS RICCOBONVS, Italus Rhetor & Philoſophus, ſcripſit varia, inter quæ eſt *Commentarius de Hiſtoria*, cui annexa *Fragmenta M. Portii Catonis, Q. Claudii Quadrigarii, L. Siſennæ, C. Criſpi Salluſtii.* Ejusdem eſt *Paraphraſis in Hiſtoriam Ariſtotelis, interjecta rerum difficiliorum explicatione, cum Majoragii, Sigonii, Mureti converſionibus*, edita apud Wechelianos. Scripſit & *Commentarios in libros rhetoricos Ciceronis.* Habentur etiam ejus *Orationum volumina* 2. item, *Deſcriptio Gymnaſii Patavini* &c.

2. CASPAR PEVCERVS, Budiſſinæ natus, Philippi Melanchthonis gener, longâ vitâ ac ſcriptis & fortunâ clarior (nam 78. annos vixit) poſt *Carionis chronologicam Epitomen* completam, & *de Divinationibus* opus recognitum, decennali carcere ab Auguſto Saxone Septemviro vexatus, vixque ſub Chriſtiano filio libertati reſtitutus, publicato de ea re ſcripto, Deſſaviæ ultimum vitæ variis moleſtiis jactatæ diem Septembri menſe clauſit. *Thuan. libr.* 127. *pag.* 1013. Fuit ipſe Peucerus Medicus profeſſione, & extremis 16. annis Archiater & Conſiliarius Principis Anhaltini. Scripſit & Medica nonnulla. Sed & theologicis controverſiis ſe immiſcuit. Cauſa diuturnæ incarcerationis ejus fuit, quod Reformatorum dogmata amplexus eſſet, & id agere arguebatur, ut in Saxonia Calviniſmum introduceret. Vid. Dn. *Buddei Lexic. Univ.*

PAVLVS MELISSVS Schedius, Mellerſtadii in Franconia natus, ingenium Poëtica, ætatem peregrinationibus exercuit, & poſtremo Heidelbergæ, ubi Bibliothecarii officio fungebatur, anno climacterico ſuo deceſſit. *Thuan. ibid. Clarmund. Vit. Clar. in re liter. Vir. Part.* 8. *pag.* 168.

PASSERATIVS Gallus, Auguſta Tricaſſium natus, Latinæ linguæ Profeſſor digniſſimus, qui felicitate verſus pangendi etiam Gallicos, & ſolutâ oratione ſcribendi, ac bonos ſcriptores interpretandi, diu magnam laudem in Pariſienſi Academia meruit. Homo emun-

Digitized by Google

emunctæ naris & cui aliena vix placerent, ultimo elogio vovit, ne Manes ſui malis carminibus onerarentur: itaque pauci mortuum laudarunt, ne voto ejus minus reſponderent. *Thuan. ibid.* De orationibus tamen Paſſeratii, Lutetiæ editis 1637. ita judicat *Morhoff. Polyhiſt. Liter. libr. 6. cap. 3. num. 2.* quod ſint eleganter quidem ſcriptæ & argutè, ſed non ſervent orationis illum tenorem, quem requirit caſtigata illa Ciceronis eloquentia.

3. ANDR. CÆSALPINVS, Medicus Italus, & Philoſophus Peripateticus præſtantiſſimus, cùm diu Piſis docuiſſet, & ſcriptis famam nominis propagaſſet, à Clemente VIII. evocatus, Archiater ejus fuit, & Romæ deceſſit. *Thuanus libr. 126. pag. 1060.* Scripſit inter alia *Quæſtionum Peripateticarum* libros V. ad Franciſcum Medicen Hetruriæ Ducem: quibus adjectus libellus, qui inſcribitur: *Dæmonum inveſtigatio*, ad Petrum Jacobum Borlonium, Archiepiſcopum Piſanum. Contra *Quæſtiones* ejus *Peripateticas Nicol. Taurellus* librum ſcripſit, cui titulum fecit: *Alpes cæſa* &c. in quo monſtroſa ejus dogmata refellit. Inter alia ſtatuiſſe dicitur, homines primos eo modo generatos eſſe ex aptâ aliquâ materiâ, quo ranæ aliaque inſecta per generationem æquivocam, quam appellant, naſcuntur.

ÆGIDIVS HVNNIVS, Doctor Theologus magni nominis & Profeſſor Witebergenſis, de Eccleſia Evangelica optimè meritus fuit ſcriptis variis exegeticis, eriſticis &c. quæ & ſeorſim impreſſa, & conjunctim in Tomis Operum ejus comprehenduntur: ſpeciatim enumerare longum foret. *Melch. Adami in Vit. Theolog. pag. 344. Freher. in Theatro.*

4. OBERTVS GIFANIVS, Buræ in Sicambris natus, ICtus celebratiſſimus, aliquandiu hic Argentinæ profeſſionem Juris magno olim applauſu ſuſtinuit: abdicatâ deinde Proteſtantium religione cùm ad Pontificios tranſiiſſet, inde magnis ſtipendiis invitatus in aulam Cæſaream migravit, Conſiliarii Cæſarei titulo ornatus. Poſtquam voce & ſcriptis rem literatiam multum promoviſſet, tandem Pragæ mortuus eſt ſeptuagenario major. *Thuanus libr. 131. pag. 1118.* Meritus autem eſt bene de re literariâ, editis in varios auctores *Commentariis*, præſertim *in Lucretium.* Scripſit etiam *Commentarios in Ethica & Politica Ariſtotelis*; de quibus *Morhoffius Polyhiſt. Tom. 2. libr. 1. cap. 14. num. 70.* Ejuſdem eſt *de Juſtiniano Imp. Commentarius*, quo hiſtoriam omnem Juſtiniani, tam rerum geſtarum quàm LL. conditarum, compendio complexus eſt. Cætera ſunt Juridica. Plura de Giſanio ejuſque ſcriptis *Clarmundus in Vit. Part. 3. pag. 12.*

Digitized by Google

JANUS DOUSA, Nordovicus, nobili genere natus, magnum inſuper ſibi ab eruditione nomen comparavit, in elegantiori præſertim literaturâ excellens. Idem in obſidione Lugduni Batavorum, cui ab Arauſionenſi Principe præfectus fuerat, ſtrenuam navavit operam, & in eâdem urbe condendæ Academiæ ab initio auctor, poſtea conditæ Curator mox in Curiæ Senatum cooptatus, 13. annos in eo munere complevit, & anno ætatis 59. vivere deſiit. Poëtica inprimis delectabatur, in qua ingenium varii generis carminibus editis exercuit; etiam patriæ *Annales* ſcripſit; multiplici lectione & admirabili memoria promeritus, ut Bataviæ Varro & Academiæ commune oraculum vulgò diceretur. Mortuum laudavit carmine inſigni *Joſephus Scaliger*, ſicuti & cognominem filium, naturæ ordine turbato antè elatum, tanto parente digniſſimum, laudaverat. *Thuanus libr.* 131. *pag.* 1118. *Dan. Heinſius in Panegyrico. Boiſſardus in Iconibus. Melch. Adami in Vit.* &c.

HIERONYMUS MERCURIALIS, Foro-Livii in Umbria natus, Medicus & Philoſophus inſignis fuit. De doctrinâ viri multa ejus ſcripta teſtantur, à Diſcipulis ferè publicata, inter quæ primus foetus fuit *liber de Arte Gymnaſtica.* Vitæ ejus compendium exhibet *Thuanus libr.* 131. *pag.* 1118. *ſeq.*

5. THEODORUS BEZA, natione Gallus, Theologus ex Reformatis celeberrimi nominis, Genevæ ſedem fixit, ubi deinceps voce & ſcriptis eccleſiæ dogmata propagavit, Linguarum inprimis Sanctarum ſcientia & interpretatione Bibliorum clarus. De excellenti ejus memoria, quæ ad extremum ætatis evanuit, ita quidem ut olim ei mandata firmiter retineret, præſentium ſtatim obliviſceretur, vid. *Thuanus libr.* 134. *pag.* 1181. Vixit annos 86. menſ. 3. dies 19. Laudavit mortuum *Antonius Fajus*, & carmen elegans & affectûs plenum veteri amicitiâ cum eo conjunctus *Scaliger* fecit. De variis Bezæ actionibus, diſputationibus, colloquiis habitis, vocationibus, ſcriptis &c. vid. *Buddeus in Lexico Univ.* & quos ibi commendat auctores.

6. JUSTUS LIPSIUS, Philologorum Alpha, de quo pauciora dicenda ſunt, cùm ipſe victuris ad omnem poſteritatem ſcriptis ſatis ſe illuſtrem toto orbe præbuerit. Iſcanio, tribus â Bruxellis milliaribus natus honeſtâ & antiquâ familiâ, moribus & eruditione ſeipſum magis nobilitavit, & Lovanii anno ætatis 59. continuis pro re literariâ laboribus finem impoſuit. Totâ vitâ Joſephum Scaligerum coluerat, ab eo viciſſim redamatus, qui exemplo ſuo alios ad celebrandam ejus memoriam provocavit, ut nullum â ſuis, cum qui-

Digitized by Google

quibus vivebat, illuſtrius monumentum hodie extet, quam quod illi Scaliger Lugduni Batavorum à ſe, Hugone Grotio, Dominico Baudio, Dan. Heinſio, aliis ſtructum erexit. Quæ verba ſunt *Thuani extremo libro 136 pag.* 1247. Sed tanto viro nimia in religione mutandâ levitas vitio verti poteſt: de qua *Arnold. Hiſt. Eccleſ. & Haret. Part.* 2. *libr* 17. *cap.* 3. *pag.* 454. Ille enim dum Jenæ docebat, Lutheranis ſe aſſociavit; Lugduni Batavorum, ubi magna cum fama bonas literas profitebatur, Calvini dogma amplexus eſt; denique ad Pontificios tranſiit, & Lovanii Profeſſoris & Hiſtoriographi regii titulo ornatus, amicis ex Sodalitio Jeſuitico ita ſe addixit, ut in eorum gratiam, ſub extremum vitæ, librum *de Diva Virgine Hallenſi & Ejus miraculis* ſcripſerit (cui nonnemo, qui creditur eſſe *Michael Lingelshemius*, Conſiliarius Palatinus, oppoſuit alium cum titulo: *Idolum Hallenſe*) item, *de D. Virgine Sichemenſi ſeu Aſpricolle*: (in quam *Georgius Thomſonus in Examine Lipſianæ Virginis Aſpricollenſis* calamum ſtrinxit) quæ ſcripta ejus non pari fama ac reliqua ejus excepta ſunt. *Baudius* certè *Cent.* 2. *Epiſt.* 59. *Lipſius*, inquit, *integriore fama deceſſiſſet, ſi nunquam rem habuiſſet cum divis illis ſuis Virginibus.* Denique etiam togam ſuam Doctoralem cum calamo ſcriptorio eidem Hallenſi Virgini dedicavit. De Vita & Operibus ejus videatur amplius *Melch. Adami*, *Aubertus Miræus ſingulari tractatu*, & *in Elog. Viror. Illuſtr. Clarmund. in Vit. Part.* 1. *pag.* 97. Ipſe *Lipſius in Epiſtola ad Wouwerium*, quæ eſt *Centuriæ Miſcell.* 87. *p.* 491. *ſeqq. &c.*

CÆSAR BARONIVS, Cardinalis magnum nomen adeptus eſt cùm aliis ſcriptis, tum præſertim vaſto opere *annalium*, quos continuarunt *Bzovius* & *Odoricus Rainaldus*; *Spondanus* verò eorum *Epitomen* confecit. Scripſit præterea Baronius *Martyrologium Romanum*, item Tractatum de *Monarchia Siciliæ*, nec non *Parænesin ad rempubl. Venetam*, in cauſa diſſidii Venetorum cum Paulo V. Pontificem defendens. &c. Plura de Baronio ejusque *Annalibus* (in quibus quod de dubio Jure Hiſpanorum in regnum Siciliæ & Neapolis ſcripſit, ei obſtitit, quò minus Pontificatum obtineret) vide *Jægerum Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Decenn.* 1. *libr* 6. *cap.* 1. 2. & 3. *Whear. in Relect. Hiem. Part.* 1. *Sect.* 44. & *Neu in Acceſſion. ad Whear. p* 319. *ſeqq.*

JAC. MENOCHIVS Paviæ natus, JCtus fuit, ſcriptis celebris, quibus rem Juridicam egregiè promovit. Opera ejus omnia edita ſunt Lugduni 1582. & Coloniæ 1599. Profeſſor ipſe Patavii & poſtea Ticini jus docuit magna cum nominis ſui fama. Etiam à Philippo II. R. Hiſp. inter conſiliarios allectus, & denique Senatus

Digitized by Google

Mediolanenſis Præſes factus, obiit anno ætatis 75. Vid. *Thomaſini Elog. Illuſtr. Part.* I.

HIERON. TREVTLERVS & ipſe JCtus fuit, cujus extat *Manuale Juridicum* aliaque, partim etiam Philoſophica ſcripta. Docuit in Schola Herbornenſi. Judicium de ejus *Diſputationibus Juridicis*, in quas præter alios *Bachovius* commentatus eſt, vid. apud. *Morhoff. Polyb. Tom.* 2. *libr.* 6. *Sect.* 7. *num.* 8. *&* *Sect.* 8. *num.*

8. MART. DELRIO. (*Buddeo* in Lex. eſt Marcus Antonius, pro Martino Antonio) fuit origine Hiſpanus, ſed Antverpiæ natus. Ab initio Juri operam dedit, cujus etiam Doctor factus eſt in Academia Salmanticenſi in Hiſp. variis poſtea muniis civilibus functus in Belgio. Reverſus hinc in Hiſpaniam, ibi ſe Societati Jeſuiticæ addixit, ac deinde Theologiam diverſis in Hiſpaniæ, Belgii & Germaniæ locis docuit. Satis alioqui notus eſt vel ex *Diſquiſitionibus* ſuis *Magicis*, aliis ſcriptis partim Juridicis, partim Theologicis: qualia ſunt ex his *Pharus Sacræ Sapientiæ*, *Adagia Sacra*, *Commentarius in Cantica Canticorum* &c. & ex Juridicis: *De Principiis Juris*, item, *Miſcellanea ad univerſum Jus Civile* &c. Extat hujus *Martini Antonii Delrio Vita brevi commentariolo expreſſa* in 4°. Antverpiæ apud Moretum 1609.

9. JOSEPHVS SCALIGER, Julii Cæſaris filius, tanto parente non minor, natus Aginni Nitiobrigum anno 1540. Hujus viri maxima ſunt in rem literariam merita, eſtque ille velut pater quidam literarum per univerſam Europam ſalutandus. Ex ejus ludo prodierunt viri, quos Batavia habuit, illuſtres. Nam poſt diſceſſum Lipſii in Academiam Lugdunenſem magno ſtipendio invitatus ab Ordinibus, per 17. ferè annos ejus præcipuum decus fuit. Inter Scripta ejus, quæ ſunt varia, eminent Chronologica, nempe *Theſaurus Temporum*, & *de Emendatione Temporum.* Ipſe eſt inventor Periodi Julianæ, qua mediante omnes Epochas conciliavit. De generis ejus vetuſtate videatur *Epiſtola ipſius ad Jan. Douſam* cæteris præmiſſa, ubi & aliqua de Vita ſua ſubnectit, ſicut & *de Emendatione Temporum pag.* 417. De Vita & Scriptis ejus videatur amplius *Meurſius in Athen. Bat. pag.* 168. *Baillet in Tract. de Judic. Erudit. pag.* 193. *Baudius in oratione funebri Scaligeri*, *Dan. Heinſius in Epiſt. ad Iſ. Caſaubonum*, epiſtolis Scaligeri ſubjuncta, ubi præcipuè de morte ejus agit, &c. item, Ejusd. *Heinſii Panegyrici duo Joſepho Scaligero dicti.*

HORATIVS TVRSELLINVS Romanus, Jeſuita fuit doctiſſimus, qui præter hiſtoricas quasdam lucubrationes, interque eas *Hiſtoriam*

Laure-

Lauretanam B. Virginis, & *de Vita Franciſci Xaverii*, *qui primus è Societate Jeſu in Jndiam & Japoniam Evangelium invexit*, libros 6 &c. ſcripſit libellum *de Particulis Lat. linguæ* utiliſſimum, qui aliquoties in Germania recuſus etiam à *Jacobo Thomaſio* recognitus & locupletatus prodiit. De Turſellino vid. *Jan. Nic. Erythræus Pinacotheca* 2. *Ribadeneira & Alegambe in Biblioth. Scriptorum Soc. Jeſu.*

CAROLVS CLVSIVS ex Atrebatibus Belga, Medicus & Botanicus ſuo tempore celeberrimus fuit, cujus tantùm erat rerum naturalium ſtudium, ut Hiſpania, Luſitania, Gallia, Germania, Pannonia, Anglia, Belgioque peragratis, nondum ſatis ipſe ſibi fecerit, longiora ac moleſtiora itinera ſuſcepturus, ſi votis valetudo reſpondiſſet. Per 14. ferè annos in aula Maximiliani II. & Rudolphi Cæſarum fuit, & Horti Cæſarei curam geſſit. Francoſurtum deinde ad Mœnum atque hinc Lugdunum conceſſit, honorifico ſtipendio à Curatoribus Academiæ invitatus, ubi ad annum usque ætatis 84. cùm ore tùm ſcriptis docere ac bene mereri non deſtitit. Scripta ejus in II. Tomos digeſta, quorum primo continentur icones plantarum 1133. in altero præter fructus & animalia exotica, plantarum effigies ſunt 45. à Cluſio obſervatarum. Vid. de eo *Valer. Andreæ in Biblioth. Belg.*

ABRAHAM GORLÆVS, Antverpienſis Belga, ſcripſit *Theſaurum Numiſmatum Romanorum*: item Dactyliothecam, ſeu *Annulorum Sigillorumque, quorum apud priſcos Græcos & Romanos uſus fuit ferro, ære, argento & auro, promtuarium.* &c. Dactyliotheca ejus aucta explicationibus *Jac. Gronovii* prodiit Lugd. Bat. in 4°. *Sweertius in Athen. Bat. p.* 87. *& Valer. Andreæ Biblioth. Belgic.*

10. POLYCARPVS LYSERVS, Doctor Theologus & Profeſſor Witebergenſis, nec non Superintendens, & denique Concionator Aulicus Electoris Saxonici fuit, magnum inter Theologos Lutheranos nomen; etiam in Formula Concordiæ concinnanda inter præcipuos operam ſuam contulit, Controverſiæ plurimæ cum Johanne Majore, Samuele Hubero, Gretſero Jeſuita &c. illum exercuerunt. De ipſo & ſcriptis ejus, quæ ſunt longè plurima Theologica, partim Latino, partim Germanico Sermone edita, vid. *Buddei Lexicon* & quos ibi allegat, *Melchior Adami de Vit. Theol. Spizelius in Templo Hon. reſerato p. 9. ſeqq. Freheri Theatrum.*

11. JACOBVS LECTIVS, Genevenſis, JCtus fuit, ſcriptis in publicum editis notus, qualia ſunt Libri duo *Præſcriptionum Theologicarum adverſus Codicis Fabriani τὰ πρῶτα κακόδοξα*: item, *ad Modeſtinum de pœnis* liber unus. Extat & Ejusdem *de Vita Antonii Sadeelis &*

Scriptis

Scriptis Epiſtola ad Archiepiſcopum Cantuarienſem; *& de Vita Æmilii Papiniani & Scriptis, ſeu de Officio Prudentum. &c.*

PHIL. RUBENIUS, Belga, elegantiori literatura & peregrinationibus egregiè excultus, ex Lipſii Schola prodiit, cujus ſunt complures ad eum Epiſtolæ. Scriptis etiam erudito orbi innotuit, plura editurus, ſi diutius vixiſſet. Ejus ſunt *Electorum libri duo, in quibus antiqui ritus, emendationes, cenſuræ.* Ejusdem *ad Juſtum Lipſium Poëmatia.*

JOD. HONDIUS, Batavus, inſignis ſuo tempore Geographus fuit, cujus præter Tabulas Geographicas ſeorſim excuſas, prodiit inter alia *Orbis terrarum deſcriptio geographica & hydrographica, ubi præter exactam graduum ſupputationem, etiam multa hiſtorica inſeruntur* &c. Hic & *Gerh. Mercator* primi inſignem iſtam molem *Atlantis* meditati fuerunt, quam ſequutis annis plurimum auxerunt *Joh.* & *Wilh. Blaeu & Joh. Janſonius.* Vid. *Wittenii Memor. Philoſoph.*

12. CHRISTOPH. CLAVIUS, Bambergenſis, ex Societate Jeſu Mathematicus, & Profeſſor Matheſeos Romæ fuit, ubi etiam hoc anno mortuus eſt. Ejus habemus *Gnomonicen*, item, *Aſtrolabium*, *Arithmeticam* & *Computum Eccleſiaſticum.* Sed præcipuum ſibi laborem ſumſit in defenſione *Calendarii Gregoriani*, pro quo *Apologiam* ſcripſit adverſus *Mæſtlinum*, nec non ejusdem *Explicationem.* Ea re negotium ſibi contraxit cum *Joſ. Scaligero*, qui ſcripſit *Elenchum & Caſtigationem Calendarii Gregoriani* contra Clavium: cui hic iterum reſpondit, addiditque *Refutationem Cyclometriæ Ejusdem.* Plura de Clavio vid. in *P. Petri Ribadeneiræ Catalogo Scriptorum Soc. Jeſ. pag. 41. ſeq. Freher. in Theatro Virorum Erudit. pag. 1507. Thom. Pope Blount. Centur. Celebr. auctor. p. 821. Reimmann. Hiſtor. Liter. Germ. Continuat. libr. 2. Sect. 3. Quæſt. 86.*

HIPPOLYTUS A COLLIBUS, JC. & Conſiliarius Palatinus fuit; & denique Chriſtiani Principis Anhaltini Cancellarius, in multis graviſſimis negotiis ad exteras aulas legationibus functus. Benè meritus inſuper de re literariâ ſcriptis partim Juridicis, partim politicis: inter illa eſt *Commentarius ad tit. Digeſt. de diverſ. regulis Juris antiqui*: inter hæc ejusdem *Palatinus ſeu Aulicus*; item, *Princeps*; item, *Conſiliarius*; & *de Nobilitate poſitiones 62. Melch. Adami Vit. JCtorum Germ. Freher. Theatr.*

JACOBUS BONGARSIUS, Aurelianenſis Gallus. Fuit hic vir ſuo tempore magni nominis ſub Henrico IV. & negotiis publ. ſæpe admotus, præcipuè in legationibus ad Germaniæ Principes. In iis tamen negotiis multa ſcripſit erudita: & quidem juvenis ſcripſit *No-*

tas

Digitized by Google

tas doctiſſimas *in Juſtinum* : Senex publicavit volumen ingens *Geſtorum Dei per Francos.* Poſt mortem ejus editæ fuerunt tum Latinæ ejus *Epiſtolæ ad Lingelsbemium*, tum aliæ Gallicè ſcriptæ; in quibus multa continentur, quæ ſpectant ad Statum Germaniæ illorum temporum, & ad aulas Principum tum temporis internis malis turbatiſſimas. Habentur ibi & de rebus literariis notitiæ non contemnendæ. Vid. *Witte in Diar. Biograph.*

EMANVEL METTERANVS, Antverpienſis, Hiſtoricus notiſſimus, & Belgicarum inprimis rerum Scriptor uberrimus, quibus tamen alias res Europæas immiſcuit, exorſus hiſtoriam ſuam à natali Caroli V. perduxit eam ad annum 1609. quæ extat Gallica, Latina & Germanica lingua. *Vitam Metterani* deſcripſit *Simon Ruytingus.* Vid. & *P. Swertius in Athen. Belg.*

JOH. CASELIVS. Lumen ille Germaniæ fuit, Græcè & Latinè doctiſſimus, Orator, Philoſophus, omnium literarum vir, Roſtochienſis primùm, hinc Helmſtadienſis Profeſſor, ſuo exemplo, conſiliis, præceptis totam tum temporis Germaniam penè informavit, à Principibus in conſilia tam literaria, quàm civilia adhibitus. Quibus elogiis eum ornat *Morhoff. in Polyhiſt. Liter. libr. 1. cap. 42. num. 41.* Plura vid in *Hermanni Conringii Introd. in Polit. Ariſtot. fol. 34. & in Epiſtola Grotii ad Gallos 154.* Scripta ejus, quæ ſunt plurima, hic recenſere longum foret. Indicem illorum imprimi curavit *Henricus Ernſtius.* Vitam Caſelii exhibet *Clarmundus Part. 6. pag. 159.*

FRIDERICVS TAVBMANNVS, patriâ Franco, in Academia Witebergenſi Profeſſor Poëtices & humaniorum literarum, in quibus ille regnabat, præcipuè in emendandis & illuſtrandis auctoribus de erudito orbe bene mereri ſtuduit. Ejus ſunt egregii *Commentarii in Plautum & in Virgilium*, diligentiſſimè & cum magno judicio adornati. Poëta fuit elegantiſſimus, in Lyricis potiſſimum, extantque Poëmata ejus, partim ab ipſo vivo, partim poſt mortem ejus à filio edita. Extat & *Diſſertatio* ejus *de Lingua Latina* De Vita ejus videndus *Balduinus in Concione*, & *Eraſmus Schmidius in oratione funebri*, & *Melch. Adam. in Vit. Philoſ.*

CONR. RITTERSHVSIVS, JCtus & Profeſſor Altorffinus, nec in Juris Scientia tantùm, ſed in omni elegantiore literatura verſatiſſimus vir. Scripta ejus ſunt partim Juridica, partim Philologica. Inter *Juridica* maximè commendantur ejus *Commentarii in Inſtitutiones : in Novellas : in Leges XII. Tabb.* cui tit. : *Dodecadeltos.* Item, liber *de Differentiis Jur. Civ. & Canonici*, & *Partitiones Juris Feudalis* &c.

Ad *Philologica* referimus, quæ in Græcos Latinosque Scriptores commentatus eſt, *in Oppianum*, *Iſidorum Peluſiotam*, *Salvianum*, *Plinii Epiſtolas ad Trajanum*, *Phædri Fabulas*, *Güntheri Ligurinum.* Sunt & Ejusdem *Sacrarum Lectionum libri.* Denique *Poëmata* etiam ſcripſit. Mortuo parentavit *Caſpar Panſa*, Phil. & Jur. Vtr. Doctor & Reip. Noricæ Advocatus, item *Chriſtoph. Adam. Wenzelick in Panegyrico.* Scripſit & *Gebhardus Manes Rittershuſianos.* Vid. *Melch. Adami in Vit. JCtorum.*

Dom. Bavdivs, Belga, præter Juris ſtudium, (in quo Doctor factus eſſe dicitur, poſt decimum quintum, quàm illud aggreſſus eſt, menſem) humaniorem omnem literaturam egregiè excoluit. Hagæ Comitum primùm, mox in Senatu Pariſienſi Advocatus ordinarius, denique Profeſſor Eloquentiæ Lugduni Bat. fuit. Ejus *Epiſtolæ*, *Poemata*, *Orationes* habentur in pretio. De Vitâ ejus, quam Venus & Bacchus contaminavit, & Scriptis videatur *König in Biblioth. Melch. Adami in Vitis Philoſoph. Germ. pag. 522.* &c. *Morhoff. Polyhiſt. Literar. libr. I. cap. 24. num. 86.* Feſtivus eſt *Cento Virgilianus*, quem diſſimulato nomine in ipſum ſcripſit *Dan. Heinſius*, qui inter *Poëmata* ejus extat *pag. 426.*

Melchior Jvnivs ex Sturmii Scholâ prodiit, ejusque in Rectoratu Argentoratenſis Academiæ Succeſſor fuit. Hic vir induſtriâ ſuâ multùm promovit oratorium ſtudium; nec voce tantùm, ſed & Scriptis eloquentiæ tironibus profuit. Extat ejus *Eloquentiæ comparandæ Methodus*: item, *Schola* ejus *rhetorica de contexendarum Epiſtolarum ratione.* Præterea ſcripta eſt ab eo *Reſolutio Orationum Ciceronis ſecundùm cauſarum genera, orationum partes & materias*: nec non liber pro inveniendis argumentis ethicis & patheticis utiliſſimus, cui titulus: *Animorum conciliandorum & movendorum ratio.* Collegit etiam *Orationes politicas breves ex Hiſtoricis tàm Græcis, quàm Latinis*, item, *Epiſtolas.* Quæ omnia Argentorati impreſſa ſunt: ſicut & *Tomi Orationum ſub ejus directione habitarum.* Judicium de hoc Junio ejusque ſcriptis vid. apud *Morhoffium in Polyhiſtore.* Vitam ejus exhibet *Clarmund. Part. 8. p. 136.*

14. Marqvardvs Frehervs, JCtus fuit, natus hic Argentinæ, poſtea Anteceſſor Heidelbergenſis, & Conſiliarius Electoralis Palatinus, illuſtre ſibi nomen peperit ſcriptis partim Juridicis, partim Hiſtoricis. Inter *Juridica* eminent, *de Teſtamentaria Tutela commentatio nova ad Imperatorem, Reges & Principes*: item, Tractatus *de famâ publicâ*: nec non *de legitimâ tutelâ curâque Elector. ex integro, ad Auream Caroli IV. Bullam.* In *hiſtoricis* principem locum tenent *Origi-*

nes

Digitized by Google

nes ejus *Palatinæ*, juſſu Electoris ſcriptæ. Edidit & *Germanicarum Rerum Scriptores à Carolo M. usque ad Fridericum III. Imperatorem.* Item, *Corpus Hiſtoriæ Francicæ.* Scripſit præterea *de re monetariâ veterum Romanorum*: aliaque plura, quæ ſigillatim recenſet *Melch. Adamus in Eius Vita p.* 477. Eſt etiam vitæ ejus deſcriptio apud. *Clarmundum Part.* 2. *p.* 19.

ISAACVS CASAVBONVS, Gallus natione, Phœnix Eruditorum ſui temporis fuit, inprimis in Græca literatura vix habuit parem. Opera edidit plurima, alia etiam inedita moriens reliquit. *Commentarii* ejus *in Athenaum, Strabonem, Scriptores Hiſtoriæ Aug. Dionis Chryſoſtomi orationes, Theocritum, Polybium, Perſium*, &c. cum literati orbis applauſu excepti ſunt. *Exercitationes in Baronii Annales* imperfectas reliquit. Vt nunc taceam opuſcula alia, & *Epiſtolas.* Primùm Pariſiis Bibliothecarius Regius fuit, ſub Henrico IV. poſtea quòd Jeſuitas alioſque Pontificios ſibi infeſtos ſentiret ob religionem, Jacobi M. Britanniæ Regis vocationem accepit, ampliſſimo ſtipendio & Conſiliarii Regii axiomate ab eo honoratus. Tandem Lugduni Batavorum anno ætatis 55. vivis exceſſit. De hoc Grammaticorum & Criticorum principe videndus præter alios *Joſ. Scaliger de Emendatione Temporum pag.* 417. *Aubertus Miraus de Scriptoribus Seculi XVII. König in Biblioth.*

FELIX PLATERVS, Baſileenſis; in patria Archiater & Profeſſor Medicinæ fuit, ſcriptis etiam variis in re Medica celebratus; cujusmodi ſunt: *De Corporu fabrica & uſu*; *Obſervationum* libri 3. *de Febribus*; *de Alimentis*; *de Medicamentorum compoſitione, Praxeos Medicæ libri tres*, &c. Obiit Senex annorum 78.

MARCVS WELSERVS, Patritius & Duumvir Reip. Auguſtanæ, non minùs ab eruditione illuſtris, quàm à genere & muneribus fuit. Inſigne ejus opus eſt *Rerum Auguſtanarum Commentarii*: item, *Hiſtoria Boica*, cujus elogium eſt apud *Lipſium Centur.* 4. *Epiſt. Miſcell. Epiſt.* 52. & *Joſeph. Scalig. Epiſt.* 143. Nam cum his orbis literati Principibus commercium ei literarium fuit. Ipſe inſignis literarum promotor & literatorum fautor. Minora ejus ſcripta ſunt, *Paſſio S. Afræ*; *Vita S. Vlrici*; *Fragmenta Tabulæ Antiquæ*, *Epiſtolæ*: quæ junctim edita ſunt Noribergæ, curante *Chriſtoph. Arnoldo*, 1682. & præmiſſa eſt *Vita Welſeri*, qui obiit d. 23. Junii 1614. De hujus Viri celebritate vide etiam Carmen phaleucium *Lipſii Cent.* 5. *Miſcell. Epiſt.* 43. Vid. *plura* in *Melch. Adami Vit. JCtor. Freheri Theatro. Neu in Acceſſ. ad Whear. Part.* 2. *pag.* 145.

15. ADRIANVS ROMANVS, Lovanienſis, Medicus & Ma-

thematicus fuit, cujus extant aliqua in his diſciplinis ſcripta; e. g. ejus *Idea mathematica*: *Methodus polygonorum*: *Ouranographia, ſeu Cœli deſcriptio*: *Parvum Theatrum Vrbium*. Vid. *Voſſ. de Scientiis Mathemat.*

BONAVENTVRA VVLCANIVS, Brugis in Flandria natus, poſtea Profeſſor Græcæ linguæ in Academia Lugdunenſi Batava, in Græca literatura & Antiquitatibus inprimis excellebat. Hic vir in edendis & interpretandis Græcis Scriptoribus utilem operam poſuit; quos inter eſt *Arrianus de Expedit. Alexandri M.* *Callimachi Hymni & Epigrammata*; *Agathias cum notis*; *Cyrillus de Adoratione in Spiritu & Veritate.* Edidit & *Gloſſaria Latino-Græca & Græco-Latina*, cum notis; item, *Commentarium linguæ Geticæ vel Gothicæ, cum characteribus ei linguæ propriis.* Vid. *König in Biblioth.* *Melch. Adami Vit. Philoſoph.*

JANVS DRVSIVS, Aldenardenſis, primùm Profeſſor linguarum Orient. Oxonii in Anglia, poſtea Lugduni Batav. denique Franekeræ fuit, Grammaticus, Criticus, Orientalium præſertim linguarum peritiſſimus, ſcripſit varia ad linguas & antiquitates Hebraicas pertinentia. Edidit item *Obſervationum* libros 12. *in quibus varii auctores partim explicantur, partim corriguntur*: præterea *Quæſita per Epiſtolam, &c.* Amiciſſimus fuit Joſepho Scaligero, inter cujus Epiſtolas quindecim, quæ à ducentiſima nonageſima numerantur, ad Janum hunc Druſium ſcriptæ, extant. Vid. *Reimmann. Hiſt. Liter. Germ. Cont. libr. 2. Sect. 3. Quæſt. 263. p. 684.*

SCIPIO GENTILIS, JCtus, Italus quidem natione fuit, ſed poſt patris diſceſſum ex Italia, qui Proteſtantium religioni ſe addixerat, & ipſe puer in Germaniam translatus, in eaque educatus & eruditus, magnum poſtea ei decus præſtitit, & demum in Academia Altorffina Profeſſor Juris & Conſiliarius Noribergenſis factus, hæc munia ad extremum vitæ ſuſtinuit, quanquam aliis vocationibus ſolicitatus. Scripta ejus ad Jurisprudentiam pertinent pleraque, qualia ſunt *Parerga ad Pandectas*: item *de bonis maternis & ſecundis nuptiis* libri 2. *de Juriſdictione* libri 3. *de conjurationibus* libri 2. *de Jure publico populi Rom. de erroribus Teſtamentorum.* Extat etiam ejus *in L. Apuleji Apologiam Commentarius*, & *Comment. in Epiſt. Pauli ad Philemonem.* Vid. *Mich. Piccart. in oratione parentali apud Witten in JCtis pag. 25. Georg. Mundi Manes Gentiliani.*

FR. SVAREZ, Granadenſis Hiſpanus, Jeſuita fuit, & Theologiæ Profeſſor in Academia Conimbricenſi, magnus in Theologia & Philoſophia ſcholaſtica Doctor, & Sacra anchora Pontificiorum, qui & noſtræ religionis hominibus magno uſui eſſe poteſt, (judi-

(judicante *Morhoffio Polyhiſt. Tom. 2. libr. 1. cap.* 14. *num.* 45.) cujus ille quidam quaſi oceanus eſt. Magna illi elogia ſuſpendunt ejus ordinis homines: jam enim vocant oculum populi catholici; jam univerſi orbis magiſtrum. *Morhoffius* quidem d. l. Conimbricæ, *Buddeus* verò *in Lexico Vniverſali* Compluti, Salmanticæ & Romæ eum Profeſſorem fuiſſe dicit. Vaſta ab illo ſcripta ſunt Opera, quæ tomis 16. vel, ut *Buddeus* habet, 24. voluminibus, conſtant. *Alegambe Bibl. PP. Soc Jeſu.*

CHRISTOPH. HELVICVS, Theologiæ D. & Profeſſor Gieſſenſis, ſcripſit partim theologica, partim hiſtorica & chronologica. Præcipuum ejus opus eſt, *Theatrum hiſtoricum* ſeu *Chronologiæ Syſtema novum*, in quo *Scaligeri* & *Calviſii* calculum ſequitur. Plura de eo *Witten in Memoriis Theologorum Dec. 1. p. 97. ſeq. Schuppius* (gener ejus) *in Epiſt. Dedicat. tractatus* vom Schulweſen / p. 121. Item, im unterrichteten Studenten p. 114. ſeq. *Reimmann. Hiſt. Liter. Germ. Contin. libr. 2. Sect. 3. Quæſt.* 156.

JAC. AVG. THVANVS, Præſes Parlamenti Pariſienſis, non de republ. ſolùm Gallica, maximi momenti geſtis negotiis præclariſſimè meritus, ſed & de univerſo orbe, atque adeò omni poſteritate, quæ cùm alias lucubrationes, tum inprimis nunquam ſatis laudatum opus *Hiſtoriarum* ei debet, quod ab anno 1543. usque ad 1607. libris 138. contexuit. Eum virum in ſumma ingenii magnitudine, temperatum modeſtiâ, humanitate, diſciplinâ, fortuna reipubl. ad artes & conſilia condendis annalibus digna excitavit. Multis erat opus amicitiis, ſubſidiis, inſtrumentis ad hiſtoriam non unius gentis, ſed totius orbis; quæ illi omnia prompta & expoſita reddebat egregia & peregrinationibus aucta fama, quæ de ſingulari & demerendis hominibus factâ virtute ejus percrebuerat. Quem poterimus reperire, ſi quæramus tanto nomini hactenus conferendum? Verba ſunt *Boecleri in Muſeo p.* 7. Vide *Eundem in Diſſertatione de utilitate ex Hiſtoriæ Vniverſ. contextu capienda*: ubi incomparabile hoc opus Thuani inprimis commendat. Et quanquam Thuanus obfirmato contra calumnias & obtrectationes animo, conſcientiâ tutus, in hac ſcribenda hiſtoria iter tenuit ambitione & periculis vacuum; tamen obtrectationibus non caruit; qualis fuit ille, qui ſe *Joh. Baptiſtam Gallum* vocat, & in *Jac. Aug. Thuani* Hiſtoriam notationes ſcripſit; qui liber ſententia Prætoris Præfecturæ Pariſienſis confiſcatus eſt. *Vita Thuani* ab ipſo ſcripta eſt 6. libris. Vid. & *Gerhardus von Stœcken in Thuano enucleato pag.* 5. &c. Add. *Neu*

in Acceſſ. ad Wheari Relect. Hiem. pag. 210. *ſeqq.* ubi præſertim elogia Thuani.

CORN. MARTINVS, vel Martini, Philoſophus & Profeſſor Helmſtadienſis, Sectam Ramæorum paſſim etiam in Germaniæ Academiis invaleſcentem, Helmſtadio continuis diſputationibus quaſi in exilium miſit, unicus penè tunc temporis partium Ariſtotelicarum adverſus novatores illos aſſertor. *Morhoff. Polyh. Tom.* 2. *libr.* 1. *cap.* 12. *num.* 1. Nota eſt, præter alia, ejus *Analyſis Logica*, aliaque ſcripta philoſophica.

ROBERTVS BELLARMINVS. Eſt hic vir inter Pontificios quaſi Hercules quidam, quo Atlante quaſi cœlum ſuum fulciunt. Patriâ fuit Politianus, primùm Archiepiſcopus, inde Cardinalis factus, &, ut perhibetur, invitus ad illam dignitatem tractus eſt. Præter libros aliquos theologicos morales & homileticos, *ut de Aſcenſione mentis in Deum*, *de Gemitibus Columbæ*, qui oſtendunt animum ejus devotum; ſcripſit etiam magnum opus *Controverſiarum theologicarum*, quod per 40. annos ipſi elimatum traditur. Hoc opus ejus aggreſſi & è Reformatis & è Lutheranis multi. *Morhoff. Polyhiſt. Tom.* 3. *libr.* 5. *num.* 24. De Bellarmino & opere ejus Controverſiarum conſulantur etiam è Pontificiis *Jac. Fuligattus* & *Dan. Bartoli*, aliique Vitæ ejus Scriptores: & *Nathanael Sothwellus in Biblioth. Jeſuitica pag.* 720. *ſeqq.* ex Lutheranis *Chriſtoph. Kortholtus* in Præf. Tractatus *de Canone S. Scripturæ*; *Jo. Fridericus Meyerus in Eclogis de Fide Baronii & Bellarmini*, *ipſis Pontificiis ambigua*; *& Jægerus Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Decenn.* 1. *libr.* 6. *cap.* 4. Eſt & Ejuſdem Bellarmini liber de *Scriptoribus Eccleſ.* cujus ſupplementum dedit *Philippus Labbeus*; ſed cautè legendus, & adhibitâ *Roberti Coci Cenſura.* De morte Bellarmini *Theatr. Europæum Tom.* 1. *pag.* 709. ubi etiam icon ejus.

22. DIONYS. GOTHOFREDVS, magni nominis JCtus, Lutetiæ Pariſiorum natus fuit. Hic poſtquam Genevæ per 20. annos docuiſſet, ab Henrico IV. Rege Galliæ inſignibus præfecturis & dignitate Conſiliarii Curiæ Pariſienſis ornatus quidem fuit, ſed paulò poſt inde in Germaniam conceſſit, Baſileæ primùm Profeſſor Pandectarum factus, mox in Argentoratenſi Academia Antecesſoris munus magnâ cum laude ſuſtinuit, ſed & hinc ſemel iterumque emigravit Heidelbergam, quò à Friderico IV. Electore ad munus Profeſſorium vocatus erat. Denique tamen ob belli clades Electoratui incumbentes, iterum Argentinam conceſſit, ibique brevi poſt mortuus eſt. Videatur de Vita ejus *Melch. Sebizius* &c. in *Appendice chrono-*

Digitized by Google

chronologica, orationibus ſecularibus Gymnaſii Argentinenſis adjecta. Henning. Witte in Memor. JCtorum pag. 86. Scripta ejus, quæ magno numero edidit, partim Juridica ſunt, partim philologica, quorum catalogum aliunde peti malumus.

23. PHILIPPVS CLVVERIVS, Dantiſcanus, Geographus ſuo tempore celeberrimus, ſcriptis ſe nobilitavit pluribus, qualia ſunt *Introductio in univerſam Geographiam tam veterem, quàm novam*, quæ cum *Bunonis 38. tabulis* edita eſt. *Italia antiqua* libri 4. *Vindelicia, Noricum. Sicilia, Sardinia, Corſica antiqua.* Vid. de Vita & Scriptis ejus *Dan. Heinſius, in oratione, quam in obitum ejus conſcripſit*, &c. *Reimmannus Hiſt. Liter. Germ. Contin. libr. 2. Sect. 3. Quæſt.* 147.

JANVS RVTGERSIVS, Dordracenſis Batavus, JCtus quidem fuit, legationibus etiam à Guſtavo Adolpho Rege Suec. cui à conſiliis aulicis erat, obitis clarus, ſed & inter philologos inſignis, non ultra 37. annos vixit, in Hollandia, quò legatus ad Ordines Confœderati Belgii miſſus erat, mortuus. Inter ſcripta ejus eminent *Variarum Lectionum libri 6.* eruditum opus. Cætera indicabit *Clarmundus in Vita Part. 6. pag.* 135.

LEONARDVS LESSIVS, Antverpienſis, è Soc. Jeſu Theologus in Academia Lovanienſi Profeſſor, ſcripſit *de Juſtitia & Jure cæteriuque virtutibus Cardinalibus* libros 4. *ad Secundam Secundæ D. Thomæ à quæſt. 47. uque ad* 471. Prius verò prodierat ſeparatus ejus tractatus *de Juſtitia & Jure*, cui etiam accuratiorem operam impendiſſe videtur. Acceſſit *Tractatus de Monte pietatis*, ad defenſionem hujus Operis. Præterea theſes quasdam in illo tractatu poſitas, *de licito uſu æquivocationum & mentalium reſtrictionum* (quam doctrinam Jeſuitarum, ſi Diis placet, ſolertia nobis peperit) impugnavit *Johannes Barneſius*; contra quem *Theophilus Raynaudus* ſingulari Diſſertatione Leſſium defendit. *Morhoff. Polyhiſt. Tom. 2. libr. 1. cap. 14. p. 69.* Habentur & ejusdem Leſſii Diſputationes nonnullæ *de Gratia efficaci, Decretis Divinis*, &c. item *de Prædeſtinatione & reprobatione Angelorum & hominum, de Prædeſtinatione Chriſti.* Vid. *Alegambe in Biblioth. Jeſuit.*

PHILIPPVS MORNÆVS du Pleſſy, ex illuſtri proſapia Gallus, Reformatæ religionis in Gallia propugnator acerrimus. Ejus eſt egregium opus, *Myſterium iniquitatis ſeu Hiſtoria Papatûs.* Idem ſcripſit magnum opus *de Euchariſtia*, item, *de Veritate religionis Chriſtianæ*: qui liber Gallicè ab ipſo ſcriptus eſt, & commendatur à *Morhoffio Polyhiſt. Tom. 3. libr. 5. num. 7.* Præterea *de Eccleſia.* Ejusdem

dem eſt *Chriſtiana & pia Conſideratio mortis*, *atque adeò humanarum actionum*. Vid. D. *Buddei Lex Univ.* & qui ibi laudantur.

TABULA XXIX.

Redimus jam ad RES IMPERII in Tab. ſeq. notatas, quæ quidem pergit recenſere Clades exercituum utriusque partis, usque ad Pacem in Weſtphalia concluſam. Ad annum ergo Seculi

26. Anti-Cæsarei ad Lutteram, quæ eſt arx in Brunſuicenſi ditione, cæſi ſunt. Ibi enim Rex Daniæ, diſſuadente licet Fuchſio pedeſtrium ejus copiarum duce, pugnæ copiam Tillyo fecit Strenuè quidem rem geſſerunt Dani pedites & Saxones, ut aliquandiu dubiam hoſtibus victoriam facerent; ſed equitibus regiis officium non facientibus, Cæſareanus exercitus peditatum ab equitatu deſertum, non incruentâ tamen victoriâ, ſuperavit, cæſis captisque eorum amplius tribus millibus; præter multa ſigna militaria etiam 22. tormenta victori ceſſerunt. Rex ex prælio Wolfferby tam eadem veſpera ſe recepit. Poſt hanc cladem Dux Brunſuicenſis ſtatim Societati Danorum renuntiavit, & cum Cæſare reconciliatus eſt. Videatur amplius de hoc prælio, quod Saxonum vires valdè attrivit, reliquos terruit, *Theatr. Europ. Tom. 1.* & cæteri *Belli tricennalis Scriptores*, quibus add. *Cluver. in Append. Hiſt. Univ. p. 749.*

in Austria superiore 9. *Nov* ejusdem anni agreſtes Auſtriaci ſupra Oenum à Pappenheimio victi & diſſipati ſunt. Hos ob religionis libertatem edicto Cæſareo rurſus ademtam tumultuantes, nimia inſuper ſeveritas Adami Comitis Herbersdorffii ad extrema conſilia adegerat, quippe qui ruſticos hos aut Jeſuitam jubebat eligere, aut carnificem. Itaque in arma exciti deſperatione, & ſubinde viribus aucti agreſtes, totam ſupra Oenum Auſtriam, excepto Lintzio, à cujus obſidione cum clade repulſi ſunt, in ſuam redegerunt poteſtatem; repetitis interim ſupplicationibus pro libertate Evangelici cultus à Cæſare impetranda. In quo cùm fruſtra eſſent, Cæſareani milites ducibus Herbersdorffio, Breunero, Lobelio, primùm carptim victos, ad extremum duce Pappenheimio, graviſſima clade affecerunt; poſt quam paulatim ad obſequium reducti Auſtriaci, principesque conjurationis manu carnificis necati, libertas verò religionis miſeris hominibus omnino adempta eſt. *Theatr. Europ. Tom. 1.* &c.

31. Cæ-

31. CÆSAREI AD LIPSIAM 7. *Septembr.* Hoc eſt illud prælium in quo primùm Ferdinandi Cæſaris continua felicitas hæſit. Exercitus ejus duce Tillyo ab excidio Magdeburgenſi recens, etiam Lipſiam, par fatum timentem, ad deditionem adegerat. Accelerabat interim Guſtavus Adolphus Rex Suecus, cui Elector Saxonicus, ditiones ſuas Cæſareanis prædæ eſſe cernens, icto foedere ſuas copias coniunxit. Itaque adunatis viribus in hoſtem eunt. Pugnatum eſt acriter, dubiâ aliquandiu victoriâ. Jamque Saxones in ſiniſtro cornu, cui Elector præerat, fugere incipiebant, & ad Tillyanos inclinabat victoria, niſi Sueci pedites duce Hornio opportunè per ſylvulam ſuppetias ferentes, aciem reſtituiſſent. Verſus in fugam equitatus Cæſareus, totaque acies laxata. Tenebris diremtum eſt prælium, & poſtera lux plenæ victoriæ fidem fecit Suecis, tormenta, ſarcinas, currus ab hoſte fugiente relictos occupantibus. Ad 15000. utrinque cæſa dicuntur. Capta de Cæſareanis ſigna ultra centum. Hujus pugnæ eventus Saxoniam, omnesque adeò in Germania Evangelicos à jugo Pontificio propediem imponendo liberavit. Receptæ non ſolùm Saxonicæ ditionis urbes, ſed & quascunque adiit Rex victor, in Germaniam ſuperiorem tendens, occupavit. Hiſtoriam prælii Lipſienſis exhibet, præter cæteros belli tricennalis Scriptores, *Brachelium, Waſſembergium, Baptiſtam Burgum*, &c. etiam *Theatrum Europ. Tom 2. pag.* 425. *ſeqq.* quibus add. *Cluver. Epit. Hiſtor. libr.* 10. *append. pag.* 775.

A. C. 1632. AD LYCVM 5. *April.* Ibi enim ad Rainam oppidum caſtra poſuerant Cæſareæ Bavaricæque copiæ, Suecos tranſitu amnis prohibituræ. Sed Sueci tormentaria verberatione ſylvæ, quam inſederant hoſtes, magnam arborum hominumque ſtragem fecerunt, ita ut hoſtes fugere coacti, inſequentibus per pontem à ſe factum Suecis, noctis beneficio vix Neoburgum atque Ingolſtadium trepidi evaderent, ultra 1000. ſuorum deſideratis. Ipſe Dux Tillyus ictu glandis transverberatus, Ingolſtadii ex eo vulnere periit. Ejus victoriæ fructum ante alios Auguſtana Civitas ſenſit, quam Rex victor, dimiſſo præſidio Cæſareo Bavaricoque intravit, & abrogato magiſtratu Pontificio, Evangelicos reduxit, remque publicam & religionem ab oppreſſoribus vindicavit. Vid. *Theatr. Europ. Tom.* 2. *pag.* 555. *Cluver. pag.* 780.

AD LVTZENVM 6. *Nov.* Duobus milliaribus Lipſia diſtans hoc oppidum eſt, ubi memorabile prælium commiſſum, in quo Rex Suecus victor occubuit. Cùm enim Cæſareani in Saxoniâ rurſus ſuperiores eſſent, & Holtzio duce Lipſiam occupaſſent, Rex foederati Principis periculo

Bbbb riculo

riculo excitatus, ad auxilium ei ferendum properavit, nactusque hoſtes prope Lutzenam oppidum duce Fridlandio, antequam cum Pappenheimianis conjungerentur, eos aggredi conſultum duxit. Diſperſis nebulis ejus diei, concurrerunt adverſæ acies, verſusque in fugam ſiniſtri cornu equitatus Cæſareus; quem dum ardentius perſequitur Rex Sueciæ, acceptis aliquot vulneribus, incerto tamen auctore, fortiſſimam animam in armis reddidit. Nec tamen fiducia cecidit Evangelicis; quin potius inultam Regis ſui mortem non paſſuri, Bernhardo inprimis Vinarienſi ſtrenuè vices Imperatoris fungente, hoſtes, acriter licet pugnantes, acie vicerunt. Effuſos in fugam Cæſareanos Pappenheimius, cum recenti exercitu advolans Hallâ, reſtituit, reſtauratoque certamine, & in octavam noctis horam extracto, ipſe Pappenheimius occumbit, Cæſareanique tandem victi, relictâ impedimentorum tormentorumque parte, Lipſiam refugerunt. Cæſa dicuntur utriusque partis millia novem. Ex Cæſareanis præter Pappenheimium Abbas Fuldenſis periit, qui Spectator advenerat, aliique ex ducibus. Nec tantam hæc victoria apud Evangelicas partes lætitiam, quantum dolorem glorioſiſſimi Regis Guſtavi Adolphi mors peperit: quem veluti Deum ex machinâ miſſum, Germanicæ libertatis haud dubiè reſtauratorem, & Evangelicæ religionis aſſertorem venerabantur. In optimo ætatis vigore, non ultra 38. annos natus occubuit, princeps cui parem Suecia nullum, reliquus orbis paucos dedit. Parentatum eſt ei paſſim in Germania, & apud exteras quoque gentes nomen ejus in veneratione eſt. De prælio Lutzenſi præter *Theatr. Europ. Tom. 2. pag. 667. ſeqq.* & cæteros belli hujus Scriptores, videatur etiam *Puſendorffius in Hiſtor. Suec. & in Contin. Introd. ad Hiſtoriam*, ubi Regem non hoſtili telo, ſed à ſuarum partium duce Lauenburgico interfectum aſſerit.

A. C. 1633. Ad Oldendorpium 28 *Jun.* Hameliam urbem à Georgio Duce Lunæburgico, cum Suecicis & Haſſicis copiis, obſeſſam periculo eximere volebant Cæſareani duces Gronsfeldius & Merodius: ſed ad Oldendorpium ſive Allendorffium Weſtphaliæ victi acie, ſeptem millibus ſuorum amiſſis, inter quos ipſe dux Merodius, cæterisque fugatis ac diſperſis, victoriam cedere Lunaburgicis, & mox Hameliam cedere coacti ſunt, quam ſequuta eſt Oſnabruga. *Theatr. Europ. Tom. III. pag.* 81. *ſeqq.* & cæteri Scriptores belli tricennalis.

Ad Pfaffenhovium 31. *Julii* ejusdem anni Lotharingiæ Dux, paulò ante Cæſaris partes apertè amplexus, cùm per Tabernas Alſaticas cum exercitu egreſſus, oppidulo huic in Alſatia ſito immineret,

neret, deducto properè ab Hagenoënſi obſidione exercitu Suecico, ſub Duce Chriſtiano Birckenfeldio, victus & profligatus eſt: relictis armis, tormentis impedimentisque omnibus: reliquiæ victi exercitus in Lotharingiam, unde venerant, refugerunt. *Theatr. Europ. Tom. III. pag.* 86. &c.

A. C. 1634. AD LIGNITZIVM Sileſiæ fuſi Cæſareani à Saxonicis copiis ſub duce Arnhemio, 4000. circiter cæſis, & captis 1400. etiam vexilla non pauca cum IX. tormentis & apparatu omni tormentario in victoris poteſtatem venerunt. Saxones deinde Gloggaviam aliaque Sileſiæ oppida occuparunt, omnia pro arbitrio agentes. *Theatr. Europ. Tom. III. pag.* 227. *ſeqq.*

ANTI-CÆSAREI AD NORDLINGAM 27. *Aug.* In hoc prælio conversa fortuna, & Cæſaris partes iterum confirmatæ ſunt, Suecorum verò res non parùm afflictæ. Captâ Ratisbonâ & Donaverdâ, Nordlingam Sueviæ oppidum magna vi oppugnabat Ferdinandus III. Rex Hungariæ Bohemiæque, tunc exercitus Cæſarei ſupremus Dux; cui cum ſuppetias ferre vellent Sueci, res ad prælium decretorium venit: in quo fortiſſimè licet pugnantes Sueci, à Cæſareanis & loco & numero ſuperioribus, tormentorum vi maximè, & alio caſu inopinato ex pulveris pyrii conflagratione afflicti, tandemque in fugam effuſi, plenam hoſti victoriam conceſſerunt. Peditatus ferè omnis Suecorum in eo prælio amiſſus, impedimentaque & machinæ cum reliquo apparatu bellico, in hoſtium poteſtatem venerunt. Fortiſſimus Dux Hornius cum multis aliis ductoribus, tribunis & centurionibus captus. Clades hæc Bernhardi Vinarienſis præcipitantiæ tribuitur, qui ut ſtatim prælii aleæ res committeretur contra cæterorum ſententiam pervicit, non expectato Rheingravio, cum novis copiis adventante Vinarienſis fugâ ſe recepit Canſtadium, & mox Heilbronnam reliquias victi exercitûs collecturus. Vberiorem cladis hujus Suecicæ hiſtoriam petere licet ex Scriptoribus belli tricennalis, & *Theatr. Europ. Tom. III. pag.* 273. *ſeqq.* quibus addatur *Cluveri Hiſtor. libr.* II. *appendix pag.* 802. & *Relat. Francof. ad hoc ſemeſtre.*

A. C. 1636. CÆSAREI AD WITSTOCHIVM 27. *Sept.* Commiſſum eſt hoc prælium ad Witſtochium in ditione Mecklenburgicâ. Saxonicas copias, quibus juncti erant Cæſareani ſub duce Hatzfeldio, ipſe Elector ducebat, quippe poſt pacificationem Pragenſem (de qua poſtea) Suecorum hoſtis factus: Suecis præerat Bannierius, qui tum Werbenſem munitionem oppugnabat; ſed ad famam adventantis exercitûs Cæſareo-Saxonici ſubitò inde diſceſſit, ut illi ſe opponeret, & conjunctionem cum aliis copiis ſub duce Klitzingio

Digitized by Google

impediret. Quod & feliciter ſucceſſit. Poſt acerrimam utrinque pugnam editam, quam nox diremit, Cæſareani multùm debilitati, amiſſis ſuorum in acie ſex ſeptemve millibus, non expectato lucis ortu ex caſtris ſuis diſceſſerunt: 41. tormenta majora cum vexillis ſignisque militaribus 152. à Suecis capta ſunt, & impedimentorum pars maxima victori relicta eſt. *Theatr. Europ. Tom. III. pag. 633.* &c.

A. C. 1637. Ferdinandus *III.* Imp. defuncto parente Ferdinando II. Imperium exorſus eſt in mediis Germaniæ turbis. Electus erat jam ante in Regem Rom. Ratisbonæ menſe Decembri 1636. adverſus quam electionem Carolus Ludovicus Palatinus, nec non Trevirenſis Elector tunc apud Hiſpanos captivus, proteſtati ſunt. Subornatus à Gallis, qui pro Trevirenſi ſcriberet *Joannes Stella* ſeu *Juſtus Aſterius* (ſub quo nomine latere voluit *Hugo Grotius*) edidit Examen *Comitiorum Ratisbonenſium* ad A. C. mdc. xxxvi. in quo conatus eſt oſtendere, illam electionem propterea non eſſe ritè confectam, quòd non omnes Electores convocati ſint, neque exinde potuiſſe fieri Regem Romanorum. Oppoſuit autem ſe illi *Oſtermannus*, ſcripto in contrarium opere, cui titulum fecit: *Thronus regalis.* Ferdinandus III. armis Suecorum & Confoederatorum, qui tunc adhuc erant Rex Galliæ, Brunſuicenſes & Haſſi, multùm exercitus, poſt varias clades & munitiſſimorum caſtrorum amiſſiones, hoſtibus in hereditarias Auſtriæ regiones jam ingreſſis, ſeriò tandem ad pacem adſpirare coepit: quâ anno 1648. Oſnabrugæ & Monaſterii confectâ, pacificè & tranquillè reliquum tempus vitæ exegit, uſque ad annum 1657. quo vivis exceſſit: cum anno præcedente filium Ferdinandum *IV.* paulò ante Regem Romanorum coronatum, rurſus amiſiſſet. Vid. *Acta publ. Lundorpii, Theatr. Europ. Thuldenus, Brachelius, Hiſtoria Pacis Weſtphalica,* &c. quos indicat *Neu ad Whear. in Mantiſſa pag.* 188. *ſeq.*

A. C. 1638. Cæsarei ad Rhinfeldam 14. *Febr.* Bernhardus Vinarienſis oppugnabat Rhinfeldam, quam liberaturi Cæſareani & Bavarici duces, Savellius, Verdanus, Sperreuterus, Enckefordius ac Furſtenbergius quicquid copiarum in proximo erat, contraxerunt. Et prima quidem proſperè ſucceſſerunt Cæſareanis, pulſusque ab obſidione Vinarienſis Lauffenburgum receſſit. Cæterùm poſtridie reverſus confirmato exercitu, & delendæ heſternæ ignominiæ cupidus, nihil minus opinantes Cæſareanos magno impetu aggreſſus fundit. Capti duces propè omnes, Savellius, Verdanus, Sperreuterus, Enckenfordius & alii minorum ordinum Præfecti permulti.

multi. Savellius haud multò poſt incuria cuſtodum elapſus: cæteri Pariſios miſſi ſunt. Tam luculentæ victoriæ complementum acceſſit mox deditio Rhinfeldæ, ad quam Vinarienſis rediit. *Theatr. Europ. Tom. III. pag.* 834. *ſeqq.* & cæteri hujus belli Scriptores. Item *Relat. Francof. ad hoc Semeſtre.*

AD WITTENWEIHER 30. *Julii*, eodem anno alteram victoriam reportavit Bernhardus Vinarienſis. Obſidebat ille tunc Briſacum, cui ex annonæ anguſtiis laboranti commeatum inferre, quocunque id periculo conſtaret, Cæſareani cum Bavaris conabantur. Inſtructo igitur exercitu ſub ducibus Savellio & Goetzio, magnum apparatum eò adduxerunt; quibus Vinarienſis occurrit cum ſuis copiis ad Wittenweiher pagum Briſgoiæ ad Rhenum, deſcendentesque in aciem Cæſareanos, poſt ancipitem diu pugnam, tandem profligavit. Multi cæſi captique, reliqui diſſipati ſunt, nec ultra 3000. cum ducibus ſuis in Wirtembergiam refugerunt. Omnis apparatus cum tormentis & impedimentis victori ceſſit. *Theatr. Europ. Tom. III. pag.* 883. *ſeqq.* & reliqui Scriptores hujus belli: quibus add. *Relat. Francof. ad hoc Semeſtre.*

A. C. 1639. AD CHEMNITIVM 4. *April.* Commiſſum eſt hoc prælium ad Chemnitzium in Miſniâ, in quo Cæſareo-Saxonicus exercitus à Suecis duce *Banierio* fuſus fugatusque, aliquot millibus ſuorum amiſſis, itidem apparatum omnem bellicum cum impedimentis in hoſtium poteſtate reliquit. *Theatrum Europæum Tom. IV. pag.* 96. &c.

A. C. 1640. AD ZIEGENHAIN 15. *Nov.* Non magnis quidem exercitibus commiſſum eſt hoc prælium, ſed tamen virtute Suecicorum militum & clade Cæſareanorum memorabile. Hi enim plures à paucioribus ſuperati, ultra mille ſuorum, qui partim cæſi, partim capti ſunt, amiſerunt. Suecicos milites ducebat Tribunus *Roſa*, Cæſareos *Baro de Breda.* Res geſta eſt ad Ziegenhain, quod eſt oppidum Haſſiæ *Theatr. Europ. Tom. IV pag.* 209.

A. C. 1641. AD WOLFFENBÜTTEL 19. *Junii.* Vrbem eam munitiſſimam à Suecicis copiis obſeſſam liberare volebant Cæſareani ſub ductu *Leopoldi Wilhelmi Archiducis*, quorum tamen conatus irritus fuit. Aggreſſi quidem ſunt Suecicos & Lunæburgicos; ſed poſt acerrimum conflictum ab illis repulſi, amiſſis prope 4000. re infecta rurſus diſceſſerunt. *Theatr. Europ. Tom. IV. pag.* 599. *ſeq.* &c.

A. C. 1642. AD KEMPAM 17. *Jan.* Comes *Lamboyus* Cæſarei exercitus dux inſigni clade affectus eſt à Vinarienſibus & Haſſicis copiis ſub ductu Comitum *Guebriani* & *Eberſteinii.* Commiſſum eſt

Digitized by Google

prælium ad Kempam in Colonienſi dioeceſi, in quo 3000. Cæſareanorum militum occiſa, 4000. capta, & ſigna militaria 146. cum tormentis & impedimentis victori in prædam ceſſerunt. Ipſe Dux *Lamboyus* cum præcipuis tribunis in hoſtium manus venit. Reliquiæ fugitivi exercitus paulò poſt à *Roſa* duce omnino deletæ ſunt aut diſſipatæ. *Theatr. Europ. Tom. IV. pag.* 818. *Cluverii Hiſtor. libr.* 11. *Append. pag.* 835.

AD SVEINITZIVM 21. *Maji.* In Sileſia *Torſtenſohnius* Suecicæ militiæ dux, poſt captam Gloggoviam, eam urbem (Sueidnitzium) oppugnaturus veniebat. Cui *Franc. Albertus Dux Lauenburgicus*, qui iis locis præſidio erat, cum ſeptem ferè millibus Cæſareo-Saxonicorum occurrit, ſed victus acie; ab hoſtibus numero ſuperantibus, amiſſo peditatu omnibusque ferè impedimentis & ſignis militaribus, ipſe graviter vulneratus in hoſtium poteſtatem venit, & paulò poſt Sueidnitzii ex vulnere deceſſit. Sileſiâ poſt hanc victoriam ferè totâ occupatâ, Torſtenſohnius in Moraviam iter flexit, in eaque, præter alia minora oppida, *Olomuziam* provinciæ caput cepit &c. *Theatr. Europ. Tom. IV. pag.* 888. *Cluverii Hiſtor. libr.* 12. *append. pag.* 838.

AD LIPSIAM 23. *Octobr.* Sileſiâ Moraviâque hoſtiliter direptis, & firmo præſidio munitis, *Torſtenſohnius* in Saxoniam regreſſus, Lipſiam obſidebat. Cæſareani duces, *Leopoldus Wilhelmus*, Auſtriacus, & *Octavius Piccolomineus*, Dux Amalphitanus, contractis quicquid ubique erat viribus, in auxilium Saxoni properabant. Quibus cùm occurreret Torſtenſohnius, eodem propè loco, quo ante decennium Guſtavus Adolphus Rex cum Tillyo conflixerat, acri prælio & pari fortuna inter infeſtas utrinque acies certatum eſt. Nam Cæſareani magni vi ac virtute coorti, cùm aliquoties Suecos loco pepuliſſent, ad extremum victi ipſi, & loco pulſi, victoriam hoſtibus ceſſere. Equitatûs magna pars fugâ evaſit. Pedites plerique cum magno numero impedimentorum, & tormentis 42. omnique reliquo apparatu caſtrenſi, in poteſtatem hoſtium pervenere. *Theatr. Europ. Tom. IV. pag.* 901. *Cluverii Hiſtor. libr.* 12. *append. pag.* 839. &c.

A. C. 1643. ANTI-CÆSAREI AD DVTTLINGAM 29. *Nov.* Magna hæc Vinarienſium clades fuit, non juſto prælio & acie inſtructâ, ſed per inopinatam oppreſſionem illata. Nam Vinarienſes (qui ducem ſuum Guebrianum paulò ante mortuum amiſerant) captâ Rotweilâ dum hoſtium ſecuri in propinqua oppida legiones diſtribuunt, repente ſupervenientibus Cæſareis Bavaricisque & Lotharingicis copiis, quæ ſe ſummo ſilentio & magnâ celeritate conjunxerant, ſine ullo prælio oppreſſi atque intercepti ſunt. Dutlingâ primùm potiti,

ubi

Digitized by Google

ubi primaria erat Vinarienſium ſtatio, reliquas hoſtium ſtationes, ut inter ſe compoſuerant, aggreſſi, diviſos ad deditionem compellunt. Pauci cum *Roſa*, ſupremo equitum præfecto fugâ evaſere. Reliqui omnes ſummi infimique, adhæc pecuniæ & apparatus bellici magna vis in poteſtatem victorum pervenere, quibus paulò poſt Rotweila ſe dedere coacta eſt. *Theatr. Europ. Tom. V. pag.* 191. *ſeqq. Cluverii Hiſtor. libr.* 12. *append. pag.* 893.

A. C. 1645. CÆSAREI AD JANKOW 24. *Febr.* Eſt id oppidum Sileſiæ, ad quod colliſi exercitus, Cæſareus ſub duce *Hatzfeldio* & Suecicus ſub *Torſtenſohnio*, per octo horas acerrimè pugnarunt, donec inclinata acies Cæſareanorum tandem in fugam ſe vertit; relictis in poteſtate hoſtium tormentis 26. ſignis militaribus 77. cum cætero apparatu bellico, exceptis impedimentis quæ Thabore cum præſidio remanſerant. Captus ipſe ſummus militiæ Cæſareæ præfectus *Hatzfeldius*, dux alter *Goetzius* occiſus, cum plurimis aliis ductoribus & Tribunis, militumque gregariorum aliquot millibus. Poſt hanc victoriam *Torſtenſohnius* denuo in Moraviam irrupit. *Theatr. Europ. Tom. V. pag.* 703. &c.

ANTI-CÆSAREI AD MERGENTHAL 5. *Maji.* Hoc loco iterum Vinarienſes & Galli ſub duce *Turennio* per intervalla hoſpitiorum nimis diſperſi, à Cæſareo-Bavaricis copiis, tacito itinere ſupervenientibus, oppreſſi ſunt. Quanquam illi quidem ſubinde collecti fortiter ſe primùm defenderunt, tamen novis aliquot turmis Bavarorum in ipſos ingruentibus, terga vertere, & plenam victoriam hoſti cedere coacti ſunt. Capti primarii ordinum præfecti *Schmidbergius* & *Roſa*, qui nuper in clade Dutlingenſi idem captivitatis periculum tempeſtivâ fugâ anteverterat; præterea Vice-Comes *Motta* cum gregariis ultra mille, omnibusque impedimentis & apparatu bellico univerſo. *Theatr. Europ. Tom. V. pag.* 767. *Cluverii Hiſtor. libr.* 12. *append. pag.* 149. *ſeq.* &c.

AD ALERSHEIM 3. *Aug.* Si Tabulam noſtram audimus, Anti Cæſarei ad hunc pagum clade affecti fuerint: quod ſecùs habet. Nam victoria, quanquam non incruenta, ex parte Gallorum & Confoederatorum fuit, quorum militiæ ſummus Præfectus erat *Dux Anguienſis*, & ipſe eo prælio, tribus equis, quibus inſederat, amiſſis, in brachio & in femore vulneratus. Sed Bavarorum Dux *Mercius* prima aggreſſione cecidit: unde inclinata illorum acies, Anguienſi vehementius territis inſtante, ad extremum in fugam vertitur. *Comes Gelehnius*, cum fortiſſimè dimicans diutiſſimè in acie perſtitiſſet, cum præcipuis Tribunorum à Gallis capitur. Commiſſum eſt

præ-

prælium ad Alershemium in Nortgavia. *Theatr. Europ. Tom. V. pag.* 8.. *Cluverii Hiſtor. libr.* 12. *append. pag.* 850.

A. C. 1648. AD SVSMARSHVSIVM 7. *Maji.* Eſt is vicus ad Lycum amnem, tribus milliaribus Auguſtâ Vindelicorum diſtans, ubi inter exercitum Cæſareo-Bavarum ſub duce *Holtzapffelio*, & Suecos Galloſque ſub ducibus *Vrangelio* & *Turennio* acriter pugnatum eſt, & victoria penes Suecos fuit. Ex parte Cæſareanorum ipſe Dux Holtzapffelius periit. *Theatr. Europ. Tom. VI. pag.* 315. *ſeq.* &c.

PRAGA *à Suecis partim capta* 16. *Jun.* duce *Koenigsmarckio*, qui cùm eſſet ad tantum conatum viribus impar, ad inſidias converſus (quarum auctor *Ottenwalſchius* fuiſſe dicitur) præter omnium opinionem Parvam Vrbem (nam in III. Civitates Veterem, Novam & Parvam dividitur Praga) atque arcem Regiam ſummo mane adortus, priusquam præſidiarii ad arma concurrerent, occupatis præcipuis ſtationibus, in poteſtatem redegit. Qui reſtiterunt primores ex nobilitate Bohemicâ occiſi; urbs militi, præter paucas domos, in prædam conceſſa. Oppugnata eſt deinde reliqua urbs à Suecis ſupplemento copiarum interim auctis, quas CAROLVS GVSTAVVS, *Comes Palatinus*, Suecicæ militiæ ſupremus Præfectus & Succeſſor regni à Chriſtina declaratus, adduxerat; protractaque obſidio eſt in principium menſis Novembris, & nuntio pacis Mon[illegible] & Oſnabrugæ initæ finita. Magnum igitur & luctuoſum Ger[illegible] bellum, quod ante 30. annos Pragæ in Bohemiâ fuerat exortum, ad eandem deſiit. *Theatr. Europ. Tom. VI. pag.* 320. *ſeqq. Cluverii Hiſtor. libr.* 12. *append. pag.* 863. &c. Sequitur ergo

PAX OSNABRVGÆ ET MONASTERII SANCITA 14 *Octobr.* In hac pace cudendâ multi anni conſumti ſunt, donec in certam formam transfuſa eſt. Et quidem præliminaria ejus Hamburgi per ſeptennium tractata ſunt; & hinc demum Oſnabrugæ & Monaſterii in Weſtphaliâ ipſis Tractatibus factum initium. Duobus locis ut ageretur, ea ratio fuit, quò evitaretur colliſio inter Gallos & Suecos, quam præcedentiæ ambitus parere potuiſſet; & præterea quòd Sueci cæterique Evangelicorum legati cum Nuntio Pontificio nollent in congreſſum venire. Legati ergo Suecici cum Cæſareanis & plerisque Evangelicorum Statuum Oſnabrugæ erant; Galli verò cum Cæſareanis, Hiſpanis, Hollandis, Nuntio Apoſtolico & plerisque Statibus Pontificiis Monaſterii: ita tamen ut utroque loco acta pro eodem tractatu haberentur; legatis interim Gallorum Suecorumque ultro citroque commeantibus. Nunquam alius ſolenni huic atque ampliſſimo conventui ſimilis viſus fuit, tot regum Principumque lega-

legatis præſentibus. Prius concluſa pax inter Hiſpanos & confoederatos Belgas, quâ, poſt octoginta annorum certamina, tandem plenam libertatem hi obtinuerunt. Denique etiam transactio pacifica, Cæſarem inter ejusdemque Confoederatos ex unâ, Suecos verò & armorum Socios ex alterâ parte, conſummata eſt, poſtquam multis tergiverſationibus rem diſtuliſſent Cæſarei, variisque artibus conati eſſent confoederatos Reges à ſe invicem, & Evangelicos à Suecis dividere. Quomodo per hanc pacificationem libertati Germaniæ, & in eâ religionis conſultum ſit; quæ in ſatisfactionem conceſſa Regibus Gallo & Sueco; quæ Statibus nonnullis penſatio facta, atque univerſæ denique conditiones pacis, quoniam ob prolixitatem compendio referri non poſſunt, ex ipſo *Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ* peti rectius debent. Et hæc quidem pacificatio in legem fundamentalem Imperii invaluit, cui ſequentes deinde pacificationes *Neomagenſis* & *Riſvicenſis*, maximâ ex parte ſuperſtructæ ſunt. Videatur inprimis *Hiſtoria Pacis Weſtphalicæ*, quam ſuppreſſo nomine edidit *Joh. Pfannerus.* Pertinent etiam huc *les Memoires de Monſr. D'touchant la negotiation du Traité de Paix à Münſter.* Item, *Chriſtoph. Forſtneri Epiſtolæ de negotio pacis Oſnabrugenſis*, quæ 1670 in 12. prodierunt. *Oldenburgeri*, P[illegible]ſſoris Genevenſis, *Diſcurſus in Inſtrumentum Pacis*, quem ſub nomine *Phil. Andreæ Burgoldenſis* edidit: *Godofredi Ferdinandi de Buckiſch Obſervationes Hiſtorico-politicæ ad Inſtrumentum Pacis*, Viennæ editæ in 4to. 1697. non multum tamen commendandæ. Nam Auctor affectus ſuos Pontifici dicatos nimis prodit: *Theatr. Europ. Tom. 6.* ubi etiam plerorumque legatorum icones exhibentur.

RES ECCLESIÆ in hac Tabula notantur hæ:

A. C. 1629. EDICTVM IMP. DE BONIS ECCLESIASTICIS. *Auguſta Vindelicorum reformatur.* Libertas religionis Proteſtantibus in Transactione Paſſavienſi conceſſa erat, & per pacem religioſam Auguſtæ Vindelicorum concluſam confirmata. Poſt illam verò transactionem Paſſavienſem multa adhuc bona eccleſiaſtica Proteſtantibus ceſſerant, Lutheranâ religione, temporibus præcipuè Ferdinandi I. & Maximiliani II. paſſim propagatâ. Hæc igitur bona omnia Pontificiis reſtitui per hoc Edictum jubebantur, idque ſequente anno 1630. facto ab Auguſtana Civitate initio, executioni mandari coepit, per omnes Imperii Circulos dimiſſis Commiſſariis Cæſareis, qui inquirerent, quinam Epiſcopatus, Abbatiæ, Præpoſituræ, Monaſteria, Xenodochia, &c. inde ab anno 1552. religionem mutaſſent,

ſent, ut illa confeſtim ad Eccleſiam Rom. reducerentur. Hoc edictum graviter commovit animos Principum Proteſtantium, quippe quod ad ſuam perniciem ſpectare non obſcurè apparebat; ac proinde fortiter quidem verbis contradicebant, ſed nihil profuturis, niſi arma Suecorum poſtea interveniſſent. Acta circa hanc rem videantur prolixius in *Theatro Europ. Tom. II. princ.* &c.

A. C. 1631. COLLOQVIVM LIPSIENSE PACIFICVM. Conventus Evangelicorum Lipſiæ convocatus erat à Joh. Georgio Electore Saxonico, propter Edictum, quod paulò ante memoravimus, reſtitutorium, & imminentem Germaniæ à truculento Cæſaris milite ruinam: ubi poſt matura conſilia tandem decretum, legendum eſſe militem, & vim, ſiqua intentaretur, vi repellendam, neque permittendos in poſterum ſubditos hoſtium libidini. Quam rem in invidiam Proteſtantium interpretabantur Pontificii, ac ſi foedus contra Cæſarem iniiſſent. In eodem verò conventu præter deliberationes ad civilia pertinentes, unionem eccleſiarum tentarunt utriusque Electoris Saxonis & Brandeburgici, quidam Theologi, (& inde eſt, quod pacificum hic appellatur iſtud Colloquium, ob pacem inter utramque eccleſiam tentatam) habito inter ſe privato de articulis fidei controverſis colloquio; cui è Lutheranis interfuerunt *D. Matthias Hoë*, Electoris Saxonici Concionator Aulicus, *D. Polycarpus Lyſerus*, & *D. Henricus Höpſſnerus*; è Calvinianis *D. Joh. Bergius*, *D. Joh. Crocius* & *Theophilus Neubergerus*; quæ actio in menſe Martio inſtituta, uti merè privata fuit, ita hac clauſula obſignabatur; ut omnia acta invicem haberentur quaſi non acta, neque alterutra pars ſine alterius conſenſu evulgaret quicquam. *Theatrum Europ. Tom. II. pag.* 280. *ſeqq. Strauch. Contin. Sleidan. pag.* 556. *Jæger. Hiſtor. Eccleſ. & Politic. Dec.* 4. *libr.* 1. *cap.* 1. *&* 8. *ex Biſſelii Hiſtor. Eccleſ.* De civilibus ibi tractatis negotiis *cap.* 8.

A. C. 1634. VLTRAIECTINA ACADEMIA *excitatur.* Alii ad annum 1636. referunt, quo Generales Foederati Belgii Ordines in hac urbe Academiam inſtituerunt, multis poſt id temporis celeberrimis viris nobilitatam.

A. C. 1638. *Auguſtanæ Confeſſionis exercitium Bremæ inſtauratur*; quod per 100. ferè annos hucusque ceſſaverat in eâ urbe, per occaſionem tumultûs ex ambitione D. Harderbergeri orti abrogatum: cùm interim ſoli Calviniani ſuæ religionis exercitium in ipſa urbe haberent, Lutherani verò cives aliò ire cogerentur ad ſacra ſua celebranda. Fridericus ergo Princeps Daniæ & Archiepiſcopus Bremenſis, clauſum ab eo tempore cathedrale Bremæ templum huic rurſus

Digitized by Google

rurſus uſui deſtinavit, & cultum divinum ex inſtituto invariatæ Auguſtanæ Confeſſionis ibi introduxit d. 23. Sept. hujus anni habitâ prima concione ſacrâ, cui ipſe Archiepiſcopus cum aliis proceribus interfuit, fruſtra contradicente Senatu. Vid. de hac actione *Theatr. Europ. Tom. III. pag. 905. & 922.*

CYRILLVS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS *laqueo ſuffocatur.* Hic Cyrillus Lucaris, patriâ Cretenſis, varias fortunæ vices expertus eſt, vir literis probè imbutus. Qui cùm tandem ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum evectus, ad Reformatos propendere viſus eſſet, ſuſpicione ex familiari commercio cum legatis Anglico & Hollandico conceptâ, hinc Græcorum, quos ob ignaviam & imperitiam reprehendebat, inde Jeſuitarum invidiam in ſe concitavit, qui non quievere, donec ipſum primùm Patriarchatu dejectum, deinde reſtitutum, denique ſuſpectum redditum apud aulam Ottomannicam, è medio tollerent, efficerentque, ut vel jubente vel connivente Sultano Turcico ſtrangularetur. Hiſtoriam hujus Cyrilli, ex Reformato quodam Scriptore, narrat *Jægerus Hiſtor. Eccleſ. & Politic. Dec. 4. libr. 8. cap. 7.*

CORN. JANSENII *Auguſtinus in Galliâ & Belgio novas ferit lites.* Cornelius Janſenius, Iprenſis in Flandria Epiſcopus, ſcripſit *de Oeconomia Gratiæ Tomos III.* quibus AVGVSTINI titulum præfixit, ideò quòd Auguſtini ſententia genuina in iis contineatur. Damnat hic Scriptor tum in genere *Scholaſticam Philoſophiam*, vulgò ſic dictam, quod in eadem Epicurea, Platonica & Pelagiana dogmata proponantur; tum in ſpecie in ſcientiæ mediæ auctores, *Suarezium*, *Fonſecam*, *Molinum*, *Leſſium* &c. invehitur: ipſe verò plerasque Calvinianorum opiniones ſuas facit, & ex Auguſtino deducere conatur, Gratiam operari irreſiſtibiliter, & eſſe particularem etiam ex intentione Dei antecedente; nullam eſſe ſufficientem, niſi quæ actu ſecundo beatitudinem conſummat; Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum non eſſe, &c. Prodiit hoc ſcriptum biennio poſt auctoris obitum, & non tantum à privatis ſcriptoribus, inprimis Jeſuitis, oppugnatum, ſed etiam Bullis Pontificiis Vrbani VIII. & poſt hunc Innocentii X. & Alexandri VII. damnatum fuit. Nec defuerunt tamen ex Pontificiis, qui defenderent, præſertim Sorboniſtæ. Vid. *Carriere in Digeſt. Chronol. Pontific. pag. 84. ſeq. Ludovici Montalti Epiſtolæ* 17. *provinciales. Strauch. Centur. Sleidan. pag. 578. ſeqq. Hiſtor. Eccleſ. Gothan. libr. 2. cap. 5. Sect. 2. pag. 814. ſeqq.* & qui utrobique allegantur. Prolixius *Jægerus Hiſtor. Eccleſiaſt. & Politic. Decenn. 9. libr. 8. cap.* 8. ubi hujus Janſenii cùm doctrina tum vita, mors & fata exponuntur.

Digitized by Google

Prodiit etiam anno 1690. *Panegyris Janſeniana, ſeu Teſtimonia eruditorum Virorum celebrantia librum, cui titulus: Cornel. Janſenii, Epiſcopi Iprenſis, Auguſtinus: addito Prologo galeato, hodiernis controverſiis non parùm illuſtrandis accommodo per Paulum Aurelium, Theologum Tenualethen.* Plures de Janſeniſmo Scriptores notat *Moellerus in Præfat. Tomo 2. Polybiſt. Morhoffiani præfixa pag. 22.* Add. *Hartnacc. Contin. Hiſtor. Eccleſ. Micralii Part. 3. Artic. 1. pag. 1844. ſeqq. Kortholt Hiſtor. Eccleſ. Sec. XVII. Sect. 1. cap. 2. num. 8. pag. 900.*

A. C. 1644. INNOCENTIVS X. P. R. dictus prius *Joh. Baptiſta Pamphilius*, Vrbano VIII. hoc anno mortuo ſucceſſit, ſedem vacuam poſt decennium Alexandro VII. relicturus. Fuit oppugnator Janſeniſmi acerrimus, alioqui multis nominibus Rom. curiæ ſpretus & inviſus, affectu inprimis intolerabili erga fratris uxorem Olympiam, foeminam inexplebilis ambitionis & avaritiæ. *Theatr. Europ. Tom. V. pag. 566. ſeq.* ubi etiam effigies ejus. *Franc. Carriere Hiſtor. Chronolog. Pontific. R.* Pluribus de morte Vrbani VIII. & de electione Innocentii X. agit *Jagerus Hiſtor. Eccleſiaſt. & Polit. Decenn. 5. libr. 4. cap. 2. ſeqq.*

A. C. 1645. ARCHIEPISCOPVS CANTVARIENSIS *decollatur.* Eſt is *Wilhelmus Laudus*, qui in turbis illis Anglicanis, quas præcipuè excitarunt duæ in illo regno factiones toto genio inter ſe oppoſitæ, *Puritanorum* altera, altera *Semipapiſtarum*, horum partes tuebatur. Prævalentibus verò Puritanis, hic accuſatus colluſionis cum Pontificiis, datumque crimini eſt, quòd ſtudio hierarchiæ Epiſcopalis, adverſus Puritanos, eam magnopere improbantes, tuendæ, Syncretiſmum cum Pontificiis moliatur. Damnatus itaque eo nomine à Senatu regni, conſentiente Rege, capite plectitur. De vitâ & interitu *Laudi* Archiepiſcopi tribus voluminibus Anglica lingua ſcriptis ſingulariter egit *Wilhelmus Prynne.* De ejuſdem caſu & de motibus Anglicanis horum temporum videri poteſt *Martyrologium Wilhelmi Wiſtanley: Batei elenchus motuum nuperorum in Anglia: Wilhelmi Sanderſon Hiſtoria Vitæ & regni Caroli I.* item, liber, cui titulus: *Seſquiſeculum Anglicanum.* Acta Cromvellii contra hunc Wilhelmum Laudum, Archiepiſc. Cantuar. lege apud *Jagerum in Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Dec. 4. libr. 5. cap. 9.* Eſt etiam *Hiſtoria Motuum & Inquiſitionis contra Guilielm. Laudum*, ab ipſomet in carcere turris Londinenſis conſignata, ſed anno demum 1695. edita in publicum: teſte *Carolo in Memorab. Eccleſ. libr. 10. cap. 40. pag. 718.* qui etiam alibi *eodem libro cap. 52. pag. 773.* de cauſa Laudi Archiepiſc. pluribus videri poteſt.

COLLO-

Digitized by Google

COLLOQVII THORVNIENSIS INITIVM 18 Aug. Inſtitutum fuit hoc Colloquium, quod *Charitativum* appellatur, auctoritate Regis Poloniæ, Thorunii in Boruſſia, inter Pontificios, Lutheranos & Reformatos. Ex parte Lutheranorum directorium habebat *D. Joh. Hulſemannus*, Witebergâ evocatus: Reformatorum Præſes erat *D. Joh. Bergius*, Eccleſiaſtes Brandeburgicus, & inter utroſque ſe quaſi medium gerebat *D. Georgius Calixtus*, Theologus Helmſtadienſis, ſingulare pacis ſtudium præ ſe ferens. Pontificiorum conſeſſui præerat *Georgius Tiszkiewicz*, Epiſcopus Samogitiæ. Cæterùm hoc quoque pacificationis in religione negotium, ut hactenus omnia, felici ſucceſſu caruit. De actis colloquii variè relatum. Videatur præter *Acta Colloquii Thorunienſis* publicè edita, *Theatr. Europ. Tom. V. pag.* 965. *Piaſecius in Chron. pag.* 507. *Arnold. Hiſt. Eccl. & Hær. Part.* 2. *libr.* 17. *cap.* 4. *pag.* 460. Invenias etiam Acta hujus Colloquii prolixius deſcripta in *Jægeri Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Decenn.* 5. *libr.* 5. *cap.* 1.

A. C. 1648. CHRISTIANORVM IN JAPONIA PERSECVTIO, inaudita crudelitate à barbaris exercita in Europæos illic commerciorum cauſâ degentes, & qui ex popularibus magno numero Chriſtianam fidem à Jeſuitis edocti ſuſceperant. Cœperat quidem hæc perſecutio jam ante 30. & amplius annos. Occaſionem ſævitiæ dediſſe feruntur Batavi, qui Luſitanorum commerciis invidentes, eos apud Imperatorem Japanis ſuſpectos reddere laborarunt. Vide & alias cauſas in *Jægeri Hiſt. Eccl. & Pol. Decenn.* 2. *libr.* 3. *cap.* 9. Add. *Bernh. Varenius in Deſcriptione Japaniæ cap.* 9. ubi *de religione Japanica*. Arnold. Montanus in Geſandſchafften nach Japan, & *Puffendorff in Introd. ad Hiſtor. Tom.* 1. *p.* 177. *ſeqq. Kortholt Hiſtor. Eccleſ. Sec. XVII. Sect.* 2. *cap.* 1. *num.* 29. *pag.* 894.

Ad VARIA tranſeuntibus in hac Tabula occurrit

A. C. 1631. MAGDEBVRGENSE EXCIDIVM 10. *Maji.* Tragicus hujus urbis caſus inter memorabilia fortunæ exempla meritò numeratur. Ea à Tyllio Cæſareanorum duce obſeſſa, cùm ſe diu fortiter defendiſſet, tandem tamen, non ſine proditionis ſuſpicione, à Cæſareanis vi capta, & ignibus ſubjectis in cineres redacta eſt. Dubitaſſes utrum horrenda urbis clades commiſeratione magis, an victoris inſolentia execratione dignior ſit. Agebant enim victrices copiæ non ut homines cum hominibus, ſed ut beſtiæ crudeles ſe-

Digitized by Google

cum invicem agere conſueverunt. Nulla hic ætatis, nulla ſexûs imbellis habebatur ratio. Occiſorum numerus exactè non innotuit, quàmplurimis igne abſumtis, cujus vehementia Cæſareanis prædam, incolis vitam cum melioris fortunæ ſpe omnino ſuſtulit. Teſtantur tamen quorum inculpata in recenſendis rebus fides eſt, ultra 22000. occiſorum cadavera in Albim projecta eſſe, ne elementi hujus teſtimonio careret crudelitas: cujus ipſum Tyllium, cum ſub mortis tempus ſubiſſet memoria, poſtea pœnituiſſe dicunt, & ſubinde eam à ſemet admiſſam acerbè queſtum. *Strauch. Contin. Sleid. p. 554. Theatr. Europ. Tom. II. pag. 357. ſeqq. Cluver. Append. Hiſtor. libr.* 10. *p.* 771. *ſeq.* & alii belli tricennalis Scriptores. Add. Hübner in den kurtzen Fragen aus der Politiſchen Hiſtorie / *Tom.* 8. *pag.* 628. *ſeqq.*

A. C. 1634. FRIDERICVS VLRICVS *Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis obiit*, fracto crure ex lapſu ab equo: de quo ſupra. Is quod improlis erat ditiones ejus omnes Luneburgicæ familiæ (ipſe enim ex Brunſuicenſi erat) ceſſerunt, facta inter Principes partitione. *Theatr. Europ. Tom. III. p.* 284 *&* 532.

WALLENSTEINIVS *trucidatur* 14. *Febr.* Is eſt *Albertus Fridlandiæ Dux*, ex nobili Bohemo pridem ad ſummos honores & principatus evectus à Ferdinando II. Cæſare, & copiarum ejus, ut vocant, Generaliſſimus. Sed cùm defectionem à Cæſare meditaretur, ſive quòd deſiderabat coronam Bohemiæ, ſive quòd ſui exauctorationem metuebat, è defenſore proditor factus, in ipſo conatu oppreſſus eſt. Etenim Egræ cum *Terskio* & *Kinskio* aliiſque nonnullis ad cœnam vocatum, *Gordonius*, *Buttlerus* & *Leslaus*, Vigiliarum Præfectus, cum Hibernis & Scotis ſuis, nihil de inſidiis ſuſpicantem interfecerunt. De cujus vita, moribus, fortuna, & poſtremis conſiliis ac denique tragico exitu conſulendi Scriptores illorum temporum. Vid. inprimis *Theatr. Europ. Tom.* 3. *pag.* 156. *ſeq. pag.* 178. *&c. Cluver. Append. Hiſtor. libr.* 11. *pag.* 795. *ſeq. Vitam Wallenſteinii Gualdus* deſcripſit linguâ Italicâ. *Hiſtoriam mortis & rebellionis Wallenſteinii* ſub ficto *Cneji Falcidii Donaleri* nomine itidem Italicè edidit *Jo. Franc. Lauretanus.*

A. C. 1635. PACIFICATIO PRAGENSIS. Poſt cladem Evangelicorum ad Nordlingam acceptam, Elector Saxoniæ, qui jam ante non ſatis æquis oculis Suecorum in Germaniâ creſcentem potentiam aſpiciebat, hanc occaſionem arripiens, pacis ſtudium cum Cæſare ineundæ detexit. Ea Leitomeritii primùm, dein Pirnæ ſtudioſis tractatibus quæſita, demum Pragæ ſub finem Maji concluſa eſt. Ex con-

conditionibus præcipuæ fuerunt; ut pleraque, inprimis quod ad religionem & bona Eccleſiaſtica attinet, in eum ſtatum reformarentur, quo erant anno 1627. d. 12 Nov. Maximilianus tamen Dux Bavariæ, & linea ejus Wilhelmina Electoratum Palatini retineret, Viduæ Friderici IV. reſtituta dote, & filiis ejusdem præbito alimento: Megapolitanis quoque Ducibus regiones avitas promiſit Cæſar, ſi hanc pacem probaverint; nec non Ducibus Brunſuicenſibus Wolfferbytum; quibus ſimul mandatum, ut 400000. Imperialium Tyllianis ſolverent heredibus. Decretum, ut qui in hanc pacem conſenſiſſent, conjunctis viribus & conſiliis id deinceps agerent, quò exercitus peregrinus, Suecorum inprimis, ex Imperii finibus ejiceretur, ſive transactione pacatâ, ſive aperta vi: contineretque Cæſar exercitum, & cum eo Elector Saxoniæ cæterique in hanc pacem promittentes Principes & Civitates copias ſuas conjungerent, præſtito Cæſari atque Imperio novo Sacramento. Is deinceps Cæſaris & S. Rom. Imperii exercitus vocaretur. Reliqui articuli ex ipſo Inſtrumento pacis hujus amplius petantur. Huic pacificationi ſubſcripſere plerique Evangelicarum partium Principes Civitatesque; ſolus penè inter omnes Imperii Proceres Wilhelmus Landgravius Haſſiæ arma adverſus Cæſarem retinuit, ſociavitque cum Bernhardo Vinarienſi. Hi tunc unicè reſtabant in Imperio Suecorum confœderati. Cæterùm graviſſimè tulerunt Sueci hanc pacificationem, indignè ſecum actum eſſe conqueſti, cùm Proteſtantium rem tantis incrementis auxiſſent, & ipſum Regem ſuum pro Germaniæ ſalute fortiſſimè pugnantem amiſiſſent. Et paſſim ſcriptis quoque vapulavit hæc pacificatio, inter quæ extat inprimis *Diſſertatio de Pace Pragenſi, tàm infauſtè quàm injuſtè inita* &c. *in quâ artes & technæ Auſtriacorum, vacordia Saxonum, pericula Proteſtantium, & æquitas belli à Francis & Suecis iure prolati, evidentiſſimè oſtenditur: auctore Juſto Aſterio JCto*: ſub quo nomine latere voluit *Hugo Grotius*. Ipſius pacificationis acta prolixè exhibet Theatri Europ. Tom. III. inprimis confirmationem ejus *à pag.* 403. *usque ad* 416. *Cluver. Append. Hiſt. libr.* 11. *p.* 804. *ſeqq. Jageri Hiſt. Eccl. & Polit. Decenn.* 4. *lib.* 4. *c.* 1. *fin. & lib.* 5. *cap.* 1. *&* 2.

A. C. 1638. BRISACVM *tandem expugnatur 9. Decemb.* Muniſſimum hoc Briſgojæ oppidum, obſidente Vinarienſi, & fruſtra ſuccurrere laborantibus Cæſareanis, ac ſemel iterumque clade affectis, tandem fame ad deditionem adactum eſt: quæ tam atrox fuit, ut conſumtis omnibus conſuetis atque inſolitis cibis, nec humanis carnibus parcitum eſſe conſtet. Hujus oppidi occupatio per

Digitized by Google

per Suecicas pariter Gallicasque copias facta, res Gallorum in Imperio plurimum ſtabilivit. Horum enim in manibus fortiſſimum Alſatiæ clauſtrum ad noſtra usque tempora manſit, in quas avaritia ducum, poſt obitum Vinarienſis, illud tradidit, confirmatâ deinde per pacificationem Monaſterienſem ejusdem poſſeſſione. De Briſaci obſidione & ſequuta deditione vid. *Theatri Europæi Tom. V. Cluver. Append. Hiſtor. libr. 11. pag. 811. ſeq. &c.*

A. C. 1640. JOHANNES IV. LVSITANIÆ REX. Luſitani ante 60. ferè annos à Philippo II. Monarchiæ Hiſpanicæ adjecti, ſicuti ægrè ferebant Hiſpanicum jugum, ita hoc tempore jam diu meditatam defectionem, Catalaunorum maximè exemplo invitati, palàm exequi cœperunt, Verconcello Secretario & regiarum partium primario miniſtro Olyſſipone interfecto. Inde novum ſibi Regem elegerunt Johannem Ducem Bragantiæ, qui ab Emanuele Rege Luſitaniæ per Catharinam aviam genus ducebat: eumque etiam, quanquam diuturno exinde bello ab Hiſpanis oppugnatum, adjuti opibus Gallorum Batavorumque, in ſolio Luſitanico ſtabiliverunt, nec ante annum 1668. ſub Succeſſore ejus finitum bellum, interveniente mediatione Regis Angliæ, & pacis articuli ſanciti, quibus Hiſpanus eum pro Rege Portugalliæ agnoſcebat. Videatur *Cajetani Paſſarelli, Cler. Regii, Bellum Luſitanum, ejusque regni ſeparatio à regno Caſtellenſi.* Item, *Antonii Souſa Luſitania Liberata. Theatri Europæi Tom. 4. p. 451. &c. Jægeri Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Decenn. 4. lib. 10. cap. 3.* & quos ibi nominat.

Amurathi ſuccedit fr. IBRAHIM Amurathes IV. Turc. Imper. quem præter infamiam crudelitatis bellum Perſicum & expugnatio Babylonis nobilitavit, poſt 33. vitæ ejus & 17. regni annum mortuus, nullos liberos reliquit. Itaque frater ejus Selimus, jam per quadriennium carceri incluſus, ex illo educitur, atque in ſolium evehitur, dictus Ibrahim I. Is plerumque in gynæceo delituit, conquiſitis undique pulcherrimis fœminarum. Sed cùm & filiæ Mufti, i. e. Summi apud Turcos Sacerdotis, ſtuprum invitæ intuliſſet, exciti à patre violatæ Janizzari Ibrahimum ſtrangularunt anno 1648. De ejus evectione ad *Imperium* vid. *Theatri Europæi Tom. 4. p. 155.*

FRIDERICVS WILHELMVS ELECTOR BRANDEBVRGICVS, *patri ſuccedit.* Laudatiſſimus hic princeps, mortuo patre Georgio Wilhelmo, cujus filius unicus erat, regimen ſuſcepit, quod deinde per 48. annos glorioſiſſimè continuavit. Ejus res geſtæ tot tantæque ſunt, ut hic ſigillatim enarrare longum futurum ſit: ex quibus etiam Magni cognomentum accepit. Domus certè Electoralis Bran-

Brandeburgicæ potentia ſub eo non exigua incrementa cœpit, quæ perficienda reliquit filio, regiam inſuper dignitatem adepturo. Videatur interim de eo *Samuelis Puffendorffii Hiſtoria Brandeburgica*, ubi de hujus Electoris rebus prolixè & accuratè agitur: in *Theatro Europæo* ſparſim.

A. C. 1641. GEORGIVS DVX BRVNSVICENSIS ET LVNÆBVRGENSIS *obit.* Hic princeps magnas in bello tricennali partes habuit, & præſtitis primò Cæſari contra Danum Regem auxiliis, prælio ad Lutteram victoriam ejus adjuvit. Poſtea verò fœderi Lipſienſi nomen dedit, & in Suecorum partes conceſſit, multisque ſtrenuè contra Cæſareanos geſtis, poſt quadriennium in Pragenſem pacem conſenſit, Cæſarique reconciliatus eſt. Solus ex ſeptem fratribus maritatus (ita enim inter ipſos convenerat) familiam propagavit, & reliquit filios 4. quorum duo majores natu ditiones Luneburgicas in Cellenſem & Calebergenſem diviſas, ex teſtamento patris, deinceps rexerunt: easdem verò ſine ſobole maſculâ defuncti, reliquis duobus fratribus regendas reliquerunt. *Theatri Europæi Tom. 4. pag. 598. &c.*

A. C. 1643. *Hiſpani* AD ROCROIAM *à Gallis cæduntur.* Rocroiam in Arduenna ſitum oppidum Hiſpani gravi obſidione premebant, cui laboranti in auxilium properans Ludovicus Dux Anguienſis, copiarum Gallicarum Supremus Præfectus, poſt adventum ſuum ſtatim caſtra Hiſpanica aggreditur, non ſine clade primò repulſus. Poſtridie verò eadem majori impetu aggreſſus, fuſis fugatisque Hiſpanis, & captis eorum omnibus impedimentis atque inſtrumento bellico, memorabilem victoriam obtinuit: cujus inter fructus fuit dedita intra bimeſtre obſidionis Theonis villa. *Theatri Europæi Tom. V. pag. 78. ſeqq. Cluver. Append. Hiſtor. libr. 11. pag. 844. &c.*

LVDOVICVS XIV. REX GALLIÆ, ex Ludovico XIII. & Anna Maria Auſtriaca Hiſp. Regis ſorore, poſt 22. annorum ſterile conjugium quaſi per miraculum natus, patri d. 14. Maji, 1643. defuncto ſucceſſit puer quinquennis, regiminis curam interim ſuſcipiente matre, dum ipſe adoleſceret. Hujus tanti Regis per tot annos, quibus ad hunc usque diem imperavit, geſta auſpiciis & partim etiam ductu, non capiunt integri libri, nedum ut huic inſtituto noſtro ſingulatim enarranda conveniant, niſi quòd præcipua quædam ſub ſuis titulis & ſuo loco infra attingentur: quippe quæ, cùm plerisque per Europam rebus ipſe intervenerit aut actor aut arbiter, magnam partem hiſtoriæ horum temporum efficiunt. Quæ

Digitized by Google

de eo conſignata ſunt, habentur potiſſimùm in *Thuldeni* libris ultimis; *Theatro & Diario Europæo*; ſcripſit & *Benjamin Priolus de Rebus Gallicis ab exceſſu Ludovici XIII. Hiſtoriarum libros XIV.* usque ad annum 1660. inter recentiores eſt auctor libri, cujus titulus: *Eſſay de l'hiſtoire de Louis le Grand juſqu'a la paix generale 1697.* qui liber editus eſt Coloniæ 1700. in 8°. Noviſſimos Ejus rerum Scriptores commemorare nihil attinet; cùm iis etiam alii ſubinde ſuccedant.

A. C. 1645. MOTTA *capitur à Gallis.* Id munitiſſimum tunc in Lotharingia oppidum poſt diuturnam obſidionem tandem Gallis deditum, & munimenta ejus dejecta ſunt. *Theatri Europæi Tom. V.*

TURCÆ *irruunt* IN CANDIAM. Jam ab aliquo tempore Ibrahim I. Turcarum Sultanus ingentes apparatus ad bellum fecerat, metuentibus cunctis, quorſum tandem illa tempeſtas erumperet. Subitò deinde Candiam (olim Cretam) Inſulam Venetæ ditionis aggrediuntur, expugnatoque propugnaculo S. Theodori, quod eſt ad borealem inſulæ plagam, Caneam portu & munitionibus celebre oppidum terra marique circumſident, ac poſt bimeſtrem obſidionem capiunt, fruſtra recuperationem ejus poſtea tentantibus Venetis. Bellum hoc protractum fuit usque ad annum 1669. quo Candia denique urbs poſt biennii obſidionem Turcis dedita, & pax coiit cum Venetis, per quam his tres Inſulæ portus, Suda, Spinalonga & Carabuſa relinquebantur. *Theatr. Europ. Tom. V. &c.* Extat & hujus belli Hiſtoria ſeorſim in *Appendice ad Continuationem XX. Diarii Europæi.*

A. C. 1647. REBELLIO NEAPOLITANA *duce* THOMA ANIELLO. Hæc rebellio ex modicis initiis multò omnium atrociſſima erupit, ob nova vectigalia fructibus hortenſibus impoſita, quæ à populo, jam alioqui tributis exhauſto, ſeverè exigebant Hiſpani. Querimoniis enim ea de re nihil proficientibus, repertus eſt homo abjectus, atque ex infimâ plebe, qui ſe liberatorem patriæ profiteretur, & negotium abrogandorum vectigalium in ſe ſuſciperet. Is fuit Thomas Aniellus (vulgò Maſaniellum vocabant) qui vili officio in foro piſcario fungebatur. Hunc ducem nacta multitudo abrogationem vectigalium impetuoſiùs flagitabat, & paulatim usque ad 150000. hominum ejus imperio ſe aggregantes, per urbem impune graſſabantur, & Proregem, Ducem de Arcoſa, tandem coëgerunt, ut in poſtulata plebis conſentiret. Aniellus pater patriæ & liberator paſſim ſalutatus, cùm amenti ſimilis multa interim abſurdè atque crudeliter egiſſet, tandem ſe ultro poteſtate

exuit:

Digitized by Google

exuit: & è piſcatore Rex, è Rege nullus, immiſſis percuſſoribus, deſertus ab omnibus, cæſus eſt. Plenior hujus rebellionis hiſtoria peti poteſt ex *Relationibus* de ea ſingulariter impreſſis, nec non ex *Theatro Europæo Tom. VI. pag. 166. ſeqq. Brachelio ad hunc annum*, aliisque horum temporum Scriptoribus, quibus add. *Cluver. Append. Hiſt. lib. 12. p. 856.*

A. C. 1648. *Ibrahimo Turc. Imperatori ſuccedit* MUHAMED IV. anno ætatis 9. quem Auctor *Theatri Europæi* Achmetem vocat, ſed rectius Muhamedes, natus anno 1638. patri à Janizzaris ſtrangulato ſucceſſit; interim dum adoleſceret, adminiſtratore regni conſtituto Magno Vezierio. Princeps fuit in violenta exercitia, & præcipuè venationem propenſiſſimus. Præcipuum ejus cum Venetis bellum fuit, compoſitum anno 1668. Plura de eo *Auctor Status Turcici lib. 1. Theatr. Europ. Tom. VI. p. 363. &c.*

VLADISLAVS IV. *Polon. Rex obit, ſuccedit* JOH. CASIMIRVS. Vladislai Frater, qui pridem Sacris addictus & Jeſuita, deinde Rom. Eccleſ. Cardinalis fuit. Rex conſtitutus poſt mortem fratris, ejusdem viduam *Aloyſiam Mariam Nivernenſem* duxit uxorem. Denique poſt confectum bellum Coſacicum & Suedicum 1668. regnum abdicavit, inque Galliam profectus, ibi in monaſterio ſe condidit. Mortuus Niverniæ d. 6. Decemb. 1672. corpusque in Poloniam perductum 1676. menſe Februario ſepultum eſt. Conſulatur *Theatrum & Diarium Europæum*, item de fatis ejus ante regnum *Piaſecius in Hiſtor. Polonica*, quam ad annum usque 1640. perduxit.

FRIDERICVS III. DANIÆ REX, Chriſtiano IV. patri ſucceſſit, hactenus Archiepiſcopus Bremenſis. Rex bello infelix fuit, quod cum Suecorum Rege Carolo Guſtavo anno 1657. exorſus, plerumque inferior extitit, Suecis denique Scaniam, Hallandiam, Bleckingam, nec non inſulam Huenam & munitum oppidum Bahuſium cedere coactus. In eo bello maximè memorabile fuit iter Regis Sueci cum exercitu per mare glacie adſtrictum; item obſidio Hafnienſis. In pace felicior: huic enim, quod nulli ante eum Regi Daniæ, contigit, ut hereditario jure regnum ad poſteros transmitteret. Ita enim confecto bello Suecico, anno 1660. conſenſu Statuum Eccleſiaſticorum, civicorum & ruſticorum decretum eſt, ut regnum Daniæ, quod antehac electivum fuerat, deinceps eſſet hereditarium, hereditate ejus Friderico III. ejusque liberis in perpetuum adjudicatâ: cui tandem & Nobiles, licèt ægrè, conſenſerunt. Vid. *Thulden. ad annum 1660. pag. 391. ſeq.* unde etiam, ut ex Theatro Europæo cætera de hoc Rege, ad ſuos ſingula annos, peti poſſunt.

Digitized by Google

FRIDERICVS DVX BRVNSVICENSIS ET LVNÆBVRGENSIS *obit.* Fuit & hic Wilhelmi Junioris filius, frater Georgii, qui ſolus ex ſeptem fratribus matrimonium iniit, & ſtirpem propagavit: uti ſupra dictum. Fridericus verò poſt mortem fratris Auguſti regimen ſuſcepit, anno 1636. eique uſque ad mortem præfuit. Filius ei ex cujusdam Secretarii filia genitus fuit *Erneſtus de Luneburg*, unde ſtirpis Nobilium de Luneburg origo eſt. Obiit Cellæ, ubi reſidebat, & poſt mortem ejus Chriſtianus Ludovicus, ex fratre Georgio nepos, Cellenſem Ducatum nactus eſt, Grubenhagenſis verò alteri fratri ceſſit. Vid. *Theatr. Europ. Tom. VI. pag.* 646. *D. Spenerii Sylloge Genealog. p.* 518.

A. C 1549. CAROLVS BRITANNIÆ REX *decollatur.* Hic infeliciſſimus Regum graviſſimis diu motibus in regno ſuo implicitus, tandem horribili exemplo capitis ſupplicium à ſubditis ſibi intentatum ſubiit. Cauſæ horum motuum & progreſſus breviter commemorari non poſſunt, & dictum aliquid ſupra, ubi de *Wilhelmo Laudo, Archiepiſcopo Cantuarienſi.* Res tandem in apertam rebellionem erupit, armaque nomine Parlamenti populique Anglicani contra Regem ſumta, quibus hic tandem in eas anguſtias redactus eſt, ut, cùm nullum amplius regni oppidum, præter ſolam Oxoniam, ipſius præſidio teneretur, rebus ſuis diffiſus, ad Scotorum caſtra tranſierit, quos æquiores erga ſe futuros ſperabat, quoniam in Scotiâ natus erat, & à Regibus Scotiæ deſcendebat. At Scoti, acceptâ à Parlamento Anglicano pecuniâ, tradiderunt Regem Anglicanæ militiæ; eâ quidem lege, ut conditionibus æquis cum ipſo tranſigerent, eundemque in dignitatem priſtinam reſtituerent. Sed alia omnia evenerunt. Accuſatus enim Carolus, quòd auctoritatem Parlamenti, excitato bello civili, abolere voluerit, & peregrinum induxerit militem, nec non alia indigna bono Principe egerit, à Judicio ſanguinario ſeu novo Juſtitiæ tribunali (ita enim appellabatur) compoſito è rebellibus & ſeditioſis hominibus, qui Independentes vocabantur, intercedentibus fruſtra Scotorum, Belgarum & aliorum Principum legatis, ut tyrannus & hoſtis patriæ ad ſupplicium capitis condemnatus, & more Anglicano ſecuri percuſſus eſt anno 1649. Februarii d. 9. cujus memoriam anniverſariam Angli eâdem die indicto jejunio aliisque ſacris ritibus celebrant, cum titulo Martyrii Regis Caroli; Kyng Charles Martyrdom. Inſcriptione item imaginis ejus in Burſâ regiâ poſitæ expreſſerunt. *Carolus I. Monarcharum M. Britanniæ Secundus, Franciæ & Hiberniæ Rex, Martyr ad cœlum miſſus penultimo Januarii* 1648. Cum Parlamentarii antehac

antehac loco imagine vacuo inſcripſiſſent: *Exiit tyrannus Regum ultimus Anno libertatis Angliæ Reipubl. I. Domini M DC XLVIII. 30. Januar.* Conſulantur amplius ipſorum Anglorum ſcripta, e. g. *Martyrologium Wilhelmi Wiſtanley 1665. Batei Elenchus Motuum nuperorum in Anglia, Wilhelm. Sanderſon. Hiſtoria Vitæ & regni Caroli.* Scripſit & *Miltonus* Anglus, *defenſionem populi Anglicani*, oppoſitam *Salmaſii libro contra parricidas Anglicanos.* Add. *Seſquiſeculum Anglicanum*, cujus Auctor eſt *Jac. Thomaſius.* item *Theatri Europ. Tom. VI.* ubi de proceſſu criminali, condemnatione & ſupplicio Regis à *pag.* 825. prolixe agitur. &c. Alia de hac re Scripta indicat *Jagerus Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Dec. 5. libr. 9. cap. 5.*

A. C 1650. CHRISTINA SVECIÆ REGINA *coronatur* 20. *Octobr.* Hæc Princeps, Magni Guſtavi filia, jam ante annos 18. patri ad Lützam interfecto ſucceſſerat ſexennis, matre interim Mariâ Eleonorâ, & V. Conſiliariis tutorio nomine regnum adminiſtrantibus, dum ipſa adoleſceret, i. e. ad annum usque 1644. qui fuit ætatis ejus decimus octavus. Hoc verò anno 1650. cùm jam compoſitis bellis in tranquillâ pace floreret Suecia, coronari demum voluit: quæ ſolennia coronationis Holmiæ incredibili magnificentiâ celebrata, ſimulque ſucceſſor in regno confirmatus eſt ejus conſobrinus CAROLVS GVSTAVVS, Princeps Palatinus, qui jam anno præcedente ab Ordinibus regni Sueciæ heres declaratus fuerat: fruſtra contra id proteſtantibus Polonis, quibus à Reginâ reſponſum fuit; Conſobrinus meus triginta millibus teſtium demonſtrabit, ſe legitimum Suecorum Regem eſſe. Actus coronationis deſcribitur in *Theatro Europ. Tom. VI. pag.* 1177. *ſeqq.* Add. *Brachelii Hiſtor. noſtri temp. libr.* 7. *pag.* 149. *Pufendorff. in Hiſtor. Suec. libr.* 22. *Jagerus Hiſtor. Eccleſ. & Polit. libr.* 10. *cap.* 9.

Sequuntur VIRI CELEBRES ad annos eorum emortuales poſiti: quorum primus nominatur in hac Tabulâ

A. C. 1624. MART. BECANVS, Brabantus, Soc. Jeſu Theologus, Philoſophiâ etiam, ſed inprimis Theologiâ clarus, cujus Profeſſor fuit Moguntiæ per multos annos. Poſtea verò Ferdinando II. Imper. à Confeſſionibus, obiit Viennæ. Inter Theologos Pontificios magnum nomen obtinuit ſcriptis plurimis Theologicis, quæ tribus tomis continentur. Singula eorum argumenta recenſet *Freherus in Theatro Viror. eruditione claror. fol.* 420. *ſeqq.* ex *Athenis Belgicis Franc. Sweertii.*

Digitized by Google

Marc. Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatinus & Primàs in regnis Croatiæ ac Dalmatiæ fuit. Hic ex lectione librorum Evangelicorum agnitâ veritate, ad Proteſtantium eccleſiam tranſiit, relictoque Epiſcopatu in Germaniam & Belgium, ac demum in Angliam venit: ibique ſcriptis *de Republ. Eccleſiaſticâ libris X.* tyrannidem Pontificiam non invalidè oppugnavit. Sed poſtea rurſus à Pontificiis emiſſariis perſuaderi ſibi paſſus, ut Romam rediret, & ſcripta ſua retractare juſſus, dum id non pari felicitate præſtat, qua Sedem Rom. oppugnaverat, carceri in caſtello S. Angeli incluſus, in eo poſt aliquot dies vitâ exceſſit, vel, ut plerique exiſtimant, jugulatus interiit. Corpus ejus certè ex Inquiſitionis decreto, ad templum S. Mariæ ſupra Minervam delatum, damnatumque in campo Floræ, unà cum libris contra Pontificem ab ipſo ſcriptis, crematum, & cineres in Tiberim abjecti ſunt. Vid. *Theatr Europ. Tom. I. pag.* 805. *Hiſtor. Eccleſ. Gothan. pag.* 801. *ſ q Freheri Theatr. pag* 68. *Jageri Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Decenn.* 2. *libr.* 6. *cap.* 3. 4. 5. *& Dec.* 3. *libr.* 2 *cap.* 14. *Clarmund. Vit. Part.* 8. *pag.* 108. *ſeqq.* & quos ibi allegat.

Thom. Erpenius, Batavus, linguarum Orientalium peritiſſimus (quas hortatore Joſepho Scaligero, cùm in patriâ tum inprimis apud exteros ſtudioſiſſimè excoluit) earumque Lugduni Batavorum Profeſſor factus, magnis impenſis inſtitutâ in hanc rem typographiâ, multa ſua & veterum monumenta in his linguis divulgavit. Magno in pretio ipſe apud Ordines Hollandiæ & Principem Auriacum fuit: qui ejus operâ diu uſi ſunt in interpretandis literis Africæ Aſiæque Principum, Arabicâ vel aliâ Orientali linguâ ad ipſos transmiſſis. Defuncto parentavit *Gerh. Joh. Voſſius.* De eo ſcriptisque *Franciſc. Sweertius in Athenis Batavis. Freherus in Theatro pag.* 1517. *Reimmannus Hiſtor. Liter. Contin. libr.* 2. *Sect.* 3. *Quæſt.* 269

A. C. 1625. Henric. Meibomius, patriâ Weſtphalus, poſtea in Academiâ Julia Hiſtoriarum & Poëtices Profeſſor, Philoſophus, Hiſtoricus & Poeta inſignis fuit. Scripſit complura, quorum pleraque ſunt hiſtorica, ad res inprimis Germanicas pertinentia. Obiit ſeptuagenarius. Vid. *Boiſſardus* & *Mart. Zeilerus in Vit. Hiſtoricorum. Paulus Freherus in Theatr. p.* 1517. *ſeqq. Clarmund. in Vit. Part.* 3. *pag.* 65. Sunt autem probè diſtinguendi Meibomii, propter facilem errorem ex homonymiâ. Nam hujus Senioris Henrici Meibomii filius Joh. Henricus Meibomius, & nepos Henricus Meibomius omnes Profeſſores Helmſtadienſes & ſcriptis celebres fuerunt. Vid. *Reimmann. Hiſtor. Liter. German. Sect.* 1. *num.* 117. *pag.* 98. *ſeqq.*

Joh.

JOH. CAMIRO, Scoto-Britannus, Theologus ex Reformatis, quem auctorem fuiſſe ferunt novæ inter ipſos hypotheticorum ſententiæ, quam poſtea interpolavit *Moſes Amyraldus*. Vid. *Strauch. Contin. Sleidani pag.* 530. Opera ejus omnia, inter quæ eminent *Prælectiones Theologicæ*, tribus tomis conſtant in 4to. Pleraque de Vitâ ejus habet *Buddeus in Lexico.*

VBBO EMMIVS, ex Friſiâ oriundus, in quâ etiam tandem primus recens inſtitutæ Groeningenſis Academiæ Rector & Profeſſor Hiſtoriarum ac Linguæ Græcæ factus eſt, nonnullis Theologicis, plerisque verò Hiſtoricis ſcriptis inclaruit: quorum præcipua ſunt *opus* ejus *Chronologicum*, & *Hiſtoria gentis Friſiorum.* Vid. *Nicol. Mulerus in Elogiis Emmii*, Groeningæ 1638. editis. *Pauli Freheri Theatrum*, *pag.* 1520. Vitam ejus etiam exhibet *Clarmund. Part.* 4. *pag.* 111.

A. C. 1626. BALTHASAR MEISNERVS, inter Theologos noſtrates magni nominis Doctor & Profeſſor Witebergenſis fuit. Deceſſit 40. annos natus. Scripta ejus Theologica varia ſunt, meritoque in pretio habentur. Recenſet illa *Freberus in Theatro*, *Witte in Diario.*

WILLEBRORDVS SNELLIVS, Leidenſis, & in patriâ Profeſſor Mathematum, ſcripſit *de re nummaria*; item *Cyclometricum*; *Eratoſthenem Batavum*; *de Cometa anni* 1618. Denique *Cœli & Siderum obſervationes Haſſiacas.* Explevit annos tantum 35. *Freheri Theatr. pag* 1521.

FRIDERICVS BALDVINVS, Dresdenſis, Theologus celeberrimus, & ipſe in cathedra Lutheri docuit Witebergæ, ubi Profeſſor, Superintendens, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor fuit. Scripta ejus Theologici argumenti ſunt omnia, quorum catalogum vide apud *Freberum Theatr. pag.* 434. *ſeq.* Moritur annos natus 52.

CORNEL. *à* LAPIDE, natus in Eburonibus, Soc Jeſu Theologus, & Profeſſor primum Lovanienſis, poſtea Romæ in Collegio docuit. Inter Pontificios Sacræ Scripturæ Commentatores celeberrimus, in pleroſque ejus libros commentarios ſcripſit, qui magni æſtimantur. Edidit etiam ipſius *Sacræ Scripturæ Encomium.* Vid. *Franc. Sweertius in Athenis Belg.* & ex eo *Freberus Theatri pag.* 430. *Alegambe in Scriptoribus Soc. Jeſu.* &c.

JANVS GRVTERVS, natus Antverpiæ, JCtus, Hiſtoricus, Antiquarius, Criticus & Poëta celeberrimus fuit. Primùm Witebergæ Profeſſor Hiſtoriarum docuit, poſtea Heidelbergæ eadem profeſſione cum munere Bibliothecarii functus eſt. Scripſit varia inprimis Critica, & in aliorum ſcriptis partim edendis, partim illuſtrandis, laudatiſſimam operam poſuit. Præcipua ejus ſunt *Opus Inſcriptionum*:

Digitized by Google

num: *Lampas ſeu Theſaurus Criticus*: *Florilegium Ethico-politicum*: *Suſpicionum libri* 9. & cætera, quæ vide apud *Freherum Theatri pag.* 1522. *Clarmund. in Vit. Gruteri*, *Part.* 2. *pag.* 117. Vitam ejus, variis caſibus agitatam prolixè deſcripſit *Balthaſar Venator in Panegyrico.*

Jvstvs Rycqvivs, Gandavenſis, vir in humanioribus literis, & præſertim Roman. antiquitatibus verſatiſſimus, multùm in Italia commoratus eſt, in quam bis profectus, & Bononiæ quoque, ubi per triennium docuit, anno ætatis 61. mortuus eſt. Ex ſcriptis ejus præcipuus eſt *Commentarius de Capitolio Rom.* Præter hunc eſt *Syntagma de anno Seculari Jubilæo.* (erat is 1617.) Item, *Orationes, Epiſtolæ* & *Carmina.* Vid. Swertius in *Athen. Belg. pag.* 502. *Val. Andreas in Bibliothec. Belg. Clarmund. Part.* 5. *pag.* 67.

A. C. 1628. Gilb. Jacchævs, Anglus, Medicinæ Doctor, Lugduni Batav. Profeſſionem philoſophicam ſuſtinuit. Edidit *Inſtitutiones Phyſicas*, *Metaphyſicas & Medicas. Freherus Theatr. pag.* 1553.

Jvlivs Cæsar Bvlengervs, Juliodunenſis, Gallus Soc Jeſu ſcripſit varia ad antiquitates potiſſimùm Rom. pertinentia; item, *de Imperatore & Imperio Romano & vectigalibus reliquisque dignitatibus & officiis. De Pictura plaſtica & ſtatuaria*: *De Ominibus*: *de tota divinationis ratione libros VI.* nec non libros *Hiſtoriarum.* Scripſit etiam *Vindicias pro Annal. Baronii contra Caſaubonum.* Opera ejus junctim edita ſunt Tomis II. Vid. *Alegambe in Biblioth. Scriptorum Soc. Jeſu pag.* 287. *Hanckius de Script. rerum Roman. pag.* 281.

A. C. 1629. *Joh. Buxtorffius*, Weſtphalus patriâ, & poſtea per annos 40. Baſileenſis Profeſſor Hebrææ Linguæ, hujus & rerum Judaicarum in univerſum notitiâ unus præ cæteris excelluit; cujus non in cathedrâ tantùm Academicâ quæ magno etiam exterorum confluxu frequentabatur; ſed & ſcriptis in lucem editis, documenta dedit plurima, quæ eruditis in pretio ſunt. Opera ejus enumerat *Freherus in Theatro*, *pag.* 1524.

P. Bertivs, Belga & Profeſſor aliquandiu Lugdunenſis fuit. Poſteaquam verò Arminianiſmum amplexus fuit, eo munere exutus, Pariſios ſe contulit, ibique à Lvdovico XIII. Rege Chriſtianiſſimo in Coſmographorum ſuorum numerum cooptatus eſt. Hinc ad Pontificios deſcivit, quos antea ſcriptis impugnaverat, & propterea anno 1619. in Synodo Dordracenſi excommunicatus fuit. Scriptis ſuis inprimis ad Geographiam veterem & novam multum operæ contulit, & alia nonnulla edidit inter quæ *Commentarii Rerum Germanicarum* libris III. comprehenſi, & Amſtel. 1635. in 12. editi. Vid. *Franciſci Sweertii Athen. Belg. Freheri Theatr. pag.* 1524. *Reimmanni Hiſtor.*

ſtor. Liter. German. libr. 2. *Sect.* 3. *Quæſt.* 175. *Neu in Acceſſ. ad Wheari Part. II. pag.* 71.

HERIBERTVS ROSWEIDVS, Vltrajectinus, Societatis Jeſu, condidit *Vitas Patrum*: item *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, & *Notas in Martyrologium Rom.* & alia, de quibus vid. *Sweertius in Athenis Batav. p.* 339: & *Alegambe in Biblioth. pag.* 178. Sæpe Scriptis eriſticis certavit cum *Caſaubono* (contra quem *Vindicias pro Annalibus Baronii* ſcripſit) & *cum Jacobo Capello.*

HERM. HVGO, Bruxellenſis, itidem Soc. Jeſu Theologus fuit, idem & Philologus & Poëta elegiacus eximius, cujus rei documenta dedit in *Piis Deſideriis*, elegiaco carmine ſcriptis. Philologica ſpecimina dedit in Tractatu *de Militiâ Equeſtri Antiquâ & novâ*, qui fol. editus eſt: item, *de prima ſcribendi origine, & univerſæ rei literariæ antiquitate*, &c. Vid. *Alegambe pag.* 180.

A. C. 1631. THOMAS FIENVS, Antverpienſis, Medicus celeberrimus, & Profeſſor Medicinæ primarius Lovanii, nec non Alberti Archiducis Archiater fuit. Scriptis Medicis & Chirurgicis, quin & quibusdam Mathematicis, poſteritati ſe commendavit. Vid. *Petr. Caſtellanus in Vitis Medicor. Franc. Sweert. Athen. Belg. Freher. Theatr. pag.* 1360. *Valer. Andreæ Biblioth. Belg. Mercklin. in Lindenio renovato.*

A. C. 1636. ANDR. SCHOTTVS, Antverpiæ natus, Jeſuita doctiſſimus, primùm Toleti in Hiſpaniâ Græcas literas docuit, deinde Romæ eloquentiæ Profeſſionem per triennium ſuſtinuit, denique in patriâ libris ſcribendis operam dedit, & multis ſuis aliorumque ſcriptis in lucem editis de erudito orbe bene mereri ſtuduit. Enumerantur ea in *Catalogo Scriptorum Soc. Jeſu Petri Ribadeneiræ.* Vid. *Freberi Theatr. pag.* 1530. Librum ejus *de Bibliothecis & claris Hiſpaniæ viris* recenſet *Morhoff. Polyhiſt. Literar. libr.* 1. *cap.* 18. *num.* 31. De *Adagiis Græcorum* ab eo collectis & publicatis cum ſuis notis, idem *Morhoff. d. l. cap.* 21. *num.* 85. Vitam ejus exhibet *Clarmundus Part.* 3. *pag.* 223.

A. C. 1637. DAN. SENNERTVS, Vratislavienſis, Medicinæ Doctor & Profeſſor Witebergæ, nec non Archiater Electoralis Saxonicus fuit. In ordine Medicorum inclytum nomen adeptus, ſcriptis id etiam propagavit Phyſicis, Medicis & quibusdam etiam Theologicis, quæ in manibus adhuc verſantur. Catalogum eorum exhibet *Freherus Theatri pag.* 1368. Plura de ipſo vid. in *Oratione funebri*, quâ *Aug. Buchnerus* Witebergæ ei parentavit, exhibitâ autem *à Witten in Memoriis Medicorum pag.* 89. *ſeqq. Reimmann. Hiſtor. Liter. German. Sect.* 3. *Quæſt.* 325. *pag.* 450. *ſeq.*

Digitized by Google

JOH. GERHARDVS. Magnum hunc Theologum, & de Eccleſiâ Evangelicâ longè meritiſſimum, Quedlinburgum nobis dedit. Juvenis Medicinæ aliquandiu operam dedit, poſtea mutato conſilio Theologicum ſtudium excoluit, eo ſucceſſu, ut in tantum Doctorem evaderet, quantum poſtea ore & ſcriptis præſtitit Profeſſoris Theologiæ munus ornavit in Academia Jenenſi per annos 21. Sed ut illic ore, ita calamo communem Eccleſiæ Doctorem egit. Scripta ejus Theologica exquiſitiſſima integram Bibliothecam conſtituunt. Sufficerent ſoli ejus *Loci Theologici*, opus Theologis commendatiſſimum, ad immortalem ab illis gratiam promerendam. Catalogum librorum ab eo editorum, quos ſemel ſuâ manu ſcriptos nunquam correxit, exhibet *Freher. Theatr. pag.* 467. Vid. de eo *Reimmann. Hiſtor. Literar. German. Sect.* 3. *Quæſt.* 100. & 101.

A. C. 1638. PETR. CVNÆVS, Vliſſingâ Zeelandiæ natus, JCtus & Philologus fuit; ſed Hebræis quoque & Græcis literis multum ſtudii impendit. Profeſſione Politices functus eſt in Academiâ Lugduno-Batava. Scripta ejus varii ſunt argumenti, inter quæ eminent ejus *de Republ. Hebræorum libri* 3. Vid *Franc. Sweert. Athen. Belg.* & *Valer. Andreæ Biblioth. Belg. Freheri Theatr. pag.*1084.

CORNEL. JANSENIVS, *Iprenſis Epiſcopus*, Ordinis Præmonſtratenſium, is eſt, qui magnis contentionibus in Eccleſia occaſionem dedit ſcripto *de Oeconomia Gratiæ*, cui AVGVSTINI titulum præfixit, eò quod Auguſtini mentem de hac controverſia in illo explicat; uti ſupra ſub rebus Eccleſiæ dictum eſt. Quanquam hoc ſcriptum biennio demum poſt mortem ejus editum eſt. Hinc Janſeniſtæ dicti, qui ipſum propugnabant, diuque hæc controverſia viguit, & licet à tribus ſucceſſivè Pontificibus deciſa, tamen ſubinde recruduit. Vid. de Janſenii vita, doctrinâ & morte, *Jager. Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Decenn.* 4. *libr.* 8. *cap.* 8. *Dan. Hartnacc. Contin. Hiſtor. Eccleſ. Micrælii, Part.* 3. *Artic.* 1. *pag.*1844. *ſeqq.*

GVIL. BLAEV, (aliis Guilielm. Janſſonius Cæſius) Belga, Typographus, & Mathematicus nobiliſſimus fuit, & vir magnorum in Aſtronomiam & Geographiam meritorum: machinas & tabulas ipſe multas confecit. Vid. Præfatio ejus præfixa *Inſtitutionibus* ipſius *Aſtronomicis*, quæ Belgicâ primùm linguâ ſcriptæ, deinde Latinæ redditæ ab *Hortenſio*, Profeſſore Mathematum Scholæ Amſtelodamenſis, prodierunt 1640. in 8°. & à *Morhoffio* præcipuè ob perſpicuitatem laudantur. Ejusdem etiam & fratris *Johannis Blaeu Atlantes* 8. 11. etiam 14. voluminibus prodierunt. *Reimmann. Hiſtor. Liter. German. Contin. libr.* 2. *Sect.* 3. *Quæſt.* 117. & 177. *Voſſius de Scientiis Mathemat. cap.* 36. & 44.

A. C.

A. C. 1640. MATTHIAS BERNEGGER, patriâ Auſtriacus, poſtea Argentinenſis Academiæ ornamentum fuit, in quâ per annos 27. Hiſtoriarum profeſſionem celeberrimâ cum famâ ſuſtinuit. Ad illuſtrandos bonos auctores hic vir quaſi natus, commentariis eos, inprimis hiſtoricos, inſtruxit optimis & indicibus utiliſſimis. Scripta ejus philologica, hiſtorica, politica, mathematica quoque, item *Orationes* & *Epiſtolæ*, doctis in pretio ſunt. De eo vid. plura in *Boecleri Orat. funebri in obitu Matthiæ Berneggeri. Clarmund. in Vita Part. 3. pag. 21.* qui & in fine ſcripta ejus recenſet.

GALILÆVS à GALILÆIS, Florentinus, Mathematicus Aſtronomicis præſertim inventis celeberrimus, Matheſin ſtipendiis ampliſſimis Reipubl. Venetæ invitatus in Academiâ Patavinâ docuit. Obtulerat ille Senatui Veneto fabricatum à ſe tubum opticum, cujus beneficio Satellites Jovis detexit, item maculas Solis & Lunæ primus oſtendit. Hanc tamen laudem inventi primùm teleſcopii, ſunt qui Galilæo dubiam reddere conantur. Vid. *Reimmann. Hiſtor. Literar. German. libr. 2. Sect. 3. Quæſt. 345.* Opera ejus Mathematica ſunt, partim Latino, partim Italico ſermone ſcripta. Vid. *Hieron. Ghilini Theatr. Italicum Virorum eruditorum*, ex quo *Freherus* tranſtulit in ſuum *Theatrum pag. 1536.* Hic Galilæus propter hypotheſin de terra mobili, quam defendebat, lata à Pontifice ſententiâ in Congregatione Cardinalium, carceri incluſus, & anno 1633. ſuam illam ſententiam ejurare coactus eſt.

JOH. ISAACIVS PONTANVS, Helſingorenſis Danus, poſtea Hardervici in Geldria Phyſicam & Matheſin profeſſus, Regis Daniæ & provinciæ Geldriæ Hiſtoriographus fuit. Reliquit VI. libros *Poëmatum*: item *Hiſtoriam rerum Amſtelodamenſium*: *Itinerarium Galliæ Narbonenſis*: *notas ad Macrobium*: *Hiſtoriam rerum Danicarum*: *Hiſtoriam Geldricam*: libros 7. *de Mari Libero & clauſo*: Tract. *de Rheni divortiis & accolis populis* &c. Vid. *Zeiler. Part. 2. Hiſtor. pag. 119. Bartholinus in Scriptoribus Danis pag. 72.*

AVBERTVS MIRÆVS, Bruxellenſis, Theologiæ Doctor, Alberti & Eliſabethæ Principum Bibliothecarius, ac demum Eccleſiæ B. Mariæ Antverpiæ Decanus fuit, vir Eccleſiaſticæ inprimis hiſtoriæ cognitione excellens, quod cùm aliis Scriptis, tum libro *de Statu univerſi Chriſtiani orbis, & Ordinum monaſticorum hiſtoriis*, à ſe editis, oſtendit. Ejus etiam ſunt *Elogia Illuſtrium Belgii Scriptorum*: *Chronicon Belgicum*, quod magni faciunt eruditi, & alia. Vid. *Franciſcus Sweertius in Athenis Belgicis. Freher. Theatr. pag. 1533. Clarmynd. Part. 4. pag. 145.*

Digitized by Google

A. C. 1641. JOH. MEVRSIVS, Batavus, Jurium Doctoris titulo ornatus, in Academiâ Lugduno-Batavâ Hiſtoriarum & Græcæ linguæ Profeſſor fuit, hiſtoricus & philologus inſignis, & vir diligentiſſimus. Indicio ſunt labores ejus magno eruditi orbis commodo ſuſcepti, cui libros magno numero partim à ſe elucubratos communicavit, partim aliorum antehac ineditos publicavit. Inter Antiquitates hiſtoriam inprimis Atticam illuſtravit, circa recentiora tempora, in patriæ i. e. Belgicæ hiſtoriæ conſignatione diligenter verſatus. Quippe res toto Belgio geſtas ab anno 1550. ad 1576. libris 10. complexus eſt; atque alio opere Ferdinandi Albani ſexennium; & belli Belgici principium libris 4. quibus quintum attexuit, in quo induciarum hiſtoria. Singula ab eo edita recenſere hic ſuperſedemus. Videatur potius *Fr. Sweertius in Athen. Belg.* & *Freheri Theatrum pag.* 1535. item ipſius *Meurſii Athenæ Batavæ*; *Morhoff. in Polyhiſt. paſſim. Clarmund. Vit. Part.* 2. *pag.* 79.

A. C. 1645. HVGO GROTIVS. Summus hic vir, & ſui Seculi Phœnix, natus eſt Delphis in Hollandiâ. Vitam ejus & fata, quæque in republ. geſſerit, hic ſingulatim commemorare non vacat. In religione quidem ambiguus fuit, Arminiânis tamen maximè addictus. Ob principia paſſim divulgata, quæ & eccleſiæ & reipubl. Hollandicæ paci minus conveniebant, ad perpetuum carcerem damnatus, poſtquam in eo biennium totum conſumſerat, piâ fraude uxoris evaſit, in ciſtâ librariâ incluſus, & in ea per mare vectus usque Goricum. Poſtquam deinde aliquandiu in Galliâ exul ſubſtitit, à Chriſtinâ Reginâ in Sueciam evocatus eſt. Demum cum legato Suecico in Galliam abeunte transfretaturus, facto naufragio, Roſtochium ægrè deductus eſt, ibique extremum vitæ diem clauſit, die 18. Auguſti. Eruditionem ejus adhuc in ſcriptis ſtupet orbis; inter quæ *de Jure Belli & Pacis* opus incomparabile totidem præcones invenit, quot lectores. De hiſtoriâ quoque patriâ optime meritus, ſcriptis *Annalium Belgicorum libris* 5. item libris 18. complexus eſt, res in Belgio ab anno 1566. ad annum 1609. geſtas, i. e. à digreſſu Philippi II. in Hiſpaniam usque ad Inducias. Scripſit & alia plurima varii argumenti, ut fuit ipſi ingenium ad omnia natum, politica, eccleſiaſtica, philologica, hiſtorica, poëtica, oratoria: ubique enim domi eſt, & velut in fundo ſuo dominatur. Plura de ejus Vitâ & Scriptis *Joh. Imperialis in Muſeo hiſtorico pag.* 203. *Sweert. in Athen. Batav. pag.* 352. *Freher. Theatr. pag.* 1103. *Clarmund. Vit. Part.* 3. *p.* 104. &c. De religione ejus judicia vid. in *Jægeri Hiſt. Eccleſ. & Polit. Decenn.* 4. *libr.* 5. *cap.* 17.

MAT-

Digitized by Google

MATTHIAS HOE ab Hoenegg, Viennæ in Auſtriâ ex familiâ nobili natus, ſacris ſtudiis ſe conſecravit. Ex iis verò etiam ad ſummos, quos quidem Theologia inter Evangelicos conferre poteſt, honores & auctoritatem evectus nonnullas etiam partes in republ. habuiſſe creditus eſt, in principio belli tricennalis. Quippe odio religionis Calvinianæ, cujus infenſiſſimus hoſtis fuit, Principem ſuum Joh. Georgium I. Electorem Saxonicum (ei enim à concionibus aulicis primariis, & Superintendens Saxonicarum eccleſiarum generalis erat) moviſſe creditur, ut contra Bohemos arma ſumeret pro Cæſare, cùm maluerit Pontificios in Bohemia ſuperiores fieri, quàm Reformatos, quibus Fridericus Palatinus addictus erat. Quanquam ipſe pridem Pragæ in templo pro Germanicâ natione tum recens extructo Paſtor primarius Lutheranæ Eccleſiæ fuerat. Vid. *Arnold. Hiſt. Eccleſ. & Hæret. libr.* 17. *cap.* 1. *pag.* 433. *ſeq.* Arguitur præterea, quòd duodecim millibus imperialium à Cæſare Ferdinando II. corrumpi ſe paſſus ſit, ut Electori Saxoni pacem ſuaderet, quæ Pragæ coiit. *Jager. Hiſt. Eccleſ. & Polit. Dec.* 4. *lib.* 5. *cap.* 2. Scriptorum ejus Theologicorum magnus eſt catalogus. Vid. *Freher. Theatr. pag.* 517.

A. C. 1646. ERYCIUS PUTEANUS, Venloënſis Gelder, Mediolani aliquandiu eloquentiam profeſſus eſt, Hiſtoriographi etiam Regii titulo ornatus: ſed poſtea revocatus in Brabantiam, & Lipſio Succeſſor datus in profeſſione Hiſtoriarum, Lovanii docuit. Scripſit varia philologica, hiſtorica (in quibus eminent *Hiſtoriæ Inſubricæ* libri VI. qui irruptiones Barbarorum in Italiam continent) & miſcellanea; quæ partim ipſo vivo, partim poſt mortem ejus edita ſunt. Habentur item ejus *Orationes* varii argumenti, & *Epiſtolarum* libri 9. Vid. *Freheri Theatr. pag.* 1538. & de Vita ejus *Nicol. Verulamius in Orat. funebri*, quæ reperitur in *libro* 3. *de Academia Lovanienſi cap.* 13. *Clarmund. Vit. Part.* 1. *p.* 233.

A. C. 1647. CHRISTOPH. LONGOMONTANUS, (*Buddeus in Lexico* Chriſtianum vocat) patriâ Danus, Mathematicus inſignis fuit, Tychonis Brahe diſcipulus. Edidit inter alia Cyclometriam, item Aſtronomiam Danicam, & multa præterea ad Matheſin pertinentia. Mortuus eſt valde Senex, anno ſcil. ætatis 85. Vid. *Vinding. in Rector. Hafniæ. pag.* 216. *Bartholin. in Scriptor. Danis pag.* 25. & *Moller. in Hypomnem. ad Bartholin. de Script. Dan. pag.* 184.

A. C. 1649. GERARD. VOSSIUS patriâ quidem Archipalatinus fuit, ſed in Batavis, Dordraci primùm, deinde Lugduni, & denique Amſtelodami Rector Gymnaſiii, docuit. Vir πολυμαθέστατ&,

ςατ☉ magnæque diligentiæ; quod tot ejus ſcripta teſtantur Theologica, Philoſophica, Philologica, Oratoria, Grammatica &c. quorum catalogum hîc texere longum foret. Ex præcipuis ſunt Ejus *de Idololatria Gentilium* & *Phyſiologia Chriſtiana* libri, qui continent penu variarum rerum, ut locorum communium titulo inſigniri omnino debeant. Item *Inſtitutiones Oratoriæ.* Nec in poſtremis eſt opus *de Hiſtoricis Græcis & Latinis*, (de quo vid. *Morhoff. Polyhiſt. Liter. libr.* 1. *c.* 18. *n.* 59. Add. *Møller. in Hypomnem. ad hunc lo um Morhofſi*) ut de aliis nunc taceam. Vid. *Freheri Theatrum pag.* 1540. *Reimmann. Hiſtor. Liter. Germ. Contin. libr.* 2. *Sect.* 3. *Quæſt.* 146. *Clarmund. Vit. Part.* 2. *pag.* 47. *ſeq.*

CONRAD. HORNEIUS, Brunſuicenſis, Theologiæ D. & Helmſtadii primùm Ethices, mox Theologiæ Profeſſor fuit, magnamque ſibi famam comparavit ſcriptis in publicum emiſſis partim philoſophicis in omni genere diſciplinæ; partim theologicis. Scripſit etiam *Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Freheri Theatr. p.* 548. *Reimmann. Hiſtor. Lit. Germ. Contin. libr.* 2. *Sect.* 3. *Quæſt.* 285.

A. C. 1650. RENATUS CARTESIUS, (Renier des Cartes) Nobilis Gallus, vir acutiſſimus, novæ Philoſophiæ auctor fuit, Sectamque ſui nominis condidit, quæ per totum Belgium Galliamque & multas Germaniæ partes ſe propagavit. Aliqua ejus Philoſophiæ ſimul & vitæ hiſtoria adumbrata eſt à *Joh. Tepelio*, cujus extat ſuper hoc argumento libellus Norimbergæ editus 1674. ubi de ipſo, de Scriptis ejus & oppugnatoribus &c. agitur. Plenius autem hoc fecit *Adr. Bailletus*, qui ſcripſit *La Vie de Mr. des Cartes*, Paris. 2. Tom. in 4to editam 1691. cujus idem poſtea epitomen dedit cum hoc titulo: *La Vie de Mr. des Cartes, contenant l'hiſtoire de ſa Philoſophie, & de ſes autres ouvrages, &c.* Videatur etiam de Carteſio *Thomas Pope Blount Cenſur. Celebr. Auctorum pag.* 1014. *ſeqq. Hartnacc. Contin. Hiſt. Eccleſ. Micrælii. pag.* 2077. *ſeqq. Jægerus in Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Decenn.* 5. *libr.* 10. *cap.* 4. & *Morhoff. Polyhiſt. paſſim.* Vid. loca in Indice.

TABULA XXX.

Redimus ad RES IMPERII, quæ in Tab. ſequente memorantur: & quidem

A. C. 1653. FERDINANDUS IV. *coronatur* REX ROM. 8. *Junii.* Fuit is Ferdinandi III. Imp. filius, jam anno 1646. Bohemiæ, & 1647. Hungariæ Rex proclamatus; hoc verò anno Auguſtæ Vindelicorum etiam

etiam in Regem Rom. ritè electus, & poſtea Ratisbonæ ſolenniter coronatus fuit. Hiſtoriam electionis & coronationis vide deſcriptam in *Theatri Europ. Tom. VII. fol. 357. ſeqq.* Non tamen diuturnum fuit hoc gaudium. Quippe anno ſeq.

1654. FERDINANDVS IV. *obit* 8. *Julii*, turbato ſcil. mortalitatis ordine ante parentem, ætatis ſuæ anno 21. adeoque ſpei ſucceſſionis in Imperio, cui deſtinatus erat, & votis populorum fata interceſſerunt. Bene tamen implevit ejus locum poſtea minor natu frater Leopoldus, de quo mox. De morte Ferdinandi IV. quam varioli maturarunt, vid. *Theatr. Europ. Tom. VII. p. 574.*

A. C. 1655. LEOPOLDVS REX HVNGARIÆ *coronatur* 27. *Junii.* Hic quidem princeps Sacris priùs deſtinatus erat, ſed præmatura mors fratris conſilia illa mutavit. Itaque celebratis Poſonii Comitiis Rex Hungariæ, mox anno

1656. IDEM *coronatur* REX BOHEMIÆ 4. *Sept.* Pragæ in regni metropoli. Acta utriusque coronationis vid. in *Theatr. Europ. Tom. VII. pag. 720. & 870.*

A. C. 1657. FERDINANDVS III. *obit* 23. *Martii.* Princeps bello & pace inclytus, quæ ferè imperii ejus tempus in æquas partes diviſerunt. Nam primi ejus XI. anni bello continuati ſunt, reliqui pacificè transacti. Obiit annos natus 49. poſtquam 20. imperaſſet. Mortem ejus ſequutum eſt 16. menſium interregnum; quo tempore *controverſia de Vicariatu Imperii* agitata eſt magnis contentionibus inter Electorem Palatinum & Bavarum. Deſcripſit hanc controverſiam *Freinshemius* in *Diatribâ de Vicariatu Imperii*, ſub nomine *Gratiani Philoeci. Spanhemius* verò Diſſertationem Gallicam ſcripſit *de rebus Imperii & de Vicariatu.* De quo, ut & de morte Ferdinandi *Theatr. Europ. Tom. VIII. princ.* & *Diar. Europ.* Add. *Acta Lundorpii.*

TRANSACTIO VELAVIENSIS inter Regem Poloniæ Joh. Caſimirum & Electorem Brandeburgicum Fridericum Wilhelmum; in quâ Brandeburgicus Suecorum ſocietati renuntians, inter alia pactus eſt abſolutum dominium in Boruſſiâ Ducali, ſublato feudi jure, quo, reſpectu ejus, Polonis hactenus obſtrictus fuerat. Hæc transactio nonnunquam etiam *Brombergenſis* appellatur, quia Velaviæ quidem cœpta, ſed anno ſequenti 1657. Brombergæ concluſa fuit, menſe Octobri. Cæteri articuli videantur in *Inſtrumento* ejus *transactionis.* Add. *Theatr. Europ. Tom. VIII. fol. 150. & 605.* & partim *Tom. XV. fol. 410.* quantum ad civitatem Elbingenſem attinet, *Diar. Europ. Tom. I. p. 488.*

Digitized by Google

p. 488. & præſertim *Puffendorff. de Rebus geſtis Friderici Wilhelmi Electoris Brandeb. lib. 6.* §. 78.

A. C. 1658. LEOPOLDUS IMPERATOR *coronatur* 22. *Julii* Francofurti, ubi quatriduo ante ſolenniter electus fuerat. Circa coronationem ejus controverſia, olim etiam diſceptata ſub primis Impp. Germanicis, recruduit inter Moguntinum & Colonienſem, ad utrum ſcil. coronandi jus pertineat, ſi quidem coronatio non fieret Aquisgrani in Diœceſi Colonienſi; compoſita tamen tunc certis capitulis fuit: quæ transactio exhibetur in *Theatr. Europ. Tom. VIII. pag.* 521. Totam autem iſtam controverſiam in unum collegit *Conringius*, editâ *Aſſertione Juris Moguntini in coronando Rege Rom.* Hiſtoria electionis cum Capitulatione Leopoldi & ſequuta coronatione deſcribitur in laudato *Theatro Europæo* & in *Diario Europ.* ſparſim, quibus conjungenda *Lundorpii Acta.* Cæterùm quo tempore magnus hic Princeps Imperii Germanici regimen ſuſcepit, bellum erat inter Suecos ex unâ, Polonos, Danos & Brandeburgicum ex alterâ parte; cui ille ſic intervenit, ut non velut Imperator, ſed Hungariæ Bohemiæque Rex vicino Principi, Poloniæ Regi Caſimiro, auxilia copiarum ſubmitteret, donec anno 1660. pace Olivenſi id bellum componeretur. Majora bella fuerunt Turcica (quorum poſteriori rebellio Hungarorum duce Teckelyo prælusit) & Gallica, quorum tertio Leopoldus immortuus eſt, anno Seculi, in quo nunc vivimus, quinto, vitæ 65. imperii 47. De his bellis & cæteris hujus Cæſaris rebus, infra ſpeciatim, ductum Tabularum noſtrarum ſequuti, nonnulla dicemus. Ex primo matrimonio, quod cum MARGARETHA THERESIA, INFANTE HISPANICA, contraxit, unicam filiam ſuſceperat, Electori Bavaro poſtea nuptam. Sed & ipſa & filius ejus ſexennis ante Patrem Avumque fatis conceſſerunt. Alterum conjugium cum CLAUDIA FELICITATE OENIPONTANA ſterile fuit. Ex tertio, cum ELEONORA MAGDALENA NEOBURGICA contracto, utriusque ſexûs proles nata, Auſtriacam Domum hactenus ſuſtentavit, altero licèt filiorum majore natu JOSEPHO, poſt geſtum ſexennio ferè à patris morte imperium, jam defuncto. Res hujus Imperatoris ex *Theatro & Diario Europæo, Actis publ. Relationibus Francof. Continuatoribus Sleidani de IV. Summ. Imp.* & aliis recentioribus Scriptoribus repetendæ: quippe pleræque noſtrâ memoriâ geſtæ. *Vita* Ejus *actum ab* anno 1656. usque ad 1670. Italica lingua recenſuit *Galeatius Gualdus*, Viennæ Tomis III. Vid. *Neu in Mantiſſa ad Wheari Relect. Hiem. p.* 191.

A. C.

Digitized by Google

A. C. 1660. JVBILÆVM *ob obtentam pacem.* Nempe hic annus rarâ felicitate univerſæ Europæ pacem attulit. Ea quidem, quæ inter Galliæ & Hiſpaniæ Reges coierat, nunc firmata eſt matrimonio. Bellum etiam, quod hactenus geſtum inter Cæſarem, Poloniæ Regem & Electorem Brandeburgicum ex unâ, & Suecos ex alterâ parte; præterea inter hos atque Danos, compoſitum. Inſuper Carolus II. Rex M. Britanniæ magno populi Anglicani ſtudio in regnum reductus; & Curlandiæ Dux, è captivitate Suecica dimiſſus, ad ſua rediit. Itaque feſtivis lætitiæ ſignificationibus paſſim celebrata eſt hæc pacis univerſalis felicitas, non diu tamen duratura. Vid. *Continuat. Boxhorn, Chronol. num.* 171. *Calviſii Chron. num.* 1038.

MONASTERII *&* ERFVRTI *cauſa cum ſuis Epiſcopis.* Monaſterienſis quidem civitas jam anno 1657. cum Epiſcopo ſuo, tum recens electo, Chriſtophoro Bernhardo de Galen diſſidere cœpit, eaque res jam tum in bellum erupit. Initia & cauſæ diſſidii, & ſequuta urbis obſidio deſcribuntur in *Theatro Europæo Tom. VIII. à fol.* 88. Et quanquam tum quidem res compoſita eſt, ita quidem ut præſidium epiſcopale 500. militum in urbem reciperent, tamen poſtea, cùm præter jus præſidii etiam jus clavium, portarum, vallorum, murorum & Symboli ſeu teſſeræ militaris ſibi deberi contenderet bellicoſus Epiſcopus, quod ei concedere nolebant cives, etiamſi in aulâ Imperatoris pro Epiſcopo pronuntiatum erat, tum denuò obſeſſa urbs, tandem anno 1661. die 12. Martii duriſſimis conditionibus in deditionem Epiſcopi redacta eſt, & libertatem, quâ gaviſa erat hactenus, amiſit. Vid. *Theatr. Europ. Tom. IX. Diar. Europ. Contin.* 2. *p.* 91. &c. & *Contin.* 6. ubi de deditione urbis & conditionibus ejus *pag.* 4. *Erfordenſes turbæ* natæ jam anno 1660. ex precum publicarum formulâ præſcriptâ, quam cives pro Archiepiſcopo Moguntino de ſuggeſtu ſacro orare juſſi, admittere pertinaciter recuſabant. Poſt multa igitur ultro citroque acta, violato inſuper à civibus caduceatore Cæſareo, proſcripta Civitas ab Imperatore, & à Johanne Philippo, Archiepiſcopo Moguntino, ſuo & Galliæ Regis milite (ex Hungariâ tunc fortè revertente) aliquandiu oppugnata, cùm non eſſet qui afflictæ ſuccurreret, anno demum 1664. dedita eſt, & Moguntino homagium præſtitit, exercitium tamen religionis ſecundùm Aug. Confeſſionis normam ſemper liberum in urbe futurum eſſe, ſuo & omnium Succeſſorum nomine Johannes Philippus ſanctè promiſit. Vid. *Acta publica* circa hoc negotium edita. Item *Theatr. Europ. Tom. IX. Diar. Europ. Contin.* 9. *&c.*

Digitized by Google

PAX OLIVENSIS. De hac ad titulum Variorum dicemus: ſub quo eadem rurſus memoratur.

A. C. 1662. LEOPOLDVS WILHELMVS ARCHIDVX AVSTRIÆ *obit* 10. *Nov*. Erat hic princeps Ferdinandi II. Imperatoris filius, Sacro Ordini pridem deſtinatus, multarumque infularum compos factus: quippe Argentinenſis, Paſſavienſis, Halberſtadienſis, Vratislavienſis, Olomucenſis Epiſcopatus in unum collati, cum Abbatiâ Hirſchfeldenſi & Murbacenſi; nec non Ordinis Teutonici Magiſter fuit. In Archiepiſcopatum quoque Magdeburgenſem armatâ manu eum introducere voluit pater, excluſo, qui legitimè poſtulatus erat, Auguſto Saxone, Joh. Georgii I. Electoris Saxonici filio: quem ille quidem tum obtinere non potuit, quamvis extremâ clade urbi Magdeburgo illatâ. Militiam quoque tentavit, fratris Cæſaris exercitum ducendum ſuſcipiens; ſed parùm proſpero ſucceſſu, duobus prœliis ad Lipſiam 1642. & ad Jancowitz 1645. victus. Ab anno deinde 1647. per novennium Gubernator Belgii Hiſpanici fuit. Mortuus hoc anno cœlebs, ætatis 49. cùm jam ante in Magiſterio Ordinis Teutonici Succeſſor deſignatus fuiſſet CAROLVS JOSEPHVS ARCHIDVX, illius ex fratre nepos. *Theatr. & Diar. Europ. &c.*

A. C. 1663. *Turca capit* NEVHEVSELIVM 16. *Sept.* Poſt victoriam de Ragotzio Transſylvano partam, & captam Hungariæ clavem Magnum Varadinum, Imperator Turcicus Mahometh IV. huic jam regno imminens, Leopoldo Cæſari bellum indixerat 1661. cauſam præferens munitionem novæ arcis à Comite Serinio extructæ & à ſuo nomine dictæ, propè Caniſcham in finibus Turcicis. In eo bello ſucceſſibus uſi Turci, Neoſelium & anno ſeq. novam illam arcem Serinwar expugnarunt: unde jam Viennæ imminebant. Ob hoc maximè à barbaris periculum COMITIA IMPERII RATISBONÆ indicta, ut de Subſidiis in bellum Turcicum deliberaretur, eaque Comitia ab illo tempore continuata, etiamnum durant. Sequuta deinde 1664. inſignis Chriſtianorum victoria ad S. Gotthardi montem, animos rurſus erexit, niſi quòd nonnulla, in Relat. Francof. ſemeſtri vernali anni 1665. enarrata, obſtitere, quò minùs majores hujus victoriæ fructus caperentur. Quæ tamen eò valuit, ut eodem adhuc anno induciæ, ſive, ut Tabula noſtra habet,

PAX *inter Imperat. Rom. & Turcam ad* XX. ANNOS *menſe Sept.* concluderetur, per quam Turcæ retinuerunt Neoſelium. Vt hi poſtea, ſuo quidem malo, ante exitum earum has inducias ruperint, infra

infra dicetur. Interim de ſupra dictis prolixius agunt *Theatrum & Diarium Europæum* ad ſuos annos, quibus add. *Relationes Francof.*

OPPOLIVM & RATIBORA SILESIÆ *redeunt ad Imperatorem.* Hos duos Principatus Imperator Ferdinandus III. Vladislao IV. Poloniæ Regi, pro ingenti auri pondere anno 1645. oppignoraverat: ſed eos hoc anno Leopoldus Imperator redemtos ſuis rurſus ditionibus adjunxit. *Theatr. Europ. Tom. IX. Boxhorn. in Chronol.*

A. C. 1667. DISSIDIVM *inter Moguntinum & Palatinum* DE WILDFANGIATV. Habent Electores Palatini privilegium, cujus vi omnes illegitimè natos & exteros in ſuis & accolarum vicinorumque Principum & Ordinum Imperii regionibus proprios ſibi faciunt & & mancipant: quod Jus Wildfangiatus appellatur, eò quòd à Præfectis Palatinis ejusmodi homines quaſi feræ capiuntur. Itaque cùm poſt diuturnam ex bello tricennali vaſtationem, reſtitutâ tandem pace, provinciæ ad Rhenum ſitæ, præſertim Diœceſes Moguntina, Wormatienſis & Spirenſis, multis aliunde affluentibus colonis rurſus habitari cœpiſſent; eos omnes Carolus Ludovicus Palatinus Elector jure Wildfangiatus ſibi vindicabat. Quod cùm grave videretur Moguntino (is erat Joh. Philippus, ſimul etiam Wormatienſis & Herbipolenſis Epiſcopus) tantum alteri in ſuis ditionibus licere, præſertim cùm ille ſeverius hoc jus exerceret, nec interpoſitis proteſtationibus quicquam remitteret, Moguntinus Lotharingiæ Duce in ſuas partes pertracto, adſcitisque etiam aliunde copiis auxiliaribus, anno 1665. bellum Palatino indixit. Id tamen poſt illatas acceptasque invicem clades & vaſtationes terrarum, interventu Regum Galliæ & Sueciæ compoſitum eſt, & ex eorum arbitrio Heilbronnæ Laudum, ut vocant, conſtitutum, ut Palatinus quidem Jus Wildfangiatus, à multis retrò Imperatoribus ſuæ familiæ confirmatum, & uſu temporis memoriam excedentis corroboratum, retineret; ſed in ejus exercitio ne modum excederet, neve accolis, juſto prolixius id interpretando, moleſtus eſſet. Vid. *Theatr. Europ. Tom. IX. pag.* 1127. *&c. Diar. Europ. Contin.* 11. 14. 15. *Schurtzfleiſch. Continuat. Sleid. de IV. Sum. Imp. pag.* 3. & inprimis *Lunderpii Acta. Thulemarius de Octoviratu cap.* 18. De ipſo jure Wildfangiatus quale ſit, vid. Chur-Pfälziſche Lands Ordnung *tit.* 8. *Lehmanni Chron. Spirenſe lib.* 2. *cap.* 20. Item Tractatus, cui titulus: *Juſtitia cauſæ Palatinæ*, cujus auctor creditur eſſe *Backelmannus.* Add. *Buddei Lexicon Hiſtoricum Univerſale ſub voce* Wildfang.

ANTON. GVNTHER, VLTIMVS COMITVM OLDENBVRGICORVM, *obit.* Poſt cujus mortem Rex Daniæ Fridericus III. & Holſato-Gottorffienſis Dux Chriſtianus Albertus Comitatum Oldenburgicum & Delmenhorſtanum inter ſe diviſum occuparunt quidem, ſed controverſiam illis movit Joachimus Erneſtus Holſatiæ Dux lineæ Plœnenſis, jus ſuum in propiore gradu neceſſitudinis fundans; cùm illi pacta & teſtamentum ultimi Comitis pro ſe allegarent. Et cum Rege quidem Daniæ Chriſtiano V. qui Friderico ſucceſſerat, anno 1671. amicâ compoſitione res transacta eſt, ut ille, aliunde factâ penſatione, mediam partem retineret; & Gottorpienſis Dux pronuntiatâ Sententiâ in Judicio Aulæ Cæſareæ anno 1676. cauſâ cecidit, & Plœnenſi reliquam partem concedere coactus eſt. Sed hanc quoque Rex Daniæ partim pecuniâ, partim ceſſione aliarum terrarum in Slesvicenſi & Holſatenſi Ducatu redemit, qui & utrumque Comitatum hodieque obtinet. Vid. de hac controverſia *Diar. Europ.* ad cujus *Contin. 23. in Append. pag. 68.* exhibentur Acta quædam & documenta contra Plœnenſem producta. *Dynaſtia Jevern* per teſtamentum ejusdem Comitis in ejus ex Sorore nepotem Johannem Anhaltinum Principem translata; at Dynaſtiam Kniphauſen nothus ejus filius Antonius accepit. De Succeſſione in Comitatibus Oldenburgico & Delmenhorſtano prodierunt varia *Scripta publica,* quæ recenſuit *Mollerus in Iſagoge Cimbrica cap. 9.* §. *5. 6. pag. 155. ſeqq.*

A. C. 1670. HOEXTERANA CAVSA, inter Rudolphum Ducem Luneburgo-Brunſuicenſem, & Chriſtoph. Bernhardum Epiſcopum Monaſterienſem (qui tunc ſimul Abbas Corbeienſis erat) agitata fuit. Nam cùm Huxariæ (quod eſt oppidum Weſtphaliæ ad Abbatiam Corbeienſem pertinens) Epiſcopus multa in religionis Evangelicæ detrimentum innovaret, Lunæburgicus Dux allegato, quod habet, jure patrocinii, præſidium introduxerat, conceſſam ex præſcripto pacis Weſtphalicæ libertatem religionis ſartam tectam conſervare civibus profeſſus. Id cùm Epiſcopus ad ſuam injuriam pertinere quereretur, qui oppidi dominus eſſet, novi belli hæc materia futura erat, jam Suecis cum Inferioris Saxoniæ circulo in partes tranſituris, niſi paulò pòſt re per arbitros decisâ, Bilefeldii conventum eſſet, ut Lunæburgicum præſidium urbe decederet, civesque & incolæ ejus gratiæ Antiſtitis Monaſterienſis, tanquam Abbatis & Principis ſui, permitterentur. *Theatr. Europ. Tomi X. Part. 2. pag. 221. ſeqq. & 405. ſeqq.*

In

In REBVS ECCLESIÆ memoratur ad

A. C. 1651. *Pacem Imperii Papa edicto irritam reddere ſatagit.* Innocentius X. Pont. M. jam ante per Nuntium ſuum, Fabium Chiſium (qui poſt eum in Sedem Papalem evectus, Alexander VII. dici voluit) ad conventum Europæorum Principum miſſum, aliquoties proteſtatus erat, Pacem hanc cum maximo Sedis Apoſtolicæ Eccleſiæque Romanæ detrimento initam eſſe: hoc verò anno etiam, editâ de hac re Bullâ, oſtendit ſatis, quàm diſpar ſit Pontificis atque D. Petri doctrina, quorum *hic* ad amorem mutuum, *ille* ad odia perpetua auditores ſuos hortatus eſt. *Strauch. Contin. Sleid. pag.* 587. Eam Bullam, (qua contra hanc pacem iterum iterumque proteſtatur Papa) Viennam miſſam, in ipſâ urbe valvis templorum affigere auſus eſt Epiſcopus. *Calviſ. Chron. Contin. pag.* 1033. Examen hujus Bullæ Pontificiæ inſtituit *D. Jo. Hoornbeckius*, tunc Profeſſor Theolog. Lugduni Bat. eamque Scripto confutavit: idem fecit *Hugo Grotius. Proteſtationem Fabii Chiſii, Nuntii Apoſtolici, contra Pacem Monaſt.* & ipſam *Bullam Pontif. Innocentii X.* exhibet ad verbum *Jagerus in Hiſt. Eccleſ. & Polit. Dec. V. libr. 8. cap. 2.*

A. C. 1653. *Evangelici in Auſtriâ Sileſiâque affliguntur.* Fruſtra intercedentibus Principibus Proteſtantibus, præſertim Saxone & Brandeburgico Electore, Ferdinandus Imperator adverſus Evangelicos in Auſtria Sileſiaque graviſſimam perſecutionem exercuit, ademto eis nón ſolum omni religionis exercitio, & ereptis templis, ſed & ipſis ex univerſâ ditione ſuâ intra certum diem exire juſſis. Quanquam ne hæc quidem emigrationis facultas omnibus conceſſa eſt, multis ad profeſſionem religionis Pontificiæ vi adactis, & diuturno carceris ſqualore inductis. Aliquot millia tantùm Paſtorum in exilium abierunt. Deſcribitur hæc miſerorum hominum calamitas, & perſecutorum acerbitas in *Theatri Europæi Tomo VII. fol.* 458. 464. & 679.

A. C. 1655. ALEXANDER VII. P. R. Hic eſt ille ipſe Fabius Chiſius, de quo paulò ante diximus, patriâ Senenſis, à Cardinalibus, poſt mortem Innocentii X. anno ætatis 81. defuncti, in Pontificem electus. Vid. *Theatr. Europ. Tom. VII. pag.* 738. Primis quidem Pontificatûs ſui annis viſus eſt diverſis ab Anteceſſore ſuo inſtitutis gloriam ac favorem velle quærere; ſed mox ad ingenium rediit, accitis in aulam fratribus & agnatis. Præcipuum ei negotium fuit natum ex Crecquii legati Gallici violatione: de quâ ſub Variis. Sedit annos 12. menſ. 1. dies aliquot. Ejus etiam auſpiciis atque nutu creditur peracta eſſe

Digitized by Google

WALDENSIUM *in Pedemontio* CARNIFICINA. Waldenſes ſive à Petro Waldo, ſeu, quod credibilius, à Vallibus, in quibus habitant, dicti, cum Reformatis in religione ferè conveniunt, quam ipſi quidem diu ante reformationem jam à tempore immemoriali profeſſi ſunt, & ſubinde graviſſimas ob hoc perſecutiones paſſi. *Conf. Weſenbecii Oratio de Waldenſibus.* Hoc etiam anno 1655. Carolus Emanuel, Dux Sabaudiæ, eos extinguere aggreſſus, crudeliſſimè in miſeros homines, militaribus copiis oppreſſos, ſæviit, aliquot eorum millibus utriusque ſexûs vario genere cruciatuum ſublatis. Extirpatique fuiſſent omnes, niſi interventus Anglorum, Batavorum & Helvetiorum pacem ſuperſtitibus & religionis libertatem tandem impetraſſet. Vid. de hac lanienâ nec non de ſequutâ compoſitione, prolixa narratio in *Theatr. Europ. Tom. VII. fol.* 832. *ſeqq.* de interceſſione Cromwellii pro Waldenſibus *fol.* 818. Conf. *Chronica Waldenſium.*

In Anglia QVACKERI *invaleſcunt*, CHILIASTÆ *pullulant.* *Quackerorum*, qui & *Trembleurs*, i. e. tremuli vocantur, propter motum, quo in jactatis illis raptibus ſuis & enthuſiaſmo corripiuntur, magna hodie multitudo in Anglia eſt, unde ſe progreſſu temporis etiam in Americam Anglicanam effuderunt, & præſertim Penſylvaniam (à Guil. Pen, Quackerorum anteſignano, ita dictam) ut proprium habitaculum occupaverunt. Specimen enthuſiaſticæ vanitatis in hoc genere hominum, & fanaticorum conatuum in Angliâ, memorat ad hunc annum *Theatr. Europ. Tom. VII. fol.* 844. Alia de his vid. *ibid. fol.* 1000. ubi in Hiberniâ orti eſſe prædicantur. Conf. *Caroli Memorab. libr.* 7. *cap.* 4 *p.* 236. Auctores, qui de Quackeris ſcripſerunt, vide notatos à *Mollero in præfat. ad Tom. II. Polyhiſt. Morhoff. p.* 24. *Arnoldus*, Enthuſiaſtarum fautor, de iisdem pro ſuo genio loquitur in ſeiner Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *libr.* 17. *cap.* 20. *Chiliaſtæ* dicuntur, qui regnum aliquod millenarium Chriſti in his terris futurum ſtatuunt ante finem mundi, ſecundùm literam intelligentes revelationem Johanni factam *Apocal.* 20. collatis aliis Scripturæ locis. Et tum quidem regnum Chriſti terrenum propè imminere, emiſſis in publicum Scriptis acriter defendebant Britanni præſertim, quibus nonnulli ex Reformatis Gallis & Belgis Theologi acceſſerunt, ut videre eſt è tractatu *Andr. Rallii*, Theologi Occitani, aliorumque: quorum quidam tolerabiliùs opiniones ſuas proponunt, quas qui amplectuntur, nec noſtris temporibus defuerunt Theologi Proteſtantes, Scripturarum veſtigia ſecuti. Neque verò nova hæc traditio: quippe cujus auctor Papias, Epiſcopus Hierapoleos,

Digitized by Google

poleos, S. Johannis auditor, fuiſſe prædicatur; de quo ſuo loco diximus. Quidam tamen ex his Chiliaſtis craſſius errantes, doctrinam ipſam de fide variis modis corrumpunt. De Quackeris in Anglia, & Chiliaſtis vid. *Vbſe in Hiſt. Eccl. pag. 544. ſeqq.*

ACADEMIA DVISBVRGENSIS *fundata.* Duisburgum oppidum eſt in Comitatu Marcano, in quo Fridericus Wilhelmus, Elector Brandeburgicus, Academiam inſtituit, cujus inauguratio hoc anno 1655. d. 4. (14.) Octob. magnis ſolennibus celebrata eſt, præſente Mauritio Principe Naſſovio. *Theatr. Europ. Tom. VII. fol. 849. Puffendorff. in Hiſtor. Brandeb. de Geſtu Frider. Wilhelmi Electoris.*

A. C. 1658. THOMAS DE VILLA NOVA *Romæ canonizatur.* Fuerat hic Thomas Archiepiſcopus Valentiæ in Hiſpania, Ordinis Auguſtini, quem Papa pridem mortuum hoc anno die 21. Octob. ſolenni actu in præſentia 28. Cardinalium & aliorum Procerum in numerum SS. retulit, feſto ejus in 18. Novembris deſignato. Ad actum hunc condecorandum exploſa tormenta in arce S. Angeli, per integram horam omnes campanæ ſonuerunt, & per triduum ignes lætitiæ indices excitati. *Diar. Europ. Tom. I. pag. 1133.*

SOCINIANI *edicto regio Polonia ejiciuntur.* Sociniani, à Socino Fauſto, patriâ Senenſi, dicti, qui hæreſin peſtilentiſſimam, ab Arianorum dogmate non multùm abludentem, produxit & ſcriptis diſſeminavit. Dogmata Socinianorum in compendio exhibet *Fridericus Spanhemius* in *Syntagm. Diſputat.* & alii, quos *Mollerus in Præf. ad Morhoff. Polyh. Tom. II. pag. 23.* indicat. Hujus Socini aſſecla *Valentinus Smalcius* eccleſias Fratrum in Polonia dogmatibus ac iniquâ unionis & conſenſûs poſtulatione turbaverat. Vid. *Micræl. Hiſt. Eccl. Contin. per Dan. Hartnaccium Part. 1. Artic. 1.* quæ hæreſis quoniam in illo regno altiores radices egit, publico Comitiorum decreto damnata & Sectarii regno expulſi ſunt. Vid. *Stanislai Lubienicii Hiſtoria Reformationis Polonicæ.*

A. C. 1660. LVNÆBVRGI GYMNASIVM ILLVSTRE *aperitur.* Gymnaſium hoc laudabili curâ Ducis Chriſtiani Ludovici inſtitutum, & cœnobium S. Michaelis ejus uſibus deſtinatum fuit, ut in eo Nobiles tam indigenæ quàm exteri tolerabilibus impenſis bonas artes & literas diſcerent. *Theatr. Europ. Tom. IX. pag. 289.* & *Diar. Europ. Continuat. 4. pag. 233.*

A. C. 1661. PROPAGATIO FIDEI CHRISTIANÆ IN CHINA. Quæ cur ad hunc præciſè annum referatur, non video. Quippe jam ante Chriſtianiſmi ſemina jacta fuerunt in hac gente, per Luſitanos potiſſimum, eò mercimoniorum causâ ventitantes. Miſſi deinde eodem

Digitized by Google

eodem Jeſuitæ illud negotium ſuſceperunt, eò majore ſucceſſu, quòd ſe per Mathematicam ſcientiam facilè in gratiam Imperatoris inſinuarunt, eoque tolerante magnam multitudinem populariam ad Chriſtianam fidem converterunt. Ex Miſſionariis iſtis hoc quidem tempore præcipuus fuit *P. Abrahamus Schall*: qui tamen inſecutâ anno 1664. gravi adverſus Chriſtianos Chinenſes perſecutione, carceri mancipatus, parùm abſuit, quin ſuſpendii ſupplicio afficeretur. Eum ſecuti poſtea alii ex eàdem Societate *P. Ferdinandus Verbieſt* & *P. Thomas Pereira* &c. in propagatione fidei non contemnendos progreſſus fecerunt. Quanquam modus convertendi, atque adeò ipſe Chinenſium Chriſtianiſmus non omnibus in Europâ probabatur. Nam Miſſionarii illi arguebantur Chriſtum & Confutium inter ſe permiſcuiſſe, & ſuperſtitionem gentilem unà cum Chriſtianâ fide propagaſſe. Quæ res multùm agitata eſt in Aulâ Rom. miſſique à Pontifice, qui inquirerent, an ita ſe res haberet. Sed hæc poſtea ſunt acta. De his autem converſionibus Chinenſium extant ipſorum *Miſſionariorum Relationes*. Conf. *Vbſe Hiſtor. Eccleſ. pag. 578. ſeq.*

BVRRVS *Romæ condemnatur.* Hic Franciſcus Joſephus Borri, Mediolanenſis, vir profundæ doctrinæ, & Medica inprimis ſcientia inſignis, in Chymicis quoque multum operæ ponebat, lapidi philoſophico inveniendo intentus. Sed ut erat ingenio inſolenti, & ad altiora affectanda nato, divinas revelationes & Angelica conſortia præ ſe ferens, deceptis Sanctitatis ſpecie ſimplicioribus, clàm novam hæreſin machinari; & nova dogmata diſſeminare cœpit, Romæ primùm, mox Mediolani Sectatores quærens. Ferunt eum inter alia blaſphema docuiſſe, Mariam Virginem Deam eſſe, non ex Joachimo patre, ſed Spiritu S. conceptam à matre Annâ. Detectâ re & ad Inquiſitionem delatâ, ſententia contra eum lata, effigies ejus Romæ ſuſpenſa & combuſta, & nonnulli ejus aſſeclæ ad perpetuos carceres damnati ſunt. Ipſe enim cùm periculum ei ſuboleret, ex Italiâ in Germaniam ſe proripuerat, & Argentinæ aliquandiu, mox Francofurti commoratus, denique Amſtelodami in Batavis conſedit, magnâ ubique doctrinæ reconditioris famâ ſparſâ, cùm & Medicinam feliciter faceret, & multis gravitate morum imponeret. Neque enim ſtatim in Germaniâ de erroribus ejus innotuit. Hiſtoria ejus hæreticorum conatuum, cum copia proceſſus & ſententia contra eum lata exhibetur in *Diar. Europ. Contin. 5. pag. 233 ſeqq.* Plura de hoc viro, & quid porrò cum eo actum ſit, poſtquam Amſtelodamo, in Daniam Sueciamque, & inde rurſus Viennam venit, atque hinc Romam, petente Nuntio Pontificis, miſſus,

Digitized by Google

miſſus, carcerique mancipatus fuit. Vid. *Theatr. Europ. Tom. X. Part. 2. pag. 273. ſeqq.* Vita hujus Franciſci Joſephi Borri addita eſt libro, cui titulus: *La Chiave del Cabinet del Borri*, in quo monſtroſa ejus, præſertim de Dæmonibus, doctrina continetur. *Vhſe in Hiſtor. Eccl. Sec. XVI. & XVII.* Germanicè ſcripta *pag. 519.* Arnold in ſeiner Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *Part. 3. cap. 18.* Extat *Monumentum Franciſco Joſepho Burrho Sacrum à Joh. Friſchmanno ἀνωνύμως* erectum.

A. C. 1662. COLLOQVIVM CASSELLANVM. Hoc Collquium auctoritate Wilhelmi Haſſiæ Landgravii, inter Theologos Marpurgenſes & Rintelenſes, de fraternitate Lutheranorum cum Calvinianis ineundâ, Caſſellis inſtitutum fuit, de IV. potiſſimum articulis, S. Cœna, Prædeſtinatione, Perſonâ Chriſti & Baptiſmo, conventumque in tolerantiam mutuam, & elenchi vel ſuſpenſionem, vel ſaltem mitigationem. Sed non probarunt hunc conſenſum Marpurgenſium & Rintelenſium alii Theologi Lutherani, Syncretiſmum hunc vocantes: quæ res variis Scriptis occaſionem dedit. Vid. *Brevis Relatio Colloquii Caſſellani, in eamque obſervationes Sam. Mareſii.* Add. *Caroli Memorabilia Hiſtor. Eccleſ. Sect. XVII. libr. 6. pag. 265. ſeqq. Vhſe Hiſtor. Eccleſ. pag. 496. &c.*

WALDENSIVM NOVA PERSECVTIO. Neque enim poſt ſuperiorem perſecutionem anno 1655. & ſequutam Pignerolenſem pacificationem quieverunt adverſarii, ſed quæſitis cauſis circa hæc tempora miſeros iſtos Vallium incolas denuo ad excidium deſtinarunt. Nam cùm præcipuos Vallium cives ad tribunal Taurinenſe citaſſent, illique comparere recuſarent, quòd ſecundùm pacta domi judicari deberent, inſuper inhibito variis in locis religionis exercitio, quod tamen liberum illis transactione Pignerolenſi conceſſum erat, denique miſſis à Duce Sabaudiæ copiis, vi armatâ irrumpere in valles cœperunt: quibus tamen Valdenſes neceſſitate adacti, & ipſi arma oppoſuerunt, ſtrenueque ſe defendentes, non ſine magnis Sabaudorum cladibus, tandem interventu exterorum Principum & Statuum, amneſtiâ præteritorum ſancitâ, rurſus confirmationem ſuperiorum pactorum & pacem obtinuerunt. Vid. *Tract. de Rebus Sabaud. pag. 327. ſeqq. Acta Erudit. Lipſ. de anno 1692. pag. 270. Andr. Caroli Memorab. Hiſtor. Eccl. lib. 7. cap. 24. Theatri Europ. Tomus IX. & Diar. Europ. Cont. 7. pag. 302.*

BARONIS HERBERT LIBRI *editi.* Hic Herbertus de Chersbury, Baro Anglus, inter doctos Naturaliſtas refertur, & cum *Thoma Hobbeſio & Bened. Spinoſa* ex eodem fonte hauſit. Scripta ejus præcipua ſunt *Tractatus de Veritate, prout diſtinguitur à revelatione &c.* Item,

Digitized by Google

de cauſis errorum : de religione Laici : de religione Gentilium. Scripſit & *Vitam Henrici VIII. Angl. R.* Anglicâ linguâ: & *de Expeditione in Rheam Inſulam.* Contra ejus ſcripta extat docta *Diſſertatio Petri Muſæi.* Scripſit & quædam adverſus illum *Joh. Muſæus*, teſte *Morhoffio Polyh. Tom. III. libr. 5. num. 8. pag. 47.* De Herberto & ejus Dogmatibus vid. *Vhſe in Hiſtor. Eccleſ. Sec. XVI. & XVII. pag. 547.* Item *Koribolt, Hiſtor. Eccleſ. Sec. XVII. pag. 906. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hær. Part. 2. lib. 17. cap. 16. p. 610.*

A. C. 1664. *Jeſuitarum Generalis fit* JOH. PAVLVS OLIVA, undecimus ab Ignatio Lojola, conditore Ordinis, ut recenſet *Hofmannus in Lex. Univ. pag.* 810. Ejus extant *Epiſtolarum* Tomi aliquot, de negotiis Soc. Jeſu, quorum prior Romæ in 4to. Bononiæ in 8°. 1668. prodiit, poſterior Venetiis 1683. in 4°. Integra eſt epiſtolarum chilias, ac maximopere commendatur in *Actu Lipſienſ. ann. 83. menſ. April. & Auguſt. Morhoff. Polyh. Tom. I. libr. 1. cap. 24. num.* 131. Cætera ejus Opera Lugduni impreſſa ſunt. Ipſe templum pulcherrimum Jeſuitarum Romæ exſtrui fecit. Mortuus eſt anno ætatis & Seculi 81.

A. C. 1665. FRANCISCVS DE SALES *Romæ canonizatur.* Fuerat hic Epiſcopus Gebennenſis ſeu Anicienſis, Sanctitatis nomine apud ſuos celebris, quem jam tum anno 1622. mortuum, urgente Rege Galliæ, Pontifex hoc demum anno d. 19. April. ſolenni pompâ in SS. numerum retulit. Ipſe inſtituit Ordinem Viſitationis, & magnus converſor hæreticorum audit apud Pontificios. Celebrantur *Epiſtolæ* ejus, & præcipuè ejus *Introductio ad Vitam devotam*, qui liber in varias linguas translatus eſt. Vitam & res geſtas ejus *Jac. Aug. de Sales*, ex fratre nepos, & ejusdem Eccleſiæ Præpoſitus conſcripſit, divinis propè elogiis ei tributis. Ejusdem Vita à *Nicolao Talon*, & *Henrico de Maupas* ſcripta eſt. Vid. *Heideggerus in Hiſtor. Papatus p. 437. Andr. Caroli Memorabil. Eccl. Sec. 17. lib. 7. cap. 37.*

Oratoribus Eccleſ. certas leges promulgant R. ANGL. *26. Octob.* ELECT. BRAND. *2. Jun.* De his legibus nihil invenio, quæ Concionatoribus hic aut iſtic datæ & promulgatæ ſint, niſi forte intelliguntur illæ, quæ circa elenchum aliquem modum poſuerunt. In Brandeburgicis certè ditionibus annò præcedente 1664. menſe Septembri Elector publicato edicto Concionatoribus ac Theologis Lutheranis ſilentium impoſuit circa dogma de Prædeſtinatione, neve Reformatis imputent, quòd doceant, Deum maximam hominum partem, ſine intuitu malitiæ, infidelitatis & impœnitentiæ, reprobaſſe ac damnaſſe: alios verò ex abſoluto beneplacito, ſine intuitu Chriſti ac fidei,

fidei, elegiſſe ad æternam beatitudinem. Et hanc legem fallor an intelligit auctor noſter, de quâ *Caroli Memorab. Eccleſ. libr. 7. cap. 31. pag. 331.* Conf. Arnold in ſeiner Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *Part. II. lib. 17. cap. 7. pag. 501. ſeq.*

ACADEMIA KILONIENSIS *conditur.* Fundavit hanc Chriſtianus Albertus, Holſato-Gottorpienſis Dux, ejusque ſolennem inaugurationem d. 5. Octob. 1665. celebravit: de qua vid. *Alexandri Julii Torquati, Chiliarchi Suedici, Hiſtoria Inaugurationis Academiæ Kilonienſis*, Sleſvigæ in fol. edita. Item *Cæſonis Grammii*, Med. D. & Philoſophiæ Profeſſoris Kilonienſis, *Parnaſſus Holſaticus.* Add. *Theatrum Europæum Tom. IX. pag. 1493. ſeqq. Contin. Calviſ. 1039. Caroli Memorabil. Ecleſ. lib. 7. cap. 36.*

A. C. 1666. CONSENSVALES *turbant Eccleſiam, auctore Calovio Diotrephe.* Per Conſenſuales haud dubie hic intelliguntur Theologi Witebergenſes & Lipſienſes, tanquam Confeſſores doctrinæ traditæ in libro quodam, qui inſcribitur: *Conſenſus repetitus fidei verè Lutheranæ*: cujus libri auctor fuit *D. Abrah. Calovius*, Profeſſor Theolog. primarius in Academiâ Witebergenſi. Oppoſitus autem ille liber fuerat doctrinæ ſyncretiſticæ Helmſtadienſium Theologorum, & præſertim eorum anteſignani *D. Georgii Calixti.* Cùm igitur Compilatores harum Tabb. Chronologicarum fuerint Helmſtadienſes, hoc lemmate affectum ſuum prodiderunt; & inde etiam eſt, quòd D Calovium ſcoptico cognomine *Diotrephes* inſigniunt, deſumto ex *III. Epiſt. Joh. verſ. 9.* ubi memoratur Diotrephes quidam φιλοπρωτεύων & fratres recipere nolens. Quisquis igitur eſt, qui poſt *Schraderum* hanc partem Tabulis noſtris adjecit, ſaltem Helmſtadienſis, hoc titulo Manibus Calovianis inſultare videtur, quia Calovius Doctores Helmſtadienſes, Calixtum utrumque atque Horneium, pro fratribus ὁμοψύχοις agnoſcere noluit. Vide de hac controverſia *Calovii Hiſtoriam Syncretiſticam pag. 594.* & alibi paſſim. Interim ineptum videtur, in Tabulis ejusmodi ſynopticis, in quibus omnia ſimpliciſſimè proponi debebant, verbis non tantùm obſcurioribus ſed & ſcopticis uti, & Theologum de eccleſia Lutherana meritiſſimum infami propemodum cognomine perſtringere, & partialitatem ſuam loco tam incongruo prodere.

A. C. 1667. CLEMENS IX. PONT. ROM. priùs dictus *Julius Roſpiglioſi*, Florentinus, in locum Alexandri VII. ante 30. dies defuncti, electus eſt Papa die 20. Junii, ætatis ſuæ anno 72. Præfuit biennium & ſemeſtre ferè; medius inter laudem & vituperium. De quo extat diſtichon:

Digitized by Google

Contigit hoc nunquam, Papam decedere, de quo
Nilque boni poſſis dicere, nilque mali.

Vid. de electione ejus *Theatr. Europ. Tom X. pag. 726.* ubi etiam ejus effigies exhibetur.

A. C. 1668. CONTROVERSIA JANSENIANA *in Gallia ſedatur.* De Janſenio Epiſcopo Iprenſi, ejusque dogmate, ſupra diximus. Quod ut oppugnatores multos, atque adeò ipſos Pontifices habuit, ita etiam fautores invenit, præſertim in Gallia. Ea verò controverſia diu multumque agitata, tandem cedentibus Janſeniſtis, hoc anno 1668. compoſita fuit, eaque compoſitio Nuntium Apoſtolicum ibi præſentem ingenti lætitiâ affecit. *Theatr. Europ. Tom. X. pag.* 897. *Heidegger. Hiſtor. Papat.* §. 298. Sed ea tamen controverſia ad tempus tantùm ſedata, poſtea recruduit.

ACADEMIA LONDINENSIS IN SCANIA (rectius LUNDENSIS) clementiâ & munificentiâ Caroli XI. Regis Suecorum fundata, & ſolenniſſimè ipſo Caroli die 28. Januarii inaugurata fuit. Primos ibidem Profeſſores recenſet *Hoffmannus in Lexico Univerſali pag.* 951. Vid. *Relat. Hiſtor. Francof. hujus Semeſtris p.* 46. & 48.

A. C. 1669. PAPA ORDINES QUOSDAM MONACHORUM TOLLIT, *eorumque reditus Venetis in bellum contra Turcos concedit*, vel conducendis copiis auxiliaribus deſtinat. De quâ re vid. *Theatr. Europ. Tom. X. fol.* 917.

A. C. 1670. CLEMENS X. PONTIFEX R. in locum Clementis IX. d. 30 Aprilis ſuffectus eſt, *Æmilius Altieri* ante Pontificatum dictus, ortu Romanus, factus demum Cardinalis ab Anteceſſore morituro, & intra ſemeſtre Papa. De electione ejus *Theatr. Europ. Tom. X.* ubi etiam icon ejus *pag.* 366.

JUDÆI VIENNA PELLUNTUR, & totâ Auſtriâ, Synagogis eorum in templa Romano-Catholica converſis. Inter cauſas expulſionis plurimas etiam hanc fuiſſe memorant, quòd Judæi iſti lenones egerint, ac domicilia ſua ſcortis ac meretricibus plerumque commodarint, earum infantes deinde clàm apud ſe nutritos & educatos circumciderint, eoque Sectam ſuam non parùm auxerint. *Relat. Francof. ad hunc annum pag.* 7. *Calviſ. Contin.* 1041. *Theatr. Europ. Tom. X. Part.* 2 *pag.* 258. *ſeqq.*

In VARIIS notatur

A. C. 1653. ANGLORUM ET BATAVORUM TRIPLEX PRÆLIUM NAVA-

NAVALE. Cùm Angli ſub regimine Cromvelli liberiorem & quæſtuoſam navigationem Batavis invidentes, eam impedire conarentur, inter has duas gentes denique bellum conflatum eſt, in quo præter alia triplex prælium navale menſe Februario anni 1653. commiſſum eſt inter Portlandiam & Inſulam Vectim, pari ferè utriusque partis damno. Hoc enim prælium intelligere videtur auctor noſter, quod, quia toto triduo continuatum fuit, triplex vocat. Vid. *Theatr. Europ. Tom. VII. fol.* 432. (ubi tamen in figurâ typis expreſſâ, Auguſtus menſis perperam nominatur.) Quanquam eodem anno duo prætereà certamina navalia ſequuta ſunt, *alterum* menſe Martio in mari mediterraneo commiſſum, ubi Batavi, duce Galeno, ſuperiores fuerunt: de quo *Theatr. Europ. ibid. fol.* 435. *alterum* 12. & 13. Junii St. N. inter Dunkerkam & Oſtendam, victoribus Anglis. *Theatr. Europ. fol.* 443.

A. C. 1654. LVDOVICVS XIV. GALLIÆ REX CORONATVR. Poſtquam ſub præceptis & regimine Matris & Cardinalis Mazarini adoleviſſet, agitato interim civilibus motibus regno, quos deſcribit *Priolus*, ipſe ſolenniter declaratus fuerat majorennis, jam anno 1651. (*Theatr. Europ. Tom. VII. fol.* 49.) dehinc anno 1653. d. 7. Junii magnâ pompâ Rhemis coronatus eſt Actum hunc coronationis deſcribit *Theatr. Europ. Tom. VII. fol.* 491.

CAROLVS GVSTAVVS SVECIÆ REX, Comes Palatinus Rheni, Guſtavi Adolphi Regis ex Catharinâ Sorore nepos, natus Nycopiæ anno 1622. patre Joanne Caſimiro Bipontino Duce; inde poſtremis belli Germanici temporibus exercitûs Suecorum per Germaniam ſupremus Præfectus ſeu Generaliſſimus, anno 1650. quo Chriſtina coronata fuit, Suecorum, Gothorum & Vandalorum Princeps hereditarius declaratus fuerat. Hoc verò anno CHRISTINÆ regnum ſolenniter abdicanti, ipſe acceptâ ejusdem plenâ poſſeſſione ſucceſſit, & eodem die, qui erat 6. 16. Junii, Vpſaliæ in Regem coronatus eſt. Solennia abdicationis & novæ coronationis vid. in *Theatr. Europ. Tom. VII. fol.* 638. *ſeqq. & Puffendorff. Hiſtor. Suecica.* Chriſtina relictâ Sueciâ ſuâ etiam religionem Evangelicam, pro quâ Pater ejus ad mortem usque pugnaverat, abjuravit, & Romam demum profecta, ibique ab Alexandro VII Pontifice magnificentiſſimè excepta, ritum Confirmationis accepit, & Chriſtina Alexandra vocari voluit. De hac tantæ Principis mutatione varia tunc fuerunt judicia, exultantibus inprimis ob ejus apoſtaſiam Pontificiis, & magna ſibi hinc pollicentibus. Sed ſpes ea irrita fuit. Ipſa Romæ mortua eſt denique anno 1688. Hujus Reginæ alioquin literis excultiſſimæ

 vita

Digitized by Google

vita ab uno alteroque ſeorſim ſcripta habetur. Præter quos conſulendi ordinarii horum temporum Scriptores. De apoſtaſia ejus vid. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Hæret. Part.* 2 *lib.* 17. *cap.* 3. *pag.* 445. De Carolo Guſtavo mox plura.

A. C. 1655. SVECI MOVENT IN POLONIAM. Factæ quidem erant induciæ inter utramque gentem anno 1635. in 26. annos Vid. *Piaſecii Hiſtor. Polon. ad hunc annum.* Quas cùm nondum expiraſſent, Neciæ Rex abrupit, offenſus proteſtatione in coronatione ſuâ à Polonico legato interpoſitâ, quam etiam inter cauſas belli allegavit, queſtus ſimul inducias à Polonis violatas, pacta Lubecenſia fruſtrata, tranſitum Cracovio conceſſum, conatus Bozii adjutos, & Livonos ſolicitatos fuiſſe. Quanquam hæc omnia Poloni partim infitiatione, partim rejectione in Suecos, diluere ſatagebant. Principia hujus belli Suecis proſperrima fuere, Poloniæ majoris Civitatibus, ipſâque adeò Cracoviâ ferè ſine ſanguine in clientelam Suecicam receptis; occupatâ etiam omni Boruſſiâ regiâ, exceptâ Dantiſco. Sequutum deinde anno 1656. prælium Varſavienſe ingens, quo tempore adhuc Brandeburgica Societate ſuffulti erant Sueci. Verùm Elector hic poſtea mutavit arma, & prævia tranſactione Velavienſi ad Polonorum partes acceſſit: quibus cùm etiam Batavi faverent, miſſâ in mare Balthicum claſſe, & Ruſſi Livoniam aggreſſi eſſent, nec non Imperator aliquot millia militum, duce Hatzfeldio, Polonis in auxilium miſiſſet, Dani denique Suecis bellum indixiſſent (ut paulò poſt in Tabula noſtra notatur) pleraque à Polonis recepta ſunt. Interveniente Regis Sueciæ morte, tandem per pacificationem Olivenſem bello finis impoſitus eſt: ut paulò poſt dicemus. Vid. *Theatr. Europ. Tom. VII. & VIII. Appendix ad Hiſtor. Thuldeni. Diar. Europ. Tom. I.*

A. C. 1656. JOH. GEORGIVS SAXONIÆ ELECTOR *obit*, hujus nominis I. die 26. Octobr. anno geſti Electoratus 45. vitæ 73. Quàm magna pars fuerit belli Germanici tricennalis, partim ex ſupra dictis conſtat. Alia verò quæ in tam longo regimine geſſit, ex *Theatro Europæo* paſſim, cæterisque horum temporum Scriptoribus petantur. De morte ejus, nec non ſolennibus funeris, idem *Theatr. Europ. Tom. VII. fol.* 1014. *ſeqq.* Succeſſit ei filius cognominis.

JOHANNES REX LVSITANIÆ *obit.* Hic eſt *Johannes Dux Braganzæ*, qui anno 1643. d. 1. Decemb Rex renunciatus, ejecto Hiſpanico imperio, Portugalliam ad veterem regni ſtatum reduxerat; Princeps alioqui hebetioris ingenii, ſed Procerum Portugalliæ & præcipuè Conjugis Sidoniæ, Medinæ Ducis Sororis, fœminæ prudentiſſimæ

Digitized by Google

tiſſimæ conſiliis ſublevatus. Reliquit filium Succeſſorem JOH. ALFONSVM, puerum 14. annorum, qui Alfonſi VI. nomine, die 30. Nov. ejusdem anni 1656. coronatus fuit. De hujus Regis fatis plura infra. Præter Scriptores rerum Luſitanicarum, nominatos à *Becmanno Hiſtor. Orb. Terrar. Part. 2. cap. 2. fin.* vid. *Theatr. Europ.* De morte quidem ejus *Tom. VIII. fol.* 1026.

A. C. 1657. DANI SVECIS BELLVM DENVNTIANT. Fridericus III. Rex Daniæ occaſioni imminens, poſtquam diu antè apparatu bellico, quem tamen prætextu defenſionis hactenus velaverat, ſe Suecis ſuſpectum fecerat, tandem hoc anno menſe Junio bellum illis apertè indixit, ulturus, ut præ ſe ferebat injurias, à Suecis ſibi illatas, à quibus pacem Bremsbroenſem multis modis violatam eſſe contendebat. Videatur Scriptum nomine Regis Daniæ promulgatum, cui titulus: *Jus feciale armatæ Daniæ*, in quo cauſas belli exponit: item, *Manifeſtum* Ejusdem in *Diar. Europ. Part.* 1. *pag.* 102. Bellum tamen hoc infeliciſſimè geſſerunt Dani: in quo præter alia memorabilis fuit expeditio Caroli Guſtavi Suec. Regis, pedeſtri itinere per mare glacie concretum exercitum ducentis; nec non obſidio Hafniæ. Vid. *Diar. Europ. Part.* 1. & 2. *Theatr. Europ. Tom. VIII. Puffendorff. Hiſt. Suec.*

A. C. 1658. OLIVIER CROMWELL ANGLIÆ PROTECTOR *obit.* Hic Cromwellus Nobilis Anglus erat, & per turbas Anglicanas emerſit, in quibus ad ſupremi Præfecti militum munus evectus, demum in publicis Comitiis anno 1653. Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Protector appellatus fuit. Denique anno 1657. ſtatuto Parlamentario concluſum, ut Protectoris titulus nomen ſummi Capitis in Angliâ eſſet, & Cromwellus hoc nomine omnia pleniſſimè dirigeret. Vir enim ſagaciſſimus, & politicus ſine exemplo, regium titulum conſtanter abnuebat, cùm interim ſub Protectoris nomine pleniùs, quàm ullus antea Regum imperaret: ut meritò de illo, quod de Auguſto *Tacitus*, dixeris: *Eum cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine*, non Principis, ſed *Protectoris*, *ſub imperium accepiſſe.* In plerisque expeditionibus felix fuit cùm intra Britanniam ſuam, tum extra eam in bello Belgico, Hiſpanico, Africano; magnamque ſibi auctoritatem etiam apud exteros Principes comparavit. Hic tamen, ſi verum fateri volumus, tyrannus & parricida Regis ſui, (quod mireris) ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine deſcendit, & ſiccâ morte obiit hoc anno 1658. die 3. Sept. Corpus quoque ejus regio more ſepultum, poſtea tamen mutatis in Angliâ rebus, rurſus erutum, & patibulo ſuſpenſum fuit. Protectoratum quidem

Digitized by Google

quidem accepit *filius ejus Richardus*, ſed impar tanto oneri, non ultra annum tenuit. De hoc Olivero Cromwello diverſa extant Scripta. Videatur pro ipſo *Vita Cromwelli* Germanicè edita Norimbergæ 1663. in 12°. *Panegyricus Cromwelli*, Londini 1656. fol. Contra eum, *Elenchus motuum nuperorum Batei Part. 2. Notæ Politica in Vitam Cromwelli &c.* Elegans Vitæ ejus διατύπωσις per modum inſcriptionis exhibetur in *Oraculo Anglicano*, quod neſcio quis illo adhuc vivo prodidit, & exhibet *Becmannus in Hiſtor. Orbis Terrarum, Part. 2. cap. 4. pag. 577.* De morte ejus *Diar. Europ. Continuat. 3. pag. 553.*

PAX PYRENÆA *inter Hiſpanos & Gallos*: quæ aliàs etiam *pacificatio Faſianica* nuncupari ſolet, quia in Inſula Faſianorum dicta, quæ eſt in flumine Bidaſſoa, ad montes Pyrenæos concluſa fuit. Factum hoc per Legatos plenipotentiarios, Regis quidem Galliæ nomine, Cardinalem Mazarinum, & Regis Hiſpaniæ, Dom. Ludovicum de Haro, ſummos utriusque Regis Miniſtros: eaque pace finis impoſitus bello inde ab anno 1635. adeoque totis 24. annis inter Gallos & Hiſpanos geſto. Articuli hujus pacis confirmati matrimonio Infantæ Hiſpanicæ MARIÆ THERESIÆ cum Rege Galliarum: quod tamen matrimonium ſequentibus temporibus novarum contentionum materiam præbuit, de quibus ſuo loco. Articulos ipſos Pacis Pyrenææ videre eſt in *Appendice ad Part. 4. Thuldeni pag. 23. ſeqq.* item, in *Appendice Continuationis 2. Diarii Europ.* Add. *Theatr. Europ. Tom. VIII. pag. 1291.* Inprimis autem commendanda hic venit *Galeatii Gualdi Hiſtoria Pacis Pyrenææ.*

A. C. 1660. PAX INTER DANOS ET SVECOS. Aliquoties hoc Seculo inter hæc duo regna Septentrionalia exortum eſt bellum, & pacificationibus rurſus ſopitum, plerumque meliore Suecorum conditione. Ita anno 1645. per *tranſactionem Bremsbroenſem* (cujus nulla in Tabulà noſtrà mentio facta) Suecis præter libertatem navigandi per Oreſundam & fretum Balthicum, etiam Jemptia & Heredalia & Inſulæ Gothlandia & Oſelia ceſſæ ſunt. Cùm deinde anno 1657. Dani Suecis iterum bellum indixiſſent, allegatà inter cætera violatione pacis Bremsbroicæ, idque infeliciſſimè gererent, quæſita quidem compoſitio fuit per pacificationem *Roſchildenſem* anno 1658. ſed iterum interrupta, hoc demum anno novà confirmatione propè Hafniam factà, vim ſuam obtinuit. Per hanc pacem Suecis acceſſit arx & præfectura Bahuſium, ut et Scania, Bleckingia cum appertinentibus, & Huena Inſula. Vide Articulos hujus pacis in *Diar. Europ. Contin. 3. p. 525. usque ad 521. Puffendorff. Hiſtor. Suecica.*

CARO-

CAROLVS GVSTAVVS SVECIÆ REX *obit.* *Filius* CAROVS XI. ſuccedit. De Carolo Guſtavo, Rege inclyto, jam pluſcula in ſuperioribus dicta. Obiit die 13. Febr. hujus anni, regni ſui glorioſiſſimè geſti, anno 6. vitæ 38. De ejus morbo & morte *Diar. Europ. Contin. 3. pag. 223. ſeqq.* Curriculum vitæ ejus cum elogiis vid. *ibidem p. 406. ſeqq.* Succeſſit ergo CAROLVS XI. ex Hedwige Eleonorâ Holſatâ ſuſceptus, puer tunc quinquennis, qui ſub Matris & Senatûs tutelâ adolevit, & Vpſaliæ deinde coronatus fuit anno 1675. die 28. Sept. Vt eodem anno hic Rex bello Germanico ſe implicuerit, infelici cum ſucceſſu, reſtitutus tamen in amiſſa, ope confœderati Regis Galliæ, fuerit de eâ re infra ad ſequentem Tabulam dicendi occaſio erit. Hiſtoria hujus Regis præterquam ex *Theatro & Diario Europæo* petenda potiſſimùm ex *Puffendorffii Hiſtoria Suecica.*

CAROLVS II. *ex Hollandia* IN BRITANNIAM SVAM REVOCATVR. Is quidem poſt Patris ſui Caroli I. infeliciſſimi Regis crudele fatum, proſcriptâ à factioſorum Senatu prole Regiâ, in exilium abierat, ſed anno 1650. à Scotis in Regem ſuſceptus, atque adeò coronatus Schonæ die 11. Januarii; tamen rurſus victus ad Vigorniam armis Cromwellianis, vix ægrè inveſtigantes hoſtes evaſit, atque ex eo tempore in Belgio, Germaniâ, Galliâ, ultimoque in Flandria exul ſubſtitit. Hoc verò anno 1660 pertæſis jam Cromwellianæ tyrannidis Anglis, conſiliis *Eduardi Montacuti, Comitis de Sandwich*, & præcipuè *Georgii Monckii, Ducis de Albermarle*, revocatus menſe Majo Scheveling â loco propè Hagam Comitis claſſem ex Angliâ miſſam conſcendit, ac Doveræ exſcenſione factâ, prono oſculo ſolum patrium ſalutavit: ipſe innumerâ Procerum populique multitudine applauſuque exceptus, ad Londinum ductus eſt, ubi primam Orationem ad Parlamenta habuit menſe Junio. Vid. *Contin. 3. Diar. Europ. & Theatr. Europ. Tom. IX.* Conſulenda etiam *Hiſtoria Ducis Monckii*, Gallicè ſcripta, in quâ conſilia & ſucceſſus reſtitutionis Caroli II. Regis Angl. continentur. Ritus inaugurationis ipſius peracti ſunt anno 1661. d. 23. April. ac deſcribuntur in *Diar. Europ. ad hunc annum.*

PAX OLIVENSIS, per quam bello inter Suecos & Polonos graviſſimo finis impoſitus, præviis tractatibus in Olivenſi Cœnobio propè Dantiſcum habitis & concluſis die 23. April. Vi hujus pacificationis inter alia Rex Poloniæ Johannes Caſimirus renunciavit omnibus prætenſionibus in Regnum Suediæ & magnum Principatum Finnlandiæ, ita tamen ut titulos & inſignia regni Suediæ in

Digitized by Google

Poloniâ & ad omnes Principes extra Suediam ad dies vitæ uſurparet, Succeſſores verò ejus ipſis planè abſtinerent. Ceſſa etiam fuit Livonia Trans-Dunana, & omnes partes Cis-Dunanæ, quas tempore induciarum Suedi tenuerant, &c. De hac pacificatione Olivenſi vid. *Theatr. Europ. Tom. VIII. pag.* 1359. *Diar. Europ. Contin.* 3. *pag.* 292. ubi articuli hujus pacis, & *pag.* 393. ubi concluſio. Eſt etiam Inſtrumentum Pacis Polono-Suecicæ in *Appendice ad Hiſtoriam Thuldeni anno* 1660. *p.* 109. *ſeqq.*

A. C. 1661. Pax inter Svecos et Rvssos, poſt operoſos tractatus Candiſiæ in Livoniâ concluſa fuit, cujus ſummam vide in *Diar. Europ. Contin.* 6. *pag.* 166. & plenius in *Theatri Europ. Tomo IX. pag.* 362. *ſeqq.*

Item inter Lvsitanos et Belgas foederatos. Bellum inter has duas nationes ortum erat occaſione commerciorum præſertim in utraque India, ubi Batavi Luſitanis multa eripuerant: accedente dein anno 1644. Braſiliæ cauſâ, quam, ſolicitatis ad defectionem incolis, ſibi denuo ſubjecerant Luſitani. Sed hoc demum anno 1661. inter partes belligerantes pax coiit, per quam inprimis commerciorum libertas Batavis ſtabilita eſt: Luſitanis interim Braſiliam in Americâ retinentibus. Hi autem viciſſim Batavis ceſſerunt, quæ habebant in India Orientali præter Goam, & 40. tonnas auri iisdem certis penſionibus ſolvere promiſerunt. Articuli hujus pacis exhibentur in *Theatri Europ. Tomo IX. p.* 435. *Diar. Europ. Contin.* 6. *p.* 250. *ſeqq.*

Lvdovicvs XV. Delphinvs in oppido Fontebellaqueo, Ludovico XIV. etiamnum regnanti ex Mariâ Thereſiâ Hiſpanâ natus, in Feſto omnium SS. unde etiam *Louis Tous Saints* in Baptiſmate appellatus fuit. Et manſit etiam hic Princeps Filius unicus tanti Parentis, cui vivo rara felicitate Nepotes 3. ex Conjuge Mariâ Annâ Bavarâ ſuſceptos, & Pronepotes 3. exhibuit; qui partim ſtirpem ſuſtentant: poſtquam ipſe ſuperiori anno 1711. menſe Aprili, & filius primo-genitus, poſt ipſum Delphinus, hoc quo vivimus anno defunctus eſt, relicto Patre Avoque Rege ſuperſtite: cujus Pronepos, hodiernus Delphinus, illorum vicem ſupplet. De nativitate Ludovici XV. *Diar. Europ. Contin.* 6. *pag.* 513. & *Theatr. Europ Tom. IX. pag.* 484. quæ tunc paſſim intra regnum, & extra illud procurantibus legatis, per multas lætitiæ ſignificationes & feſtivitates celebrata fuit. Conſtans fama eſt, prædictum ei eſſe puero, Regis filium, & Patrem Regis, nec ipſum tamen Regem futurum eſſe; & eventus fidem vaticinio fecit.

Caro-

CAROLVS VI. *in Hiſpaniâ naſcitur.* Poſtquam quinto ante die Infans Hiſpaniæ Philippus Proſper mortuus eſſet, die 6. menſis Novembris natus eſt Regi Hiſp. Philippo IV. alius Princeps ex Mariâ Annâ Auſtriacâ, Ferdinandi III. Imperatoris filiâ, cui nomen Carolo datum: qui tamen perperam in hac Tabulâ Sextus hujus nominis appellatur, cùm Secundus dici debuiſſet: nam qui ante eum fuit Carolus, Quintus quidem hujus nominis Imperator, ſed primus Rex Hiſpaniæ fuit, quanquam ſub Caroli V. nomine notior. Hic Carolus II. præmaturo partu editus, propter teneritudinem corporis vix tenuiſſimo goſſypio involutus, quippe aliorum linteorum impatiens, ſervari, nec ante decimum annum incedere potuit, per omnem deinceps ætatem infirmus & valetudinarius. Cùm poſt quadriennium Pater moreretur, adminiſtrante regnum Matre, ſub ejusdem curâ adolevit. Ex gemino deinde matrimonio, quorum prius 1679. cum Mariâ Ludovicâ, Ducis Aurelianenſis filiâ, alterum cum Mariâ Annâ Neoburgicâ 1680. contraxit, neutrum fœcundum fuit. Igitur mors ejus anno 1700. Calendis Nov. ſine prole defuncti, immenſam de ſucceſſione litem, & ex eâ graviſſimum bellum peperit. De nativitate ejus vid. *Diar. Europ. Contin.* 6. *p.* 521.

A. C. 1662. FOEDVS INTER LVSITANOS ET BRITANNOS *matrimonio firmatur*, quod nimirum Carolus II. M. Britanniæ Rex cum Catharinâ Luſitanâ, Alfonſi tunc in Portugalliâ regnantis Sorore iniit, quanquam Pontificiæ religioni addictâ. Dos fuit Tanger, munitum in Africâ oppidum; unde tamen cùm commodum minus quàm pro ſumtibus in conſervationem ejus impendendis ſentirent Britanni, urbem anno 1684. dirutam ultro deſeruerunt. Nullam ex hoc matrimonio prolem ſuſcepit Carolus, aliquot licèt nothorum filiorum pater. Ipſa Catharina poſt id tempus in Luſitaniâ obiit vidua. De hoc matrimonio vid. interim *Theatr. Europ. Tom. IX. p.* 493. *Diar. Europ. Contin.* 7. *p.* 498.

FOEDVS INTER BRITANNOS ET BELG. FOED. De quo jam biennio ferè toto tractatum erat, hoc demum anno concluſum eſt, die 14. Sept. ſed non diu duraturum, ut mox audiemus. Ejus articuli exhibentur in *Diar. Europ. Contin.* 8. *p.* 285.

CREQVII LEGATI GALLICI VIOLATIO. Romæ Carolus Crequius, Chriſtianiſſimi Regis ad Aulam Pontificiam Legatus, irritatus erat aliquot ſclopetorum ictibus per feneſtram hoſpitii ejus adactis, cumque id feciſſent Pontificis (qui tunc Alexander VII. erat) Stipatores Corſi, id ad Regis ſui ignominiam pertinere interpreta-

Digitized by Google

batur. Statim Rex Avenionem occupavit, Pontificiæ ditionis oppidum, gravibus conditionibus præſcriptis, quibus ſibi ſatisfieri volebat. Tandem cùm in nervum res eruptura videretur, interventu M. Ducis Hetruriæ, per tractatus Piſanos compoſita eſt, ita ut Papa miſſâ ad Regem ampliſſimâ legatione deprecaretur, & commiſſorum veniam peteret. Vid. *Theatri Europæi Tom. IX. p. 820. Diarii Europ. Contin. 8. p. 182. ſeqq.*

Abaffy Princeps Transylvaniæ. Remoto à Turcis cæſoque Joanne Kemeny, vulgò *Kemeny Janos*, hic Michaël Abaffy in Principatu Tranſylvaniæ confirmatus eſt, quem etiam ad mortem usque obtinuit; cùm interim in poſtremo bello Turcico Chriſtiani paſſim victores agerent, anno 1688. in clientelam Cæſaris concedens, ejus ſe protectioni ſubmiſit; moriens verò 1690. Principatum (licèt in eundem opibus Turcicis ſuccedere conaretur *Teckelius Comes*) filio ſuo cognomini, auctoritate Leopoldi Cæſaris confirmato, reliquit. *Theatri Europæi Tom. IX. p. 333. ſeqq. Diarii Europæi Contin. VII.*

Causa Ducis Lotharingiæ. Carolus Lotharingiæ Dux, cujus ut fata varia, ita animus deſultorius fuit, hoc anno pactum iniit cum Rege Galliæ Ludovico XIV. vi cujus ipſi totum Ducatum ſuum concedere profitebatur, ita ut acceptis pro compenſatione poſſeſſionibus in Galliâ, jus ſucceſſionis in regno Galliæ ſuæ familiæ ſtipularetur, ſi contingeret ſtirpem Borboniam extingui. Sed cùm brevi pòſt pœnitentiâ ductus ea pacta retractare conaretur, Rex vi adactum coëgit, Marſalio munitiſſimâ civitate ſibi cedere. De hoc tractatu vid. *Theatri Europæi Tom. IX. pag. 788. & 1054. Diarii Europ. Contin. 7.* Item *Les Memoires du Marquis de Beauvau, pour ſervir à l'hiſtoire de Charles IV. Duc de Lorraine & de Bar.*

A. C. 1665. Christianus Ludovicus Dux Brunsvicensis et Lunæb. *obit 15. Martii.* Hic Chriſtianus Ludovicus, Georgii filius, Dux Lunæburgicus lineæ Cellenſis, is eſt qui Gymnaſium illuſtre Lunæburgi fundavit anno 1655. de quo ſupra. Mortuus improlis, poſt multam inter fratres contentionem, amicabili compoſitione in conventu Brunſuicenſi ſublatam, Succeſſorem in pleriſque ditionibus ſuis habuit fratrem Georgium Wilhelmum, Principem & rebus geſtis & rarâ longævitate inſignem. Vid. *Theatri Europ. Tom. IX. pag. 1486.*

Philippus IV. Rex Hisp. *obit 17. Sept.* Sub hoc Rege primùm Monarchia Hiſpanica, quæ ſub Patre in ſummo potentiæ faſtigio conſtiterat, ſolitâ magnis imperiis revolutione, decremen-

tum

Digitized by Google

tum rurſus ſentire cœpit. Quippe & *Luſitani* Hiſpanicæ dominationi, cui per 60. annos ſubjecti fuerant, ſe ſubtraxerunt, & *Belgii Hiſpanici multæ urbes*, nec non ad Pyrenæos montes *Ruſcinonenſis Comitatus* ad Gallos tranſierunt per pacem Pyrenæam. Præſertim eo infelix, quòd ſucceſſionem tantarum opum filio tum quadrimo reliquit, qui cùm totâ vitâ eſſet valetudinarius, ut eventus docuit, ſtirpi propagandæ non erat idoneus. Ipſe deceſſit ex febri hecticâ ſexagenarius, poſtquam rebus Hiſpanicis præfuiſſet annos 44. De morte ejus vid. *Theatri Europ. Tom. X. pag. 81.*

SOCIETAS INDICA *in Galliâ inſtituitur.* Ingentia commoda, quæ ex utraque Societate Indicâ Batavorum cùm in privatos, tum in rempubl. redundant, etiam alios ad ejusmodi conſilia impulerunt, præſertim Gallos, quibus ob regni ſitum major ad ea opportunitas. Itaque hoc anno Seculi 64. auſpiciis Regis Chriſtianiſſimi inſtituta eſt Societas Indica, collatis in ſortem XV. librarum Gallicarum millionibus, Rege quintam hujus ſummæ partem contribuente. Et occupata quidem eſt à Gallis Inſula Madagaſcar, ſeu S. Laurentii, ubi etiam fortalitium à Delphino dictum extruxerunt, ſpe ſtabiliendi ibidem per Indiam Orientalem commercii. Sed paulò pòſt novi hoſpites ab incolis rurſus expulſi ſunt. Et quanquam Surattæ in ditione Magni Mogolis poſtea ſedem conſtituere cœperunt, tamen totum illud negotium commercii Indici denique ſucceſſu caruit. Vid. *Hiſtoire des Indes Orientales par Mr. Souchu de Rennefort.* Add. *Theatri Europæi Tom. IX. pag.* 144.

A. C. 1666. CODEX LVDOVICIANVS. Cùm Conſtitutiones Regum, præſertim quæ poſt Ludovicum S. conſervatæ ſunt, in immenſum excreviſſent, factum hinc ut ſequentes Reges de Jure Gallico inde formando ſæpe cogitaverint, & jam tum Henricus III. in conventu Ordinum Bleſenſi tale munus Juris Gallici ex conſuetudinibus Provinciarum & Regum Conſtitutionibus colligendi demandaverat celeberrimo JCto Barnabæ Briſſonio, aliisque primariis Galliæ JCtis, qui illud perfeciſſent, niſi Regis & Briſſonii mors propoſitum interrupiſſet. Felicius res ceſſit hodierno Regi Ludovico M. cujus auctoritate & juſſu abſolutus hoc anno & ſequente introductus publicè in Parlamento Pariſienſi Codex Ludovicianus, ita ut in poſterum ex inſtituto Codicis illius Judices pronuntiarent, Jurisque Gallici hæc norma eſſet, exceptis tamen cauſis ad Regem pertinentibus, & electionibus. Vid. *Theatri Europ. Tom. X.* & de introductione ejus *pag.* 701. *Diarii Europ. Contin.* 17. *pag* 671.

Digitized by Google

SABBATAI SEVI *Pſeudo-Meſſias in Turciâ.* Smirnæ in Aſia prodiit hic novus Meſſias, quem Nathan quidam, ſe Prophetam profeſſus, in Meſſiam unxit. Et hic quidem impoſtor ab initio magnam ſui expectationem fecerat apud populares, non in Aſiâ tantùm, ſed & in Europa degentes; qui tamen tandem ſe deluſos viderunt, & tota fabula in pudendam cataſtrophen exiit. Ipſe Rex theatricus, cùm ad Turcos ſe recepiſſet, Conſtantinopoli in vincula conjectus, inde amplexus Muhammediſmum, Janitor in aulâ Ottomannicâ factus eſſe fertur. Vid. *Calviſii & Boxhornii Orbis Polit. Contin. Joh. à Lent, in Schediaſmate Hiſtorico-Philologico de Judæorum Pſeudo-Meſſiis,* & ex eo *Acta Erudi. Lipſienſ. de anno* 1684. *p.* 293. *Theatri Europ. Tom. X. pag.* 437. *ſeqq.*

BELLUM INTER ANGLOS ET BELGAS. Carolus II. Rex Britanniæ occaſionem captaſſe viſus eſt vindicandæ ignominiæ à Batavis pridem acceptæ, cùm gratificaturi Cromwellio, ipſum exulem intra ditiones ſuas recipere noluerunt. Itaque hoc tempore eos bello aggredi cœpit, cauſas prætexens, quòd Batavi nihil dum ſatisfecerint nomine occupatæ Inſulæ Poleroon, ibidemque in incolas & ipſas arbores exercitæ crudelitatis: quòd Societas Indiæ Orientalis duas Anglorum naves anno 1662. juxta Cochinum impediverit, quò minus mercaturam ibi exercerent, unde coactæ ſint re infectâ reverti: quòd Societas Indiæ Occidentalis inſuper 3. alias naves ſuas à Guineæ littoribus repulerit: denique nondum plenè ſatisfactum eſſe Anglis ſuis querebatur ob ereptas anno 1647 duas naves Bonaventuram & Bonneſperanzam. Vid. *Theatri Europ. Tom. X. princ. &c.* Nec tamen Anglis per omnia felix fuit hoc bellum, qui cùm duobus præliis navalibus victores, uno victi eſſent, interveniente etiam peſte & mox incendio Londinenſi, poſtquam & ingens multitudo navium Anglicarum à Batavis, ipſa Tameſis oſtia ingreſſis, fuiſſet combuſta, tandem in pacem conſenſerunt, Bredæ concluſam menſe Julio 1667. Cujus articuli vid. in *Diar. Europ. Contin.* 14. *Append. Part.* 3. Aliquam etiam hujus belli deſcriptionem dedit *Wilhelmus Swinas* tractatu Belgicâ linguâ ſcripto: Engelſche Nederlandſche ende Münſterſche Krackelen.

INCENDIUM LONDINENSE, de quo paulò ante mentio injecta, graviſſimum fuit, quod à 2. ad 6 Septembr. hujus anni in urbe Londinenſi 13200. domos abſumſit. Cauſam ejus in Pontificios tunc referebant; quorum & carmen menſe Novembri ejuſdem anni in aulâ Weſtmonaſterienſi repertum fuit hac Summâ: *Babylonem Beſtiamque Apocalypticam numero 666. deſignatam jam cecidiſſe, præſentemque*

temque annum proinde primum inſtaurandæ Eccleſiæ in Angliâ exiſtere. Proſtat de rebus huc pertinentibus peculiare Scriptum idiomate Anglico, auctoritate Parlamentariâ anno 1667. editum. Aliis tamen Pontificios fruſtra argui credentibus, variæ de hoc incendio ſuſpiciones fuerunt. De quo vid. *Theatri Europ. Tom. X. p. 296.*

A. C. 1667. RAGVSA *terræmotu evertitur.* Concuſſit hîc terræmotus complures alias tum Venetæ tum Turcicæ ditionis urbes, multaque millia ædificiorum hominumque perdidit. Sed inprimis Raguſæ exitialis fuit. Eſt hæc Civitas libera in Dalmatiâ ſita, ſub clientelâ tamen Turcicâ, habetque Ducem ſuum, ſicut Veneti & Genuenſes. Ea hujus anni die 6. Aprilis maximo terræmotu graviſſimè concuſſa ac tota everſa fuit: de quo miſerabili caſu urbis vide literas Secretarii Belgici, quæ exhibentur in *Diarii Europ. Contin. 16. pag. 285. ſeqq. & Theatri Europ. Tom. X. pag. 739. ſeqq.*

PETRVS IN REGENTEM PORTVGALLIÆ receptus eſt, (non enim ſtatim titulum accepit) remoto Alfonſo fratre, de quo ſupra, abductâque ab eo uxore, Mariâ Franciſcâ Iſabellâ Duce Aumaliâ, non invitâ quidem. Quippe hæc impotentiam mariti, Petrus autem fratris imbecillitatem animi accuſabat, per quam regno impar eſſet. Itaque Alfonſo in Inſulam Terceram, quæ Azorum ſeu Flandricarum una eſt, abducto, Luſitani fratrem ejus Petrum, Principis titulo, regni adminiſtrationi præfecerunt, eique homagium præſtiterunt. Vid. *Theatri Europ. Tom. X.* præſertim *pag. 905. ſeqq.* Hic deinde ſexto decimo pôſt anno, ſecuta morte Alfonſi, pleno titulo Regis uti cœpit, anno demum 1706. mortuus, relicto filio & Succeſſore JOHANNE, ex alterâ conjuge Neoburgicâ nato.

A. C. 1668. TAFFILET *in Africâ.* Taffileta regnum in Africa pars veteris Numidiæ & hodiernæ Biledulgerid eſſe fertur, quod tunc demùm innotuit occaſione felicium expeditionum Principis ejusdem nominis: de cujus perſonâ, rebus geſtis & victoriis, quibus longè latéque in illis tractibus graſſatus eſt, & regna Fez & Marocco ſubjugavit, ipſi Portæ Ottomannicæ jam formidabilis factus, videatur Anglici Miniſtri Warhafftige Relation vom Taffileta *in Append. ad Contin. 19. Diarii Europ. pag.* 317. Add. *Theatri Europ. Tom. X. Part. 2. pag.* 147. Tandem ab uxore ſuâ, Regis in Marocco, quem occiderat, filiâ, veneno interfectus.

PAX AQVENSIS *inter Hiſpanos & Gallos.* Poſtquam ſuperiore anno Rex Galliæ bellum Hiſpanis intuliſſet in Belgio & Burgundiâ, provincias, quæ jure devolutionis ad uxorem ſuam pertinerent, ſibi aſſerturus, queſtus inſuper ſolutionem dotis dilatam, & alia;

hoc

hoc tamen anno Pax Aquisgrani tractata interventu Anglorum & Batavorum rurſus coiit, per quam, præter articulorum Pyrenæorum confirmationem, Regi Galliæ omnia loca, quæ ſuperiore anno armis occupaverat, ab Hiſpanis ceſſa ſunt. Articulos hujus Pacis pleniores vid. *in Append. ad Contin. 16. Diarii Europæi*, *Theatri Europæi Tom. X. pag. 761. ſeqq.* Pacem hanc non parùm promovit, de quo nunc dicendum,

FOEDVS *inter Anglos*, *Suecos & Belgas* TRIPLICATVM, die Triple-alliance dictum, cujus finis fuit, ut æquilibrium rerum Europæarum conſervaretur, eoque opera daretur, ne Belgium Hiſpanicum à Galliæ Rege vel alio quoquam occuparetur. Articuli hujus Confœderationis extant in *Diarii Europæi Contin. 18. p. 229. & Theatri Europæi Tomo X. pag. 844. &c.* Neque tamen diuturnum fuit hoc fœdus, ut mox patebit.

JOH. CASIMIRVS REX POLONIÆ *abit in clauſtrum.* De hujus Caſimiri fatis in juventute, & quod ex Jeſuitâ Cardinalis, ex Cardinale Rex factus ſit, jam ſupra aliquid diximus. Nunc ergo poſt confectum bellum Coſacicum & Suecicum, fruſtra deprecantibus Polonis, regno ſe iterum abdicavit, poſtquam ei per 20. fere annos præfuiſſet, motus, ut dicitur, crebrâ infelicitate, quæ ſub regimine ejus Poloniam afflixit; ingraveſcentem præterea ætatem & vires nimium afflictas cauſatus: adeoque relictâ etiam Poloniâ ſuâ, in Galliam contendit, ibique Abbas S. Germani factus, obiit 1672. die 6. Decembr. corpusque ejus in Poloniam perductum anno 1676. menſe Februar. ſepultum fuit. De abdicatione ejus vid. *Theatri Europæi Tom. X. p. 815. &c.* Prodiit etiam tunc eâ de re libellus, cui titulus: *Caſus mirus Caſimiri.* Non æquo animo tuliſſe Polonos hanc abdicationem, vel hoc documento eſſe poſſit, quòd Succeſſoris ejus Michaelis Regis capitulationi hunc articulum inſeruerunt, ut Rex pro ſe & Succeſſoribus ſuis de non abdicando regno caveret; eumque pro perpetuâ lege haberi voluerunt: quem tamen qui ſequutus eſt Rex Johannes, omitti rurſus petiit.

A. C. 1669. CANDIA TVRCIS DEDITA. Vrbs iſta Inſulæ hujus nominis primaria in bello Turcico cum Venetis, ad quos tota Inſula ſpectabat, hactenus diuturnam & graviſſimam obſidionem ſuſtinuerat, magna Venetorum & auxiliarium copiarum virtute defenſa. Sed hoc demum anno ad extrema redactam, cùm & Gallica auxilia diſceſſiſſent, Veneti deditione certis conditionibus factâ, in Turcarum manus tradere coacti ſunt, belloque ſimul, quod in vigeſimum quartum annum tractum fuit, finem impoſuerunt.

Fuitque

Fuitque tunc diviſa inter Turcos & Venetos Inſula, ita ut Turcis *Retimo*, *Canea & Candia* cederet; *Spinam longam*, *Carabuſam & Sudam* Veneti retinerent, addito ſingulis territorio 30. milliarium in ambitu: præterea Inſulæ *Cerigo & Tino*, dependentes à regno Candiæ, Venetis manſerunt: iidem retinuerunt quicquid in Dalmatiâ occupaverant, nominatim urbem *Cliſſam* cum appertinentibus: tributo etiam, quod nomine Inſularum *Zante & Cephaloniæ* pendendum reſtabat, abſoluti, ita tamen, ne in poſterum id pendere tergiverſarentur, &c. Relationes de obſidione Candiæ in *Diario Europæo* paſſim extant: integra vero hiſtoria in *Append. ad Contin. XX.* Add. *Theatrum Europ.* cujus *Tom. X. part. 2. pag.* 142. deditio urbis & pacis conditiones memorantur. Inſcriptionem, quâ fatum hoc Candiæ deploratur, elegantem exhibet *Becmannus in Hiſtor. Orbis Terrarum Part. 2. cap.* 10. §. 11.

MICHAEL WISENOWIEKI *eligitur* REX POLONIÆ, excluſis Palatino-Neoburgico & Lotharingo Ducibus, quibus magna ad eam coronam obtinendam ſpes erat. Hic Princeps Wiſnowickius, (qui à Corybuto Jagellonis fratre genus deducebat) ſine ullo ambitu regno admotus fuit die 9. Junii hujus anni, & Feſto Michaëlis coronatus. Sed parùm ultra quadriennium ſuperfuit. Electionis ejus hiſtoriam, cum elogiis ipſius Regis, exhibet *Theatri Europæi Tom. X. præcipuè à pag.* 42.

A. C. 1670. CAROLVS LOTHARINGIÆ DVX *omni ditione exuitur à Rege Galliæ.* Aluerat hactenus copias aliquas Carolus Lotharingiæ Dux, per cauſam controverſiæ Wildfangiatus conductas, quæ populationibus & excurſionibus ſuis viciniæ moleſtæ erant, nec dum ſatis ei convenerat cum Electore Palatino, qui miſſis eò copiis detenta à Lotharingis caſtella *Landſtuhl & Hoheneck* vindicabat; cùm èxercitus Gallicus denuo occupavit Lotharingiam, ejecto in exilium Duce ferè ſeptuagenario. Cauſæ allegabantur: quòd Dux ſubditos regios novis oneribus obruiſſet; quòd lapides dirimendæ ditioni Lotharingicæ & Gallicæ poſitos loco moverit; quòd contra pacta & commoda Regis militem aluerit, & fœderibus aliorum Principum ſe implicuerit, &c. Vid. *Theatri Europæi Tom. X. Part 2. pag.* 346. Neque verò ex eo tempore Lotharingiam ſuam reviſit Carolus, Francofurti in exilio mortuus 1674. *Memoires du Marquis de Beauvau, pour ſervir à l'hiſtoire de Charles IV. Duc de Lorraine & de Bar.* Ad ejus ex fratre nepotem CAROLVM jus ſucceſſionis devolutum, & ille ex præſcripto pacis Neomagenſis in Ducatum quidem reſtituendus erat, ſed tam duris conditionibus, ut eas accipere recuſa-

 rit,

rit, mortuus anno 1690. Tandem per pacem Ryſvicenſem pleniùs reſtitutus filius hujus LEOPOLDVS I. hodieque Ducatum pacificè poſſidet, niſi quod caput ejus Nanceium præſidio Gallico tenetur.

FRIDERICVS III. REX DANIÆ *obit*, *ſuccedit filius* CHRISTIANVS V. De Friderico III. ſub quo regnum Daniæ hæreditarium factum eſt, jam diximus ad annum 1648. De morte ejus, quæ in hujus anni menſem Februarium incidit, vid. *Theatri Europ. Tom. X. Part. 2. pag. 307.* Filios reliquit duos, *Chriſtianum* hujus nominis V. in regno Succeſſorem, & *Georgium*, Annæ M. Britanniæ Reginæ maritum. Cum anno 1675. Sueciæ Rex Carolus XI. Gallicas partes amplexus eſſet, Chriſtianus Rex Daniæ Imperio & Fœderatis ſe conjunxit, & contra Suecos bellum geſſit, finitum per pacem anno 1679. menſe Septembr. concluſam. Vid. *Theatrum & Diarium Europaeum.*

VIRI CELEBRES,

qui ad annos ipſis emortuales in hac Tab. notantur, ſunt

A. C. 1651. JAC. SIRMONDVS, Jeſuita, natione Gallus, patriâ Arvernus Ricomagenſis. Rector olim Collegii Pariſienſis, & Ludovico XIII. à confeſſionibus ſacris fuit, vir, judicante *Baronio*, totius antiquitatis curioſus inveſtigator, & Latinè Græceque impenſè doctus, & in omni penè literarum genere excultiſſimus. Varios ille auctores edidit, notiſque illuſtravit eruditis. Sunt præterea alia ejus opera, diverſis in locis atque temporibus impreſſa; in quibus *Concilia antiqua Galliæ omnia in unum collecta*, voluminibus III. Pariſiis 1629. Vixit annos 93. Vid. de eo *Thomas Pope-Blount in Cenſurâ celebriorum Auctorum p. 966. ſeqq.* Scripſit *Henr. Valeſius Orationem in obitum Sirmondi.*

LEONHARDVS TORSTENSOHN. Inter Viros Celebres hic etiam Martis pullus nominatur, non à literis, ut plerique hic conſignati, ſed ab armis inclytus. Fuit enim Comes Torſtenſohnius fortiſſimus Suecicæ militiæ Dux & Generalis, ut vocant, Campimareſchallus, qui Banerio defuncto ſuffectus ſtrenuam regno Sueciæ operam præſtitit in bello Germanico Danicoque, quoad valetudo id permiſit, quæ ex podagrâ non parùm afflicta fuit. Hic morbus, accedentibus inſuper calculi doloribus, tanto Heroi ad ex-

tremum

tremum fatalis fuit, hoc anno menſe Aprili Holmiæ defuncto. Vid. *Theatri Europ. Tom. VII. fol. 151.* Elogia hujus Imperatoris & res geſtas ſingulari panegyrico executus eſt *J. Henr. Bœclerus*, qui reperitur inter *Orationes* ejus edit. in 4to. *pag.* 73.

A. C. 1653. CL. SALMASIVS, ingens illud literarum columen & Seculi miraculum, natus eſt Divione in Burgundiâ. Puer ferè etiamnum libris edendis initium fecit: poſtea Lugduni Batavorum magni Scaligeri, licèt ex intervallo, locum implevit. Criticorum hic princeps, & in cæteris quoque eruditionis generibus conſummatiſſimus, paſſim elogiis doctorum exquiſitiſſimis mactatur, & documenta ingenii ſui ac diligentiæ tanto numero dedit, ut difficile fuerit recenſere omnia. Ejus *Exercitationes Plinianæ in Solinum*, opus vaſtum & multæ eruditionis, quaſi penu aliquod eſt, in quod omnes theſauros ſuos congeſſit. Cætera ejus Scripta varii argumenti, & commentarii in Scriptores præſertim hiſtoricos partim recenſentur à *Thoma Pope-Blount in Cenſurâ Celebr. Auctorum pag.* 1025. & præcipuè ab *Antonio Clementio in Vita Salmaſii p. 64.*

JAC. GOTHOFREDVS, Dionyſii Gothofredi filius, Profeſſor Juris Genevæ in patriâ, frequentiſſimos auditores ſui nominis famâ attraxit, quam per orbem terrarum diffudit etiam Scriptis celeberrimis, quæ pleraque Juridica & politica ſunt. Recenſentur à *Frehero in Theatro, pag.* 1121. Vid. etiam *Wittæ Diar. Biograph.* ad annum 1652.

JOH. STVCKIVS, JC. primùm Judicii aulici Aſſeſſor Brunſuici à Duce Friderico Vlrico conſtitutus, mox Juris Profeſſor Helmſtadienſis fuit. Hinc Conſiliarius & ſubinde Cancellarius Brunſuicenſis; denique Chriſtinæ Reginæ Suec. in Ducatu Bremenſi & Verdenſi Cancellarius fuit, multisque expeditionibus ejus nomine interfuit. Vid. *Freheri Theatrum pag.* 1132. Alius ab hoc eſt *Joh. Wilh. Stuckius*, Tigurinus, & in patria Prof. Theolog. qui præcedente Seculo floruit, & ſcripſit *de Conviviis*, item *de Sacris & Sacrificiis, &c.* de quo vid. *Melch. Adami Vitæ Theologorum Germanicorum.*

MOSES AMYRALDVS, Gallus, ex Reformatis Theologus celeberrimus, Cameronis diſcipulus, & Salmurienſis ad Ligerim Academiæ Profeſſor fuit. Is cum collegâ *Claudio Teſtardo*, in articulo de Prædeſtinatione, circa Gratiam, meritum Chriſti & vocationem univerſalem, à communi Reformatorum doctrinâ aliquantum diſceſſit. Cœpit enim univerſalitatem Divinæ gratiæ propugnare, ſed explicatam hoc modo: *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, ſi credant; nolle autem eis dare, ut credant.* Vnde *Hypothetici* dicti ſunt, &

 ab

ab auctore, *Amyraldiſtæ* ejus Sectatores. De dogmate hoc videndus ipſius Amyraldi *Brevis Tractatus de Prædeſtinatione ac dependentibus articulis*, quem *Frider. Spanhemius*, *Petrus Molineus & Andr. Rivetus* oppugnarunt. Vid. *Hülſemannus Tractatu de Auxiliis Gratiæ. Arnold.* Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie *Part. 2. libr. 17. cap. 9. § 3. pag. 513. ſeq. Witte Diar. Biograph. &c. Jægerus Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Sec. XVII. Decenn. 4. lib. 3. cap. 13.*

DAVID BLONDELLVS, Gallus, Cabillone in Campaniâ ortus, Reformatæ Eccleſiæ Miniſter fuit, cui nonnulli imputant, in Scriptis ſuis plus æquo partibus ſuis faviſſe: vir alioqui antiquitatis hiſtoriæq; eccleſiaſticæ ſingulariter peritus; quod & ſcripta ejus oſtendunt, Hiſtorica, Critica, Theologica; quæ partim enumerat *Thomas Pope-Blount in Cenſura Celebr. Auctorum pag.* 1012. ubi vid. etiam Judicia de eo. Add. *Witte* in *Diar. Biograph.* Notus eſt præter alios ejus tractatus ſeu Anacriſis *de* JOHANNA PAPISSA, quo nonnullorum interque eos *Sam. Mareſii in Johannâ Papiſsâ reſtitutâ*, acriores cenſuras meruit; quia omnem de eâ narrationem inter fabuloſa retulit.

PETRVS GASSENDVS, Gallus, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſitus, & Pariſiis regius Matheſeos Profeſſor, nec non Philoſophiæ Epicureæ Inſtaurator, ſcripſit *VIII. Exercitationes adverſus Ariſtoteleos*: VIII. libros *de Vita Epicuri*: *Inſtitutionem Aſtronomicam*: *Vitas Tychonis Brahe, Nicolai Copernici, Georgii Peurbachii & Johannis Regiomontani*: *Vitam Nicol. Claudii Peireſcii*: *Calendarium Roman. &c.* Opera ejus omnia in VI. Tomos diſtributa Lugduni anno 1658. prodierunt. *Vita* ipſius *Gaſſendi*, *auctore Sorbierio Gallo*, præmiſſa Latinæ editioni *Syntagmatis Philoſophiæ Epicureæ.* Elogia ejus vid. apud *Blount Cenſur. Celebr. Auct.* Vid etiam de Gaſſendo *Chriſt. Thomaſii* Monat-Gedancken / *menſe Jul.* 1688. *pag.* 106. *ſeqq. Joh. Alberti Portneri Leſſus mortualis Petro Gaſſendo cantatus. Reimmann. Hiſtor. Liter. Germ. Sect. 3. Quæſt.* 134.

A. C. 1656. GEORG. CALIXTVS, Holſatus patriâ, magni nominis Doctor, & Profeſſor Theologiæ Helmſtadienſis fuit; inter Irenicos anteſignanus, qui concordiam Proteſtantium in religione omni ſtudio urgebat; ſed à pleriſque, præſertim Saxonicis Theologis, eo nomine graviter oppugnatus. Nam Rintelenſes & Regiomontani cum eo ſentiebant. Celebrantur Scripta ejus longè plurima, quanquam ob ſuſpicionem Syncretiſmi non omnium approbationem merita. Catalogus Scriptorum ejus accuratius exhibetur in *Conſultatione de tolerantiâ Reformatorum*, quæ annno 1697. Helm-

Digitized by Google

Helmſtadii recuſa eſt. Vita Calixti breviter exhibetur in *Freheri Theatro pag. 586. ſeqq.*

JAC. VSSERIVS ARMACHANVS, Archiepiſcopus, & totius Hiberniæ Primâs, natus eſt Dublini in Hiberniâ. Fuit hic Præſul vaſtæ lectionis & eruditionis, & in antiquitate Eccleſiaſticâ verſatiſſimus: quod abunde teſtantur ejus ſcripta maximi æſtimata ab eruditis: inter quæ laudantur inprimis *de Eccleſiarum Chriſtianarum Succeſſione & Statu: de Primordiis Eccleſiarum Britannicarum: Annales V. & N. Teſtamenti: Chronologia Sacra.* Scripſit plurima Anglicano Sermone. *Vitam Vſſerii* ſcripſit *Richardus Par*, illius pridem Sacellanus, ad cujus calcem vid. etiam Catalogus Operum ejus. Elogia hujus Viri vid. apud *Blount Cenſur. Celebr. Auctorum.* Item, *Thom. Smit in Vitis quorundam eruditiſſimorum & illuſtrium Virorum. D. Buddeum in Lexico Vniverſali.*

A. C. 1657. JOACH. JVNGIVS, patriâ Lubecenſis, Medicus & Philoſophus, in Phyſicis præſertim & Mathematicis inſignis, in quibus multa detexit. Scripſit librum, cui titulus: *Doxoſcopia*, poſt mortem ejus editum à *Mart. Vogelio*, quo in libro comprehenduntur variæ antiquorum & recentiorum de rebus naturalibus ſententiæ. Editus eſt Hamburgi 1662 4to. Ipſe primùm Gieſſæ Profeſſionem Mattheſeos ſuſtinuit, ſed per breve tempus. Iterum anno 1624. Roſtochii Profeſſor factus, inde anno ſeq. Helmſtadium tranſiit ad Medicinæ Profeſſionem adeundam. Denique evocatus Hamburgum ad Rectoratum & Profeſſionem Phyſices & Logices, in eâ urbe mortuus eſt die 23. Sept. hoc anno. Vid. *Mart. Vogelius in Hiſtoria Vitæ & mortis Joach. Jungii. Reimmann Hiſtor. Liter. German. libr. 2. Sect. 3. Quæſt. 334. pag. 478. Morhoff. Polyhiſtor. Tom. II. paſſim.*

JOH. BENEDICTVS CARPZOVIVS, Theologiæ D. & Profeſſor Lipſienſis, variis etiam Scriptis Theologicis in lucem editis claruit, quæ enumerat *Freherus Theatr. pag. 599.* Reliquit filios V. omnes Benedictos nuncupatos, ſed addito prænomine alio diſtinctos: inter quos itidem *Joh. Benedictus* Carpzovius, ut nomine ita Profeſſione Patri ſimilis, anno 1699. mortuus eſt, qui & ipſe Theologica Scripta edidit. Ordine naſcendi hunc anteceſſit Frater *David Benedictus*, qui ſupremam Philoſophiæ lauream adeptus poſt inſignia quædam eruditionis haud proletariæ ſpecimina ſupremum diem obiit. Juniores autem illo fuere *Auguſtus Benedictus*, JCtus conſummatiſſimus; tum *Samuel Benedictus*, Theologus magni pariter nominis, primò in Academiâ Wittebergenſi Profeſſor Poeſeos,

Digitized by Google

poſtea Diœceſeos Dresdenſis Superintendens, tum in Aulâ Regio-Electorali Primarius Sacrorum Antiſtes, atque in Conſiſtorio Eccleſiaſtico Conſiliarius undique meritiſſimus, die 31. Auguſti 1707. fato functus; denique *Fridericus Benedictus*, Senator & Ædilis Lipſienſis, idemque Polyhiſtor per omnem Orbem, qui literas colit ac æſtimat, celeberrimus: de quibus ex parte infra agetur. Vid. *Pipping in Memoriâ Theologorum renovatâ pag. 763. ſeqq.*

A. C. 1658. Caspar Barthivs, Nobilis Saxo, Criticus & Philologus multæ eruditionis & lectionis inexhauſtæ. Is eſt, qui concinnavit vaſtum opus *Adverſariorum*, (de quo vid. quid judicet *Morhoffius Polyhiſt. Liter. libr. 5. cap. 1. num. 10.*) item *Commentaria in Claudianum*, *Statium*, *Guilielmum Britonem*, *Mamertum*, & alios. Pietatem ejus oſtendit elegantiſſimum opus *Soliloquiorum*. Vid. *Blount Cenſur. Celebr. Auctorum pag.* 1010. *Witte in Diar. Biograph.* & in *Memoriis Philoſophorum Dec. 7. pag. 320. ſeqq. Freherus in Theatro p. 1546.*

A. C. 1659. Georg. Frantzkivs, JC. Lubſchützium in Sileſiâ patriam habuit. Fuit Conſiliarius Schwartzburgicus, mox Cancellarius Vinarienſis ac tandem Gothanus. Ejus *Commentarius in IV. libros Inſtitutionum*, item *in Pandectas*, aliaque Scripta Juridica nota ſunt Jurisprudentiæ cultoribus. Vid. *Freheri Theatrum p. 1149. Henning. Witte in Memor. JCtorum Dec. 3. p. 331. ſeq. D. Buddei Lexicon Hiſtoricum Univerſale.*

A. C. 1660. J. Phil. à Vorbvrg, JC. Præpoſitus Monaſterii Grandis Vallis, Conſiliarius Moguntinus & Herbipolenſis, præter juridica, e. g. *Encyclopædiam Juris publici & privati, &c.* edidit etiam V. Tomos *Hiſtoriæ Romano-Germanicæ.* Etenim hic vir, inter reip. curas & ejus cauſâ obitas plures legationes, incredibilem Hiſtoriæ Germ. apparatum, judice *Meibomio* (*Introd. in Hiſtor. Saxon. Infer. pag. 94.*) ſine exemplo congeſſit, multaque documenta, ſitu & ſqualore obſita, ex Monaſteriorum Principumque archivis eruit. Neque verò collectorem tantùm egit, ſed in ſcribendâ ſimul hiſtoriâ exactiſſimum judicium, & inprimis φιλαλήθειαν in XII. Tomis præliminaribus quavis ferè paginâ oſtendit, &c. *J. C. Neu in Mantiſſâ ad Wheari Relect. Hiem.* quæ de Rer. German. Scriptoribus agit, *pag. 18.*

Joh. Freinshemivs hic inſerendus eſt, quem miror in Tabulis noſtræ editionis in fol. prætermiſſum. Eſt enim hic Freinshemius inter præcipuos Reip. literariæ Proceres celeberrimum nomen adeptus, Philologus, Orator, Poëta, Hiſtoricus inſignis. Natus fuit Vlmæ in Sueviâ, & poſtea inter Argentoratenſes Muſas adultus,

tus ſub Berneggeri noſtri favore, cujus contubernio & bibliotheca fruebatur, ad præclaram illam doctrinam profecit, quam poſtea & ore & ſcriptis propagavit. Evocatus deinde à Chriſtinâ Sueciæ Reginâ Politices & Eloquentiæ Profeſſionem Vpſaliæ per quinquennium ſuſtinuit; inde factus Bibliothecarius & Hiſtoriographus, Regius, Holmiæ aliquandiu vixit. Sed amore patriæ reverſus in Germaniam, Conſiliarius deinde Electoralis Palatinus & Profeſſor Honorarius Heidelbergæ, ibidem mortuus eſt ultimo Auguſti anno 1660. ætatis 52. cùm paulò ante carmen Germanicum elegantiſſimum in obitum Nobilis von der Tauben ſcripſiſſet, in quo conatus probare, quòd corpus non ſit eſſentialis pars hominis, ſibi ipſi ſimul & aliis ſolatia contra imminentem mortem conquiſivit. Reliquit ſcripta varii argumenti, partim ipſo vivo edita, partim poſthuma. De quibus & de Vitâ ejus *Witte in Memor. Philoſ. Dec. 7. pag. 346. Clarmund. in Vita Part. 2. pag. 165. ſeqq.* Laudatione poſthumâ eum proſecutus eſt *Abrahamus Freinshemius.*

A. C. 1661. JVL. MAZARINVS CARDINALIS in Siciliâ natus, Italus natione, ſed non tam ſuæ gentis, quàm Gallicis rebus olim moderandis deſtinatus fuit. Quippe poſt Cardinalis Richelii mortem ad ſummum in Galliæ regno miniſterium admotus, ſub minorennitate Regis Ludovici XIV. & adminiſtratione Reginæ Matris cùm omnia poſſet, invidiam non effugit, & in civilibus motibus, quibus Gallia tunc concutiebatur, tanquam reus læſæ majeſtatis & perturbator pacis publicæ regno exactus eſt. Revocatus tamen poſtea 1653. magnoque cum plauſu à Rege exceptus, ſupremum in aulâ miniſterium denuo obivit usque ad mortem, quam obiit anno 1661. d. 27. Febr. magno ſui deſiderio apud Regem relicto, quod teſtantur literæ ejus ad Regem Hiſpaniæ datæ, quas vid. in *Diarii Europ. Contin. 5. pag.* 410. Præcipua ejus opera fuit in conficiendâ pace Pyrenæâ. Vid de eo *Priolus in Hiſtor. Gall.* item, *Theatr. & Diar. Europ. Autor Vitæ & Miniſterii Richelii & Mazarini. Keuchenii Comparatio Richelii & Mazarini.* Epitaphium ejus à Dionyſio Salvagnio Boëſſio, Conſiliario Regio &c. conditum exhibet *Becmannus Hiſtor. Orbis Terrarum Part. 2. cap. 3. pag. 547.*

A. C. 1664. NICOLAVS COMES SERINIVS, Hungarus & Banus Croatiæ, inter fortiſſimos Seculi Heroas meritò numeratus, qui egregiis facinoribus contra Chriſtiani nominis hoſtem editis, ingentem ſibi famam comparavit. Ex ejus nomine dicta fuit arx in Hungariâ tunc recens condita, NeuSerinwar. Miſerabili tamen morte periit, ictus ab apro in venatione, & deploratus à popularibus

ribus ſuis & exteris. Fortitudinis ejus ſpecimina & res geſtæ paſſim celebrantur ab hiſtoricis horum temporum. De morte ejus *Theatr. Europ. Tom. IX. pag. 1250. ſeq. Diar. Europ. Contin. X. pag. 596. Thulden. pag. ult. & penult. Joh. Bethlen. de rebus Tranſylvaniæ*, Zeileri Beſchreibung des Königreichs Ungarn *ex editione Bezæ.*

A. C. 1666. BENEDICTUS CARPZOVIUS JC. Witebergæ natus, Profeſſor Juris Lipſienſis & Conſiliarius Aulicus Electoris Saxoniæ, denique Ei à conſiliis ſecretioribus fuit. Scriptis etiam ſuis ad Jurisprudentiam haud parùm contulit; quæ ſunt: *Practica rerum criminalium, Definitiones forenſes, &c. Commentarius ad Legem Regiam Germanorum; Reſponſa Juris Electoralia; Opus definitionum Eccleſiaſticarum & Conſiſtorialium; Deciſionum Saxonicarum Tomi III. Proceſſus Juris Saxonici, &c.* Vid. *Freherus in Theatro pag. 599. Witte in Diar. Biograph.* item, *in Memoriis JCtorum Dec. 4. num.* 1.

A. C. 1667. JOH. HENR. HOTTINGERUS, Tigurinus, vir in Linguarum Orientalium & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitione paucos habens pares, in patriâ primùm, mox Heidelbergæ, denique iterum in patriâ Profeſſor magno cum applauſu docuit. Inde cum evocatus Lugdunum Batavorum ab Ordinibus Hollandiæ, iter inſtituturus eſſet, & Limago amni ſe commiſiſſet, vix unius à Civitate teli jactu, ad ſcopulum alliſa navi, cum duabus filiabus & uno filio ſubmerſus periit. Inter cætera egregiam operam impendit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cujus Tomos IX. edidit. Præterea Theologica & ad linguam & antiquitates Hebraicas pertinentia multa ſcripſit, quæ vid. enumerata à *Frehero in Theatro pag. 579. ſeqq.* Hiſtoriam Vitæ & Obitus ejus ſcripſit *D. Joh. Henr. Heideggerus.* Vid. & *Blount Cenſur. Celebr. Auct. p. 1055. Reimmann. Hiſtor. Liter. German. Sect. 3. Quæſt.* 239.

SAMUEL BOCHARTUS, Rhotomagenſis Gallus, Philologus & Theologus eximius, & Reformatæ Eccleſiæ apud Cadomenſes Miniſter fuit. Scripta ejus, quibus de erudito orbe præclarè meritus eſt, præcipua ſunt *Phaleg, ſeu Geographia Sacra*, & *Hierozoicon.* Vid. plura de eo apud *Blount Cenſur. Celebr. Auctorum, pag. 1036. ſeqq.* ubi & ejus elogia. Opera ejus omnia tam ante edita, quàm quæ in MSCtis reperta ſunt, junctim prodierunt in Hollandiâ 1692. quibus narrationem de Vitâ & Scriptis Bocharti præmiſit *Morinus.*

A. C. 1668. HENR. HAHNIUS JC. natus Hildeshemii, poſtea Anteceſſor Juris in Academiâ Juliâ per 27. annos ſcriptis Juridicis variis publico profuit, quorum catalogum vid. in *Freheri Theatro pag.* 1183.

A. C.

A. C. 1669. JOH. COCCEIVS, Bremenſis, in Academiâ Lugduno-Batavâ Theolog. Profeſſor, in Linguarum Orient. ſtudiis & Talmudicis multum operæ præſtitit. Scripſit *in Jobum, Pſalmos, τὸ Δωδεκαπρόφητον, in ultima Moſis, in Epiſtol. ad Romanos*, & alia plurima, quæ aliquot voluminibus in fol. junctim prodierunt Lugduni-Batavorum. De controverſiis, quæ ipſi intercedebant cum aliis Reformatæ Eccleſiæ Doctoribus, & præſertim *Guberto Voëtio & Sam. Mareſio*, alibi dicendi locus erit. De ipſo vide *Witte in Diario Biographico. Hartnaccius in Contin. Hiſtor. Eccleſ. Micralii, Sect. 2. Artic. 2. pag.* 2102.

TABVLA XXXI.

A. C. 1671. BRVNSVICVM *jure & armis ſibi vendicat* RVDOLPHVS AVGVSTVS. Hæc Civitas jam olim ſibi nimiam libertatem aſſeruerat, præſertim vigente adhuc fœdere Hanſeatico, & paulatim Ducum ſuorum obſequio ſe ſubtraxerat: qui quidem ſubinde prætenſæ ejus libertati modum ponere ſatagerunt. Tandem verò anno 1671. collecto à Principibus Brunſuicenſibus & Lunæburgenſibus exercitu 24000. oppugnata, poſt menſtruam obſidionem deditione in illorum poteſtatem redacta eſt, & in Rudolphi Auguſti ditionem ceſſit, qui cæteris ex eodem jure participantibus aliunde ſatisfecit. In hujus obſidionis memoriam tunc nummus cuſus eſt, in cujus unâ facie effigies Rudolphi Auguſti Principis, in alterâ cùm alia inſtrumenta bellica, tum tympanum erat, cui impoſitus liber apertus, in eoque citatus 1. Maccab. c. 15. verſus 33. & 34. Superius verò erant hæc verba: JVRE ET ARMIS. Et huc videtur alludere noſtrum lemma. De Civitate Brunſuicenſi ſub obſequium Ducum redactâ, & de utriusque partis juribus extant ampliſſima Volumina *Actorum Brunſuicenſium*. Hiſtoriam ipſam pete ex *Theatri Europæi Tomo X. Part. 2. pag. 407. & Diario Europæo ad hunc annum.*

RAGOTZIVS, PETR. SERINIVS, TETTENBACHIVS, FRANGIPANIVS & NADASTIVS *conjuratores*. Primus quidem, *Ragotzius*, abſolutus; reliqui IV. Comites accuſati, quòd adverſus remp. Hungaricam conſpiraſſent, & ſuſpectâ cum Turcis commercia habuiſſent, omnes decollati ſunt: *Nadaſtius* Viennæ; *Serinius & Frangipanius* Neoſtadii; *Tettenbachius* Græciæ in Stiriâ. Vid. *Theatri Europ. Tom. X. Part. 2. pag. 403. ſeqq. Buddeus in Lexico Vniverſali ſub Petro Serinio.*

Digitized by Google

A. C. 1672. CÆSAR ET BRANDEBVRGICVS ELECTOR *Gallos à bello Belgico avertunt*. Huc prius reducendum eſt illud lemma ſub variorum titulo: GALLVS BELGIVM INVADIT, *& maximam partem occupat*, uno quaſi impetu captis provinciis confœderatis Vltrajectinâ, Tranſiſalanâ, magnaque parte Hollandiæ; certatim ſe dedentibus civitatibus; niſi quod Moſætrajectum fortiter defenſa, & ab ipſo Rege poſt acerrimam oppugnationem tandem ad deditionem adacta eſt. Brandeburgicus igitur Elector Fridericus Wilhelmus, ratus ſuam rem agi, cùm proximus arderet paries, poſtquam & Clivenſes ejus ditiones à Gallis hoſtilia patiebantur, comparato exercitu, cui poſtea Cæſar ſuas copias junxit, Batavis ſuppetias ferre inſtituit. Et quanquam Brandeburgicus ſequente anno cum Rege Galliæ pactus, aliquandiu ab armis quievit, tamen paulò poſt ad eadem rediit, cùm & Imperii, cujus provincias vexabant, hoſtes declarati eſſent Galli. Tunc quoque

A. C. 1673. ALSATIÆ CIVITATES OCCVPATÆ A GALLO, Colmaria ſcil. & reliquæ, X. Civitatum nomine dictæ, quòd eas ad ſe pertinere vi pacis Weſtphalicæ contenderet. Gallorum fœderati in eo bello erant Angliæ Rex, Elector Colonienſis & Epiſcopus Monaſterienſis; qui Grœningam Friſiæ irrito conatu oppugnavit, Cœvordam quoque munitiſſimum oppidum rurſus amiſit. Galli verò armis Brandeburgicis Cæſariſque, nec non Hiſpanorum, impetiti, à pleriſque Belgii Confœderati oppidis, quæ ceperant, præſidia rurſus deduxerunt, ut exercitum iis augerent. At in mari ſuperiores Batavi Gallorum & Anglorum claſſem ſemel iterumque clade affecerunt: unde Angliæ Rex, cùm nihil ex Societate Gallorum commodi ad ipſum redundaret, à partibus diſceſſit, & Mediatoris poſtea officio functus eſt. Subinde etiam Monaſterienſis Epiſcopus Gallicam Societatem deſeruit. Memorabilia hujus belli & ſpeciales eventus qui volet cognoſcere, ei adeundum eſt *Theatrum Europæum Tom. XI. & Diarium Europæum*, item Germanicus hujus belli Scriptor in libro, cui titulus: Der verunruhigte Holländiſche Löwe/ &c.

A. C. 1674. inſtitutus quidem jam erat congreſſus de pace Coloniæ ad Rhenum, ſed abrupti tractatus, poſtquam WILHELMVS FVRSTENBERGIVS COLONIÆ INTERCEPTVS *Viennam abductus fuit*: quod violationem Juris Gentium interpretabantur Galli, cùm ille Colonienſis Electoris nomine Legatus ad tractatus venerit. Sed illum Cæſarei pro tali agnoſcere noluerant, quin potius tanquam perduellem Cæſaris & Imperii, quòd ſe partibus Gallicis applicuiſſet, à Marchione de Granâ captum in vinculis detinuerunt, uſque ad pacem Neomagi concluſam.

cluſam. Cùm interim Sueci Gallicas partes amplexi, dum Elector Brandeburgicus cum exercitu ſuo, in Alſatiâ rem gerens, longiùs abeſſet, in ejus ditiones infudiſſent copias, Elector properè ad ſua reverſus, Suecos nec opinantes ad Fehrbellinum oppreſſit, gravique clade affecit, & ab aliâ parte Danorum, Lunæburgicorum & Monaſterienſium copiis oppugnatos, ubique victor totâ Germaniâ exegit, occupatis eorum Provinciis & Civitatibus in Germanico ſolo ſitis, ex quibus Stetinum in Pomeraniâ fortiſſimè defenſum, & diuturnâ tandem obſidione ſubactum fuit. Atque hoc eſt illud bellum, de quo Tabula noſtra:

SVECI *in Marchiâ à* BRANDEBVRGICO *debellantur, & Imperii Hoſtes declarantur.* Secuta eſt

A. C. 1678. PAX NOVIOMAGENSIS, quam primi Batavi ſubſcripſerunt, in omnia quæ amiſerant plenè reſtituti, reddito etiam à Gallis Moſætrajecto. Idem paucis pòſt diebus fecerunt Hiſpani, ſed in duriores conditiones; quippe Comitatu Burgundiæ, multisque in Belgio præcipui nominis Civitatibus in poteſtate Gallorum per hanc Pacificationem relictis. Cæſar & Imperium pacti ſunt, ut *Friburgum Briſgoiæ* Gallus retineret, *Philippiburgum* Imperii præſidio muniretur. Cùm poſt hanc pacem omnis potentia Gallorum, ut Sueco fœderato ſuccurrerent, Electori Brandeburgico immineret, quanquam is mordicus retinebat ademtas Suecis provincias, tamen viribus impar & ipſe in pacem conſentire neceſſe habuit, in fano S. Germani concluſam, per quam Sueci in omnia quæ amiſerant cis mare Balthicum, reſtituti ſunt; etiam Lunæburgicis Principibus & Monaſterienſi Epiſcopo per ſeparatos tractatus, ad reddenda, quæ Suecis ademerant, conſentire adactis. Nec ad Regem Daniæ major ex eo bello fructus rediit, per Pacificationem Lundenſem ereptas omnes ditiones Suecis reddere pactum. Hiſtoria harum pacificationum tum ex actis ſeorſim editis, tum ex *Theatri Europæi Tom. XI. ſub finem & Tom. XII. princip.* uberius peti poteſt. Præcipuè ad hanc hiſtoriam Pacis Noviomagenſis confert *l'Hiſtoire des Negotiations de Nimvege, par Monſ. Didier*, quæ Pariſiis prodiit 12°. quanquam in eâ Auctor aliquid affectui in gentem ſuam tribuere videtur. Prodierunt etiam 1679. Amſtelodami III. voluminibus *Les Memoires des Negotiations de Nimvege*, quas anno 1680. Lipſiæ *Sauterus* in Germanicam linguam translatas edidit. Huc faciunt etiam *Les Lettres de Monſ. Temple*, qui fuit Legatus Regis Angliæ in illis Tractatibus.

A. C. 1675. GEORG. WILHELMVS DVX LIGNICENSIS VLTIMVS *obit, relinquens Imperatori tres in Siléſiâ Ducatus.* Erat hic Georg. Wilhelmus unus reliquus ex Piaſtis ſtirpis Polonicæ Ducibus Sileſiæ, qui cùm vix adoleſcens impetratâ ætatis veniâ Ducatûs ſui regimen ſuſcepiſſet, hoc ipſo anno, cum ingenti ſubditorum dolore, præmaturè mortuus eſt. Ducatus ejus tres *Lignitz*, *Brieg & Olau* ad Leopoldum Imperatorem, tanquam Regem Bohemiæ & feudi Dominum, redierunt, à quo ſtatim templa Calvinianis ademta, & Pontificio cultui dicata ſunt. De morte ejus *Theatri Europæi Tom. XI. pag. 856.*

A. C. 1679. FERDINANDVS MARIA ELECTOR BAVARIÆ *obit, cui* MAXIMILIANVS EMANVEL *ſuccedit.* Ferdinandus Maria, Bavariæ Elector Secundus, Maximiliani filius, ex Henriettâ Adelheide Sabaudâ genitum filium Maximilianum Emanuelem moriens reliquit, qui altero demum poſt Parentis mortem anno majorennis factus, in Electoratus regimen ſucceſſit, & hodie ſupereſt. Vid. de morte Ferdinandi Mariæ Elect. & de Succeſſione Filii Maximiliani Emanuelis *Theatri Europ. Tom. XII.* Hic Princeps in bellis contra Turcos & Gallos ſuperioribus, Cæſaris & Imperii partes egregiè defendendo, magnam virtutis gloriam ſibi comparavit, factus anno 1692. Gubernator Belgii Hiſpanici, poſt mortem Caroli II. Regis, Gallis Belgicas illas provincias occupantibus, in Bavariam ſuam rediit 1701. Cætera hujus Principis fata, poſtquam bello inſecuto Gallicas partes amplexus, et poſt cladem Hoechſtetenſem omnibus ditionibus ſuis exutus à Cæſare, denique proſcriptus eſt, ea cùm ſint in recenti memoriâ, nihil opus eſt hic commemorare. Ex priore conjugio cum Mariâ Antoniâ, Leopoldi Cæſaris & Margarethæ Thereſiæ Hiſpanæ filiâ, ſuſceperat filium JOSEPHVM FERDINANDVM, Succeſſioni Monarchiæ Hiſpanicæ deſtinatum: ſed ſpem ea mors præmatura abrupit. Alterum matrimonium cum Thereſiâ Cunigundâ, Johannis III. Poloniæ Regis filiâ unicâ 1694. contractum, liberis compluribus fœcundum fuit.

A. C. 1680. AVGVSTVS, ADMINISTRATOR MAGDEBVRGICVS, *obit.* Erat is Joh. Georgii I. Electoris Saxonici filius ſecundogenitus, anno quidem 1628. electus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, ſed non ſine ſecutis ingentibus turbis, cùm competitorem ejus Leopoldum Wilhelmum, filium ſuum Ferdinandus II. Imp. armis introducere conatus eſt; quæ res Civitatis Magdeburgenſis ruinâ conſtitit. Obtinuit tamen Auguſtus adminiſtrationem Archiepiſcopatûs, per pacem Pragenſem, & denique Oſnabrugenſem ipſi ad dies

vitæ

vitæ confirmatam. Poſt mortem autem ejus hoc demum anno, ætatis ejus 66. ex præſcripto ejusdem Pacis Weſtphalicæ Archiepiſcopatus Magdeburgicus, ſub titulo Ducatûs, Brandeburgici Electoris ditionibus acceſſit. Ab ejus filio primogenito Principes Weiſſenfelſa-Saxonici deſcendunt. De morte Auguſti Saxonis vid. *Theatri Europai Tomus XII. fol.* 144. Eodem adhuc anno die 23. Aug. frater quoque Auguſti,

JOH. GEORGIVS II. ELECTOR SAXONIÆ *Freibergæ decedit*, quò propter peſtem in Saxoniâ tunc graſſantem ſe receperat; anno 67. ætatis. Succeſſit in Electoratu filius JOH. GEORGIVS III. Vid. *Theatrum Europ. d. l.*

A. C. 1681. TRACTATVS FRANCOFVRTENSES *Imperii cum Galliarum Rege.* Cùm poſt Pacificationem Neomagenſem Rex Galliæ viâ prætenſionum ſuarum & reunionum, quas vocabant, commodis ſuis nimis litare videretur Germanis, ac multa in Belgio & ad Rhenum præſertim ſibi adjudicata, tanquam dependentia eorum, quæ vi Pacificationis Neomagenſis acceperat, de facto occuparet, & hoc modo novi belli ſemina jacerentur, quod tamen omnibus modis declinare cupiebant Cæſar & Imperium, poſt multas apud Regem Cæſarei legati eâ de re querelas, conſenſit tandem Rex, ut tractatibus Francofurti eo nomine inſtituendis, à Plenipotentiariis utriusque partis controverſiæ illæ componerentur. Sed parùm aut nihil ibi actum, cùm & Rex prætenſionibus ſuis inhæreret, & valde arctos temporis limites præſcriberet, qui rebus tanti momenti tractandis non ſufficiebant. Et interim etiam præter alia minora, Argentoratum occupaverat. Diſceſſerunt igitur Gallici legati Francofurto die 2. Decembr. 1682. & abrupti tractatus illi publicæ rei nihil profuere, niſi quòd poſtea anno 1684. iisdem propoſitionibus, quas Gallus Francofurti fecerat, armiſtitium vicennale ſuperſtructum, & Ratisbonæ concluſum eſt, per quod Rex Galliæ omnia, quæ hactenus reunionibus ſuis ſibi vindicaverat, retineret. Sed & hoc armiſtitium vix quadriennio duravit. Vid. *Theatri Europai Tom. XII.* ad hos annos ſub Rebus Imperii. Ibidem etiam *pag.* 630. exhibentur articuli armiſtitii vicennalis. Et Acta publica eo tempore typis edita. Breviter hiſtoriam repetit Hübner in den kurtzen Fragen aus der Politiſchen Hiſtorie *Tom. I. pag.* 1179 *num.* 135.

ARGENTORATVM GALLVS OCCVPAT. Vrbem hanc, Imperii ab hac parte clavem, ſibi ad cætera deſtinata opportunam ratus Rex Galliæ, miſſis eò copiis ſibi tradi petiit, Protectoris titulo eam in clientelam recepturus. Quæ cùm eſſet ad vim ſuſtinendam imparata,

Digitized by Google

rata, & nullæ in propinquo Germanorum copiæ, quibus ei in tempore ſuccurri poſſet; adhæc Galli abnuentem immiſſis globis ignitis perdere minarentur, re maturè deliberatâ, in æquas conditiones deditio facta eſt, die 30. Septembr. & præſidium Gallicum eodem die intromiſſum. Multa quidem paſſim, præſertim Germanorum, ſiniſtra judicia ſubiit Civitas ob hanc deditionem, ſed ea plerumque vel ex ignorantiâ vel ex affectu profecta; aliter judicantibus qui Statum Civitatis, qualis tunc erat, perſpectum habuerunt. Quanquam autem de hoc facto quererentur Cæſar & Imperium, & res, uti ajebant, ſuas repeterent, tamen fruſtra fuerunt. Denique Argentina per pacem Ryſvicenſem 1697. pleno jure in perpetuum ceſſa eſt Regi Galliæ, & hactenus ſub tutela manſuetudinis Ejus acquieſcit. Hiſtoriam de occupatâ à Gallis Argentinâ vid. in *Theatr. Europ. Tom. XII. fol.* 274 *ſeqq.* quanquam nonnulla ibi perperam narrata ſunt.

EMERICUS TECKELY, *Dux malè contentorum in Hungaria.* Hic Teckelius, filius Stephani Teckelii, Comitis Hungari, à patre ſuo, Cæſareum præſidium in arcem ſuam Kæſemarck recipere coacto, clam in Poloniam miſſus erat. Poſt mortem patris injuriam hanc vindicaturus Emericus Teckelius, ſe caput factioni Hungarorum malè contentorum, uti vocabantur, obtulit, quod quidem factum eſt citius quàm hoc anno 1681. Hoc verò tempore, cùm finito per pacem Neomagenſem bello Gallico, potentia Auſtriaca ſolis Hungaris incumberet, & res eorum eſſent inclinatæ, unà cum ipſis in clientelam Turcicam ſe dedit Teckelius, & ſpe factâ potiundi Tranſylvaniæ principatu, Helenam viduam Franciſci Ragotzii, Tranſylvaniæ Principis, uxorem duxit. Mox fiducia ei crevit, poſtquam & Turcæ, ruptis ante tempus induciis, bello Hungariam atque adeò ipſas Auſtriacas provincias aggreſſi ſunt; de quo in ſeqq. Sed cum illud bellum poſt multas Turcorum clades pace Carolovicenſi finitum eſſet, Teckelius, qui jam ante Turcis ſuſpectus, & captivus abductus fuerat, denique in Inſulâ quadam, in quam relegatus erat, mortuus eſt inglorius. Vid. *Theatrum Europ. paſſim.*

A. C. 1683. VIENNA *a Turcis* 14. *Julii obſeſſa liberatur die* 12. *Sept.* Quo conatu exciderat Solimannus ſuperiore Seculo, eum ſibi felicius nunc ſucceſſurum ſperabant Turci, Viennam ipſam, Auſtriæ caput, cum ingenti exercitu obſidentes. Sed res ſecùs ceſſit. Nam præſidiariis militibus 16000. numero, quorum præfectus *Starenbergius*, ſe fortiſſimè defendentibus, Turci in oppugnationibus ſupra 48000. ſuorum amiſerunt, & poſtquam REX

POLO-

Digitized by Google

POLONIÆ JOHANNES III. MAXIMILIANVS BAVARIÆ & GEORGIVS III. SAXONIÆ ELECTORES laboranti urbi auxilio venientes ſuas copias Cæſareanis conjunxerant, ab hoc Chriſtianorum exercitu depulſi ab obſidione, caſtriſque exuti, non ſine ingenti clade ad ſua receſſerunt, incredibili prædâ victoribus relictâ. In prælio & in fugâ Turcorum ad 30000. periiſſe dicuntur. Parta hæc tam glorioſa victoria eſt die 12. Sept. Hiſtoriam hujus obſidionis & memorabilis Chriſtianorum victoriæ dedit *Jo. Petrus à Vælckern*, S. R. I. Eques, S. Cæſ. Maj. Conſiliarius Aulico-bellicus, &c. cujus extat *Vienna à Turcis obſeſſa, à Chriſtianis liberata*, ſeu *Diarium obſidionis Viennenſis, &c.* Bruxell. 1684. in 12. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol.* 533. Eſt etiam hiſtoria hæc ſeorſim deſcripta Latinè per J. J. K. S. C. V. titulus libelli: *Vienna Auſtriæ barbarè oppugnata, glorioſè à Chriſtianis defenſa, & victorioſè liberata*, anno 1683. die 12. Septembris. Subjicitur *Nicol. Iſtuanffii Hiſtoria Hungarica*, anno 1685. Colon. Agr. in fol. recuſæ.

FERDINANDVS FVRSTENBERGIVS EPISCOPVS MONASTERIENSIS *obit*. Ex gente Baronum à Fürſtenberg in Weſtphalia ortus, jam anno 1661. Epiſcopus Paderbornenſis factus erat; anno verò 1678. Chriſtophoro Bernhardo in Monaſterienſi Epiſcopatu ſucceſſerat, vir doctus & auctor *Monumentorum Paderbornenſium*: de quibus vid. *Neu in Acceſſ. ad Whear. Part. 2. pag.* 158. *ſeqq.* Succeſſorem habuit in Paderbornenſi quidem Diœceſi *Hermannum Wernerum, Baronem de Metternich*; in Monaſterienſi *Maximilianum Henricum Bavarum, Electorem Colonienſem.*

INDVCIÆ VICENNALES IMPERII CVM GALLO, quas ſupra jam attigimus, præviis tractatibus Ratisbonæ initæ fuerunt, incluſis ſimul in ea pacta Hiſpanis & Belgis, ita ut Gallus interim retineret omnia, quæ vel reunitionum titulo vel alio modo occupaverat. Et facilius in has inducias conſenſit Imper. quia tunc vires ejus in bello Turcico occupatæ erant. Sed hæ induciæ in 20. annos factæ vix quadriennium durarunt, ut mox audiemus. Vid. *Theatr. Europ. fol.* 630. *Tom. XII.*

LIGA S. CONTRA TVRCAM, inter Cæſarem, Poloniæ Regem & Remp. Venetam connexa fuit, ex eaque ſecuta ſunt

VICTRICIA ARMA IMPERATORIS ET VENETORVM CONTRA TVRCAM. *Poloni* enim nullo inſigni ſucceſſu rem geſſerunt. Sed *Veneti* in eo bello totam Peloponeſum, hodie Moream, Turcis eripuerunt, & nonnulla in Dalmatiâ, in mari plerumque victores. *Cæ-*

ſaris

ſtris autem armis aliquot ingentibus præliis victi Turcæ, expugnatæ urbes, & occupata denique mirâ felicitate omnis Hungaria, ſola Belgrado & Temeswar in barbarorum poteſtate remanentibus, cùm Pax Carolovicii concluderetur. Specialia hujus belli noſtrâ memoriâ geſti ex Scriptoribus horum temporum & *Relat. Francof. & Theatro Europæo* ad ſuas quæque annos repetenda ſunt. De fœdere autem contra Turcos *Tom. XII. fol. 609. & 766.*

CAROLVS ELECTOR PALATINVS *obit*, *ei ſuccedit* PHILIPPVS WILHELMVS NEOBVRGICVS, cui tamen de Succeſſione controverſiam movit LEOPOLDVS LVDOVICVS PALATINO-VELDENTIVS, quòd ipſe Carolo ſine prole defuncto propior eſſet gradu; Neoburgicus verò ex propiore linea erat. De obitu Electoris & Succeſſione, vid. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol. 791.* Luctuoſiſſima fuit Archipalatinis mors Caroli, tum quòd Pontificio deinceps Principi ſubjecti ſunt; tum propter bellicas etiam calamitates hinc conſecutas. Nam Rex Galliæ CHARLOTTÆ ELISABETHÆ, quæ erat Electoris defuncti Soror, fratri ſuo Duci Aurelianenſi nuptæ, jura aſſerturus, poſt controverſiam aliquandiu ſcriptis ventilatam, tandem cum exercitu Palatini terras ingreſſus eſt ac bellico more vaſtavit. Qua quidem occaſione, ut paulò pòſt in Tabula noſtrâ dicitur,

Francus Imperium invaſit, & ſubinde *Spira*, *Wormatia*, *Manhemium funditus everſæ* ſunt, quibus acceſſit & ipſa Electorum ſedes *Heidelberga.* Sed hæc poſtea acciderunt. Interim

A. C. 1688. MAXIMILIANVS HENRICVS ARCHIEPISCOPVS COLONIENSIS *obit*. Erat hic Maximilianus Henricus ex familiâ Ducum Bavariæ, quæ inde ab anno 1583. Colonienſi Diœceſi dedit Archiepiſcopos & Electores. Geſſit Electoratum cum Archiepiſcopatu annos 38. idemque ſimul Leodienſis & Hildeſienſis Epiſcopus fuit. In bello Hollandico anno 1672. partes Gallicas aliquandiu ſecutus eſt. Mortuus anno ætatis 67. die 3. Julii 1688. poſtquam paulò ante obitum Coadjutorem ſibi conſtituiſſet GVILIELMVM EGONEM FVRSTENBERGIVM, Argentinenſem Epiſcopum: qui tamen ſperatâ ſucceſſione excidit, eamque JOSEPHO CLEMENTI BAVARO, hodierno Archiepiſcopo & Electori, relinquere coactus eſt. De quâ re paulò poſt. De morte Maximiliani Henrici vid. *Theatri Europ. Tom. XII. fol. 376.* ubi etiam effigies ejus.

FRID. WILHELMVS ELECTOR BRANDEB. *obit*. Hic glorioſiſſimus Princeps in diuturno regimine ſuo per annos 48. continuato, rerum geſtarum magnitudine omnes anteceſſores ſuos ſuperavit, Magni etiam cognomen inde promeritus. Ipſe omnibus propè bellis

ſua

ſua ætate in Europa geſtis, utpote bello tricennali Germanico quoad poſtremos annos, item Sueco-Polonico, Gallicis, Turcicis, ut pars belligerans vel ut fœderatus, intervenit, ductu auſpiciisque ſuis immortalem ex illis gloriam reportans. Cujus proinde vitæ hiſtoriam enarrare, ingentis voluminis opus eſſet, quale ſcil. nobis dedit Illuſtr. *Puffendorffius in Commentar. de Rebus geſtis Friderici Wilhelmi*, impreſſo Berolini fol. 1695. ad quem remittimus. Cui jungi poteſt *Caſp. Sagittarii Hiſtoria Electoru Brandeburg.* exceptis 8. poſtremis annis, qui hic deficiunt. Inveniuntur etiam res ejus in Theatro Europ. inde ab anno 40. Seculi paſſim conſignatæ usque ad 1688. quo mors ejus ſecuta eſt die 29. Aprilis, anno ætatis 69. quæ deſcribitur in eodem *Theatro Europæo Tom. XIII. fol. 398.* ubi etiam *pag. ſeq.* elogia ejus. Ditiones à Patre acceptas multis magnisque acceſſionibus auctas filio ſuo tertio genito (nam duo priores jam ante deceſſerant) FRIDERICO ex Principe Arauſionenſi nato reliquit, qui poſtea anno 1701. etiam regium axioma primus in hanc familiam intulit.

FRANCVS IMPERIVM INVADIT, & ſic vicennale armiſtitium evaneſcit. Præluſit huic bello mors duorum in Imperio Electorum Palatini & Colonienſis. Etenim cauſæ belli præcipuæ præferebantur prætenſiones Duciſſæ Aurelianenſis in hæreditatem à Carolo Ludovico Palatino, Patre ſuo, relictam; & excluſio Cardinalis Fürſtenbergii in electione Archiepiſcopi Colonienſis. Prima ab exercitu Gallico irruptio facta eſt in Palatinatum; ſed mox incendium illud tranſiit in Belgium, Britanniam, Cataloniam, Italiam, totamque adeò Europam implicuit. Quomodo verò ſingula evenerint, & quam ruinam paſſim traxerit hoc bellum, quæque rerum mutationes ex eo ſecutæ ſint, non opus eſt hic referre, memoriæ hominum adhuc obvia. Initium invaſionis Imperii memoratur in *Theatri Europæi Tom. XIII. fol. 307. ſeqq.* quod & porrò hujus belli hiſtoriam exequitur cùm iſto tum ſequenti *XIV. Tomo.* Proſtant & alibi Acta ac documenta per hoc tempus publicata. Finitum eſt poſt novennium per Pacem Ryſvicenſem.

TRACTATVS HOLSATICI, componendis ſcil. controverſiis inter Regem Daniæ Chriſtianum V. & Ducem Gottorpienſem Chriſtianum Albertum. Motæ erant illæ controverſiæ jam ab anno 1675. quo Rex Ducem affinem ſuum (quippe Sororem Regis in matrimonio habebat) Rendsburgi in poteſtatem ſuam redactum, ad pacta iniqua adegerat: in quibus hic Regi munimentum Tœningenſe tradere, & ſuperioritati in Sleſvicenſem Ducatum renuntiare coactus

eſt. Sed ſequutis ſubinde novis poſtulatis regiis & violentis invaſionibus, res recruduit; quanquam interim Chriſtianus Albertus exul per pacificationem Neomagenſem in omnes ditiones reſtitutus erat. Neque tamen ceſſantibus Dani Regis injuriis, denuo fugæ conſilium cepit, terras ſuas in poteſtate Regis relinquens. Interveniente tandem auctoritate Cæſaris novis tractatibus Altonæ jam anno 1687. inſtitui cœptis, & arbitris Saxone & Brandeburgico Electoribus, poſt multas Dani tergiverſationes, res compoſita, & in ditiones ſuas Dux pleno jure reſtitutus eſt anno 1689. Acta horum tractatuum prolixè memorantur in *Theatri Europ. Tom. XIII. fol.* 119. 801. *ſeqq.* ubi inprimis literæ ex parte Mediatorum ad Regem Daniæ ſcriptæ, argumentis graviſſimæ, & in quibus omne Rhetoricæ artificium exhauſtum eſt, omnino merentur legi. Conf. de his Tractatibus Holſat. *Mollerus in Iſagoge Cimbrica.*

Cardinalis Fvrstenbergivs haud dubiè memoratur hoc loco propter controverſiam in electione Archiepiſcopi Colonienſis hoc anno exortam, quam ſuprà jam attigimus. Hic certè *Guilielmus Egon Fürſtenbergius*, Cardinalis & Epiſcopus Argentinenſis, ut ſemper Gallis favit, ita exardeſcentis ſubinde belli fax vel præcipua Germanis credebatur. Is mortuo Maximiliano Henrico, Electore Colonienſi, à Canonicis ipſi amicis electus in Archiepiſcopum, ſuffragiis tredecim; cùm ab aliis *Joſephus Clemens Bavarus*, Epiſcopus Ratisbonenſis & Friſingenſis, novem ſuffragia obtinuiſſet. (*Hübnerus* Fürſtenbergio 14. ſuffragia, Bavaro 8. aſſignat, malè, ut opinor) Ex reliquis duobus alterum *pro Comite de Reckheim*, alterum *pro Principe Neoburgico* fuit. Quia verò uterque competitor jam alios Epiſcopatus habebat, hujus impedimenti Canonici cauſâ non eligi, ſed poſtulari poterant. Quod ſi ergo duo Candidati ita pares, uti erant, manſiſſent, haud dubiè viciſſet pluribus votis electus Fürſtenbergius. Sed quia Papa Innocentius XI. pro Bavaro diſpenſationem indulſit, novem illi ſuffragia (quot habebat) tanquam eligendo ſufficiebant, cùm Fürſtenbergius tanquam poſtulandus nonniſi 16. ſuffragiis potuerit eligi, qui tamen 13. duntaxat pro ſe habebat. Itaque ille quidem à Papâ confirmatus, Fürſtenbergius verò Gallicis præſidiis totâ diœceſi introductis ſe ſtabilire conatus eſt. Vnde paulò poſt ad arma ventum. Hiſtoria electionis prolixè memoratur in *Theatri Europæi Tomo XIII. fol.* 387. *ſeqq.* Acta publica circa eandem Electionem *Pfeffingerus* inſeruit *Vitriario ſuo illuſtrato lib.* 1. *Tom. XIV.* §. 5. Cætera hujus Fürſtenbergii, inter quæ præcipuè memorabilis captivitas ejus, quam ſubiit, in Civitate Colonienſi

Digitized by Google

lonienſi comprehenſus anno 1674. de quà ſuprà diximus, hujus loci non eſt repetere. Mortuus eſt anno 1704. in Abbatiâ S. Germani propè Lutetiam.

In REBVS ECCLESIÆ memoratur

A. C. 1672. JOHANNES DE LABADIE *ſeparatum cœtum inſtituit Herfordiæ.* Johannes hic de Labadie, Gallus pridem Theologus Pontificius, cùm variis in locis propter diſſeminatos clàm errores Adamitarum, & turbas in Eccleſiâ datas, ejectus fuiſſet, ad Reformatos demum acceſſerat, & Montalbani, Arauſione & Genevæ docuerat, & ubique ſe ſuſpectum fecerat. Idem deinde Genevâ Mittelburgum ſe contulerat, ubi ſimiliter novaturienti, Seelandiæ Ordines publico edicto 1669. ditionibus ſuis in perpetuum interdixerunt. Vid. *Theatr. Europ. Tom. X. Part. 2. fol.* 84. Denique in Angliam conceſſit, & Herfordiæ ſeparatos cœtus inſtituere cœpit. Plures qui de hoc Joh. Labadio ſcripſerunt, indicat *Mollerus in Præf. Tom. II. Polyhiſtoris Morhoff. præfixa pag. 24. & in Iſagoge ad Hiſtoriam Cimbricam Part. 2. cap. 5.* quibus adde *Dan. Hartnaccius in Continuat. Hiſtor. Eccleſ. Part. 2. Artic. 8. pag. 1562. ſeqq. Kortholt. Hiſtor. Eccleſ. Sec. XVII. pag. 904. Arnold. in Hiſtor. Eccleſ. & Haret. Part. 2. lib. 17. cap. 21.* Vitam hujus Joh. Labadii ab Anonymo Gallicè ſcriptam exhibet idem *Arnoldus in Supplementis Hiſtor. Eccleſ. p. 199. ſeqq.* Sed ea narratio tantùm ad adventum Labadii in Belgium perducitur. Titulus eſt: *Abregé ſincere de la Vie & de la Conduite & des vrais ſentiments de feu Mr. de Labadie.*

A. C. 1673. REX ANGLIÆ PAPISTAS CLERICOS REGNO SVO EXESSE JVBET. De interdicto Pontificiis publico religionis exercitio in Angliâ, aliquid quidem invenio in *Theatr. Europ. Tom. XI. p.* 119. Sed de expulſis per hæc tempora Clericis nusquam.

A. C. 1675. EVANGELICORVM IN HVNGARIA PERSECVTIO, quæ in Eccleſiæ potiſſimùm Miniſtros exercita fuit, Poſonii (Preſsburg) præſertim & Oedenburgi, (Sempronii) ubi complures carceri mancipati ſunt. Et jam ante Evangelicis in his duabus Civitatibus ademta erant arma, præcluſa templa & Pontificiis Sacris conſecrata, & ipſi rebellium more tractati. Quæ res ſequenti tempore multum turbarum dedit in Hungariâ, poſtquam his ad deſperationem redactis caput ſe obtulit Teckelius Comes. Vid. de perſecutione hac Evangelicorum *Theatr. Europ. Tom. XI. pag.* 74. & alibi paſſim in ſeqq.

Digitized by Google

JUBILÆUM ROM. nimirum ſingulis 25 annis celebrari ſolitum, tunc quoque conſueto more celebravit Clemens X. Pontifex M. auſpicatus id ſolennibus ceremoniis, aperiendo portam templi S. Petri. *Theatr. Europ. Tom. XI. fol.* 742. *b.*

VOETIANORUM & COCCEIANORUM *in Belgio* SECTÆ. Occaſionem controverſiæ dedit JOH. COCCEII dogma, de fœdere Dei cum hominibus, ejusque diverſa œconomia in Vet. & N. Teſtamento, quod in libro ſuo, cui titulus: *Summa doctrina de Fœdere & Teſtamento Dei*, tradiderat. Acceſſit etiam Carteſiana Philoſophia, cui addictus erat Coccejus, & oppugnabat GISBERTUS VOETIUS, itidem Theologus ex Reformatis celeberrimi nominis. Illæ ergo controverſiæ tunc in Belgio magno fervore agitatæ, Theologis in partes tranſeuntibus, unde ſciſſi eo tempore Theologi Batavi in Voëtianos & Coccejanos. De quâ re vid. pluribus *Frid. Spanhemius Epiſt. de noviſſimis circa res ſacras in Belgio diſſidiis. Galenus Farellus Diſſert. Hiſtor. ſeu Epiſt. ad Amicum reſponſoria de noviſſ. in Belgio litibus circa Theologiam & Philoſophiam, &c. Jo. Chriſtophorus Sturmius de Carteſianiſmo & Coccejaniſmo. Valent. Alberti* Διπλοῦν κάππα, *h. e. Carteſianiſmus & Coccejaniſmus.* Benthems Holländiſcher Kirchen- und Schulen-Staat *Part. II. cap.* 3. *pag.* 116. *Sagittarii Introd. ad Hiſtor. Eccleſiaſt. pag.* 926. *Hartnaccius in Continuatione Hiſtor. Eccleſiaſt. Micrælii Sect.* 2. *Artic.* 2. *pag.* 2102. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Heret. Part.* 2. *libr.* 17. *cap. pag.* 526. *ſeqq.*

INNOCENTIUS XI. P. R. dictus prius *Benedictus Odeſchalchi*, Comenſis ex Mediolanenſi ditione, in locum Clementis X. electus eſt: de quâ electione vid. *Theatr. Europ. Tom XI. pag.* 1134. Hic Papa ſub ſuo regimine Nepotiſmum non admiſit, multaque alia correxit laudabiliter, ſeverus morum cenſor. Cum Rege Galliæ multum ei negotii fuit ob controverſias de Jure Regaliæ, & de Jure Aſyli: (Quartier-Freyheit) cui cùm cedere nollet, irritatus Rex Avenionem occupavit. Mortuus eſt hic Papa anno 1689. à Pontificiis pariter & Proteſtantibus deſideratus.

FESTUM SECULARE ACADEMIÆ JULIÆ *ſolenniter celebratur* 15. & 16. *Octobr.* qui erat Academiæ hujus natalis centeſimus, ſicut ex dictis ſupra ad annum 1576. IN REBUS ECCLESIÆ colligitur. Extant *Acta* hujus *Feſti Secularis* typis edita.

DISPUTATIO DE POLYGAMIA. Occaſionem huic Diſputationi dediſſe videtur Carolus Ludovicus Elector Palatinus, cùm uxori ſuæ Charlottæ, Landgravii Haſſo-Caſſellani filiæ, aliam ſuperinduxit, Mariam Suſannam Degenfeldiam, eamque publicè matrimonio ad

mor-

morganaticam ſibi copulari voluit, quæ etiam 14. liberorum parens ex eo facta eſt. Liberi *Raugravii* ſunt appellati. Itaque non defuerunt eo tempore, qui, ut apparet, in gratiam Electoris, polygamiam defenderent, etiam Theologi, ſcriptis in eam rem editis, quibus contraria ſcripta provocata ſunt. Vixit eo tempore acerrimus polygamiæ hyperaſpiſtes *Joh. Lyſerus*, cujus *Polygamia triumphatrix*, *ſeu Diſcurſus de Polygamia* anno 1682. Lundæ in Scaniâ (ut titulus habet) prodiit. Scripſerat idem ſub ficto nomine *Sinceri* Wahrenbergs ein kurtzes Geſpräch von der Polygamie / cujus auctorem *Fridericus Geſenius*, Superintendens Garlebienſis, *Puffendorffium* eſſe arguebat, unde magnæ lites. Vide *Reimmann. Hiſtor. Literar. German. Contin. lib. 2. Sect. 3. Quæſt. 251. & in Not. pag. 615.* Nec non libellum Germ. edidit idem *Lyſerus*, ſub titulo: Das Marck aller Länder / quo Polygamiam ſimultaneam probare & defendere conatur, ut teſtantur *Caroli Memorab. lib. 8. cap. 67. pag.* 230. ubi etiam de pœna ejus, ad quam damnatus eſt Holmiæ in Sueciâ.

A. C. 1679. PONTIFICIS BVLLA CONTRA NOVOS MORALISTAS. Per hos novos Moraliſtas intelliguntur Jeſuitæ quidam, qui per id tempus 63. vel, ut alii, 65. theſes morales propoſuerant, planè paradoxas. Has igitur Papa edicto ſeu Bulla damnavit die 2. Martii hujus anni, tanquam ſcandaloſas & in praxi pernicioſas. Vid. *Calviſii Continuat. ad hunc annum, Carolus in Memorab. Eccleſ. lib.* 8. *c.* 65. *pag.* 226. At Alexander VII. Papa jam tum anno 1665. viginti octo iſtorum Moraliſtarum Propoſitiones, Decreto die 24. Sept. edito damnaverat: quod exhibet idem *Carolus lib. 7. cap* 37. *pag.* 352. *ſeq.* (ubi etiam nonnullæ eorum Theſes adducuntur) & rurſus anno ſeq. 1666. die 18. Martii aliâ Bullâ contra 45. eorum propoſitiones detonuerat. *Ibid. cap.* 44. *pag.* 372.

A. C. 1680. FRIDERICOBVRGI TEMPLVM CONCORDIÆ *excitatur*, à Carolo Ludovico Electore Palatino: de cujus conſecratione ſolenni, quæ facta eſt hujus anni die 27. Junii, vid. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol.* 143.

JVDÆI *numero D. in Hiſpania publicè necantur.* Tragœdiæ hujus, in præſentiâ Regis inſigni pompâ & magnificentiâ actæ, deſcriptionem habes in *Theatr. Europ. Tom. XII. fol.* 245.

A. C. 1681. REGALIÆ JVS SIBI VINDICAT GALLVS CONTRA PONTIFICEM. Aſſeruerant quidem ſibi jus illud jam priores aliquot Reges Galliæ, quibus Libertatem Eccleſiæ Gallicanæ, jam anno 1274. in Concilio Lugdunenſi à Gregorio X. conceſſam, defendere curæ fuit; & præſertim Carolus VII. qui poſt Concilium Baſileenſe

Digitized by Google

leenſe Sanctionem Pragmaticam inſtituit; de quâ ſuo loco diximus. Hoc verò tempore Ludovicus XIV. Rex convocatâ Synodo Clericorum quatuor iſtas Theſes propoſuit: I. Quòd Papa in rebus civilibus nullam habeat poteſtatem in Principes, neque quicquam iis præcipere poſſit. II. Quòd Concilium univerſale ſit ſupra Papam. III. Quòd Poteſtas Papæ per canones limitanda & coërcenda ſit, neque quicquam valeat contra vetera gentis privilegia & jura. IV. Quòd etiam in rebus fidei decidendis nihil valeat ſententia Papæ, ſine conſenſu totius Eccleſiæ, isque adeò non ſit infallibilis. Hæ IV. Theſes non tantùm ab Epiſcopis & cæteris Eccleſiaſticis Lutetiæ tum congregatis, approbatæ, ſed & à Parlamento Pariſienſi juſſu Regis confirmatæ, & in acta relatæ ſunt: fruſtra contradicente & omnia irrita pronunciante Pontifice Innocentio XI. cujus cum Rege diſſidium nonniſi mors ſuſtulit, quâ ille ſedem Rom. vacuam reliquit anno 1689. ut in Tabulâ ſeq. ſub REBUS ECCLESIÆ notatur. De Actis in hac Synodo, & controverſiâ Regalium, vid. *Theatrum Europ. Tom. XII. fol.* 477. & Hübner in ſeinen kurtzen Fragen aus der Politiſchen Hiſtorie *Tom. III. pag.* 210. *ſeqq.* ubi rem altiùs deducit. Prodiit in ipſâ Galliâ Tractatus *de la Regale*, & poſtea etiam Clerus Gallicus approbationem ſuam typis publicè deſcribi curavit, ſub titulo: *La Reſolution du Clergé de France.*

COMITIA SEMPRONIENSIA. Indixerat Comitia regni Hungarici Sempronii i. e. Oedenburgi celebranda Leopoldus Imp. & Rex Hungariæ, in quibus de componendis turbis in regno exortis, & rebellibus, ut vocabant, ad obſequium reducendis ageretur. Quia verò cardo rei vertebatur in libertate religionis, itaque ſub titulo hoc RERUM ECCLESIÆ memorantur hæc Comitia. Obtulerunt quidem Imperatori & Regi ſubinde gravamina ſua Status Evangelici in Hungariâ, quorum ſcil. privilegia jam ab aliquot annis variè infringebantur, & in arctum redactum erat religionis exercitium. Sed Imp. conſiliis Eccleſiaſticorum uſus, durum ſe & inexorabilem præbebat, quanquam & Rex Sueciæ aliique Principes Proteſtantes interceſſione ſuâ apud Cæſarem ipſos juvabant. Vnde factum, ut tum quoque parùm aut nihil, quod gravaminibus iſtis mederetur, obtinerent. Quamobrem articulos in Comitiis concluſos ſubſcribere recuſarunt, & ſolenni contradictione contra eos proteſtati ſunt. Vnde res in nervum erupit, & ad Teckelii partes plerique acceſſerunt, armis perſecuturi jus, quod aliter obtinere non poſſent. Acta Comitiorum Sempronienſium prolixè exhibentur in *Theatri Europæi Tom. XII. fol.* 289. *& ſeqq.*

HISTO-

Digitized by Google

Hisoria Conciliorvm generalivm Edmvndi Richerii. Neſcio quo ſelectu de hoc duntaxat Richerii libro hic memoretur; cùm tamen idem plures alios non minùs memorabiles ſcripſerit. Certè potius referri hic merebatur liber ejus *de Poteſtate politicâ & Eccleſiaſtica*, jam anno 1611. editus, ex quo ille ſibi multùm adverſitatis attraxit & perſecutionem præſertim Pontificis; cujus abſolutam poteſtatem, nec non reliquam hierarchiam eccleſiaſticam in eo oppugnaverat. Erat ipſe Gallus ex Lingonibus, & Syndicus Vniverſitatis Pariſienſis, jam anno 1633. mortuus. Vid. interim de eo *Moriſot. Epiſt. ad Curetum*, quæ reperitur Part. II. Collectionis, quæ Divione prodiit anno 1656. *Acta Eruditorum Lipſienſ. 1683. pag. 494. ſeqq.* Item, *Andr. Caroli Memorabil. Sect. 17. p. 265. 288. &c.*

A. C. 1682. Lvdov. Mainbovrg *ex Jeſuita fit Abbas in Gallia.* Eſt is celebris auctor, qui ſcripſit Hiſtoriam *Lutheraniſmi & Calviniſmi*, item *Arminianiſmi*, *Iconoclaſtarum*, *Vicleſitarum*, *Schiſmatis Græcorum*, *&c.* Præſertim verò primum ipſius opus, nempe *Hiſtoria de diminutione Imperii*, eximium eſt. Quia verò inſolitum eſt, ut ex Societate Jeſuiticâ fiant Abbates & Epiſcopi, eo nomine hic memoratur, tanquam qui à ſuo ordine defecerit. Plura de hoc *Mainburgio* vid. in *Lexico Hiſtor. Vniverſ. Buddei.*

Jesvitarvm Generalis *Romæ fit* P. Noyel. Hic erat Belga illuſtri genere natus, quem P. Joh. Pavlvs Oliva, 82. ætatis anno moriens, ſibi Succeſſorem denominaverat. Ipſe P. Carolus Noielle non ultra quinquennium Generalatum hujus Ordinis geſſit, mortuus anno 1686. die 8. Decembr. conſtituto ſibi Succeſſore in hac dignitate P. Marino Genuenſi. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol. 387. b. & 1146. b.*

A. C. 1683. Collegivm Jesvitarvm Argntorati erigitvr, in Curiâ Canonicorum Templi Cathedralis, (vulgò der Bruderhoff) quæ ſpeciatim ad Duces Brunſuicenſes & Lunæburgenſes antiquo jure pertinebat. Et illud Collegium Ludovicianum dici voluerunt, Rege reditus ſubminiſtrante. Sequenti tempore multis acceſſionibus dilatatum, & Academia etiam Pontificia, quæ Molshemii fuerat, eò tranſlata fuit. Anno verò prædicto Calend. Novembr. primùm publicè ſuas Scholas aperuerunt PP. Societatis.

Decretvm Acad. Oxon. contra libros Hobbes, Milton, &c. *Thomas Hobbeſius & Joh. Miltonus*, Angli, pluribus ſcriptis editis celebres, ſed in quibus paradoxa quædam cùm ad religionem, tum ad politicam & remp. pertinentia continentur. Hobbeſius quidem præter mathematica nonnulla, in duobus potiſſimum, quos

edidit,

Digitized by Google

edidit, libris plerorumque cenſuram meruit, quem *de Cive* ſcripſit, & quem *Leviathanem* vocavit. Ea, quibus Theologiam turbat, ex libris his, præſertim ex *Leviathane*, excerpta producit *Hartnaccius Contin. Hiſtor. Eccleſ. Micrælii pag.* 2230. Elementa verò Philoſophiæ Hobbeſianæ *de Cive* accuratius ſibi examinanda ſumſit *Richardus de Cumberland in Diſquiſitione de Legibus naturæ.* Ipſe *Hobbeſius* à nonnullis inter Naturaliſtas refertur, ab aliis tanquam Atheus diffamatur, ab aliis viciſſim excuſatur. Vid. de religione ejus *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. lib.* 17. *cap.* 16. *pag.* 608. *ſeqq.* In prædictis autem ſcriptis Regiam potiſſimum auctoritatem & poteſtatem etiam circa ſacra, ſtabilire ac defendere laborat, quod per ea tempora à Republicanis Anglis malè acceptum. In alteram partem peccavit *Miltonus*, vir doctiſſimus, ſed monarchomachorum anteſignanus: cujus miror in Tabulis noſtris nullam mentionem factam inter viros celebres, cùm in hunc cenſum præ multis aliis referri mereatur, ad annum 1674. referendus. Is præter libros *de Divortio*, & alios quosdam, in cauſâ regicidii Anglicani tuendâ calamum ſtrenuè ſtrinxit, ſcriptâ præſertim *Defenſione populi Anglicani contra Cl. Salmaſium, & Alexandrum Morum*: quanquam & plura alia pro Democratico regimine ab eo edita ſunt. Vid. *Vita Miltoni* Anglicè ſcripta à *Joh. Toland*, & impreſſa Londini 1699. Brevis vitæ ejus delineatio eſt etiam in *Buddei Lexico Hiſtor. Univerſ.* Iſti igitur Duumvirorum horum libri, poſt utriusque mortem, unà cum aliis nonnullis, tunc temporis Decreto Academiæ Oxonienſis rejecti, & à communi uſu ablegati ſunt, tanquam heterodoxi.

A. C. 1684. Pontifex Episcopum Monasteriensem *confirmare detrectat.* Erat is *Maximilianus Henricus Bavarus, Archiepiſcopus idem & Elector Colonienſis*, quem à Capitulo Monaſterienſi ritè electum Papa confirmare abnuebat, quanquam ipſe Imperator miſſo ex hac cauſa Romam Legato extraordinario rem urgebat. Refert ad annum 1686. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol.* 998. *a.*

Reformatorum acerrima perſecutio in Gallia, quibus in Dania & quibusdam Germaniæ locis publicum religionis exercitium conceditur. De hac perſecutione, quam per ſingula momenta deſcribere longum eſſet, peculiares Relationes editæ ſunt, & memorat paſſim *Theatri Europæi Tomus XII.* præſertim *fol* 908. ubi etiam

Edicti Nannetici abolitio, (quam interjecto tantùm uno lemmate Tabula noſtra ſeorſim memorat) verbis formalibus ex interpretatione Germanica inſeritur. Conditum erat illud Edictum ab Henrico IV. Avo hodierni Regis, plenam libertatem religionis ſuæ exercen-

Digitized by Google

exercendæ Reformatis in Galliâ confirmans; quod deinde in legem regni fundamentalem evaluit. Sed abolitionem ejus, per quam omnis ſpes Reformatis ſimul ſemelque præciſa eſt, magnitudo Regis & potentia facilitavit. De his perſecutionibus Reformatorum præter multos alios, Gallos præſertim, vid. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Haret. lib. 17. c. 2. p. 447.* nec non *Hiſtoria Edicti Nannetenſis*, Delphis in Hollandiâ excuſa 1693. auctore anonymo, in qua ſimul continentur res Reformatorum in Galliâ ante & poſt illius edicti publicationem, usque ad ejusdem abolitionem.

A. C. 1685. QVIETISTARVM SECTA. Auctor ejus Sectæ erat *D. Michael Molinos*, natione Hiſpanus, qui docebat, verum DEI cultum non in externis ceremoniis conſiſtere, ſed in internâ animi quiete: unde Quietiſtæ dicti Sectatores ejus. Neque ipſe Innocentius XI. Papa huic Doctori iniquus erat: ſed urgentibus tamen nonnullis, præter animi ſententiam, uti quidam volunt, ipſum hoc anno 1685. comprehendi juſſit, & biennio pòſt ad perpetuum carcerem damnavit, in quo anno demum 1696. mortuus eſt. Extat de condemnatione ejus *Decretum Feria V. die 28. Auguſti 1687. in generali congregatione S. Rom. univerſalis Inquiſitionis habitâ in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. Innocentio Papa XI. &c.* Cui ſubjunctæ ſunt 68. Propoſitiones Molinoſi; Romæ & Florentiæ apud heredes Fr. Honufrii. Præcipui Molinoſi aſſeclæ ejurare Sectam coacti ſunt, inter quos & *Cardinalis Petruccius*, qui parùm abſuit, quin propterea Cardinalitiam dignitatem amitteret. De hac Sectâ Moliniſticâ ſeu Quietiſmo vid. *Gilberti Burneti Iter Italicum, & Anonymi Epiſtola 3. Gallica de Statu Italiæ præſenti*, in ſupplementum iſtius editæ. (Coloniæ 1688. in 12°.) Incerti *Recueil de diverſes pieces, concernant le Quietiſme* (Amſtel. 1688. 8vo.) *Jugement d'un Proteſtant ſur la Theologie Myſtique, ſur le Quietiſme, & ſur les démelez de l'Evcque de Meaux avec l'Archeveque de Cambray* (Amſtelod. 1699. in 12°) *Joh. Friderici Meyeri Diſſertatio de Quietiſtarum perſecutionibus*, (Hamburg. 1688. in 8vo.) *& Joh. Andreæ Schmidii Diſſert. de Quietiſmi revolutione in Quietiſtis XIV. & hujus Seculi.* (Helmſtad. 1697. 4to.) *Hartnaccius in Continuatione Hiſtor. Eccleſ. Micrælii Part. 3. Sect. 1. Artic. 2. pag. 1896. ſeqq. Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Haret. Part. 3. cap. 17.* De ortu hujus Quietiſmi & dogmatibus & Inquiſitione Romanâ vid. etiam *Theatr. Europ. Tom. XII. fol. 206. ſeqq. & fol. 929.*

A. C. 1686. FESTVM SECVLARE ACADEMIÆ HEIDELBERGENSIS. Quæ ſcil. ante 300. annos plenè conſtituta fuerat. Nam quanquam in Tabulâ noſtrâ jam ad annum 1346. initium Academiæ Heidel-

 ber-

bergenſis ponitur, tamen illa tunc quidem fundata, introductionis verò ceremoniæ extractæ fuerunt usque ad 1486. Itaque tertium jam Jubilæum hujus Academiæ celebratum eſt hoc anno: ad quam feſtivitatem, ut fieri ſolet, etiam aliæ per Germaniam Academiæ per publicas literas invitatæ ſunt, & in iis noſtra quoque Argentoratenſis.

Academia Wolffenbuttelana *introducitur.* Fuit hæc Academia (die Academie und Ritter-Schule) Nobilium ſtudiis & exercitiis deſtinata & ſeq. tempore à multis etiam Principibus & Comitibus aliisque illuſtris proſapiæ juvenibus frequentata. Inſtituit eam Antonius Vlricus, Dux Lunæburgicus, Princeps doctiſſimus, qui nuperrimè, in extrema ſenectute, anno ſcil. ætatis 77. mutatâ religione in Pontificiorum caſtra tranſiit.

Jus Asyli *& aliæ immunitates Legatorum Romæ diſputantur.* Jus aſyli (die Quartier-Freyheit) jam à longo tempore Legati exterorum Principum Romæ exercebant, per quod omnes malefici, qui in palatia ipſorum confugiſſent, inviolabiles habebantur, & ibi aſylum inveniebant; adeò ut nec ipſi Pontifici petenti extraderentur. Ea res quia ſceleratorum audaciam confirmando multis malis occaſionem dabat, Innocentium XI. Pontificem movit, in aliis quoque abuſibus tollendis ſeverum, ut de abolendo hoc jure aſyli ſeriò cogitaret. Hoc ejus conſilium facilitare viſa eſt opportuna mors Legati Gallici, *Ducis d'Eſtrée.* Itaque ſtatim edicto publicato, illud jus aſyli & immunitatem palatiorum exteris Legatis habitatorum omnino ſuſtulit, ut in poſterum nemini liceret eâ uti. Et conſenſit quidem in hoc *Rex Hiſpaniæ & Chriſtina Regina Sueciæ*, quæ jam à longo tempore Romæ commorabatur: ſed *Rex Galliæ* de jure illo cedere, conſtanter recuſabat, miſſoque in demortui locum Legato, *Marchione Lavardino*, ut id nihilominus exerceret, præcipit; Pontifice viciſſim eum pro Legato agnoſcere pertinaciter abnuente, nec quicquam remittente ab hoc rigore ſuo, quamvis Rex Galliæ graviter offenſus ei etiam Avenionenſem Comitatum adimeret: neque cum eo reconciliatus eſt Papa ante obitum ſuum, qui in ſequentem annum 1688. incidit. Vid. de hac controverſia *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol. 196.* ubi etiam Bulla Pontificia exhibetur.

Jesuitarum *in Anglia & Sabaudia* primæ Scholæ. Malè, *in Anglia & Sabaudia.* Error hinc natus, quia in Angliâ, in loco cui nomen *Sabaudia*, Jeſuitarum Collegium erectum: quod tamen ipſe Jacobus Rex, rebus ad mutationem vergentibus, iterum claudi juſſit.

Digitized by Google

juſſit. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol.* 133. & de clauſo rurſus Collegio *fol.* 538.

In Anglia leges pœnales abrogantur, conceſſa ſacrorum quorumvis libertate. Leges pœnales dicuntur, quæ pœnam ſanciebant in eos, qui ſe Eccleſiæ Anglicanæ dogmatibus non conformabant, aut à publicis concionibus uſuve euchariſtiæ abſtinentes ſe à reliquo cœtu ſeparabant, &c. Præcipua in his lex, quam Test vocant, i. e. Teſtimonium, eratque formula confeſſionis fidei, ad quem ſinguli, qui munera publica in regno Angliæ obire vellent, adigebantur, abjurantes Papiſmum, & nominatim dogmata transſubſtantiationis & invocationis Sanctorum. Ea lex decreto Parlamenti Anglicani anno 1678. ſolenniter conſtituta, ab eo tempore pro firmamento religionis Proteſtantium in Angliâ habita eſt; Pontificiis ex adverſo pro obſtaculo conſiliorum exequendorum, quæ jam dudum animo conceperant. Jacobus igitur Rex, conſultore P. Peters, Jeſuita, qui ei à confeſſionibus Sacris erat, introducendæ religioni Pontificiæ intentus, hoc obſtaculum ante omnia removere ſtatuit, legesque iſtas pœnales edicto ſuſtulit, die 15. April. 1687. & altero poſtea die 7. Maji 1688. promulgato, conceſſâ omnibus Sacrorum quorumvis libertate. Qui verò in hanc abolitionem legum pœnalium conſentire recuſabant Epiſcopi ſeptem in turri Londinenſi cuſtodiæ mandati ſunt, prædicto anno 1688. Defendit tamen hanc abrogationem legum pœnalium *Samuel Parker*, Epiſcopus Oxonienſis, edito etiam ſcripto linguâ Anglicâ, rationes abolitionis hujus reddere conatus: cui tamen mox aliud ſcriptum oppoſitum fuit, & ex Anglicâ linguâ in Gallicam verſum, ſub titulo: *Examen des raiſons propoſées par Samuel Parker, Eveque d'Oxfort, dan ſon nouveau libelle pour l'abolition du Teſt, qu'on exige de touts les Membres du Parlament:* qui liber impreſſus eſt Coloniæ in 12. Extat etiam de hoc argumento *Reſponſum Domini Fagel, Penſionarii Confœderatorum Ordinum Hollandiæ*, quo legum harum æquitatem tuetur, in *Theatro Europ. Tom. XIII. fol.* 467. Hiſtoriam ipſam abolitionis earum, unà cum formulâ legis, quam Test vocant, vide in eod. *Theatro Europæo, Tom. XIII. fol.* 126. *ſeqq. & fol.* 467. *ſeqq.*

Inter VARIA primo loco

A. C. 1672. notatur *Bellum Gallo-Belgicum*, de quo jam

 dictum

Digitized by Google

dictum ſupra pag. 626. ad illud: *Cæſar & Brandeburg. Elector Gallos à bello Belgico avertunt.*

A. C. 1673. MICHAEL REX POLONIÆ *obiit* 10. *Nov.* anni ſcil. 1673. (qui numerus in Tabulâ non eſt additus) Leopoli in Ruſſiâ, ſanguinis profluvio ex ore & per ſeceſſum manantis. Annus erat ætatis ejus 33. regni verò quartus. De cujus morte & variis de eâ judiciis vid. *Theatr. Europ. Tom. XI. pag.* 438. Aliam ſuſpicionem de Adamantino pulvere, quo mors ejus accerſita fuerit, indicat *Becmannus Hiſt. Orbis Terr. Part.* 2. *c.* 8. §. 2. ubi legitur etiam luſus ingenii neſcio cujus.

WITTII FRATRES. *Johannes & Cornelius* de Witte fratres, *ille* Penſionarius Ordinum Hollandiæ & Friſiæ occidentalis; *hic* Conſuſularis Dordracenſis, viri prudentiâ nobiliſſimi, hactenus in Republ. Hollandicâ multum poterant, & factione contrariâ Arauſionenſis Principis auctoritatem opprimebant. Sed poſt irruptionem Gallorum in Confœderatas Provincias, cùm res Batavorum in pejus ruere viſæ ſunt, & civitates ſe certatim hoſtibus dediderunt, à plerisque culpa hujus rei in Wittios, præſertim in Penſionarium conferebatur, qui odio familiæ Arauſiacæ quidvis aliud mallent, quàm hujus incrementa & creſcentem potentiam videre. Itaque poſt multas de illis querelas & minaces voces auditas, tandem invidia in rabiem exarſit, populique furentis victima facti Wittii, Hagæ Comitum inter manus multitudinis diſcerpti, multisque cruciatibus enecati ſunt. Etiam in mortuos crudeliter ſævitum fuit, ſingulis ex plebe vel digitum vel aliam lacerati corporis partem, quam nonnulli multâ pecuniâ redimebant, tanquam furoris ſui monumentum auferre ſtudentibus. Factum hoc eſt die 26. Aug. 1673. Tota hiſtoria cum ſuis circumſtantiis prolixiùs legi poteſt in *Theatri Europ. Tom. XI. fol.* 126. *ſeqq.* & apud *Auctorem* des verunruhigten Holländiſchen Löwen *Tom. I.*

A. C. 1674. PRINCEPS ARAUSIACUS *Proprinceps in Belgio declaratur.* Ordines quidem Hollandiæ anno 1665. die 5. Auguſti ſolenni edicto caverant, ſeque ad id ſervandum jurejurando obligaverant, ne quis deinceps de Principe Arauſionenſi ad gubernationem Reip. Hollandicæ admovendo referret. Quod edictum perpetuum appellatum eſt, quia vim in omne tempus habere debebat. Sed poſt Gallicam invaſionem, cùm res in præcipiti ſtarent, anno 1672. (non 1674.) abolito hoc edicto, & ſolutis juramento ſuper illud præſtito cunctis, in omnes dignitates Majorum ſuorum

decreto

decreto Statuum reſtitutus GVILIELMVS HENRICVS PRINCEPS ARAVSIONENSIS, & Proprinceps (Statthalter) cum omnibus juribus & prærogativis huic titulo annexis ſolenniter declaratus eſt. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XI. pag. 245.*

A. C. 1674. JOHANNES III. SOBIESKY REX POLON. *eligitur die 20. Maji.* Fuerat hic Princeps, è Sobieskyorum familiâ, hactenus Generalis armorum Præfectus in Polonia, & ſub ejus ductu ipſa proximâ ab emortuali die Regis Michaelis, Poloni inſignem à Turcis ad Chocimum victoriam reportaverant; cum quibus tamen Rex factus biennio poſt pacem fecit 1676. relictâ tum in eorum manibus munitiſſimâ Podoliæ urbe Cameneco. De electione ejus in Regem vid. *Theatri Europ. Tomus XII. fol. 589.* Coronatus eſt die 2. Febr. 1676. cùm die præcedenti, more in Poloniâ ſolito, ſepultura Regum Michaelis & Joh. Caſimiri celebrata fuiſſet. Inter geſta hujus Regis præcipuum eſt, quòd unà cum Cæſareis Saxonicisque copiis ipſe cum ſuis Polonis obſeſſæ à Turcis urbi Viennæ ſuccurrit, & particeps ingentis illius victoriæ fuit. Poſtea fœderi cum Cæſare & Venetis innexus adverſus Turcas, parùm tamen magnæ rei deinceps in eo bello egit, eidem immortuus anno 1696. relictis 3. filiis & unâ filiâ, Electori Bavariæ nuptâ. Ipſi poſt annuum interregnum FRIDERICVS AVGVSTVS, *Elector Saxoniæ*, ſucceſſit.

A. C. 1679. JOH. FRIDERICVS DVX BRVNSVICENSIS ET LVNÆBVRGENSIS *obit Auguſtæ Vind. 18. Decembr. Succedit* ERNESTVS AVGVSTVS, *Epiſcopus Oſnabrugenſis. Joh. Fridericus*, Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis lineæ Hanoveranæ, in itinere Italico Pontificiam religionem imbiberat, eamque anno 1651. publicè profeſſus eſt. Is Italiam tertiâ vice petiturus, Auguſtæ Vindelicorum morbo correptus obiit, relictis duabus filiabus, *Charlottâ Felicitate*, quæ *Rainaldo Duci Mutinenſi* nupſit, & *Wilhelminâ Amaliâ*, *Joſephi Imperatoris Conjuge.* De morte ejus vid. *Theatri Europ. Tom. XII.* Succeſſor ejus *Erneſtus Auguſtus*, frater minimus natu, Electoralem dignitatem in hanc familiam intulit, anno 1692. non ſine magnis tamen contradictionibus à Cæſare collatam. De quâ re vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol. 313. ſeqq.* & præcipuè de hoc nono Electoratu conſulendus *Caſſander Thucelius in Electis Juris publ.* Francof. 1694. Idem jus primogenituræ in familiâ Lunæburgicâ introduxit. Mortuus anno 1698. reliquit 4. filios (nam duo in bello Turcico perierant) & filiam unicam. Vidua ejus SOPHIA *Friderici V. Palatini & Eliſabethæ*

Digitized by Google

Anglicanæ filia, Jacobi I. M. Britanniæ neptis, anno 1701. decreto Parlamenti regnorum Britannicorum heres declarata eſt.

A. C. 1680. CAMERA ARDENS IN GALLIA. Ita appellabatur Judicium ad inquiſitionem veneficiorum inſtitutum, quibus tunc multi viri fœminæque illuſtres è medio tollebantur, magnâ cum perturbatione aulæ Regiæ totiusque adeò regni. Auctor & princeps hujus mali arguebatur obſtetrix quædam, nomine *la Voiſine*, magicis artibus infamis, quæ venenum inveniſſe dicitur ejusmodi, quod inſenſibiliter homines, quo vellet tempore, enecaret. Et hæc quidem capta, meritoque ſupplicio affecta fuit, unà cum ſceleris ejusdem complice, quem vocabant *Le Lage*. Et hoc quidem Judicium (*la Chambre ardente* dictum) dum mediocris conditionis homines rei fiebant, ſeveriſſimè exercitum fuit. Poſtquam verò etiam viri fœminæque Principes ejusdem ſceleris ſe ſuſpectos fecerunt, ſubinde ceſſare juſſa eſt inquiſitio. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol. 257.*

CASALEM DVX MANTVANVS VENDIT GALLO. Caſalis Ducatûs Montisferratenſis caput, & arcium Europæarum eo tempore princeps, aut inter principes fuit, & porta Gallorum atque Hiſpanorum ad occupandum Italiæ imperium. Hæc cùm in ditione Mantuani Ducis eſſet, à Carolo IV. Duce jam olim Gallicis partibus addicto, vendita eſt Regi Galliæ, menſe Novembri ejusdem anni, quo & Argentoratum, clavis Imperii, occupatæ eſt. Et Caſalis quidem poſtea anno 1695. rurſus ex manibus Gallorum erepta eſt à Sabaudo, ope Confœderatorum, præcipuè Anglorum. Hodie ea urbs in ditione Sabaudiæ Ducis eſt, unà cum toto Monſerratenſi Ducatu, anno 1708. à Joſepho Cæſare ipſi in feudum conceſſa.

CAROLVS II. R. Hiſp. LVISAM DE BOVRBON DOMVM DVCIT. Erat hæc MARIA LVDOVICA, Ducis Aurelianenſis filia, quæ quidem jam antè anno 1679. poſt pacificationem Noviomagenſem ei deſponſata fuerat; ſed hoc demum anno domum ducta, poſtquam prius ſubſidiaria copulatio Pariſiis peracta fuiſſet. De utraque ceremonia vid. *Theatr. Europ. Tom. XII. pag. 103. ſeqq. & 110.* Sed illa jam anno 1689. morte repentinà defuncta, & in vacuum thorum Carolus *Mariam Annam Neoburgicam* adſcivit, cum quà tamen ibidem ſterile conjugium habuit.

DELPHINI CVM BAVARA NVPTIÆ. MARIA ANNA CHRISTINA VICTORIA, Ferdinandi Mariæ Electoris filia, & Maximiliani Emanuelis,

nuelis, hodierni Electoris, Soror LUDOVICO XV. Delphino Galliæ deſponſa fuerat, & celebratæ Monachii copulationis ceremoniæ die 28. Januarii hujus anni. In viam deinde ſe dedit, & Febr. die 21. Argentoratum ingreſſa & magnificè excepta, inde ulterius in Galliam & ad Sponſum perrexit; qui unà cum ipſo Rege Vitriacum usque in occurſum ejus ivit, ubi nuptiæ denuò ſolenniter celebratæ ſunt. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol.* 182. 233. Mortua eſt hæc Princeps anno 1690. poſtquam triplici prole maſcula Maritum beavit.

A. C. 1681. REGNVM SVECIÆ FIT ABSOLVTVM, cùm hactenus Reges Sueciæ limitatam quodammodo poteſtatem haberent, neque majoris momenti negotia ad regni ſalutem pertinentia ipſi per ſe tractare aut circa ea decernere poſſent. Quippe ubi bellum ſuſcipiendum, vel pax concludenda, vel fœdera ineunda, vel nova vectigalia imponenda eſſent, &c. hæc omnia de conſilio & conſenſu Senatus regni (qui ex 44. Senatoribus conſtabat) & præſertim Archidapiferi ſeu Drocſeti, Mareſchalli, Archithalaſſi, Cancellarii & Theſaurarii, tanquam Capitum iſtius Senatûs, facere neceſſe habebat. Verùm hoc tempore comitiis regni celebratis, ſolenni decreto abſoluta poteſtas & ſuperioritas Carolo XI. Regi conceſſa, & ab omnibus Ordinibus regni confirmata fuit, ita ut etiam Succeſſorem ſibi conſtituendi jus haberet, in caſum ſi improlem ipſum mori contingeret. Et deinceps V. illi prædicti Proceres, quorum conſilium antehac neceſſarium fuerat, non amplius Senatores regni, ut olim, ſed Regii appellari cœperunt, plenâ & monarchicâ poteſtate pro arbitrio quidvis concludendi in Regem collatâ. Refertur ad annum 1683. in *Theatri Europ. Tomo XII. fol.* 575. *ſeq.*

In Comitatu Oldenburgico FORTALITIVM VARELLÆ *novum à Dano exſtruitur.* Quomodo Comitatus Oldenburgicus, ſtirpe Comitum ejus nominis in Antonio Gunthero ultimo extinctâ, ad Regem Daniæ pervenerit, dictum eſt ad annum 1667. in Tabulâ præcedente, pag. *596.* In eo ergo Comitatu Chriſtianus V. Rex Daniæ Varellam munire hoc anno inſtituit, & *Chriſtianoburgum* appellari voluit. Nec aggeres tantùm Civitati circumdedit, ſed eandem etiam privilegiis inſignibus munivit, ut incolas plures ad eam frequentandam alliceret. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol.* 332.

PESTIS *per Germaniam graſſans.* In Auſtriâ præſertim & Saxoniâ viciniſque tractibus graſſabatur, & feruntur in ſolâ urbe Viennâ, (ex quâ in Bohemiam & poſtea, hanc etiam infeſtante lue, aula

Cæſarea

Digitized by Google

Cæſarea Lintzium translata fuit) à peſte conſumta eſſe ad 70000. hominum. Lipſia quoque magnam ex illa cladem ſenſit. Cœperat verò 1679. graſſari illa peſtis in Hungariâ & Poloniâ, unde poſtea in finitimas Germaniæ regiones tranſiit.

A. C. 1682. DELPHINO *naſcitur filius titulo* DUCIS BURGUNDIÆ, die 6. Aug. & paternum avitumque nomen LUDOVICI accepit, ejusque nativitas toto regno feſtivitatibus indictis celebrata, etiam dimiſſis in aulas exteras nuntiis ſignificata fuit. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol.* 478. Hic filius poſtea anno 1711. menſe Aprili defuncto parenti ſucceſſit in charactere Delphini, & mortuus ipſe ſequenti anno, ætatis trigeſimo, filium reliquit quinquennem, *Ludovicum* ſcil. *Ducem Britanniæ*, quem Rex proavus Delphinum declaravit. [Sed cùm hic quoque vitam cum morte commutaſſet, Fratri illius, nempe *Duci Andegavenſi*, adhuc in ſpem regni (faxit Deus, ut diu!) viventi Sereniſſimi Delphini titulus ceſſit.]

MAGNUS DUX MOSCOVIÆ *veneno extinguitur.* *Theodorus*, ſeu (ut ipſi pronuntiant) *Fædor Alexiowitz* i. e. Alexii filius, M. Dux Moſcoviæ tota vita ferè valetudinarius erat. Hic diſſuadentibus Medicis uxorem duxerat fœminam nobilem ex Poloniâ formæ pulchritudine excellentem. Sed & hæc, & ipſe M. Dux eodem adhuc anno mortui ſunt. Hic quidem non ſine ſuſpicione veneni, quod ei à Medico propinatum fuerit in pomo, cujus diſſecti cultro ex alterâ tantùm parte veneno infecto, partem ſinceram Medicus, alteram M. Dux comederit. Medicus erat Judæus baptizatus, nomine *Daniel à Gaden.* Sed & hic, & militiæ Præfecti Generales *Dolgorucki & Romodonowsky*, quos ſceleris participes arguebant, Moſcoviæ in regiâ furori militum immolati ſunt, in tumultu illo ingenti, qui prolixè deſcribitur in *Theatri Europ. Tomo XII. pag.* 441.

PRINCIPATUS ARAUSIONENSIS DUCI LONGAVILLÆO *adjudicatur.* Quanquam non diu ante per ſingularem articulum Pacis Noviomagenſis in hunc Principatum ſuum reſtitutus erat Arauſionenſis, tamen hoc anno 1682. Rex Galliæ, primò miſſis eò militibus Arauſionem urbem mœnibus & munitionibus nudavit, & paulò pòſt renovatâ lite veteri, totum Principatum, Parlamenti Pariſienſis ſententiâ, die 2. Nov. hujus anni latâ, Duci Longavillæo adjudicavit. Hiſtoria hujus rei unà cum formulâ Decreti Parlamenti extat in *Theatri Europ. Tomo XII. fol.* 479.

A. C.

Digitized by Google

A. C. 1683. ALFONSVS R. PORTVG. *in Tercera obit.* Vt hic Alfonſus à fratre Petro & regno & thoro exutus fuerit, & in Inſulam Terceram ablegatus, anno 1667. ſupra diximus. Is ergo hoc anno, non quidem in Inſulâ Tercerâ (ut malè Tabula noſtra habet) ex quâ jam ante eductus fuerat, ut propiùs in ejus acta inſpici poſſet; ſed in arce Cintrâ, ſeptimo milliari ab Vlyſſippone diſſitâ, mortuus eſt: & poſt ejus obitum frater PETRVS, qui hactenus ſe Regentem tantùm appellari voluit, Regis titulum aſſumſit. *Theatr. Europ. Tom. XII. pag. 606.*

A. C. 1684. M. ANTONIVS JVSTINIANI DVX VENETVS *eligitur*, in locum *Aloyſii Contarini*, paulò ante mortui. Hujus regimen bello Turcico inſignitum fuit, quod ſub eo cœptum, & ſub Succeſſore ejus *Franc. Moroſini*, anno 1688. continuatum eſt. De electione Juſtiniani vid. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol. 766.*

GALLVS GENVENSES VEXAT. Iram Regis moverant Genuenſes, quòd, cùm eſſent ſub protectione Regis Hiſpaniæ, naves quaſdam in gratiam ejus armaverant, quas juſſu Regis Galliarum non ſtatim dimittere voluerunt. Itaque civitas templis & palatiis ſplendidiſſimis, ſiqua alia, inſignis à claſſe Gallicâ ſub Marchione de Seignelay menſe Majo immiſſis globis ignitis miſerè vaſtata eſt. Veruntamen in auxilium Genuenſium properante claſſe Hiſpanicâ diſceſſerunt quidem tunc Galli, redituri alio tempore, niſi compoſita anno ſequenti res fuiſſet; ſed ignominioſis ex parte Genuenſium conditionibus Etenim Dux eorum cum IV. Senatoribus, per præcipuas Galliæ urbes prius quaſi in triumpho ductus Pariſios, ibi Regem deprecatione ſupplici placare coactus eſt. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XII. fol. 761.* ubi etiam iconiſmus urbis & vaſtationis ejus. De profectione verò Ducis in Galliam & deprecatione ejus coram Rege, *fol. 901. & 933.*

A. C 1685. CAROLO II. REGI ANGLIÆ MORTVO, *ſuccedit frater* JACOBVS II. Nullam prolem legitimam reliquit Carolus Rex, quanquam nothi ejus 13. numerantur ex 7. concubinis geniti. Itaque defuncto ſucceſſit frater ejus Jacobus Dux Eboracenſis, qui hactenus ſummus claſſis præfectus in regno Angliæ fuerat. Succeſſionis ejus hiſtoria & coronationis deſcribitur in *Theatri Europ. Tomo XII. pag. 865. ſeqq.* Controverſiam tamen de ſucceſſione ei movere auſus eſt *Dux Monmouthius*, legitimum ſe Caroli filium fruſtra profeſſus, quem pater ipſe nothum agnoverat. Ei favebat in Scotiâ *Comes Argylius.* Ipſe Angliam cum exercitu ingreſſus, ſed

Digitized by Google

captus à Jacobi milite, & ſententiâ ut in perduellem latâ, ſecuri percuſſus eſt. Et hoc eſt quod hic Tabula noſtra notat.

DVX MONMOVTHIVS DECOLLATVR. De cujus temerariis conatibus & calamitoſo exitu *Theatr. Europ. Tom. XII.* prolixè ad hunc annum ſub rebus Anglicis. Par fatum habuit *Comes de Argyle.* Ipſe Jacobus Rex Pontificiam religionem publicè amplexus, & quorundam conſiliis ſeduci ſe paſſus quæ mala ſibi attraxerit, poſtea dicendi locus erit. Obiit in Galliâ exul die 16. Septembr. anno 1701.

A. C. 1687. LEGATIO REGIS SIAM AD FRANCVM. Miſerat jam ante Rex Galliæ legatum ad Regem hunc Indum, nempe Equitem Calvimontium (le Chevalier de Chaumont) cum V. Jeſuitis & quibusdam artificibus, quos ei dono dedit, conciliaturus ſibi hujus barbari amicitiam, ad famam potius, quàm quod in tantâ longinquitate ſibi multum prodeſſe poſſet: ſimulque tentamenta facturus propagandæ fidei Chriſtianæ in illis gentibus. Is verò redux legatos Regis Siamici viciſſim adduxit, qui jam menſe Julio anni 1686. Pariſios venerunt; ubi magnificè excepti, & ad ſolennem audientiam Verſaliis deducti, mandata ſua additis muneribus expoſuerunt; fœdus & amicitiam Regis ſui offerentes. Quæ res multis tunc rumoribus in gloriam Regis Galli aucta eſt. Et ſpes quidem ingens erat, plerosque in illo regno cum ipſo Rege ad Chriſtianiſmum converſum iri, & jam Miſſionarii iſtuc ablegati, & favore dominantis uſi, non contemnendos progreſſus fecerant. Sed paucis pòſt annis exorto novo Rege luctuoſum res exitum habuit, omnibus Gallis & qui religionem Chriſtianam profitebantur, miſerabili modo occiſis. Adventus legationis hujus Siamici in Galliam, ejusque ibi negotiatio, cum adhibitis ceremoniis prolixè exponitur in *Theatri Europ. Tomo XII. fol.* 1081. *ſeqq.* Reditus eorum in patriam cum legato Gallico, Domino de Farges, & Itinerarium à comite itineris nobili quodam Gallo, alterumque à Miſſionariis Jeſuitis deſcriptum legitur in *Theatri Europ. Tomo XIII. fol.* 188.

JOSEPHVS, *fil. Imperatoris*, REX HVNGARIÆ *coronatur.* Leopoldus Imperator uſus occaſione victricium armorum in Hungariâ contra Turcas, convocatis Poſonii Comitiis regni, filium ſuum Joſephum coronari petiit in Regem Hungariæ, & poſt aliquas tergiverſationes aſſenſum ſuum præbentibus Regni Statibus obtinuit, ſtabilitâ ſimul ſucceſſione hæreditariâ in maſculos gentis Auſtriacæ, ita ut hoc in Regiam quoque Hiſpanorum familiam extenderetur. Comitia iſta Poſonienſia, nec non ipſe actus coronationis, magnis ſolen-

ſolennibus in præſentia Imperatoris & Imperatricis ibidem celebratus deſcribitur in *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol.* 105. *& ſeqq.*

PETRI II. PORTVGALLIÆ REGIS CVM MARIA SOPHIA ELISABETHA PALATINA NVPTIÆ. Priore matrimonio, quod cum fratris ſui uxore contraxerat, ut ſupra diximus, per hujus mortem jam tum anno 1684. ſoluto, Petrus poſt triennium Mariam Sophiam Neoburgicam, Electoris Palatini filiam in viduum thorum duxit, cujus Soror Leopoldo Imperatori deſponſa erat; altera poſtmodum Regi Hiſpaniarum Carolo II. in manus convenit. Ex hoc matrimonio præter alios filios, hodiernus Portugalliæ Rex Johannes V. natus eſt. De deſponſatione & nuptiarum ſolennibus Heidelbergæ celebratis vid. *Theatri Europæi Tom. XIII. fol.* 84. & de adventu Sponſæ in Portugalliam *fol.* 195.

PRINCEPS DE WALLIS *natus dicitur.* JACOBVS Rex Angliæ ex priore matrimonio cum ANNA, *Cancellarii Hidens filiâ Comitis Clarendonii*, nonniſi duas filias ſuſceperat, MARIAM, Wilhelmo Henrico, Principi Arauſionenſi nuptam, & poſtea patre etiamnum vivo Reginam; & ANNAM, quæ hodie regnorum Britannicorum gubernacula tenet. Vtraque autem ſicuti & mater ipſarum, Proteſtantium religioni addicta. Altera verò Jacobi uxor fuit JOSEPHA MARIA, ex familiâ Ducum Mutinenſium; ex eoque matrimonio, usque ad hoc tempus ſterili, in mediis turbis ex abolitione legum pœnalium & incarceratione Epiſcoporum ortis, natus eſt Jacobo filius, JACOBVS FRANCISCVS EDVARDVS, Dux de Wallis dictus, die 10. Junii 1688. unde ingens Pontificiorum lætitiâ, quia per hunc à ſucceſſione excludebantur filiæ ex priore matrimonio, & Proteſtantium religioni addictæ. Auſi tamen ſunt eo tempore alii ſuppoſititium partum ſuſpicari, unde eſt quod Tabula noſtra dubitantis more addit, *dicitur.* De quâ re multa tunc in utramque partem ſcripta ſunt, & tota hiſtoria cum rationibus pro & contra allatis prolixè exponitur in *Theatri Europ. Tomo XIII. fol.* 483. *&c.* Certè ea res maturavit conſilia Proteſtantium in Angliâ, à quibus

WILHELMVS HENRICVS PRINCEPS ARAVSIONENSIS *in Angliam vocatus*, ut religioni & libertati Anglicanæ periclitanti ſuccurreret: quod ille quidem jam ante ſecretis conſiliis agitaverat, & nunc etiam Jus Succeſſionis defenſum ibat, quo uxor ejus per nativitatem hujus Principis excidebat. Itaque ope claſſis Hollandicæ uſus die 10. Novembr. 1688. in Angliâ appulit, & paulò pòſt inopinato adventu ejus territus Rex Jacobus, cùm videret Procerum ple-

Digitized by Google

roſque cum populo in Wilhelmi partes tranſire, fugam circumſpexit, & præmiſſâ conjuge & Infante Principe de Wallis ipſe die 2. Januarii 1689. ſecutus traansfretavit in Galliam, apud ſocium ac cognatum Regem, perfugium quærens. Wilhelmus regno Angliæ ſine ſanguine, mox & Scotiæ potitus, in quo Edinburgenſis arx aliquam moram fecerat, denique etiam Hiberniam, in quâ Rex Jacobus ob multitudinem incolarum Pontificiorum res ſuas firmaverat, armis ad obſequium ſuum adegit. Britanniæ Rex proclamatus Wilhelmus & coronatus eſt Londini anno 1689. Præterea magna pars fuit belli Belgici, usque ad pacem Ryswicenſem, per quam in Principatum quoque Arauſionenſem reſtitutus, &, agnoſcente etiam hunc characterem Rege Galliæ, in regno M. Britanniæ ſtabilitus eſt. Mors ejus incidit in annum 1702. diem 19 Martii. Cùm jam antè anno 1695. die 8. Jan. deceſſiſſet Maria Regina. Res geſtæ hujus Regis Wilhelmi III. multæ magnæque ſunt, & integris libris deſcriptæ, nec in hoc tranſcurſu breviter poſſunt memorari. Vt verò à natione Anglicâ in defenſionem regni & libertatis vocatus ſit (de quâ re hîc dici debuit) vid. *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol. 485. ſeqq.* ubi etiam exhibetur Scriptum vel *Memoriale*, uti vocant, *Proteſtantium Anglorum ad Principem Arauſionenſem ejusque Conjugem*, quo de actionibus Regis Jacobi in Angliâ querela ad ipſos defertur, &c.

MOROSINIVS DVX VENETVS *eligitur.* *Ill. Johannes Franciſcus Moroſinius* ſeu *Maurocenus* hactenus reipubl. Venetæ tanquam Capitaneus Generalis præclariſſimam operam præſtiterat in bello Turcico: mortuo verò M. Antonio Juſtiniano Duce, in ejus locum electus die 3. April. & pileus Ducalis ei transmiſſus eſt in Græciam. Geſſit Ducalem dignitatem per ſexennium, mortuus anno 1694. Succeſſore SYLVESTRO VALIERIO. De ejus Electione *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol. 611.*

Superſunt recenſendi ad annum cujusque emortualem

VIRI CELEBRES,

qui in hac Tabulâ nominantur:

A. C. 1671. BALTHASAR CELLARIVS, Theologiæ Profeſſor Helmſtadienſis & Superintendens Generalis, ac denique Abbas Mariævallenſis, ſcripta egregia reliquit partim Theologici, partim Philoſophici argumenti: in quibus *Inſtitutiones Politicæ*, *Ethicæ*, *Phyſica*,

ſica, hodie quoque Studioſorum manibus terruntur. Hæc & cætera, quæ ſcripſit, vid. in *Freheri Theatro pag.* 702.

GEORG. WERNERVS JC. Bopfingâ-Suevus, Juris Doctor & Profeſſor Helmſtadienſis, ſcriptis item ſuis celebris. Quænam illa ſint, indicabit *Freherus in Theatro pag.* 1196. *ſeq.*

JOH. HENRICVS BOECLERVS h. l. jure meritoque memorandus erat; cuius tamen nulla fit mentio in Tabulis noſtris edit. in fol. Natus is eſt Cronhemii in Franconiâ, & ad Academiam profectus, excellentiſſimi ingenii dotes præſertim Argentinæ excoluit: ubi in ædes & convictum Cl. Berneggeri noſtri receptus, præter Theologiam, cui ſe primò dicaverat, literis humanioribus plurimum operæ impendit, & in Oratoriâ arte, Hiſtoriâ & Politicâ in tantum profecit, ut in his poſtea propè ſolus dominaretur, atque in eum Heroem literarium èvaderet, quem adhuc in ſcriptis orbis miratur. Talem ergo Virum non à ſe dimittendum rata Argentinenſis Civitas, in Gymnaſio Superiore Eum aliquandiu Præceptoris munere fungi voluit, mox Eloquentiæ Profeſſionem in Academiâ ipſi demandavit. Abiit ille quidem anno 1649. hinc in Sueciam, evocatus à Chriſtinâ Reginâ atque Vpſaliæ Profeſſor, mox Holmiæ Hiſtoriographus Regius fuit. Poſt triennium tamen commorationis in Sueciâ, ſimiliter, uti *Fremshemium* feciſſe ſupra diximus, (cum quo paria ferè fata Boeclerus noſter habuit) redux in Germaniam, Argentinam rurſus conceſſit, quæ Civitas ſibi eum deinceps proprium vindicavit, oblatâ Hiſtoriarum Profeſſione Publicâ, quam Ille ad extremum vitæ ita ornavit, ut nominis ſui famâ exteros magnâ frequentiâ, & in his plurima Illuſtrium Familiarum germina undiquaque attraheret; omnium venerationem, magnorumque etiam Principum æſtimationem promeritus. A Cæſare Conſiliarii titulo inſignitus, etiam Comitis Palatini Cæſarei axioma accepit, in Filios primogenitos ſubinde propagandum. Electoris quoq; Moguntini Conſiliarius factus eſt. Obiit die 27. Septembr. anno 1672. ætatis 63. Scripta ejus, quorum ſunt longè plurima, pleraque argumenti politici, nec non hiſtorica & Oratoria, partim ab ipſo vivo, partim poſt mortem ejus edita hic nominatim recenſere ſuperſedemus. Videantur *Hendreich in Pandect. Brandeburg. Clarmund. in Vita Boecleri, quæ eſt vigeſima nona Part. II. pag.* 225. *ſeqq.* ubi plurima Eruditorum judicia de Bœclero. *Buddeus in Lexico Hiſtor. Vniverſ.* & alii. Etiam catalogus Scriptorum

Digitized by Google

Boecleri reperitur in *Operum* ejus *ſeu Diſſertationum Tomo I.* noviſſimæ editionis, annexus *Præfationi* à Celeberrimo Dn. D. *Joh. Alberto Fabricio* adornatæ.

A. C. 1674. CARDINALIS JOH. BONA, Pedemontanus patriâ, præter eminentiam dignitatis, ſcriptis etiam editis nobilitatus eſt. Ejus eſt liber *de diſcretione Spirituum*: item *Opus rerum liturgicarum Vet. Teſtamenti*: Scripſit & *Manuductionem ad cœlum*, cui libello poſt *Thomam à Kempis* parem alium haud reperiri, nonnulli exiſtimant. *Kœnig in Bibliothecâ.* Mortuus eſt die 29. Septembr. ætatis 60. *Theatr. Europ. Tom. XI. fol. 764. b.*

A. C. 1676. TVRENNIVS DVX. *Henricus Vice-Comes Turennius (Henry de la Tour d'Auvergne)* inter maximos Imperatores illuſtre nomen adeptus, Galliæ Regi & regno fideliſſimam operam in multis magniſque expeditionibus præſtitit, militaribus artibus & prudentiâ Imperatoriâ pleriſque ſuperior, nulli ſecundus. Primum Reformatæ religioni addictus fuit, poſtea ad Pontificios transiit. Ab infimis Ordinibus per gradus ad ſummam in militiâ præfecturam evectus, per multos annos exercitibus regiis in bello tricennali, Hiſpanico, & noviſſimè eo, quod in Batavis cœptum 1672. Germanos quoque & Hiſpanos in partes traxit, immortalibus virtutis ſuæ documentis editis. Denique anno 1676. d. 27. Julii cùm propè Sasbach exercitum hoſtilem exploraturus ipſe proceſſiſſet, fatali ictu tormenti majoris occubuit, anno ætatis 65. nondum completo. Morte ejus luctus ingens & terror in exercitu Gallorum, & fuga denique ſecuta eſt, qui perſequente *Comite Montecuculio* non ſine inſigni clade per pontem in Rheno factum properè remearunt in Alſatiam. Turennii corpus in Galliam translatum, in fano S. Dionyſii juxta monumenta Regum magnificentiſſimo funere celebrato ſepultum eſt. De hoc tanto duce ejusque geſtis pleni ſunt horum temporum annales. De fatali ejus die vid. *Theatr. Europ. Tom. XI. fol. 767.* Vitam ejus Gallico ſermone deſcripſit *Dn. du Buiſſon.*

RVYTER BELGARVM ARCHITHALASSVS. Vti Turennius terreſtribus, ita hic *Michaël Adrianus de Ruyter* maritimis expeditionibus magnum ſibi nomen peperit, utiliſſimisque officiis Confœderatos Belgas ſibi devinxit: & ipſe ad extremum, dum ſuo munere ſtrenuè fungitur, vitam ſuam reipubl. victor impendit; in altero prælio, quod cum Gallis in mari Siculo commiſſum eſt,

vulnera-

Digitized by Google

vulneratus; ex quo vulnere Syracuſis aliquot pòſt diebus deceſſit. De geſtis ejus paſſim in *Theatri Europ. Tomo XI.* De morte *fol.* 107. Magnifico funere tumulatus eſt Amſtelodami: *ibidem fol.* 1260.

PETRVS MVSÆVS, Thuringus, frater Johannis Muſæi, Theologi Jenenſis, Profeſſor Theologiæ primarius & Procancellarius in Vniverſitate Kilonienſi fuit. Prius quidem in Academiâ Rintelenſi Theologiæ, item Logices & Metaphyſices, mox in Helmſtadienſi Theologiæ Profeſſor fuerat. Inter Irenicos numeratur, & D. Calixti partes amplexus, etiam anno 1661. Colloquio Caſſellano, unà cum collega D. Johanne Henningio, interfuit, & in tolerantiam cum Reformatis conſenſit. Vnde aliorum Theologorum ſcriptis oppugnatus eſt. Scripſit ipſe multa Theologica; & præter hæc etiam *Inſtitutiones Metaphyſicas*, quarum quidem pars tantùm prima Rintelæ in 4to. prodiit, 1663. Vid. de eo *Calovius in Hiſtor. Syncretiſmi. Fridericus Spanhemius in Elench. Controv. Append. Samuel Pomarius de Moderatione Theologica Diſſert.* 5. *Witten Memor. Theologorum Dec.* 14. *pag.* 1840. *ſeqq. Arnold.* in der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *lib.* 17. *cap.* 4. *pag.* 438. *& cap.* 11. *pag.* 514.

A. C. 1679. THOMAS HOBBES, Malmesburienſis Anglus, vir ſtupendæ eruditionis & Philoſophus excellentiſſimus fuit. Habuit tamen ſingularia quædam principia in Philoſophiâ præſertim practicâ, nec non in religione paradoxa multa, ob quæ ab aliis plerisque vapulat. Obiit ætatis anno 91. cùm paulò ante *Cyclometriam* ſuam edidiſſet. Scripta ejus, inter quæ notiora ſunt *Elementa Philoſophica de Cive*; *Leviathan*, &c. ſecundùm eorum titulos recenſentur à *Frehero Theatr. pag.* 1562. Vid. & *Thomas Pope-Blount Cenſur. Celebr. Auctorum pag.* 1043. ubi variorum judicia de Hobbeſio. Opera ejus omnia prodierunt apud Blauwium anno 1668. in 4to. Vid. *Morhoff. Polyhiſtor. Tom.* 2. *libr.* 2. *cap.* 15. *num.* 4. Prodiit *Vita Hobbeſii* 1681. in 12. auctore Anonymo, qui tamen eſſe creditur *Radulphus Bathurſt.* Vid. *Moller. Hypomnem. ad Morhoff. d. l.* Add. *Anton. Wood Hiſtor. & Antiq. Oxon. libr.* 2. *pag.* 376. *Joh. Chriſt. Becmann. Politica parallela. Hartnacc. Contin. Eccleſ. Micralii pag.* 2228.

A. C. 1680. CHRISTOPHORVS SCHRADERVS *die* 24. *April.* de quo h. l. eò plura dicere convenit, quia Tabularum harum Chronologicarum primus & verus auctor eſt: quas quidem ille

jam

Digitized by Google

jam tum anno 1643. ἀνωνύμως edidit, & poſtea ad annum 1658. produxit. Reliqua Continuatores, non pari quidem ſelectu & judicio, ſi verum fateri volumus, adjecerunt. Fuit autem Schraderus noſter natus Lunæburgi anno ſuperioris Seculi tertio. Poſtea in Academia Helmſtadienſi Profeſſor Eloquentiæ Publ. quam profeſſionem per 45. ferè annos egregiâ cum famâ ſuſtinuit, factus interim etiam Præpoſitus Monaſterii Mariæbergenſis, & denique in Principatu Wolffenbuttelano Inſpector Scholarum generalis. Præcipuam in rep. publ. literariâ laudem ei peperit eloquentia & cognitio hiſtoriarum, quâ utrâque excelluit. Documenta etiam utriusque dedit partim in lectionibus privatis, ex quibus qui ab ore ejus vivi pependerunt, plurimùm ſe profeciſſe fatentur; partim ſcriptis in publicum editis: quorum, quod ad eloquentiam attinet, præcipuè commendari meretur *Commentarius in Ariſtotelis Rhetorica* accuratiſſimus & utiliſſimus. Inter hiſtorica verò eminent *Tabulæ Chronologicæ*, quas hactenus enarrare ſtuduimus. Quo in genere cùm multæ Tabulæ Synopticæ ab aliis ſint editæ, vix tamen ullas majore cum applauſu exceptas, atque ad frequentiorem hiſtoriæ Studioſorum uſum adhibitas reperio, quàm has ipſas Auctoris noſtri. De quibus judicia honorificentiſſima videantur in *Placcii* egregio opere *de Anonymis pag.* 273. *num.* 1074. Item, apud Auctorem *Bibliographiæ Curioſæ pag.* 133. Neque nos pigebit hactenus in illis Tabulis explicandis aliquam operam poſuiſſe. Easdem jam tum prolixius exponere ſtuduit *Joh. Dietricus de Gülich*, Prof. Hiſtor. & Matheſ. Gœttingæ, in ſua *Analyſi Chronologico-Pragmatologicâ harum Tabularum*: de quâ judicium noſtrum in Præfatione harum Commentationum reperire eſt. Mortuus eſt Schraderus noſter anno ætatis 78.

A. C. 1681. GERHARDVS TITIVS, fuit Theologiæ Doctor & Profeſſor in Academiâ Helmſtadienſi, & doctrinæ Calixti, cujus in eâ profeſſione ſucceſſor fuit, hyperaſpiſtes ſtrenuus. Qui præſertim etiam *D. Calixti Epitomen Theologiæ*, quam Theologi Saxonici in multis heterodoxiæ arguebant, publicè defendere auſus eſt. Scripta ejus Theologica hic nominatim indicare nihil attinet. Et ſatis apparet, etiam Continuatores harum Tabb. eſſe Helmſtadienſes, quandoquidem omiſſis aliis plurimis ſaltem non minùs dignis memoratu, Profeſſores ſuos Helmſtadienſes, & alios Calixtinos tam ſolicitè in Tabulas has retulerunt; quales ſunt præter hunc Titium Muſæi, Petrus & Johannes; tum Schraderus, Dreierus, Cellarius, Wernerus, Eichelius, & qui nunc ſequitur, jure meritoque inter heroas literarios referendus.

HER-

HERMANNVS CONRINGIVS, natus Nordæ in Friſiâ Orientali, Medicus, Politicus, Polyhiſtor incomparabilis, nomen in erudito orbe celeberrimum; Helmſtadii primùm Philoſophiæ naturalis, mox Medicinæ, & denique Politices Profeſſor, famam ſuam, ſcriptis præſertim, longè lateque diffudit, Regibus Principibusque æſtimatus & variis inde vocationibus petitus. Mortuus hoc anno 1681. d. 12. Decembr. ætatis 75. Scripta ejus multa ſunt & varia, in Theologicis; in Medicis & Phyſicis; in Hiſtoricis, Politicis & Jure publ. quæ hîc recenſere nunc non vacat. Facit id *Clarmundus in vitâ ejus*, quæ eſt *Partis V. decima tertia:* ubi præter alia etiam elegans epitaphium, ei ab *Henrico Meibomio* ſcriptum. Add. *Vita Conringii Epiſtolarum ejus Syntagmatibus duobus, Helmſtadii anno 1696. impreſſis, præfixa.* Item, *Witte* in *Diario Biographico.*

JOHANNES MVSÆVS, frater ſuprà dicti Petri Muſæi, & ipſe magni nominis Theologus & Profeſſor Jenenſis fuit, & hoc anno die 4. Maji obiit annos natus 68. Scripſit longè plurima Theologica: quorum catalogum texere hic nolumus. Vid. de eo *Abrah. Calovius in Hiſtoriâ Syncretiſmi. Witten in Memor. Theolog. Dec. 16. p. 2097. ſeqq. Zeumerus in Vitis Theolog. Profeſſorum Jenenſium p. 178. ſeqq. Andr. Caroli Memorab. Eccl. Sec. XVII.*

A. C. 1685. AVGVSTVS VARENIVS, Doctor Theologus & Profeſſor Roſtochienſis, etiam in Hebraicâ literaturâ celeberrimus fuit. Obiit non 1685. ſed præcedente anno, die 15. Martii. Ejus ſunt plurimæ Diſputationes & Tractatus alii Theologici, inter quos *Commentarius in Jeſaiam*, cui Dn. D. *Fechtius Præfationem* præmiſit, ex quâ plura de Varenio, item ex *Programmate D. Schomeri*, peti poſſunt.

A. C. 1686. ABRAH. CALOVIVS, patriâ Boruſſus, Doctor & Profeſſor Theologiæ Witebergenſis longè celeberrimus, nec non ibidem Paſtor primarius & Superintendens generalis fuit. Scriptorum ejus Theologicorum magna eſt multitudo. Cùm adhuc Rector in Gymnaſio Dantiſci & Paſtor ibidem eſſet, inde ad Colloquium Thorunienſe miſſus eſt ejus Civitatis nomine, de cujus ſucceſſu ipſe in *Hiſtoriâ Syncretiſticâ* prolixè agit. Fuit autem Calovius Syncretiſmi hoſtis acerrimus. Vid. de eo *Hartknochius* in der Preußiſchen Kirchen-Hiſtorie *p. 580. &c. Andr. Caroli in Memorab. Eccleſ. Sec. XVII. lib. 9. §. 407. Witte in Diar. Biograph. Pipping. in Memor. Theologorum renovata p. 108. ſeqq. Reimmann. Hiſtor. Liter. Germ. Contin. lib. 2. Sect. 3. Quæſt. 28.*

A. C. 1687. JOH. HEVELIVS, ASTRONOMVS, & Senator Dantiſcanus, Mathematicorum ſuperioris Seculi celeberrimus, cujus quæ

Digitized by Google

MATTHIAS WASMVTH, Kilonienſis Holſatus, Theologus & Philologus celeberrimus, in patriâ deinde Profeſſionem Linguarum Orient. & Theologiæ obtinuit. Celebritatem ſibi peperit potiſſimùm ex LL. Orientalium cognitione, in quâ excelluit. Scripta ejus ſunt *Grammatica Arabica*; *Hebraiſmus reſtitutus*; *Smegma Hebræum*; *Janua Hebraiſmi*; *Idea aſtronomica Chronologiæ reſtituta*; *Annales Cœli & Temporum*. Vid. *Acta Erud. Lipſiens. menſ. Januar.* 1686. Tentzels Monatliche Underredungen 1689. *Pippingii Memoria Theologorum*. Deceſſit ætatis anno 63.

JOH. EICHELIVS, Francus, Profeſſor Juris in Academiâ Juliâ fuit, cujus præter alia quæ ſcripſit, commendatur liber *de Interpretatione Juris*: item *Commentar. in Tit. Digeſt. de diverſis regulis Juris*. Sed ab eo ſuſcepta Defenſio Juſtiniani Imp. contra *Procopii* Ἀνέκδοτα & editorem eorum *Nicol. Alemannum*, hic nobis præcipuè memoranda venit, quia ad hiſtoriam pertinet; quanquam de eo jam tum diximus ad Seculi VI. partem priorem, ubi de Procopio Cæſarienſi. Præmiſit enim Eichelius editioni Procopii Ἀνεκδότων non tantùm Præfationem prolixam, in quâ Procopium quoad hanc partem hiſtoriæ, nec non Alemannum ejus hyperaſpiſten graviter reprehendit; ſed & adjecit *Animadverſiones, quibus* Ἀνέκδοτα *Procopii Cæſarienſis, quæ Nicol. Alemannus falsò Hiſtoriam arcanam appellat, mendacia contra Juſtinianum Imperatorem ſparſa, plurimis in locis deteguntur & refelluntur*.

TABVLA. XXXII.

Sub REBVS IMPERII hæc habet:

A. C. 1689. SPIRA, WORMATIA, MANNHEMIVM FVNDITVS EVERSÆ. Vrbes iſtas principio hujus belli, quo fines Imperii præſidio nudatos invaſerunt Galli, deditione ſtatim in fidem acceperant, præter multa minora oppida. Sed ſubinde adventantibus copiis Imperialibus, præſertim Saxonicis, cùm teneri non poſſe viderentur, muris turribusque dejectis dirui, & ſolo æquari juſſæ. Idem poſtea fatum Heidelberga experta eſt, Sedes Electoralis Palatina, cum multis minoribus oppidis. Ex Spirâ quidem, (quæ urbs inter Germanicas antiquiſſima habetur) omnia Acta & Documenta Cameræ Imperialis cum pecuniâ Argentinam tranſlata prius, quàm ferales ignes immitterentur; quibus etiam Wormatia, itidem antiquitatis prærogativa eminens Imperii civitas, in cineres redacta; nec

Digitized by Google

non Mannhemium, recentius oppidum, ſed probè munitum, in ditione Palatinâ, ad Confluentes Rheni & Nicri ſitum. Inter hæc urbium excidia nec ſacris nec profanis parcitum fuit. Miſeri harum urbium cives variis exiliis diſperſi, demum poſt pacem Riſvicenſem, in nudum patriæ ſolum paulatim ſe receperunt, & extructis ſubinde novis ædificiis, civitates ſuas reſtaurarunt. De hac calamitate miſerarum civitatum, vid. prolixiorem narrationem in *Theatri Europ. Tom. XIII.* & *Relat. Francof. auctummal. ad hunc annum, Titulo V.*

MOGVNTIA ET BONNA DE GALLIS RECEPTÆ. *Moguntiam*, Electoris & Archiepiſcopi ſedem, Galli occupaverant die 17. Octobr. 1688. factâ in certas conditiones deditione, & interim novis munimentis egregiè firmaverant. Poſtquam verò idoneus Germanorum exercitus ad defenſionem Imperii conflatus fuit ſub Electoribus Saxone & Bavaro, & Duce Lotharingo nec non Landgravio Haſſo-Caſſellano, conſilio Francofurti habito, hanc primùm urbem Gallis eripere placuit. Medio igitur Julii St. N. cœpta obſidio, quæ multo utrinque ſanguine conſtitit, duravit in 11. Septembr. diem, quo deditio facta eſt, & urbs in poteſtatem Germanorum rediit. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol.* 723. *Relat. Francof. Auctumnal.* 1689. *p.* 55. & in *Append.* item *Vernal.* 1690. *Tit. V. p.* 53. Secuta eſt *Bonna*, Sedes Electoris Colonienſis, urbs probè munita, quam, receptis prius *Rhinberga* & *Keyſersvvertha* ad inferiorem Rhenum ſitis oppidis, oppugnavit *Wilhelm. Fridericus*, *Elector Brandeb.* & poſt trimeſtrem ferè obſidionem, ad deditionem adegit præſidiarios Gallos, qui 5. Octobr. egreſſi ſunt. *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol.* 747. *Relat. Hiſtor. Francof. Vernal. anni* 1690. *p.* 88. *ſeqq.*

JVLIVS FRANCISCVS DVX SAXONIÆ INF. *ultimus ſuæ ſtirpis moritur.* Aliâs à Lauenburgico Ducatu denominatus, qui ſitus eſt ad Albim in confiniis Megalopolitanæ, Holſaticæ & Lunæburgicæ ditionis interceptus. Erat hic Princeps Pontificiæ religioni addictus, & moriens duas tantùm filias reliquit, quæ poſſeſſiones ejus Bohemicas, ab avo *Julio Henrico* per matrimonium acquiſitas, in hereditate acceperunt, tanquam allodiales. At de ſucceſſione in Ducatum Saxonicum controverſia nata, præcipuè inter Anhaltinos Principes, Electorem Saxoniæ Ducesque Saxones lineæ Albertinæ, & Duces Lunæburgicos, nondum omnino compoſita eſt. Statim quidem Elector Saxo homagium à Lauenburgicis ſubditis exegit. At Lunæburgici Ratzeburgum cum quibusdam aliis oppidis præſidio occuparunt, unde brevi poſt à Danicis copiis expulſi, redierunt tamen, & hucusque in

Digitized by Google

in tranquilla harum provinciarum poſſeſſione manſerunt, cæteris quidem competitoribus lite pendente ſibi jus ſuum integrum reſervantibus. At Elector Saxoniæ quod ipſe habebat jus circa has ditiones Lauenburgicas in Ducem Luneburgico Cellenſem Georgium Wilhelmum, acceptis ab eo 1100000. aureis Rhenanis, jam anno 1697. tranſtulit. De morte Ducis Julii Franciſci, qui in Bohemiâ obiit, vid. *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol.* 811. & de controverſiâ ſucceſſionis *eodem Tomo & ſeq.* item, *Relat. Francof. Vernal.* 1690. *p.* 93. Hübners kurtze Fragen auß der Politiſchen Hiſtorie *Tom. 6. p.* 45. Add. *Levinus* von Ambeer im Sachſen-Lauenburgiſchen Stamm-Fall und ſtreitigen Landes-Anfall.

A. C. 1690. JOSEPHVS REX HVNGARIÆ CORONATVS IN R. ROMAN. *Auguſt. Vindel. menſe Januario.* Joſephus Leopoldi I. Imp. filius natu major, Hungariæ Rex coronatus ante triennium in Poſonienſibus Comitiis, nunc etiam initio anni 1690. ab Electorali Collegio unanimi conſenſu electus legitimè Rex Roman. Auguſtæ Vindelicorum, ibidemque conſuetis ceremoniis proclamatus & coronatus eſt, præſentibus Imperatore patre & Imperatrice, cujus coronatio eodem tempore peracta eſt. Actus electionis in Regem Roman. nec non coronationis ſolennia, ut ſolet, ſeorſim deſcripta ſunt, & reperiuntur etiam in *Theatri Europ. Tomo XIII. fol.* 1138. Item, in *Relat. Francof. Vernal. hujus anni ſub initium*, *& Semeſtr. Autumnal. princ.* Ipſe Joſephus poſtea mortuo Patri Leopoldo 1704. in Imperio ſucceſſit, idque poſt ſeptennium 1711. menſe Aprili moriens, fratri Carolo VI. hodierno Cæſari reliquit. Geſta ejus in recenti ſunt memoriâ. Et prodiit nuperrimè de hujus Principis rebus liber Germanicus, cum titulo: Leben und Thaten *Joſephi* I. Römiſchen Kayſers. Lipſiæ 8.

PHILIPPVS WILHELMVS EL. PALAT. *Viennæ obit.* Succeſſerat hic Carolo, ſine prole defuncto, primus ex lineâ Neoburgicâ Elector Palatinus, Pontificiæ religioni addictus. Hic Elector ex alterâ conjuge Eliſabethâ Amaliâ, Georgii II. Haſſo-Darmſtadini filia, 17. liberorum parens factus, Familiam ſuam egregiè ſtabilivit, etiam per matrimonia filiarum, quarum V. maximis Europæ Principibus elocatæ ſunt, nempe Cæſari Leopoldo I. Carolo II. Hiſpaniæ Regi, Petro Regi Portugalliæ, Odoardo eademque poſtea Franciſco ejus fratri, Ducibus Parmenſibus, ac denique Jacobo Sobieskyo, Principi Regio Polonico. Regimen ejus propter controverſiam Aurelianenſem & inde natum bellum Gallicum, turbulentum & calamitoſum fuit. Is cùm Viennæ in aulâ Cæſaris generi diverteret, moritur anno

Digitized by Google

Electoratûs geſti 15. relinquens eundem & ditiones miſerè vaſtatas filio JOH. WILHELMO, hodierno Electori. De rebus ejus paſſim in *Theatri Europ. Tomo XIII. Conf.* Hübner in den kurtzen Fragen auß der Politiſchen Hiſtorie *Tom. V. p.* 425. *ſeqq.* De morte in *Theatri Europ. Tomo eodem fol.* 1169. 1204. agitur.

JOH. GEORGIVS. III. ELECTOR SAXONIÆ *obit.* Hic Princeps, Joh. Georgii II. filius, & Joh. Georgii IV. pater, virtutis militaris documenta dedit inſignia per bella contra Gallos & Turcos geſta; hos præſertim ab obſidione Viennæ repellendo, illos in diverſis expeditionibus ab Imperii finibus arcendo. Ad extremum anno 1691. cùm in iis æſtivis ut ſummus Imperialis exercitûs Præfectus ageret contra Gallos, in morbum incidit, & delatus æger Tubingam, ibidem deceſſit 2. Septembris, cùm vixiſſet annos 44. præfuiſſet Electoratui 11. quem deinde filius cognominis ex Annâ Sophiâ, Friderici III. Daniæ Regis filiâ natus, ſuſcepit, ſed tantùm in triennium. De eo ſparſim in *Theatri Europ. Tomo XII. & XIII.* De morte ejus *Tom. XIV. fol.* 99. *ſeqq.* Hübner *Tom. V. p.* 1009. *ſeqq.*

HERMANNVS BADENSIS *deceſſit, ut &* FRIDERICVS *nec non* CHRISTIANVS DVCES SAXONIÆ. HERMANNVS *Marchio Badenſis* Wilhelmi, qui diu Cameræ Spirenſis Præſes fuit, filius ex multis, Ludovici Badenſis celebratiſſimi Imperatoris patruus fuit, bellicis & ipſe facinoribus inſigne nomen adeptus. Cæſaris Leopoldi gratiâ diu floruit, cujus etiam Conſilii bellici Summus Præfectus, ac denique principalis, ut vocant, Commiſſarius in Comitiis Ratisbonenſibus fuit. Nunquam maritatus vixit annos 63. defunctus Ratisbonæ menſe Octobri 1691. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 89. *Relat. Francof. ad hunc annum Semeſtr. Auctumnal. p.* 7. ubi etiam epigrammata quædam in mortem ejus. FRIDERICVS *Dux Saxoniæ*, hoc ipſo loco memoratus, Pii Principis Erneſti Gothani filius fuit, qui patri in Gothano regimine ſucceſſerat anno 1675. & hoc anno die 2. (12.) Auguſti ſubitò apoplexiâ correptus obiit in arce ſuâ Friderichsvverth, quam condiderat ipſe, ſucceſſore relicto filio cognomine. Hübner *Tom. V. p.* 929. *ſeqq.* CHRISTIANVS verò *Dux* Joh. Georgii I. Electoris filius fuit, jam ab anno 1650. poſtulatus Adminiſtrator Epiſcopatus Merſeburgenſis, vivo etiam tunc patre. Deceſſit menſe Octobri hoc anno, vitæ 76. in adminiſtratione Epiſcopatûs excepit eum filius cognominis. Hübner *Tom. V. p.* 1029.

TVRCÆ MAGNO PRÆLIO AD SALANKEMENT *in Hungariâ* VICTI. Comiſſum eſt hoc prælium d. 9. (19.) Aug. hoc anno inter Salankement & Carlovitz in Hungariâ Superiore, duce Chriſtiani exercitûs Ludovi-

dovico Badenſi: ubi poſt ambiguum diu & cruentum utrinque certamen, Turcis tandem in fugam effuſis, caſtra eorum omni opulentiâ ditia, cum omni apparatu & CXXX. tormentis, in poteſtatem victoris venerunt. Inſignis hæc de Barbaris victoria, quæ obſidionem & expugnationem Magni Varadini facilitavit, deſcribitur in *Theatri Europ. Tomo XIV. fol. 6. ſeqq. Relat. Francof. autumnal.* 1692.

A. C. 1692. ELECTOR BAVARIÆ *Gubernator Belgii Hiſpanici.* Is eſt Maximilianus Emanuel. Ei Carolus II. R. Hiſp. Gubernationem Belgii Hiſpan. in perpetuum conceſſit, cui tamen ipſe non ultra novennium præfuit. Nam poſt mortem Caroli Regis, provincias iſtas occupantibus Gallis relinquens, in Bavariam ſuam ſe recepit. Quanquam idem nuper reliquiis Belgii Hiſpanici denuo Gubernator præfectus à Philippo V. & ſuperiore anno opimam ejús portionem, Comitatum nempe Namurcenſem & Ducatum Luxemburgicum, in perpetuam poſſeſſionem accepit. Sed hoc noviſſimè factum, flagrante tum maximè bello. De primâ ejus gubernatione Belgii ſub Carolo II. ſuſcepta, vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 98.

GEORG. FRIDERICVS PRINCEPS WALDECCIVS *obit.* Hic Georgius Fridericus ex ſtirpe Comitum de Waldeck, militaris rei peritiâ & Imperatoriis artibus, nemini facilè cedens, pridem Imperii Germanici, poſt id etiam ab Ordinibus Confœderati Belgii ſupremus, ut vocant, Campi Mareſchallus, nec non Gubernator Moſæ Trajecti conſtitutus, in multis expeditionibus contra Gallos egregiè rem geſſit, meruitque ut anno 1682. in numerum Principum Imperii referretur à Cæſare: quem characterem ipſe primus in familiam intulit. Mortuus eſt improlis anno ætatis 72. Elogia ejus vid. in *Jac. Wilh. ImHoff Notitia S. R. I. Procerum lib. 5. cap. 12. n. 1.* De geſtis ejus *Theatr. Europ.* & de morte ſpeciatim *Tom. XIV. fol.* 430.

ELECTORIS BAVARIÆ CONIVX, MARIA ANTONIA CÆSARIS FILIA, *enixa filium Viennæ obit.* Erat hæc Leopoldi I. Cæſaris filia, quam ex Margarethâ Thereſiâ conjuge, Philippi IV. Hiſp. Regis filia, Caroli II. ultimi Regis Sorore, genuerat, ac proinde hujus ſine prole defuncti heres futura; ſi quidem validus fuiſſet actus Sororis primogenitæ Mariæ Thereſiæ, renuntiantis juri ſuo in Monarchiam Hiſpanicam, cùm Ludovico XIV. Regi Galliæ deſponderetur. Electrix, de quâ dicemus, Maria Antonia paulò poſt puerperium defuncta, reliquit filium JOSEPHVM FERDINANDVM, in ſpem ſucceſſionis Hiſpanicæ poſtea educatum. Is verò puer ſeptennis cùm Monachio Bruxellas eſſet deductus, ibique Hiſpaniarum heres declaratus, paulò pòſt obiit ſub initium anni 1699. qui ſi ſupervixiſſet, ingentibus fortè bel-

lis,

Digitized by Google

lis, poſt exceſſum Avunculi magni Regis Hiſpan. ortis, caruiſſemus. De puerperio & morte Electricis vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 307. *ſeq.*

NONUS ELECTORATUS. Ex conſtitutione A. B. ſeptem duntaxat Electores erant in Imperio, unde Septemviri ſoliti appellari. Sed poſtquam Fridericus V. Palatinus anno 1621. proſcriptus, & Electoratus in Bavarum translatus eſſet, & neceſſitas Imperii exigeret, ut per pacificationem Monaſterienſem Friderici filius Carolus Ludovicus in ditiones & dignitatem priſtinam reſtitueretur, retinente interim Electoratum Bavaro, natus inde eſt Octoviratus, (de quo *Thulemarius de Octoviratu*) Denique ſub finem ſuperioris Seculi Nonus Electoratus conſtitutus eſt: quandoquidem Leopoldus I. Imp. memor officiorum, quæ domus Lunæburgica, & ſpeciatim in ea ERNESTUS AUGUSTUS HANNOVERANUS, ſibi & toti Imperio præſtiterat, in Gallicis præſertim & Turcicis bellis, propter hæc merita, accedentibus non levibus cauſis aliis, eminentem hanc in Imperio dignitatem in prædictum Ducem Erneſtum Auguſtum contulit, & prævio Electoralis Collegii conſenſu in comitiis Ratisbonenſibus 1692. die 7. (17.) Octobr. eundem nonum Electorem Imperii declaravit, & deinde inveſtituram conceſſit pro ipſo & poſteris die 9. (19.) Decembris. Non tamen ſine contradictione hoc factum: multis Imperii Principibus huic novo Electoratui ſe opponentibus; quos Principes Correſpondentes vocabant. Subinde tamen cùm alius ex alio ab hoc foedere diſcederet, paulatim omnes acquievere, & diu agitata hæc controverſia tandem compoſita eſt, omnibus Electoratum hunc agnoſcentibus. Et tandem etiam GEORGIUS LUDOVICUS [qui poſt mortem Reginæ ANNÆ regnat in Anglia] filius & Succeſſor Erneſti Auguſti, in Electorale Collegium & conſeſſum, ſolenniſſimè celebrato introductionis ritu, receptus eſt in comitiis Ratisbonenſibus, anno 1708. die 7. Septemb. Quemadmodum verò cæteri Electores ſinguli ſummum aliquod in Imperio officium ſuſtinent; ita huic quoque primò quidem *Archivexilliferi* titulus deſtinabatur; ſed intervenientibus difficultatibus, cùm interim Bavarus eſſet proſcriptus, vacans hinc munus *Architheſaurarii* huic Electoratui annexum eſt & ipſe Georgius Ludovicus per legatum ſuum anno demum 1710. die 12. April. in id a Cæſare inveſtitus. De inſtitutione huius novi & noni Electoratus vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 313. *ſeqq.* de controverſiis verò indè natis *paſſim hoc & ſeq. Tomo.* Acta circa hanc rem apud *Lundorp. item, Caſſandrum Thucelium in Electis Juris publ.* (quæ prodierunt Francof. 1694. 4°.) & Fabrum

Digitized by Google

Fabrum diverſis in Tomis der Europäiſchen Stats-Cantzeley. &c. invenies.

A. C. 1693. FRIDERICVS AVGVSTVS, *Electoris Saxon. Frater, Eberhardinam Brandenburgicam è Bairutenſi domo uxorem ducit.* Hæc CHRISTIANA EBERHARDINA Brandeburgica, Chriſtiani Erneſti inclyti Marchionis Bairutini filia, virtutibus ſuis meruit, ut Friderico Auguſto, tunc Duci, mox Electori Saxoniæ, denique Regi Poloniæ Sponſa deſtinaretur, & hodie cum Auguſto conjuge ſuperſtes eſt. Filius unicus ex hoc conjugio natus, & patri cognominis, Electoratus Saxonici Princeps hereditarius, nunc decimum octavum annum agit, & in religione Evangelicâ, quam pater Rex ejuravit, ſub maternâ curâ educatus eſt. De nuptiis vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 503.

Galli ab obſidione RHEINFELSÆ *rejecti.* Rheinfelſa eſt oppidum in Cattimelibocis, ſitu & opere munitum, ſub ditione Haſſiæ Landgravii lineæ Rheinfelſenſis: quod tamen Haſſo-Caſſellanus militari præſidio occupaverat, ne Gallus potiretur. Id oppidum Galli menſe Decembri 1692. oppugnabant; ſed in auxilium venientibus Haſſo-Caſſellanis copiis cum ſuo Principe, re infectâ inde diſcedere coacti ſunt, 2. Januar. 1693. De quâ re prolixius *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 503. *ſeq.* & *Relat. Francof. Vernal.* 1693. *in Appendice.*

HEIDELBERGAM *proditione captam evertunt.* De everſis initio hujus belli urbibus, Spirâ, Wormatiâ, Mannhemio, ſupra dictum eſt. Similis clades ab iiſdem Gallis illata eſt hoc anno miſeræ Heidelbergæ, ſedi Electorali Palatinæ; quam menſe Majo hoſtiliter obſidere cœperunt. Præfectus militaris in urbe erat *Georg. Eberhardus ab Heidersdorff*, qui per inexcuſabilem vel ſegnitiem, vel perfidiam, antequam id neceſſitas exigebat, præſidia ex munimentis urbem defendentibus deduci juſſit, eamque nudatam hoſti aperuit. Atque ſic primùm hæc, & paulò pòſt etiam arx per deditionem in poteſtatem Gallorum venit: tametſi Princeps LVDOVICVS BADENSIS cum exercitu Imperiali imminens, Heidersdorffium hortatoriis literis ad ſtrenuam defenſionem animaverat, propediem laboranti civitati auxilio venturus. Vrbs capta cum arce ſolo eſt æquata, & Hiberni potiſſimùm, qui in exercitu Gallico militabant, in miſeros cives crudelitate, nec ipſis Gallorum Ducibus humanitatis ſenſu ductis probatâ, ſævierunt, nec ſacris nec profanis parcentes: effractis etiam ſe-

 pul-

Digitized by Google

pulcris & monumentis Principum Electorum, horum & corpora eruta partim in publicum projecerunt, & ultra humanum morem violarunt. Tantarum opum proditor infamis Heidersdorffius poſtea damnatus, & meritâ pœnâ affectus eſt. Seriem harum rerum vid. in *Theatr. Europ. Tomo XIV. fol.* 448. *ſeqq. Relat. Hiſt. Francof. ad hunc annum ſub Titulo V.*

CAMERALE JVDICIVM WETZLARIAM *transfertur.* In comitiis quidem Auguſtanis 1530. decretum fuerat, ut perpetua Sedes Cameræ Imperialis Spiræ eſſet, (vid. *Limnæus J. P. IX*, 2, 7.) quæ proinde usq; ad Gallicam irruptionem 1688. & excidium Spirenſe ibi deinceps manſit. Tunc verò neceſſitas exegit, ut aliò transferretur. Et poſt multam diſceptationem, deſtinatâ à multis ad hoc urbe Erfurto, demum placuit Wetzlaria, Wetteraviæ oppidum, quò ſummum hoc in Imperio Dicaſterium transferretur ad interim: quod factum eſt non anno quidem 1693 ſed 1696. ibique hodie floret; vel potius poſt longam ceſſationem novum florem expectat: quanquam crebra ad hoc tempus de ejus novâ translocatione deliberatio fuit. *Thucelius in Electis Juris publici cap.* 9. 10. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 492. &c.

A. C. 1694. JOH. GEORGIVS IV. ELECTOR SAXON. *obit*, tertio regiminis & 23. ætatis anno; & quanquam maritus jam ab anno 1692. tamen prolem nullam reliquit. Itaque ſuccedit frater FRIDERICVS AVGVSTVS. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 622. *ſeq.* Hic præter Electoralem dignitatem poſtea etiam Regio faſtigio admotus eſt, die 27. Junii 1697. electus in Regem Poloniæ, mutatâque ob hoc religione, ab eo tempore in illo regno plerumque ſedem habet, rariùs in ſuam Saxoniam divertens; quam interim vicario nomine gubernari voluit ab *Antonio Egone*, *Principe Fürſtenbergio.* Ipſe Princeps Elector ſtupendis corporis viribus inſignis, quæ ad hoc usque tempus geſſerit auſpiciis ductuque ſuo contra Turcos primùm, deinde Suecos &c. ea cùm ſint in recenti memoriâ, & in *Theatri Europ. Tomis poſtremis* ad ſuos annos recenſeantur, non opus eſt à nobis hîc repeti. De matrimonio ejus cum Principe ex familiâ Brandenburgicâ Bairutenſi, paulò antè diximus.

ELECTOR COLONIENSIS *fit* EPISCOPVS LEODIENSIS, & COADIVTOR HILDESIENSIS. Is eſt JOSEPHVS CLEMENS, Bavarus, de quo ſuperiùs dictum, ut excluſo Fürſtenbergio obtinuerit Archiepiſcopatum Colonienſem. Nunc etiam Leodienſis Epiſcopus poſtulatus, neque hoc

Digitized by Google

hoc ſine magnâ contradictione, Gallis DVCI BVLLIONIO tunc deſtinantibus Epiſcopatum, Præpoſito Leodienſi; cùm & ejusdem Capituli Decanus Joh. Ferdinandus de Mean cum ſuâ factione, LVDOVICVM ANTONIVM PALATINO-NEOBVRGENSEM elegiſſet. Confirmatus tamen in Leodienſi Epiſcopatu à Pontifice, eâ lege ut Ratisbonenſem & Friſingenſem Epiſcopatus, quos jam ante habebat, abdicaret; eodem anno Coadjutor Hildeſienſis factus eſt. Quo Epiſcopatu nunc vacante, utrum poſt confectam pacem potiturus ſit Joſephus Clemens, dies docebit. De Leodienſi Epiſcopatu in ipſum collato, & de Coadjutore facto Hildeshemii vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 655. 660.

LEOPOLDVS LVDOVICVS PALATINO-VELDENTIVS *ſuæ lineæ ultimus obit.* De cujus morte *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 642. Multa paſſus hic Princeps in bello tricennali, per pacem quidem Weſtphalicam in ſuas ditiones reſtitutus eſt; ſed cùm poſtea arcem Lüzelſteinenſem, in quâ aulam habebat, anno 1675. Galli pro ratione belli aſtu occupaſſent, ipſe jam ſenex cum omni familiâ Argentinam conceſſit, ibidemque reliquum vitæ exegit. Habuit quidem filios III. adultæ ætatis, ſed omnes vivus etiamnum amiſit; primum in carcere, quo pater ipſum conjecerat; reliquos duos in bello: unum quidem in Budenſi, alterum in Moguntinâ obſidione, & ſic ipſe cum vitâ etiam lineam ſuam clauſit, Princeps meliore fortunâ & Electorali dignitate, quam poſt mortem Caroli Ludovici, Electoris Palatini, ſibi deberi contendebat nec tamen *à Duce Neoburgico* præventus obtinuit, omnino digniſſimus. De filiabus, quas moriens reliquit, duæ ſunt ſuperſtites, nempe *Eliſabetha Johanna*, Johannis Rhingravii in Mörchingen Vidua, atque *Dorothea*, Guſtavo Samueli, Duci Bipontino, connubii lege juncta. Ditiones ejus in Imperio ſitas poſt pacem Rysvicenſem Palatino Electori traditæ ſunt, quas hodie poſſidet; Rege interim Sueco & Palatino-Birckenfeldico Duce ſua ſibi jura reſervantibus. Vid. *D. Buddei Lexicon Hiſtor. Univerſale*, ſub voce *Leopoldus Ludovicus.*

CHRISTIANVS ALBERTVS, DVX HOLSATO-GOTTORPIENSIS, *obit.* Hic eſt, quem affinis licèt Rex Daniæ Chriſtianus V. tot injuriis affecit, ut bis profugus ditionibus ſuis carere cogeretur. Captum enim primò Rendsburgi 1675. nec niſi iniquiſſimis conditionibus dimiſſum, ita tamen deinceps vexavit, ut ille fugæ conſilio arrepto, quippe pejora metuens, in exilio Hamburgi viveret usque ad

1679. quo reſtitutus quidem in ditiones ſuas per pacem Neomagenſem, tractatibus ſingularibus in oppido Fontebellaqueo concluſis; ſed non ceſſantibus tamen Dani injuriis, denuo 1684. in exilium abiit. Tandem interventu Cæſaris & arbitris Electoribus Saxone & Brandenburgico, anno 1689. controverſia compoſita eſt; & ipſe in Ducatum ſuum pleno jure reſtitutus, eo per quinquennium adhuc potitus eſt usque ad mortem, quam hoc anno 1694 obiit. Succeſſit filius Fridericus V. qui ſimilia à Danis paſſus, auxiliis tamen Suecicis res ſuas firmavit, usque ad Travendalenſem pacem: de quâ poſtea. De his turbis Holſaticis vid. *Theatr. Europ. paſſim*, & de morte Chriſtiani Alberti *Tom. XIV. fol.* 806. Conf. Hübners kurtze Fragen auß der Polit. Hiſtorie *Tom. VI. p.* 476. *ſeqq.*

A. C. 1695. Elector Bavariæ *deſponſam ſibi Regis Poloniæ filiam* Theresiam Cunigundam *domum ducit:* de quo matrimonio *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 652. 854. Defunctâ Mariâ Antoniâ Cæſaris filiâ, de quâ ſupra, ſecundis nuptiis Elector Thereſiam Cunigundam, Johannis III. Poloniæ Regis filiam unicam in vacuum thorum adſcivit, eamque principio anni 1695. domum duxit; quæ ipſi opulentam dotem pecuniariam attulit, & poſt etiam pulchrâ prole parentem fecit.

Princeps Regius Daniæ Sophiam Meclebvrgicam *uxorem ducit.* Chriſtiani V. filius Fridericus, hodie Rex hujus nominis IV. Principem hanc Guſtavi Adolphi Mecklenburgici ex lineâ Guſtrovienſi filiam (quam *Hübnerus* non Sophiam, ſed Ludovicam ſeu Aloyſiam, Louiſe, vocat) ſibi nuptiis copulavit, ex quo matrimonio hodiernus Princeps regius natus eſt Chriſtianus. De his nuptiis *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 824.

Gvstavvs Adolphvs Dvx Meclebvrgicvs, *ultimus ſuæ lineæ obit*, die 26. Octobr. St. V. De quo *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 813. Cum hoc autem Guſtavo Adolpho, quantum ad ſobolem maſculam attinet, linea Guſtrovienſis extincta, & hinc gravis de ſucceſſione controverſia exorta eſt inter Duces Meckleburgicos principalis lineæ Suerinenſis, & familiæ Strelizenſis: quæ tamen anno 1701. Hamburgi compoſita fuit; quibus conditionibus vid. Teutſcher Reichs-Staat *Tom. II. cap.* 11. *pag.* 153. Hübners kurtze Fragen auß der Politiſchen Hiſtorie / VII. Theil *p.* 591. *ſeqq. Theatr. Europ. ſub ſeqq. annis*; & de controverſia ſucceſſionis præſertim *Tom. XV. fol.* 60. *ſeqq.*

A. C.

Digitized by Google

A. C. 1696. ANCEPS CVM TVRCIS PRÆLIVM *in Hungariâ Superiore.* Commiſſum eſt hoc prælium menſe Auguſto hujus anni, inter exercitum Chriſtianorum ſub Electore Saxonico & Duce Lotharingiæ, & Turcorum ſub ipſo Sultano, eo eventu, ut neutra pars de victoriâ gloriari poſſet, cùm æquo utrinque marte pugnatum eſſet. Ejus prælii hiſtoriam exhibet *Theatr. Europ. Tom. XV. fol. 5. ſeqq.* & *Relat. Hiſtor. Francof. Autumnalis 1696. Append.*

Nunc de REBVS ECCLESIÆ dicendum, ad ea quæ in hac Tab. notantur.

A. C. 1689. INNOCENTIVS XI. PAPA *obit*, laudatus & deſideratus ab omnibus, præterquam à Gallis. Nam cum Rege eorum (à quo & Avenion in Delphinatu occupata, Papalis urbs) graves ipſi controverſiæ fuerunt *de Jure Regaliæ, de IV. Propoſitionibus Cleri Gallicani, de Immunitate Hoſpitiorum in urbe Româ ſeu Jure aſyli*: de quibus jam aliqua ſuprà diximus; hic non repetenda. *Molinoſi* etiam cauſa & *Quietiſtarum* Secta eum exercuit, cui tamen non nimis iniquus eſſe viſus eſt ab initio. Vt in cauſâ electionis Colonienſis Cæſari & Joſepho Clementi Bavaro faverit, etiam ſuo loco diximus. Sumtus præterea in bellum Turcicum largiter contulit, idem contra Turcos foederis inter Cæſarem, Poloniæ Regem & Venetos auctor. Sedem Papalem ornavit annos propè XI. minus quinque hebdomadibus, & ætatis 76. anno mortuus eſt. Vid. *Theatr. Europ.* & ſpeciatim de morte ejus *Tom. XIII. fol. 965.* Extat *Vita Innocentii XI.* ſeorſim ſcripta. Breviter eam exhibet Hübner im III. Theyl ſeiner kurtzen Fragen *&c. p. 209. ſeqq. Buddeus in Lexico Hiſtor. Univers.* Succeſſor *ei ſufficitur Petrus Ottobonus, Patritius Venetus, dictus* ALEXANDER VII. qui non totos 16. menſes ſedit, evectus in Pontificatum jam octogenarius. Hic Galliæ Regi amicior fuit quàm anteceſſor, & ab eo etiam Avenionem recepit. Sed tamen & ipſe, ut paulò poſt in Tabula noſtra notatur,

ALEXANDER VIII. *moribundus bullam contra Gallos confirmat*, in qua nimirum damnantur theſes, quas Clerus Gallicanus contra auctoritatem Papæ 1682. propoſuerat. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol. 192.* De cætero nepotiſmum ſub anteceſſore ceſſantem, graviter exercuit, nec pari liberalitate ſumtus in bellum Turcicum elargitus eſt.

Digitized by Google

Obiit (ALEXANDER VIII.) *menſe Febr. in cujus locum electus Ignatius Pignatelli, dictus* INNOCENTIVS XII. Is fuit Neapolitanus patriâ, & profeſſus ſe veſtigia premere Innocentii XI. Nepotiſmum abolevit; de pauperibus commodiùs alendis inſigni curâ providit; controverſiam cum Galliæ Rege de Jure Regaliæ compoſuit, &c. Mortuus eſt anno ætatis 86. d. 27. Sept. 1700. anno Jubilæo, cùm ejus introitu non potuiſſet per valetudinem portam, quam vocant, ſacram ipſe aperire, Decano Collegii Cardinalitii Bullionio id munus relinquere coactus. Vid. Hübner *Tom. III. p. 228. ſeqq. Buddeus in Lexico Hiſtor. Vniverſ. Theatr. Europ.* T*om. XIV.* Fecit etiam Pontifici negotium exorta anno 1691. ut Tabula noſtra habet,

DISPVTATIO DE PECCATO PHILOSOPHICO, quam *Stephanus Bougot*, Profeſſor Divionenſis in Burgundia, moviſſe dicitur. (*Hübnerus Tom. III. ſub Alexandro VIII.*) Quid monſtri ſit illud Peccatum Philoſophicum, nec non Bulla Pontificis Alexandri VIII. contra hanc Theſin, legitur in *Theatri Eur. Tom. XIII. fol.* 1342. *Vhſe Hiſt. Eccl. p.* 524. jam tum ad annum 1668. refert. Vid. etiam *Caroli Memorab. libr. 7. cap. 60. & 67. & lib. 8. cap. 67. & lib. 9. cap. 26. p. 335. Acta Erudit. Lipſiens. 1689. p. 632. 625.*

PIETISTÆ, VISIONISTÆ circa hæc tempora extiterunt: quorum tamen diverſa ſunt genera, nec eodem cenſu omnes Pietiſtæ habendi. Nam & qui veræ pietatis exercitium majore zelo, quàm alii, urgere viſi ſunt (quibus Dn. D. Spenerus b. m. à plerisque accenſetur) hoc invidioſo nomine Pietiſtarum appellari cœperunt; alii verò ulterius progreſſi, innovare quædam in Eccleſiâ, alia pridem recepta damnare auſi, majores turbas dederunt. Moderatiores tamen hi, quàm qui etiam enthuſiaſmum affectando viſiones præ ſe tulerunt, quos proinde *Viſioniſtas* hîc vocat quisquis eſt hujus Tabulæ auctor: in quem cenſum etiam referendus eſt *Peterſen*, de quo poſtea; item, qui Sacramentorum negantes efficaciam, verbique Divini publicam prædicationem rejicientes, clandeſtinis interim conventiculis ſuam ſuperſtitionem propagare ſtudent &c. Vnde multæ tunc turbæ, præſertim in Saxonicis eccleſiis, exortæ, & res innumeris ferè ſcriptis agitata. Sunt autem qui de Pietiſmo ſcripſerunt, duplicis generis, primò Pietiſtarum adverſarii; quò pertinet *Anonymi* Unfug der Pietiſten/ ſcriptum auctoritate publicâ ſuppreſſum, & *Sam. Schelvvigii Itinerarium Antipietiſticum* (Holm. 1695. 4°. editum) Ex adverſa autem parte *Philippi Jacobi Speneri Apologia*, Duumviris his oppoſi-

poſitæ: *Viti Ludovici Seckendorffii Reſponſio ad Imaginem Pietiſmi* vernacula, cum *Præfatione hiſtorica Speneri* anno 1692. publicata. Inprimis ipſius *Speneri* Erzehlung / was wegen des Pietiſmi in Teutſchland vorgegangen. *Caroli Memorab. Eccl. lib.* 10. *cap.* 53. *p.* 780. & *cap.* 67. *p.* 857. Judicium de Pietiſtis *Jo. Henr. Heideggeri*, favorabile producit idem *Carolus cap.* 73. *p.* 905. Vt alia nunc taceam recentiora ſcripta. Nam & hodie alicubi ſe movet Pietiſmus, & toleratur. NB. De origine nominis Pietiſtæ, & de diverſis ejus explicationibus vid. *Sam.* Schelwig in ſeiner *Sectiriſchen Pietiſterey* / in der Vorbereitung *pag.* 2.

ARCHICHILIASTA J. W. PETERSEN *turbat Eccleſiam. Joh. Wilh. Peterſen*, Theol. D. & Superintendens Lunæburgicus fuit, qui pridem eruditionem & doctrinam ſuam pluribus Scriptis theologicis probavit. Poſtea verò cœpit Chiliaſmum ſeu doctrinam de millenario regno Chriſti in his terris, quod propediem imminere dicebat, pro cathedrâ eccleſiaſticâ publicè aſſerere, & ſcriptis propugnare acerrimè, S. literas pro fundamento ſubſternens. Et hinc eſt, quod ab Auctore noſtro Archichiliaſta vocatur. Neque verò ipſe tantùm, ſed & uxor ejus, *Johanna Eleonora de Merlau*, inter fanaticas ejus temporis anteſignana, turbas in Eccleſia dedit, enthuſiaſticos motus præ ſe ferens, ad cujus verba & nutum ipſe ſe accommodaſſe dicitur. Eadem edidit etiam inter alia librum, cum titulo: das Ewige Evangelium: in quem maritus D. Peterſen vaſtum Commentarium ſcripſit in fol. Habebat præterea domi ſuæ Virginem Nobilem, *Roſemundam Julianam ab Aſſeburg*, cujus jactatis tum apparitionibus & vaticiniis plurimùm tribuebat, & monitis auſcultabat. Itaque cùm ob defenſum Chiliaſmum tum & Enthuſiaſmum ipſe Peterſen ab officio remotus & exul Magdeburgum ſe contulit, ubi diu commoratus eſt, & ad defendenda dogmata ſua calamum ſtrinxit in adverſarios. (*Caroli Memorab. lib.* 10. *cap.* 18.) Enumerat Scripta ejus ad hoc argumentum pertinentia *Sam. Schelwigius*, D. Theol. & Prof. Gedanenſis in libro, cui titulus: Die *Sectiriſche Pietiſterey Part.* 2. *Art.* 9. *p.* 100. ubi porrò de ejus doctrinâ Chiliaſticâ nec non Enthuſiaſticâ *Art.* 13. *pag.* 206. *ſeqq.* Mitius de his judicantem vid. Spenerum in brevi Scripto, cui titulus: Theologiſches Bedencken über einige Puncten ꝛc. ad Electricem Brandeb. Videantur ſcripta ultro citroque longè plurima, per id tempus edita.

NOVI ENTHVSIASTÆ & FANATICI IN SAXONIA. Qualis tunc fuit *Henr. Kratzenſtein*, Civis & Aurifaber Quedlinburgenſis; revela-

velationes & apparitiones varias jactans: cujus taman impoſturam detegit *Spenerus* in ſeinem Theologiſchen Bedencken *&c.* Mulieres etiam plures ejusmodi tunc extiterunt in Saxoniâ, Thuringiâ & vicinis tractibus, quæ enthuſiaſmo correptæ vel corripi viſæ, nonnullæ etiam per inſolitos illos motus in preces & ſacra carmina, non antè lecta aut audita, erumpebant; quæ jactabant viſiones & apparitiones vel Angelorum, vel cœleſtis gloriæ &c. & ad immediatas illuminationes provocabant: quas inter præcipuæ fuere paulò ante nominata D. Peterſenii uxor & virgo nobilis Aſſenburgia, quam idem domi ſuæ habebat, ejusque vaticiniis auſcultabat. *Hartnacc. Contin. Hiſtor. Eccleſiaſt. Micralii Part. 2. Art. 1. p.* 1324. De his multa tunc ſcripta prodierunt, quæ pleraque exhibet *Pantheon Anabaptiſticum & Enthuſiaſticum*, Helmſtadii 1702. in fol. impreſſum. Aliquid et de his memorat *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 419. *ſeq.* Add. *Caroli Memorab. lib.* 10. *cap.* 25. *p.* 643.

EDICTUM WOLFFNBUTTELANUM CONTRA FANATICOS ex ea ipſa cauſa promulgatum eſt à Rudolpho Auguſto & Antonio Ulrico fratribus, Ducibus Brunſuiga-Lunæburgicis, ut nimirum his novis religionibus in tempore occurreretur, ne et in ſuas ditiones inferrentur. In eo edicto normam docendi præſcribunt Eccleſiaſticis XVI. articulis comprehenſam, quibus præſertim dogmata illa novaturientium in vicinia longè à ſuis eccleſiis abeſſe jubent. Exhibetur edictum illud ad verbum, in *Theatr. Europ. Tomo XIV. fol.* 336.

NEPOTISMUS ROMÆ ABROGATUS. Dictum ſupra de Innocentio XII. P. quòd nepotiſmum abrogaverit, qui apud pleroſque prædeceſſores ejus nimium inoleverat; ita ut mali mores bonis legibus opus habere meritò viderentur. Itaque hic Innocentius XII. rem aliis Pontificibus nunquam ſeriò tentatam executus eſt, propoſitâ Bullâ, quâ ſe ipſum & Succeſſores ſuos in ſede Romanâ juratò obligat, ne ſuos fratres, nepotes, cognatos, alios ex familiâ ſuâ cæteris præferrent, in conferendis beneficiis, muneribus, donationibus, aut alio quocunque modo eos ditando vel evehendo: prout hactenus fieri conſueverat. Hoc enim appellatur Nepotiſmus. Hodiernus tamen Papa ab hoc rigore multum remiſiſſe videtur, nec fortè Succeſſores paſſuri ſibi leges ab alio præſcribi. Integra Bulla ejus in hanc rem edita, cum ſubſcriptionibus Cardinalium exhibetur in *Theatro Europ. Tom. XIV. fol.* 387. *ſeqq.*

MOLI-

Digitized by Google

MOLINOSIVS QVIETISTARVM AVCTOR *obit.* Vid. poſtea ad annum 1696. Nam malè ad 1692. refertur in hac editione.

A. C. 1693. ATOMISTICA PHILOSOPHIA. Antiquiſſima eſt hæc philoſophia, ſi ea intelligatur hîc, quæ docet, omnia in natura ex concurſu atomorum fieri, &c. Ejus auctor *Democritus*, & hunc ſequutus *Epicurus*; cui ex recentioribus præſertim *Gaſſendus* ſuperiore Seculo ſuffragatus eſt. De quâ vid. *Morhoff. Polyhiſt. Tom. II. lib. 2. c. 7. inprimis n. 11.* Videtur autem hîc reſpici potiſſimum ad *Carteſiana Philiſophia de Atomis dogma*, quod forte per hæc tempora plures propugnatores invenit. Certè *Micralius Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. Sect. 2. p. 864.* in editione Hartnaccii, Carteſianos Atomiſtas vocat, & inter Atheos referri poſſe cenſet.

JVBILÆVM LVTHERANVM IN REGNO SVECIÆ auſpiciis Caroli XI. Regis inſtitutum & celebratum eſt in memoriam reformationis & introducti in id regnum centeſimo abhinc anno Evangelii. Tradidit hujus Jubilæi hiſtoriam *M. Henningius Johannes Gerdes*, Paſtor Wiſmarienſis & Conſiſtorii Regii Aſſeſſor, in libello, cui titulum fecit: **Das frôliche Jubel im Norden.** Hamburgi 4. 1693. Vid. *M. Chriſtianus Juncker in Vitâ Lutheri nummis & iconibus illuſtratâ, p.* 493. ubi nummus memorialis exprimitur elegantiſſimus. Add. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 527.

DISSENSVS INTER JESVITAS EORVMQVE GENERALEM GONZALEZ *de dogmate probabilitatis.* Ediderat hic Gonzales librum de PROBABILITATE, cujus dogma cæteri Patres Societatis improbabant, & propterea à Generali ſuo diſſentientes, litem ei moverunt apud Pontificem, ſub alio quidem prætextu, urgentes ſcil. terminum generalis ipſorum congregationis anticipari debere, ſed refragante illo non obtinuerunt. De quâ lite *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 706. Alioqui dogma hoc probabiliſmi, largam diſputandi materiam ſuppeditavit inter ipſos etiam Pontificios, & jam tum anno 1665. à Sorboniſtis damnatum eſt. Summa autem ejus ſententiæ huc redit: Quod licitum ſit cuilibet ſequi ſententiam probabilem, affirmantem, aliquam actionem eſſe honeſtam, vel ſaltem licitam, quamvis ipſe agnoſcat, quòd oppoſita iſtud negans, talemque actionem in ſe intrinſecè malam ac prohibitam eſſe, docens, adhuc ſit probabilior; adeoque opinionem vel unius viri docti & gravis auctoritate, vel nonnullâ ratione nixam, conſcientiæ & actionum moralium regulam eſſe, ſaltem exiſtere poſ-

Digitized by Google

ſe. Vid. *Caroli Memorab. Eccleſ. lib. 7. cap. 40. p. 358.* & *lib. 10. cap. 40. p. 717.* & *Joh. Wolffg. Jegeri Diſſ. de novello monſtro morali, ſeu Probabiliſmo.* Tubing. 1684 4°.

EPISCOPI GALLICANI, *decretis Synodi Pariſienſis anno 1682. renuntiantes*, PONTIFICI RECONCILIATI. De his Decretis, ſeu de IV. iſtis theſibus contra Pontificis poteſtatem à Clero Gallicano propoſitis, & à Parlamento approbatis confirmatisque, ſupra diximus ad illud in ſuperiore Tab. *Regal. Jus ſibi vindicat Gallus contra Pontif.* Ea quidem decreta damnavit tum ſtatim Innocentius XI. P. & quanquam omnes qui illi Synodo interfuerunt, à ſpe promotionis in poſterum excluderet, obtinere tamen non potuit, ut revocarent, nec Succeſſor Alexander VIII. qui moribundus Bullam contra Gallos confirmavit. At hoc demum tempore Epiſcopi Gallicani decretis iſtis Synodi ſuæ renuntiantes, & auctoritatem ejus denuo agnoſcentes, Papæ ſatisfecerunt, & hic viciſſim Epiſcopis à Rege denominatis denegatas huc usque bullas confirmationis conceſſit, &, ut loquuntur, eos præconizavit. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol. 381. 555. ſeqq. Relat. Hiſtor. Francof. Vernal. 1692. p. 38. 39. & auctumnal. p. 38. ſeq.*

A. C. 1694. ACADEMIA FRIDERICIANA *Halis ſplendidiſſimè inauguratur.* Fridericus Elector Brandeb. & hodie Rex Boruſſiæ, hanc urbem in ſedem Muſarum deſtinavit, & conceſſis ab Imperatore Leopoldo privilegiis ampliſſimis, Vniverſitatem ibi conſtituit, hodie quoque florentiſſimam & celeberrimam. Inauguratio ejus facta eſt hoc anno Calendis Julii, in natali Electoris, qui ſplendidiſſimo huic actui præſens interfuit, & Academiam Fridericianam à ſuo nomine vocari voluit. Hiſtoriam fundationis & inaugurationis hujus, juſſu ipſius Principis prolixè deſcripſit *Chriſtoph. Cellarius*, tunc temporis Hiſtor. & Eloq. Profeſſ. unde pleraque excerpſit auctor *Theatri Europ. Tomo XIV. fol. 626. ſeqq.* ubi ſatis multa de his ſolennibus. *Vhſen* Kirchen-Hiſtorie *p. 588.*

EQVITES APOCALYPTICI ROMÆ ET IN ITALIA, Italis *Cavallieri delle Apocaliſſe*, ita dicti, quia ſe contra Anti-Chriſtum pugnaturos profitebantur, de quo ex Apocalypſi Johanneâ multa detexiſſe videri volebant. Præterea alia illis monſtroſa dogmata ſunt attributa, vel ut multi putant, ad invidiam illis concitandam, afficta; cùm revera nihil aliud fuerint quàm *Quietiſta.* Sed S. Officium Romæ hunc Ordinem ſeu Sectam brevi ſuſtulit. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol. 705.*

A. C. 1695 QVACKERISMVS DISCORS ET IN SECTAS DIVISVS, *Kei-*

Keithus quidam Concionator ex numero Quackerorum in Americâ Anglicanâ, & nominatim in urbe Philadelphiâ, novi dogmatis auctor fuit, docens inter alia, Chriſtum habere duplicem naturam humanam, unam cœleſtem & ſpiritualem, alteram terrenam & corporalem, quam in tempore à matre Maria aſſumſerit. Huic novo dogmati ſtrenuè ſe oppoſuit *Guil. Stockadus*, & ipſe ex Concionatoribus Quackerianis Senior. Inde in partes diſceſſerunt cæteri Quackeri, donec Symbolo à præcipuis hujus Sectæ edito, dogma hoc rejectum, & Keithus revocare juſſus. *Caroli Memorabil. Eccleſ. lib.* 10. *cap.* 47. *p.* 747. Vid. inprimis *Gerb. Craſii*, Paſtoris Alblaſienſis, *Hiſtoria Quackeriana*, quæ anno 1696. Latinè Amſtelodami, & Berolini Germanicè edita eſt in 8. cui *Kolhanſius* Medicus Amſtelodamenſis Quackerianus, ſub nomine *Philaletha* oppoſuit *Neceſſarias Dilucidationes*, anno eodem in 8. Amſtelod. impreſſas. *Arnold. Hiſtor. Eccleſ. & Haret. Part.* 3. *Sect.* 3. *num.* 18. §. 98. *p.* 768. & *in Ejusdem Supplement. libri XVI. & XVII. num.* 4. *p.* 129. *M. Erdmannus Vhſe in Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. XVI. & XVII.*

INQVISITIO HISPANICA DAMNAT ACTA SANCTORVM HENSCHENII & PAPEBROCHII. *Gothefridus Henſchenius* & *Daniel Papebrochius*, celebres Jeſuitæ ediderant librum, cum titulo: *Acta Sanctorum*; in quo multa periculoſa & ſcandaloſa loca eſſe ad imminuendam auctoritatem Pontificis & S. Sedis, item ad contemtum Sanctorum & Martyrum &c. pertinentia, arguebant ipſorum adverſarii, præſertim *Carmelita*, qui offenſi ideo, quòd traditionem de Carmelitarum Ordinis origine, quem volunt ab Elia Propheta conditum fuiſſe in dubium vocare auſus eſſet *Papebrochius*; contra quem ante triennium ferè librum ſcripſerant, ſub titulo: *Exhibitio errorum Papebrochii.* Nunc autem re ad Inquiſitionem Toletanam delatâ, hæc promulgavit edictum prohibitorium contra Scripta dictorum Jeſuitarum. Quâ de re vid. *Theatri Europai Tomus XIV. fol.* 867. *Caroli Memorabil. Eccleſ. lib.* 10. *cap.* 54. *pag.* 788. & de ſopitâ lite per Pontificem *cap.* 65. *pag.* 847.

NOVI ANTINOMI & NEONOMI IN BRITANNIA. De exortis in Angliâ per hæc tempora novis Antinomis & Neonomis, vid. *Andr. Caroli Memorabil. Eccleſ. lib.* 10. *cap.* 47. *p.* 750. & de quæſtionibus eorum controverſis *Hartnaccius in Continuat. Hiſt. Eccl. Micraliana, Part.* 3. *Sect.* 2. *Artic.* 4. *p.* 2176. *ſeqq.* Item, *Herm. Witſii Animadverſiones Irenica ad controverſias, qua ſub infauſtis Antinomorum &*

Digitized by Google

Neonomorum nominibus in Britanniâ h. t. agitantur : qui liber recenſetur in *Actis Erudit. Lipſiens. anno* 1696. *p.* 378. *ſeq.* In Zeelandia quoque Belgii, *nova quorundam Secta*, *qui ſe* HEBRÆOS *vocabant*, hoc ipſo tempore gliſcere cœpit, dogmata quædam antinomica fovens; quæ cùm & Eccleſiæ & reipubl. periculoſa eſſe viderentur, Decreto Ordinum Zeelandiæ obviam itum, & ea Secta aliquantum repreſſa, nec tamen omnino extincta eſt. De quâ & ejus dogmatibus vid. *Theatri Europ. Tom. XV. fol.* 95.

Sequuntur, quæ ſub VARIORVM titulo leguntur in hac Tabulâ:

MVHAMMEDO IV. EXAVCTORATO *ſurrogatur frater* SOLIMANNVS. De Muhammedo IV. qui inde à 1648. per 39. annos imperavit, & 53. vixit, ſupra dictum eſt ad Tab. XXX. Eum cùm bello infelicem viderent Turci, rebellione motâ hujus anni 1687. menſe Novembri, in carcerem detruſerunt, in quo & mortuus eſt; & viciſſim fratrem ejus *Solimannum* ex carcere in thronum evexerunt, tanti Imperii gubernaculis imparem. Sub eo tamen bellum cum Cæſare & Venetis continuatum eſt. *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol.* 225. *ſeq.*

A. C. 1688. CHRISTINA REGINA *moritur Romæ.* Decantatiſſima Regina (de quâ jam ſupra aliquid diximus ad annum 1650. ubi de coronatione ejus) hoc anno mortua eſt Romæ, ætatis 63. Vitæ ejus curriculum alibi. De morbo, morte & exequiis *Theatrum Europ. fol.* 963. *ſeq.*

REGI PORTVGALLIÆ NASCITVR EX NEOBVRGICA FILIVS: de quo *Theatri Europ. Tom. XIII. fol.* 562. Sed ille non ſuperſtes fuit.

A. C. 1689. CAROLVS II. REX HISP. MARIAM ANNAM NEOBVRGICAM *uxorem ducit.* Sterile tamen hoc matrimonium fuit, neque tantopere deſideratum heredem regno dedit: etiamſi ſorores Reginæ ex Neoburgicâ domo omnes fœcundæ fuerunt. Ipſa hodie ſuperſtes marito, poſt cujus mortem a Rege Succeſſore Bajonnæ ſedem habere juſſa. De inito hoc matrimonio vid. *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol.* 960. 1334.

WILHELMVS & MARIA *regno Britanniæ admovetur.* Vt Wilhelmus Princeps Arauſionenſis ab Anglis vocatus in Britanniam, claſſe Batavorum inſtructus appulerit, & poſt fugam Soceri Jacobi II. Regis, totâ Britanniâ potitus ſit, jam tum ad ſuperiorem Tabulam dictum eſt. Hoc verò anno ipſius & Mariæ conjugis coronatio magnis ſolennibus peracta eſt Londini: de quibus vid. *Theatri Europ. Tom. XIII. fol.* 556. 883. *&c.*

REGI

Digitized by Google

REGI PORTVGALLIÆ *alter filius naſcitur*, JOHANNES, qui hodie regnat hujus nominis V. Patri enim 1706. mortuo ſucceſſit. De nativitate ejus, quæ incidit in diem 22. Octobris, *Theatri Europ. Tom. XIII. fol.* 961. 1010.

A. C. 1690. CAROLVS LOTHARINGVS *obit.* Inclytus hic Heros hactenus in bellis Turcicis præſertim, & deinde in Gallicis ſpecimina virtutis ſuæ dederat incomparabilia, inter illuſtres Imperatores magnum nomen adeptus. De quo teſtantur præter alia pulſi ab obſidione Viennenſi Turcæ, 1683. clades Turcarum propè Strigonium in Hungariâ 1685. expugnatio Budæ 1686. & Belgradi 1688. in Germaniâ erepta Gallis Moguntia & Bonna. Quartus hoc nomine Carolus hic Lotharingiæ Dux fuit, quem quidem Ducatum ſuum ille nunquam poſſedit. Quanquam enim pacificationē Neomagenſi reſtitutionem ejus ſtipulatus erat Rex Galliæ, tam duris tamen conditionibus reſtricta illa fuit, ut maluerit ditionibus ſuis prorſus carere, quàm Regi Galliarum parére. Itaque titulo quidem Ducis Lotharingiæ totâ vitâ uſus eſt, terris ipſis caruit, felicitatem hanc in filium LEOPOLDVM reſervante fortunâ, ut pleniore aliquantum jure eas obtineret, reſtitutus in eas per pacem Riſvicenſem, 1697. Ipſe Carolus mortuus eſt Welſii in Auſtriâ, intentus tum maximè apparatibus in proximam expeditionem contra Gallos faciendis, die 18. April. anno 1690. ætatis 47. De morte ejus *Theatri Europ. Tom. XIII. fol.* 1169.

SABAVDVS IN GALLOS ARMA INDVIT. Quippe bello Gallico tum etiam in Italiâ exardeſcente, coactus alterutri parti accedere VICTOR AMADEVS II. *Dux Sabaudiæ*, Confœderatis ſe primò adjunxit, & arma contra Gallos ſtrinxit, poſt ſexennium eadem converſurus in Socios, poſtquam ad id tempus infeliciſſimè & parùm ſeriò bellum gerere viſus eſt: de quo poſtea. Vid. *Theatr. Europ. Tom XIII. fol.* 1066.

MARIA ANNA BAVARA DELPHINI VXOR *obiit*, poſtquam maritum triplici prole maſculâ beavit: ut diximus jam tum ad annum 80. ſub titulo VARIORVM. Nec uxorem amplius duxit Delphinus, poſt hujus obitum: de quo *Theatr. Europ. Tom. XIII. fol.* 1325.

A. C. 1691. JACOBI PRINCIPIS, *Regis Polon. filii*, NVPTIÆ CVM PALATINO-NEOBVRGICA. Nuptiarum iſtarum ſolennia Warſoviæ magnificè celebrata die 25. Martii, deſcribit *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 151. *ſeq.*

Digitized by Google

HIBERNIA AD OBSEQVIVM WILHELMI M. BRITANNIÆ REGIS REVOCATA. Hanc Inſulam Rex Jacobus ex Britanniâ ſuâ profugus adhuc mordicus retinere tentavit, confiſus erga ſe favori incolarum Pontificiorum, quorum longè major numerus erat, & quò minùs totam jam ſub poteſtate haberet, ſola urbs *Londonderry* obſtabat, quam pertinaciter defenſam operâ & virtute cujusdam Miniſtri Eccleſiæ nomine *Walckers*, expugnare non potuit. At Wilhelmus partim per *Schombergium* bello in Inſulâ geſto, partim per ſe ipſum, acie victor, Jacobum Gallicis auxiliis inſtructum, totâ Hiberniâ exegit, & captis per vim urbibus ipſi adhærentibus, Hibernos intra triennium ad obſequium reduxit. Res, uti geſta eſt, narratur in *Theatri Europ. Tomo XIV. à fol.* 177. &c. Add. *Relat. Hiſtor. Francof. ad hos annos.*

MONTEM HANNONIÆ & MONTEM MELIANVM IN SABAVDIA *capit* GALLVS. Ad *Montem Hannoniæ* (Bergen in Hennegau) Bufflerius die 5. Martii copias admovit, & poſt ſtrenuam urbis defenſionem ſequuta die 10. April. deditio, urgentibus civibus, ſed indignantibus Confœderatis, qui diutius propugnari potuiſſe cenſebant. Huic obſidioni ipſe Rex Galliarum aliquandiu interfuit, & Delphinus oppidanos in fidem accepit. Plenior hujus obſidionis narratio legi poteſt in *Theatr. Europ. Tomo XIV. fol.* 51. *ſeqq.* & *Relat. Hiſtor. Francof. Auctumnal.* 1691. *p.* 98. *ſeq.* Reſtituta quidem hæc urbs per pacem Ryſvicenſem, ſed poſt mortem Hiſpaniarum Regis denuo occupata præſidiis Gallicis, poſtea iterum recepta eſt armis Confœderatorum, & à Batavis nunc tenetur. *Mons Melianus* verò oppidum Sabaudiæ ad Iſaram, non magnum illud quidem, ſed ſitu & opere munitum, præſertim caſtello validiſſimo defenſum, à Catinatio Mareſchallo Galliæ obſideri cœpit die 19. Octobr. mediaque hieme non ſine magnis difficultatibus oppugnatum, demum 22. Decembr. deditionem fecit. Deſcribit iterum *Theatrum Europ. eodem Tomo fol.* 68. *ſeqq.* Add. *Relat. Francof. ad hunc annum.* Vrbs à Sabaudo recepta per pacem, in bello tamen adhuc flagrante à Gallis denuo expugnata fuit 1706. qui dein pulvere pyrio ſubjecto, munitiones dejecerunt.

SOLIMANNO III. *mortuo ſuccedit frater* ACHMET, hujus nominis II. itidem ex carcere in ſolium evectus, ſed non toto quadriennio imperavit. Deceſſit enim ex hydrope, principio anni 1695. ſub quo bellum cum Cæſare & Venetis continuatum eſt. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 2.

A. C. 1692. NAMVRCVM *à* GALLIS EXPVGNATVM. Memorabilis obſidio atque adeò expugnatio hujus urbis fuit; Rege ipſo Galliæ

Digitized by Google

liæ cum Mareſchallo Bufflerio omnia adgubernante. Is die 25. Maji exercitum admoverat, & die 5. Junii urbem, 30. verò ejus menſis die caſtellum ad deditionem adegit, ſub oculis propemodum hoſtilis exercitûs, utroque potitus. Neque enim Wilhelmus Rex & Elector Bavariæ, qui numeroſiſſimis licet copiis inſtructi in propinquo erant, ſuccurrere laboranti civitati audebant, Mareſchallo altero Luxemburgio cum exercitu 60000. aditum muniente, quo ſolo ad urbem accedi poterat; quem aggredi periculoſiſſimum videbatur. Hiſtoria expugnationis Namurci per Gallos exponitur in *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol. 268. usque ad 275.* nec non in *Relat. Francof. ad hunc annum.*

GALLORVM CLASSIS AB ANGLIS BATAVISQVE FVSA. Præceſſit autem Namurci expugnationem hæc Confœderatæ claſſis de Gallis victoria: quippe menſe Aprili geſta res eſt. Claſſes utrinque erant inſtructiſſimæ, inter quas commiſſo prælio poſt acrem concertationem, Gallicæ naves in fugam converſæ, in portus ſuos ſe recipere cœperunt. Quas perſequentes Angli Batavique hinc inde ad ipſos portus invaſerunt, & multis partim igne combuſtis, partim demerſis, plenam victoriam retulerunt. Naves bellicas 56. amiſiſſe dicuntur Galli, inter quas præcipua fuit navis prætoria Ducis *Turvillii*, quam Solem regium vocabant, centum ſex tormenta ſuſtinens, quæ exuſta Gallorum & Confœderatorum triumphum non parùm auxit. De hac clade Gallorum memorabili, vid. *Theatri Europæi Tomus XIV. fol.* 288. & *Relat. Francof. Auctumnal* 1692. *p.* 93. *ſeqq.*

A. C. 1693. TERRÆMOTVS IN SICILIA. Horribilis hic terræmotus fuit, & Calabriam primùm concuſſit, hinc in Siciliam tranſiit, initio menſis Januarii 1693. & tanto furore ſæviit, ut regnum illud penè totum ſub illâ ruinâ perierit, 70. circiter urbibus & vicis everſis, & quadraginta ſex hominum millibus, ut qui minimum numerant, perditis. Vix fidem inveniet hæc clades: nec agnoſci ampliùs potuit pulcherrima pridem Inſula, agris ſylvisque miſerè vaſtatis, trajectis montibus, explanatis vallibus omnibus vel proſtratis vel hiatu terræ abſorptis. Superſtites ex hac clade incolas fames oppreſſit. Idem terræmotus etiam MELITEN (*Maltam*) inſulam afflixit. Hiſtoriam tragici hujus casûs, & inter præcipua exempla divinæ iræ referendi, vid. in *Theatr. Europ. Tomo XIV. fol.* 425. *ſeq. Relat. Francof. Vernal.* 1692. *p.* 108. *ſeq.*

ANNA ALOYSIA MONPENSERIA REGIS FRANCIÆ SOBRINA *moritur*. Erat ea Fratris Regii, Ducis Aurelianenſis filia, *Monpenſerio*

Duci

Duci nupta, quæ quinto Aprilis hujus anni, ætatis 66. obiit Pariſiis. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 578.

Mvhammedes Tvrc. Imp. exavctoratvs *extinguitur* Adrianopoli, ubi captivus tenebatur inde ab anno 1687. quo exauctoratus eſt: ut jam ſupra diximus. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 561.

Galli crvento prælio ad Neerwindam et Landam *in Belgio* victores. Mareſchallus Luxemburgius expugnatâ Hoyâ Leodio imminebat, cui urbi ſuccurrere volentes Confœderati ſub Wilhelmo Angliæ Rege & Electore Bavaro, obvium habuere exercitum Gallicum. Ibi ad *Neervvindam & Landam Brabantiæ vicos* ad manus ventum eſt die 29. Julii, & poſt acre prælium commiſſum, conjectis in fugam hoſtibus ſuperiores Galli locum obtinuerunt; quanquam & ipſi præſertim peditum non minorem numerum deſiderarunt. Rex & Bavarus poſt receptum diminutas hac clade & diſperſas copias recollegerunt. Videantur de hoc prælio Relationes utriusque partis in *Theatr. Europ. Tomo XIV. fol.* 463. *ſeqq.* & in *Relat. Francof. ad hunc annum.*

Iidem Rhodam *in Catalaunia*, & Caroloregivm *in Belgio obſidione capiunt. Rhoda* urbs maritima (*Roſes*) valdè opportuna videbatur Gallis, confirmandis in Cataloniâ rebus ſuis. Eam ergo Mareſchallus Noaillius fine menſis Maji obſidione cinctam, & aliquandiu oppugnatam, præviis pactis deditionis, in fidem accepit 9. Junii: cujus urbis potitus, totum tractum *Lampurdanum* Gallicæ ditioni adjecit. *Caroloregii* verò expugnatio in Belgio Hiſpanico appendix quædam & fructus victoriæ ad Neerwindam fuit; quam aggreſſus Luxemburgius menſe Septembri, poſt 4. hebdomadum gravem obſidionem, fortiter interim ſe defendentibus Hiſpanis, tandem deditione in Regis ſui poteſtatem redegit, miſerè quidem tormentorum ictibus vaſtatam. De Rhodâ captâ vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 470. de Caroloregio *fol. ſeq.*

Iidem In Pedemontio prospere pvgnant. Confœderati Pignerolam obſidebant, quos ab eâ obſidione revocavit adventus Gallici exercitûs, ſub Mareſchallo Catinatio. Ei occurrens Dux Sabaudus, & acie congreſſus propè *Marſagliam*, victoriam hoſti concedere coactus eſt. Rei geſtæ ſeriem narrat *Theatri Europ. Tomus XIV. fol.* 477. *Relat. Hiſtor. Francof. Vernal.* 1694. *p.* 42. *ſeq.*

A. C. 1694. *In locum* Mavroceni *Ducis Veneti defuncti* Valierivs *eligitur. Maurocenus* vel *Moroſini* hactenus egregiè rem geſſerat contra hoſtem Chriſtiani nominis in bello Candiatico & deinde in Moreâ; & tum quoque cum claſſe Venetâ contra Turcos ex-

Digitized by Google

cos excubans, in navi ſuâ mortem obiit. Cujus Succeſſor in Ducali dignitate electus *Sylveſter Valerius* paucis adhuc annis continuato bello, denique pacis fructu potitus eſt, anno 1699. confectæ. De quo poſtea. Vid. *Theatrum Europ. Tomo eodem fol.* 560. 716.

GALLI HISPANOS *in Catalauniâ* FVNDVNT, GIRVNDAM CAPIVNT. Commiſſum eſt hoc prælium inter duarum nationum exercitus ad flumen Sambrocam, hodie *El Ter*, quod transeuntes Galli numero longè ſuperiores, hoſtem Hiſpanum in ipſis caſtris aggreſſi ſunt, & fuſum fugatumque magnâ clade affecerunt. Poſt hanc victoriam non modò *Palamos* à Gallis occupata; ſed & *Girunda*, claſſes ſuas admoventibus *Caſtelrenaudio & Turvillio* Ducibus, à *Noaillio* in continente obſeſſa, & intra paucos dies ad deditionem adacta eſt. *Theatr. Europ. d. l. fol.* 605. *ſeqq. Relat. Francof. Autumnal.* 1694. *pag.* 38. *ſeqq.*

DIEPPA, PORTVS GRATIÆ, CALETVM *globis igneis vexata.* Jam ſuperioris anni menſe Novembri exeunte Anglica & Hollandica claſſis *Maclovium* (S. *Malo*) Britanniæ ſuperioris portum, ignibus injectis vaſtaverat; ubi tunc primùm adhibita eſt horribilis illa machina, quam infernalem vocabant, quæ deſcribitur in *Theatri Europ. Tom. XIV. fol.* 487. Nunc Normanniæ portus *Dieppam & Portum Gratiæ* (*Havre de Grace*) pari furore aggreſſi menſe Julio, utrumque ruinâ & ignibus deformarunt, in horum oppidorum altero vix novem domos ſalvas relinquentes; in utroque verò arces penitus everſæ ſunt. Quam à mari exortam tempeſtatem deſcribit *Theatri Europ. Tom. XIV. fol.* 615. *Relat. Francof. Autumnal.* 1694. *pag.* 64. *Caleto* eandem cladem illaturi tum quidem fruſtra fuerunt, reluctantibus ventis. Sed anni ſequentis menſe Auguſto, cùm prius *S. Maclovii fanum* denuò vaſtaſſent, etiam Caleti portum & urbem pari imbre globorum igneorum obruerunt. *Dunkerka* quidem tunc etiam tentata, ſed non magno cum effectu. *Theatrum Europ. Tom. XIV. fol.* 748. *Relat. Francof. Vernal.* 1696. *pag.* 79.

CICLVTVM DALMATIÆ *Veneti expugnant.* Oppidum hoc in illis tractibus munitiſſimum ad id tempus ſub ditione Turcorum, ſitum eſt in altiſſimâ rupe, propè fl. Narentam, & oppugnatum armis Venetorum menſe Junio, intra paucos dies ſe dedidit. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 589. *Relat. Francof. Vernal.* 1694. *pag.* 31.

MARIA ANGLIÆ REGINA *obit.* Laudatiſſima hæc Princeps, Jacobi II. Anglorum Regis filia, Wilhelmi III. uxor, die 7. Jan. St. N. 1695. ex morbo deceſſit improlis, à Rege marito & natione Anglicâ meritò deſiderata & deplorata. De morte ejus & exequiis, &c.

 vid.

Digitized by Google

vid. *Theatr. Europ. fol.* 835. *ſeqq.* ubi etiam elogia virtutum ejus, *fol.* 840.

A. C. 1695. ACHMET TVRC. IMP. *obit.* *Succedit* MVSTAPHA, *Mahometis exauctorati filius*, vir ſtrenuus & bellicoſus, qui Turcicum imperium gnaviter defendit contra arma Chriſtianorum: à quibus tamen unà alteràque clade affectus eſt, præcipuè *prope Zentam ad Tibiſcum.* Animum tandem ad pacem flexit, anno 1699. Carolovicii concluſam: de quâ poſtea. Itaque 7. paulò amplius annis, i. e. inde à menſe Octobri 1687. quatuor Sultani in Turcico imperio ſibi invicem ſucceſſerunt. De morte Achmeti, quam hydrops acceleravit, die 6. Febr. & ſucceſſione Muſtaphæ, vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 876.

CASALIS *deditione capta & munimentis nudata.* Vt hæc clavis Italiæ à Duce Mantuano 1681. Gallis tradita ſit, dictum eſt ſupra per occaſionem fati Argentinenſis Vrbis, eodem anno ſub poteſtatem Gallorum redactæ. Anno autem hoc 1695. obſidione jam pridem cincta, menſe Junio vi oppugnari cœpit à Confœderatis, Eugenio Principe Sabaudo rem adminiſtrante; & 9. Julii dedita eſt. Poſt deditionem munitionibus nudata ex pacto, & Mantuano Duci reſtituta eſt. Quicquid in urbe inventum militaris apparatûs & reliqua copia commeatûs, victoribus ceſſit. Hodie Caſalis cum toto Marchionatu Montferratenſi, ex conceſſione Cæſaris, in Sabaudiæ Ducis ditione eſt. De captâ Caſali *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 779. *ſeqq. & Relat. Francof. Autumnal.* 1695. *ſub rebus Sabaudiis*, prolixa narratio eſt, ubi etiam leges deditionis.

NAMVRCVM *Gallis ereptum.* Ea urbs, quam ante triennium ceperant, & interim ſumma diligentia & arte munitiorem fecerant Galli, nunc viciſſim à Confœderatis (quorum copiis ipſe Rex Wilhelmus & Elector Bavarus præerant) in conſpectu exercitûs Gallici, & defenſionem urbis dirigente ipſo Mareſchallo Buffleriô, obſeſſa, oppugnata & denique per deditionem recepta eſt, fruſtra conatum hunc, tanquam irritum futurum, ridentibus Gallis: qui tamen interim Bruxellas, urbem pulcherrimam, globis ignitis injectis devaſtarunt, Confœderatos ab obſidione Namurci abſtrahere conantes. Sed ſpes eos fefellit. Hiſtoriam oppugnati & capti hoc anno Namurci lege ſis in *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 763. *ſeqq. & Relat. Francof. Autumnal.* 1695. *à pag.* 80. Leges deditionis, quæ facta eſt die 5. Septembr. utrobique annectuntur. Hodie tamen Namurcum in Gallorum manibus eſt, præſidio ab illis occupata, ut aliæ Belgii

Hiſpa-

Hiſpanici urbes, poſt mutationem rerum ex morte Regis Hiſpaniæ factam.

DVX PARMENSIS *ducit fratris viduam*, DOROTHEAM SOPHIAM NEOBVRGICAM. Dictum jam ſupra. Et hoc factum, prævià diſpenſatione Papæ, qui eam, non obſtante interdicto divino *Levit. cap.* 18. *v.* 16. huic Duci gratificatus eſt. Nuptiæ celebratæ ſunt die 8. Decembr. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 871.

REGINALDVS ESTENSIS DVX *Mutinæ ducit* CHARLOTTAM FELICITATEM *è domo Brunſuicenſi.* Erat hæc *Charlotta Felicitas* filia *Johannis Friderici Hanoverani*, qui Pontificiæ religioni ſe addixerat, & Soror *Wilhelminæ Amaliæ* poſtea Imperatricis, *Joſepho I.* nuptæ. Et obſervatum eſt, Ateſtinam & Brunſuicenſem Domum ex eâdem ſtirpe ortam, cujus communis auctor *Azo Ateſtinus Marchio*, per hoc matrimonium poſt 700. annos iterum coaluiſſe. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 875.

A. 1696. PAX *inter* GALLVM *&* SABAVDVM, clandeſtinis tractatibus ſeorſim concluſa, quantumvis indignantibus fœderatis reliquis, & fruſtra eum ab hoc conſilio avertere conantibus. Nam ut his damnoſa ea pax, ita viciſſim Sabaudo utiliſſima fuit; qui per eam recepit omnia loca in bello amiſſa; reſtituta ei inſuper *Pignerola*, ſed munitionibus nudata, quam Galli jam per 65. annos in poteſtate habuerant. Ipſe Dux junctas deinde cum Gallico exercitu copias ſuas *Valentiæ* admovit, urbi ad Mediolanenſem Ducatum pertinenti, & per hanc obſidionem Hiſpanos adegit, ut à bello deſiſterent, & neutras partes ſequerentur. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 24. 25. *&c.* ubi ipſi articuli pacis, & judicia de eâ exhibentur. *Relat. Francof. Autumnal.* 1696. *p.* 30.

REX POLON. JOHANNES III. *ætatis anno* 72. *obit*, die 17. Maji hujus anni: de cujus morte & conſequentibus *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 69. *& Relat. Francof. Autumnal.* 1696. *pag.* 60. De Succeſſore ejus novo Rege poſtea.

MOSCOVITÆ *caput Tartariæ minoris* TANA *ſeu* ASOPH *Turcis eripiunt.* *Aſoph* ſeu *Aſſow*, ut alii ſcribunt, oppidum eſt munitum, ſupra oſtium Tanais, ſitu opportuniſſimo, cui proinde jam diu inhiabant Moſcovitæ. Tenebatur hactenus præſidio Turcorum, qui infra illud, ubi rurſus arctatur æſtuarium ante paludem Mæotim, in utroque littore caſtella poſuerunt, ut claudere paludis aditum catenâ poſſent, arcendis ab Euxino Ponto prædatoriis navibus. Hujus urbis cœpta ab ipſo præſente Moſcovitarum Imperatore obſidio medio Maji, continuata eſt in medium Julii, cùmque fruſtra in-

Digitized by Google

terim laborantibus ſuis ſuccurrere tentaſſent Turci, urbs tandem à Moſchis per vim capta, & arx deditionem fecit. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 10. 11. *Relat. Francof. Autumnal.* 1696. *pag.* 64. *ſeqq. & ſeq. Vernali pag.* 75. *ſeq.* Tabula noſtra *Tanam* eandem facit cum Aſſow: ſed *Tana*, quæ ibidem fuit, teſte *Chardino*, recentiſſimo peregrinatore, nunc in ruinis jacet. *Chriſtoph. Cellarius in Geograph. noſtri temporis, pag.* 316.

Excutiendi nunc ſunt VIRI CELEBRES,

quorum nomina ſub annis eorum emortualibus in hac Tabulâ notantur:

A. C. 1689. Isaacus Vossius, filius Gerhardi Johannis Voſſii, Theologi & Philologi celeberrimi fuit, ſolus ex V. filiis patri ſuperſtes. Ipſe quoque ob variam doctrinam in literato orbe inclaruit, ob quam etiam à Reginâ Chriſtinâ evocatus in Sueciam, aliquandiu ejus gratiâ floruit. Sed poſtquam *Salmaſius* eodem venit, cum quo illi inimicitiæ intercedebant, eâ gratiâ rurſus excidit, coactusque eſt relictâ Sueciâ in Belgium ſuum reverti. Alium deinde adverſarius nactus eſt *Jac. Gronovium*, ex eo quòd Voſſius in editione *Pomponii Melæ* in Salmaſium acrius ſæpe invectus, eum in multis refutavit: quem viciſſim Gronovius defendebat. Scripta ejus philoſophica, philologica, hiſtorica ſunt: inter alia eſt liber ejus *de Oraculis Sibyllinis*; *de veterum Poëmatum cantu & viribus rhythmi*; *de motu navium*; *de Nili & aliorum fluminum origine*; *de Septuaginta-Virali verſione V. T.* quam ipſo textu Hebraico potiorem eſſe aſſerit. Scripſit etiam, quanquam ἀνονύμως librum, quo mathematicis rationibus univerſalitatem diluvii impugnare conatus eſt. Idem edidit *Origines Batavicas*, & *Annalibus* fratris ſui *Matthæi Voſſii* quintum librum adjecit. Item edidit *Ignatii Epiſtolas, &c.* Denique præter *Obſervationes in Pomponium Melam*, quorum ſupra jam memini, etiam *Tibullum*, *Juvenalem*, *Petronium* notis illuſtravit. Apparet interim ex ſcriptis ejus, quod ſingularium ſententiarum captator, earumque obſtinatus defenſor fuerit, in quâ φιλονεικίᾳ nec patri ſuo pepercit: cui tamen in eruditione non videtur par fuiſſe. Ex Belgio tandem in Angliam ſe contulit, ubi factus Canonicus Windſoori, ibidem obiit ſeptuagenarius, relictâ bibliothecâ, quæ ob multitudinem MSC. magni æſtimata fuit. Videatur de eo *Morhoff. in Polyhiſt. paſſim.* Item *S. Evremont Melanges Curieux Tom. I. p.* 68. *Colomeſiana p.* 213.

Stepha-

Digitized by Google

STEPHANVS LE MOINE, Theologus Lugduno - Batavus, & Philologus celeberrimus fuit. Ejus liber, cui titulus: *Varia Sacra*, continet Syllogen variorum Opuſculorum Græcorum, ad rem literariam ſpectantium, & recenſetur in *Actis Erudit. Lipſienſ. 1686. pag. 70. & 145.* Item, *Epiſtola de Melanophoris*, à *Gilberto Cupero Harpocrati* ſuo annexa. *Ibidem 1687. pag. 693.*

MARQVARDVS GVDIVS, Rendsburgo - Holſatus, Regi Daniæ à Conſiliis Status, & Polyhiſtor celebris fuit; quem paſſim laudat *Morhoffius in ſuo Polyhiſtore*, & præſertim ejus excellentiſſimam bibliothecam commendat, quam omnium privatarum bibliothecarum reginam vocat, *Tom. I. libr. 1. cap. 7. num. 67.* Parum ipſe aut nihil edidit vivus, ut maluit vir ille, neſcio quâ invidiâ, ſecum retinere & premere quæ habuit, quàm cum erudito orbe communicare. *Epiſtolas Gudii* unà cum *Sarravii* edidit Vltrajecti 1697. *Petrus Burmannus*, idem qui & *Phædri Fabulas cum notis Gudii* imprimi fecit. Habuit Gudius in animo, *Gruteri Opus Inſcriptionum* multis aliis Inſcriptionibus auctum edere, quarum 4. tomos in 4to. collegerat. Sed illæ poſt mortem ejus Grævio transmiſſæ, qui ex iis II. tomos in fol. collegit, reliquas Burmanno perficiendas reliquit, à quo Amſtelodami 1707. editæ eſſe dicuntur: quanquam id negare videtur Interpolator *Morhoffii Polyhiſt. Tom. I. libr. 4. cap. 14. num. 26.* Vid. *Mollerus in Cimbriâ Literatâ. Burmannus in Epiſt. Gudii & Sarravii. Acta Erudit. Lipſienſ. anno 1697. pag. 139.* Tenzel in den Monatlichen Unterredungen *pag. 805.*

A. C. 1690. CASPAR ZIEGLERVS, Lipſienſis patriâ, JC. celeberrimus, Witebergæ magnâ cum famâ profeſſionem Juris Ord. ſuſtinuit, aulicis etiam conſiliis & Magnatum controverſiis componendis nonnunquam adhibitus. Collegii Gelliani, quod Lipſiæ diu floruit, præcipuus auctor. Etiam Theologiæ, cui eum Pater à pueritiâ deſtinaverat, operam dedit, ita ut & in eâ gradum impetrare potuiſſet. Mortuus eſt Aprilis die 17. anno ætatis 69. Scripta ejus præcipua habentur *Commentarius in Lancelloti Inſtitutiones Juris Canonici*; Tractatus *de Milite Epiſcopo*; *de Diaconiſſis*; *de Clerico renitente*; *de Epiſcopis*; *de Superintendente*, *&c.* ne quid dicam de plurimis ejus *Diſputationibus.* Etiam poëtica tentavit, & habentur ejus XX. *Elegiæ in Nativitatem, Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti.* Scripſit etiam Germanicè libellum von Madrigalen. Vid. *Pipping in Memor. Theolog. pag. 1042. ſeqq.*

JOH. LUDOVICVS PRASCHIVS, JCtus & Senator Ratisbonenſis fuit, vir eruditiſſimus, *Boecleri* noſtri quondam auditor, ſub cujus

jus etiam auſpiciis proprio marte conſcripſit, ac deinde defendit Diſputationem *de Legibus Ægyptiorum*, ſeu *Νόμιμα τῶν Αἰγυπτίων*. Ejus ſunt Scripta varii argumenti: *JCtus verus & perſonatus*: Item, *de Caritate Patriæ* liber Noribergæ in 4to. impreſſus 1662. *Aſſertio Reip. Achaicæ ejusdemque cum Germanicâ comparatio*: *Pſyche Cretica*: *Diſſertationes de origine Germanicâ Latinæ Linguæ*: *Organon Latinæ Linguæ*. Scripſit & *Notas in Lipſii Politica*, quæ itidem Noribergæ 1666. in 12. editæ ſunt, &c. *Caroli Memorab. lib.* 10. *c.* 7. *p.* 553. *Acta Erudit. Lipſienſ.* 1690. *p.* 464. *ſeqq.*

Olavs Borrichivs, Danus, Philologiæ, Poëticæ, Chemiæ & Botanices Profeſſor in Academiâ Hafnienſi, nec non Archiater Regius fuit; vir in Medicinâ, & præſertim Chymiâ, præterea in Philologiâ & Poëſi excellentiſſimus. Scripta ejus multa ſunt & varia. Inter memorabiliora recenſentur Ejus *Cogitationes de variis Linguæ Latinæ ætatibus*: *Analecta philologica & Judicium de Lexicis Latinis Græcisque.* Item, *Antiquæ Romæ Imago*: *Parnaſſus in nuce, ſeu de Syllabarum quantitate*: Diſſertatio *de cauſis diverſitatis Linguarum*: *de Linguâ Pharmacopœorum*; *de Poëtis Græcis & Latinis*: *de ortu & progreſſu Chemiæ*: *De Hermetis & Ægyptiorum Sapientiâ*, contra Conringium: *Acta medica Hafnienſia*: *de uſu plantarum indigenarum in Medicinâ*, *de Cabalâ characterali*, *&c.* *Conringii* antagoniſta perpetuus fuit; nec non cum *Deuſſingio & Chriſtoph. Cellario* ſcriptis eriſticis certavit. Cùm moreretur hoc anno die 3. Octobr. ſine prole, non tantum cognatis ſuis 50000. thalerorum reliquit, ſed & pauperibus Studioſis legavit 26300. thaleros, unà cum collegio Medico & aliis appertinentibus, nempe horto, laboratorio Chymico, bibliothecâ, nec non habitatione pro 16. Studioſis. Vid. *Clarmundus in Vitâ* ejus, quæ eſt *Partis V. nona*, & quos ibi allegat in fine. Quibus add. *Alb. Bartholinus de Scriptoribus Danicis pag.* 111. *& Mollerus in Hypomnem. ad h. l. pag.* 353.

A. C. 1691. Dan. Georg. Morhoffivs, nomen in republ. literariâ celeberrimum, natus fuit Wiſmariæ, Profeſſor primùm Poëſeos Roſtochii, poſtea verò in novâ tum Academiâ Kilonienſi Profeſſor Eloquentiæ & Hiſtoriarum, docuit; ſcriptis etiam variis de literarum ſtudiis optimè meritus eſt. Inter quæ *Polyhiſtor* ejus facilè primum locum obtinet. De quo, & de cæteris ejus Scriptis partim editis, partim ineditis & affectis, *Mollerus in Vitâ Morhoffii* ejusdem Polyhiſtori præmiſſâ, conſulendus eſt, ubi etiam judicia eruditorum de iisdem ſubnectit. Item, *Clarmundus in Vitâ Morhoffii*, quæ eſt *Parte V. pag.* 195. unde Catalogus cæterorum ejus Scriptorum

ptorum peti poteſt. Memoratur etiam mors hujus Viri, tanquam ſuo tempore eruditorum Principis, in *Theatri Europ. Tomo XIV. fol.* 230.

THEOPHILVS SPIZELIVS, Theologus quidem & Paſtor Auguſtanus fuit, ſed & in re literariâ variis ſcriptis celebris, inter quæ, *Literatus felix & infelix*, ubi de virtutibus & vitiis eruditorum agit. Item, *Sacra bibliothecarum illuſtrium arcana detecta*, cui libro *Diſſertationem* præliminarem præmiſit, quâ in univerſum *de Bibliothecis* agit. Tractatus *de re literariâ Sinenſium.* Item, *Vetus Academia Jeſu Chriſti*; in quo libro 22. nec non *Templum Honoris reſeratum*, in quo 50. Theologorum icones cum additâ vitæ deſcriptione exhibet, &c. Scripſit & libellos aliquot ad hiſtoriam Atheiſmi ſpectantes, &c. Laudat eum *Morhoffius in Polyhiſtore* aliquoties, & *Reimmannus in Introduct. ad Hiſtor. Liter. libr.* 1. *pag.* 73. 225. 290.

ERICVS MAVRITIVS, JCtus, primùm Profeſſor Juris in Academiâ Kilonienſi, mox Aſſeſſor Cameræ Imperialis, Scriptis Juridicis compluribus profuit orbi literato. Inter alia edidit *Conſilia Kilonienſia*, quibus præfixit *Præfationem ad Lectorem*, ubi proponit Introductionem quandam ad praxin. Scripſit & *Hiſtoriam Juris Naturalis ad mentem Orientalium & Græcorum, &c.* Variæ præterea ejus ſunt Diſſertationes ad Jus publicum & privatum pertinentes; ut *de Ordinatione Cameræ Imperialis*: *de libris Juris*: *de denuntiatione Sagarum, &c.* quas hic longum eſſet recenſere.

A. C. 1692. ROBERTVS BOYLE, Anglus, Vir illuſtris, & phyſicæ inprimis doctrinæ magnus reſtaurator; cujus domus tunc commune quaſi oraculum fuit Gallorum, Belgarum, Germanorum, Italorum, qui ejus nominis famâ moti illum adibant. Scripſit longè plurima partim Latinè, partim Anglicè, pleraque ad phyſicam doctrinam pertinentia; quam ille experimentis auxit, & ingenio excoluit plurimùm (Talis liber ejus *de origine Formarum*: Item, *Chymiſta Scepticus. Tractatus de Frigore. De naturâ effluviorum eorumque determinatione & mirâ ſubtilitate. De motu particularum in ſolidis & apparenter quieſcentibus corporibus. De uſu Philoſophiæ naturalis*, Anglicâ linguâ. *De infido experimentorum ſucceſſu. De origine & virtutibus gemmarum. De formis ſubordinatis. De qualitatibus coſmicis*, cum præmiſſa *introductione ad hiſtoriam qualitatum particularium. De aëris vi elaſticâ; de ejusdem rarefactione & condenſatione. Nova experimenta de aëre. De Syſtematicis vel Coſmicis rerum qualitatibus. De Suſpicionibus Coſmicis. Experimenta quædam nova, &c.*) quæ pleraque extant in *Actis Societatis Anglicanæ*, cujus ille membrum vel præcipuum fuit.

Vid.

Vid. *Thomas Spraat in Hiſtor. Societ. Angliæ.* Scripſit Boylius etiam alia nonnulla: quò pertinet liber Anglicè ſcriptus, ſed poſtea in linguam Germanicam converſus, ſub titulo: Der Himmliſche Liebes-Triumph. Item, *de Stylo S. Scripturæ, &c. Morhoff. in Polyhiſt.* paſſim, præſertim *Phyſico.* De eodem & morte ejus *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 230. Curioſum eſt inter alia ejus artificium πνευματικὸν, quo oſſa in minimis ſuis attenuare docuit, ut in ſubſtantiam cartilagineam ac mollem è durâ illa convertantur, & vel ipſi homini in cibum cedere poſſint: quod tamen in fraudem canum inventum eſſe dicit *Morhoffius.*

EMANUEL A SCHELSTRATEN, S. Theol. Doct. & Antverpienſis Eccleſiæ Canonicus & Cantor, poſtea evocatus à Pontifice Romam bibliothecæ Vaticanæ Bibliothecarius fuit. Inter cætera commendatur opus ejus *Antiquitatis Eccleſiaſticæ illuſtratæ.* Item, *Acta Conſtantienſis Concilii. De Diſciplinâ arcani contra Diſputationem Erneſti Tentzelii, Diſſertatio apologetica.* Tractatus *de ſenſu & auctoritate Decretorum Concilii Conſtantienſis Seſſione IV. & V. circa Poteſtatem Eccleſiaſticam editorum, Diſſertatio de auctoritate Patriarchali & Metropoliticâ* adverſus ea, quæ ſcripſit *Eduardus Stillingfleet* in libro *de Originibus Britannicis.* Vid. *Acta Eruditorum Lipſienſ. anno* 1685. *pag.* 195. *&* 1688. *pag.* 321. *&c.*

HADRIANUS VALESIUS, Nobilis Gallus, Pariſiis natus, frater *Henrici Valeſii*, (qui licèt non minus doctus ac celebris, in Tabulis tamen noſtris non nominatur, ad annum ejus emortualem 1676. referendus) fuit Hiſtoriographus regius, & in hiſtoriâ Gallicâ potiſſimam operam poſuit. Præcipua ejus ſcripta ſunt: *Annales Francici: Diſſertatio de Baſilico: Diſſertatio de Petronii Arbitri fragmento: Notitia Galliæ: Ammianus Marcellinus*, quem cum fratris ſui, nec non Lindenbrogii annotationibus recudi fecit. Vid. *Perault les Hommes illuſtres, Tom. II. p.* 150. *Acta Erudit. Lipſienſ.* 1694. *p.* 307. Mortuus eſt die 2. Julii 1692. ætatis 72.

ÆGIDIUS MENAGIUS, Andegavenſis Gallus, ex literaturâ præſertim elegantiori magnum ſibi nomen comparavit, JCtus, Poëta, Criticus, Grammaticus inſignis. Ut multa liberè ſcripſit, ita ex eruditis præſertim popularibus adverſarios nactus eſt, qui paſſim in ſuis Scriptis Menagium traduxerunt: inter quos præcipui fuerunt *Abbas Aubignac, P. Bouhours & Bailletus.* Etiam Academiam Gallicam offendit, edito ſcripto tunc paſſim celebrato: *La Requête des Dictionaires.* Ex reliquis ejus ſcriptis eminent *Obſervationes & Correctiones in Diogenem Laertium: Amœnitates Juris Civilis: Les Origines de*

de la Langue Françoiſe. Hiſtoria mulierum Philoſophicarum &c. Poſt mortem ejus etiam prodierunt ab amicis collecta *Menagiana, ou bons mots, penſées judicieuſes & curieuſes de Monſr. Menage.* Cætera petantur ex *Baylii Dictionario Hiſtor. p.* 530. *lit. M.* ubi vita Menagii deſcribitur. Item *Clarmund. in Vitâ ejus*, *Parte V. p.* 173. & quos in fine citat. Quibus add. *Morhoffius paſſim in Polyhiſtore.* Elogium Menagii habet *le Journal des Sçavants*, & ex eo *Tentzelius* in Monatlichen Unterredungen *anno* 1692. *p.* 735. *Acta Erudit. Lipſiens.* 1695. *p.* 227. Mortuus eſt anno ætatis 79.

VITVS LVDOVICVS DE SECKENDORFF, vir non cum vulgo nominandus. Etenim ipſe ex immediatâ Nobilitate Franconicâ ortus Eques, poſtea magis etiam ſe nobilitavit incomparabili eruditione; ad illuſtres inde dignitates evectus, præter alia apud diverſos Principes munera tandem Electoralis Brandeburgicus Conſiliarius intimus & Academiæ Hallenſis Cancellarius fuit. Quantum ipſe dignitatibus eminebat, tantum Scripta ejus inter alios Eruditorum labores eminent: in quibus præcipua ſunt: *Commentarius Hiſtoricus & apologeticus de Lutheraniſmo:* Chriſten-Staat: Teutſcher Fürſten-Staat: *Defenſio Relationis de Antoniâ Burignoniâ: Diſſertatio hiſtorica & apologetica pro Doctrinâ D. Lutheri de Miſſâ &c.* Etiam ad *Acta Eruditorum* conſcribenda plurimum ſuo labore contulit. Vid. plura de eo in *Vita ejus apud Clarmundum Part.* 8. *p.* 165. & qui in fine allegantur. Quibus add. *Pippingius in Memor. Theolog. p.* 1061. *ſeqq.*

GEORGIVS ADAMVS STRVVIVS, JC. celeberrimus, Conſiliarius intimus Principum Saxonicorum & Præſes Jenenſis, ejusdemque Vniverſitatis Profeſſor Juris primarius fuit. Scripta ejus, quibus literato orbi profuit, magno in pretio habentur, ſuntque hæc potiſſimum: *Syntagma Juris feudalis: Syntagma Juris Civilis: Jurisprudentia Romano-Germanica forenſis: Jus Sacrum Juſtinianeum: Evolutiones Controverſiarum: de Vindictâ privatâ: Diſſertationes Criminales: Deciſiones Sabbathinæ: de Invocatione Nominis Divini: de Delictis &c.* præter multas Diſputationes. Vid. plura in *Ejus Vitâ* ſcriptâ à filio, Paternorum elogiorum herede, *Burckhardo Gotthelffio Struvio*, ſub titulo: *Pii Manes Struviani, ſeu de Vitâ & Scriptis Georgii Adami Struvii* 8. Jenæ 1710.

A. C. 1693. PAVLVS PELISSONIVS, Gallus, Libellorum Supplicum Magiſter & Bibliothecarius Regius, notus inprimis ab operâ præſtitâ in Reformatorum Gallorum converſione, inter alia ſcripſit *l'Hiſtoire de l'Academie Françoiſe*, cujus ipſe membrum fuit; & de quâ *Morhoff. Polyhiſtor. Liter. libr.* 1. *c.* 14. *n.* 41. & *lib. ſeod. c.* 19. *n.* 68.

 Eſt

Digitized by Google

Eſt & Peliſſonii *Opus conſiderationum de Religionis controverſiis*, &c. Vid. *Acta Erudit. Lipſiens.* 1689. p. 564. & 1692. p. 241. & *in Supplem.* p. 609. & 1693. p. 336. *Caroli Memorabil. lib.* 16. c. 33. p. 635.

JOH. GEORG. VOLCKHAMERUS hoc anno, medio Maji vitæ honorumque ſatur è vivis exceſſit Norbergæ. Fuit is S. R. I. Eques auratus, Imperatoris Leopoldi Conſiliarius & Archiater, Comes Palatinus Cæſareus, Academiæ Leopoldinæ naturæ Curioſorum Præſes. Vid. *Acta Erud. Lipſiens.* 1693. *pag.* 383. 336. *Andr. Carolus* eum vocat Johannem Volkmarum; in *Memorabil. Eccleſ. lib.* 10. c. 29. p. 655.

GEBH. THEOD. MEYERUS, SS. Theol. D. ejusdemque Profeſſ. Publ. Helmſtadienſis, Vir in antiquitatibus Eccleſ. verſatiſſimus, ſcripſit *Hiſtoriam religionum*, Helmſtadii in 4°. editam, in quâ varios Theologiæ Chriſtianæ caſus & mutationes per omnia Secula expoſuit. Ejusdem eſt *Introductio in Theologiam moralem*; item *Monumenta Julia*; in quibus memoriam Theologorum Helmſtadienſium conſervare ſtuduit. Voluit etiam continuare centurias Magdeburgenſes, ſtipendio Ducum Brunſuiga-Lunæburgicorum ad id invitatus; ſed morte præventus, parùm aut nihil in hoc opere præſtitit. *Carolus Memorabil. Eccleſ. lib.* 10. *cap.* 30. p. 663. *Acta Erudit. Lipſiens.* 1698. p. 243.

CAROLUS PATINUS, Gallus, natus Pariſiis fuit, ſed poſtea in Italiâ ſedem fixit, Profeſſor Medicinæ in Academiâ Patavinâ factus, vir ingenii capaciſſimi, Medicus celeberrimus, & præterea in Antiquitatibus verſatiſſimus. Idem etiam Juvenis per ſexennium Jurisprudentiæ operam dederat, inde in Academiâ Pictavienſi Licentiaturæ gradum adeptus, & in Parlamento Pariſienſi Advocati munere functus: ſed conſilio Parentis, qui illud quod dici ſolet: *Dat Galenus opes:* egregiè expertus erat, medico ſtudio ſe applicuit, & de eo potiſſimùm ore & ſcriptis bene meritus eſt. Præter medica tamen ejus ſcripta, ſunt pleraque antiquaria & ad rem nummariam pertinentia; qualia ſunt: *Familiæ Romanæ ex antiquis Numiſmatibus: Introduction à l'Hiſtoire des Medailles*, quæ poſtea etiam Latinè edita eſt: *Imperatorum Rom. numiſmata: Theſaurus Numiſmatum: Quatre Relations hiſtoriques; Pratiqua delle Medaglie: Suetonius illuſtratus: Explicatio Nummi Antonini Pii: de Numiſmate antiquo Auguſti & Platonis: de Numiſmate antiquo Horatii Coclitis: Epiſtola ad Eggelinum de Numiſmatibus quibusdam antiquis Imp. Neronis: Commentarius in 3. Inſcriptiones Græcas Smyrnâ nuper allatas: Commentarius in antiquum monumentum Marcellinæ: Commentarius in antiquum cenotaphium Marci Artorii Medici*, &c. Scripta ejus ad medicinam per-

pertinentia hic non vacat recenſere. Vid. *Lyceum Patavinum*, quod ab ipſo *Patino* ſcriptum, effigies & vitas Profeſſorum exhibet. Moriens anno ætatis 61. reliquit filias duas & ipſas doctiſſimas, & inter membra Academiæ di Ricourati receptas, cujus ipſe Patinus caput & director diu fuerat. *Baylius in Dictionario Hiſtor. ſub lit. P.* Memoratur etiam in *Theatri Europ. Tomo XIV. fol.* 733. ad annum ejus emortualem.

CHRISTIANVS KORTHOLT, Holſatus, S. Theolog. D. & Profeſſor primarius, nec non Vice-Cancellarius Academiæ Kilonienſis, cui tandem etiam Profeſſio Antiquitatum Eccleſiaſticarum demandata fuit, magnum inter Theologos nomen; ſcripſit multa Theologica & præter *Hiſtoriam Eccleſiaſticam N. T.* plura alia ad hanc hiſtoriam pertinentia; quorum omnium catalogum hîc texere nolumus. Petantur potius ex *Pippingii Memoriis Theologorum*, item ex *Baylii* & *Buddei Lexicis Hiſtoricis*.

CASPAR SAGITTARIVS, patriâ Lunæburgicus, S. Theolog. Doctor, Polyhiſtor famigeratiſſimus, Hiſtoriographus Saxonicus, & Vniverſalis Hiſtoriæ Profeſſor in Academiâ Jenenſi fuit, in cognitione Hiſtoriæ præſertim Germanicæ, nec non Eccleſiaſticæ inſigniter doctus. Teſtantur ſpecimina omni exceptione majora in tot egregiis ſcriptis edita, quorum catalogum *Jo. Andr. Schmidius*, Theol. D. Prof. Helmſtadienſis, concinnavit, *Introductioni ejus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam* annexum. Sunt tamen inter illa quædam etiam Theologica, præſertim contra *Marcum Schœnemannum*, celebrem Jeſuitam. Etiam ſcriptis nonnullis eriſticis ſe implicuit, poſtquam *Theſes* ſuas *Theologicas de legitimo Pietiſmo* evulgavit. Vid. *Buddei Lexicon Hiſtor. Vniverſ. in Appendice. Acta Erudit. Lipſiens.* 1694. *pag.* 288. *& anno* 1695. *p.* 139.

ANTON. ARNALDVS, Doctor Theologus Sorbonicus celeberrimus & inter Janſeniſtas præcipui nominis, multos exinde nactus adverſarios, & varia fata expertus, etiam è Sorbonenſi Collegio ejectus eſt, & propter graves perſecutiones per 25. annos diverſis in locis delituit; denique in Belgio occultè commoratus, ibi extremum vitæ diem clauſit anno ætatis 82. Præcipuum ſibi negotium contraxit ex libro, quem ſcripſit, *de la frequente communion*, qui à Jeſuitis vehementer exagitatus fuit. Etiam Reformatos quosdam Theologos adverſus ſe irritavit, & præcipuè celebrem *Petrum Jurieu*, qui librum notiſſimum, *l'Eſprit de Mr. Arnauld*, contra eum edidit: ne quid dicam de controverſiis ejus cum *Patre Malebranchio* & *P. Simone*. In Peccatum quoque Philoſophicum, Jeſuitarum inven-

Digitized by Google

ventum, ſcripſit contra ejus auctores, edito libro, cui titulus: *Nouvelle hereſie dans la morale.* Præterea edidit alium librum Gallicum, cum hac Inſcriptione. *La grandeur de l'Egliſe Romain eſtablié ſur l'autorité de S. Pierre & de S. Paul.* In eo libro de Petri & Pauli ſimultaneo primatu in Eccleſiâ Romanâ, novam doctrinam propoſuit; quâ non Jeſuitas modò ſibi adverſarios excitavit, contrariis ſcriptis illam refutare conatos; verùm etiam Pontificem irritavit, à quo emiſſum fulmen Papale hoc dogma damnavit. Ejus aſſeclæ *Arnaldiſta* dicti. De quo vid. pluribus *Jagerus in Hiſtor. Eccleſ. & Polit. Sec. XVII. Dec. 5. lib. 5. cap. 3.* De reliquis ejus ſcriptis conſulatur *l'Hiſtoire abregée de la Vie & des Ouvrages des Mr. Arnauld.* item liber, cui titulus: *Cauſa Arnaldina, Præf. Baylius in Dictionario Hiſtorico.* De morte ejus etiam *Relat. Hiſtor. Francof. Vernal. 1695. p.* 80. ubi epitaphium ejus.

SAM. PVFENDORFFIVS, poſtea Baronis axiomate à Cæſare inſignitus, vir meritis in remp. civilem & literariam longè excellentiſſimus, inter Moraliſtas & Hiſtoricos ſui temporis facilè princeps, poſt varias functiones, & diverſis in locis geſtos honores ac munera, tandem Conſiliarius intimus Electoris Brandeburgici. Præter ſcripta ejus politica & moralia, in quibus vel præcipuum eſt opus ejus *de Jure Naturæ & Gentium*, nec non eriſtica, quibus adverſariis ſuis reſpondit; hic nobis nominanda veniunt hiſtorica, tanquam inſtituto noſtro propius convenientia. Scripſit juſſu Regis Sueciæ, cui tunc ſerviebat, duo vaſta Opera *de rebus Suecicis ſub Guſtavo Adolpho usque ad abdicationem Chriſtinæ Reginæ*: & *de rebus à Carolo Guſtavo geſtis*: poſtea cùm in miniſterio Electoris Brandeburgici eſſet, ejus juſſu *Vitam Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburgici*, opus illis non exilius, ſub regimine demum filii ejus edidit. Præterea nota eſt Ejus *Introductio in Hiſtoriam*, quæ in varias linguas tranſlata fuit. Plura de tanto Viro docebit *Thomaſius in Programmate Inſtitutionibus Juris prudentiæ divinæ præfixo*; item, *Buddeus in Hiſtoria Juris naturalis*; *Ludovici in delineatione Hiſtor. Jur. divini*; *Theatr. Europ. Tom. XIV. fol.* 733. De poſthumo ejus opere, quod appellat *Jus Feciale Divinum, ſeu de Conſenſu & Diſſenſu Proteſtantium* Exercit. *vid. Caroli Memorab. Eccleſ. lib.* 10. *cap.* 35. *p.* 691.

ISMAEL BVLLIALDVS, Gallus, Aſtronomus celeberrimus, ſcripſit inter alia *Syſtema Philolaicum*, ſeu de Aſtronomiâ Philolaicâ. Ejusdem eſt *Arithmetica Infinitorum*: qui liber recenſetur in *Actis Erudit. Lipſiens.* 1683. *p.* 208.

A. C.

A. C. 1693. JOH. GVIL. BAIERVS, Theologus magni nominis, natus fuit Noribergæ, & poſtea Jenenſis Profeſſor Hiſtoriæ Eccles. denique recens inauguratæ Academiæ Fridericianæ primus Rector & Profeſſor Theologiæ primarius; ſed ſequente anno Wiſmariam vocatus, Conſiliarius Conſiſtorialis & Eccleſiaſticus, Concionator Aulicus primarius, Paſtor Vrbicus & Superintendens Generalis factus eſt, nec diu tamen ſuperfuit, mortuus anno ætatis 47. Scripta ejus non pauca, & merè Theologica ſunt, quorum titulos hic recenſere ſuperſedemus. Vid. *Buddei Lexicon Hiſtor. Vnivers. Caroli Memorab. Eccles. lib.* 10. *cap.* 36. *p.* 694.

A. C. 1696. SEBASTIANVS SCHMIDIVS, Doctor & Profeſſor Theologus, Senior in Vniverſitate Argentoratenſi, & Conventus Eccleſiaſtici ibidem Præſes, nec non Capituli Thomani Præpoſitus, nomen apud nos venerabile; cujus merita in ſe non Argentina tantùm, ſed univerſa Eccleſia Evangelica agnoſcit, Doctor excellentiſſimus, & Interpres Bibliorum incomparabilis: cui labori, præter Theologicam ſcientiam conſummatiſſimam, accurata Linguarum Orientalium cognitio eum præ cæteris idoneum fecit. Vitæ ejus curriculum hic recenſere neque noſtri inſtituti eſt, neque apud eos opus eſſe videtur, quibus *Programma* ejus *funebre* ſaltem in manibus, & elogia recens in auribus ſonat. Scripta ejus Theologica ſunt plurima & celebratiſſima, nonnulla etiam Philoſophica, prioribus annis edita. Prædicatur inprimis labor ejus verſioni Bibliorum inſumtus, quem cum ipſo vitæ filo abſolvit, anno ætatis 86. Cætera ejus ſcripta quæ ſint, partim docebit *Pippingius* in *Memor. Theolog. & Buddeus in Lexico Hiſtor. Vnivers. &c.*

JOH. LVDOVICVS FABRICIVS, Theolog. D. & Prof. Heidelbergenſis, & Conſiliarius Eccleſiaſticus Electoris Palatini, vir magni inter Reformatos Theologos nominis, qui variis itineribus etiam civilem prudentiam ſibi comparavit, in politicis ſæpe negotiis adhibitus, & à multis petitus, officia tamen in Heidelbergenſi Aulâ & Academiâ nunquam deſeruit. Tandem Francofurti extremum vitæ diem clauſit, poſtquam annos 63. cum ſemeſtri expleviſſet. Scripta ejus Theologica varii ſunt argumenti. Vid. *Joh. Henr. Heideggerus in ipſius Vitâ ſubjunctâ Fabricii Operibus, Carolus in Memorab. Eccles. lib.* 10. *cap.* 52. *p.* 775. *ſeq.*

JAC. TOLLIVS, vir doctiſſimus, Criticus & Philologus non è trivio, eruditionis hujus ſuæ ſpecimina varia dedit *Notis in Dionyſium Longinum de Sublimitate, in Auſonium, in Ciceronis Oratio-*

nem pro Archia Poëta &c. Scripſit etiam *Fortuita, in quibus præter critica nonnulla*, tota fabularis hiſtoria Græca, Phœnicia, Ægyptiaca ad Chymiam pertinere aſſeritur. Ejus etiam ſunt *Inſignia Itinerarii Italici*; item *Epiſtola itineraria.* &c. Videantur *Acta Erudit. Lipſiens.*

ANTON. VARILLAS, Gallus, Conſiliarius & Hiſtoriographus Regius fuit, & ſcriptis potiſſimùm hiſtoricis inclaruit, quanquam apud Viros doctos non magnam laudem meritis. Cenſetur enim à plerisque ut homo ſubleſtæ fidei, qui invitâ veritate, prout affectibus ſuis indulgebat, & cauſæ ſuæ inſerviebat, quidvis ſcribere in hiſtoriâ auſus ſit. Gallicæ quidem hiſtoriæ præcipuam impendit operam, & vitas VII. Regum, à Ludovico XI. ordiendo, Gallicè ſcripſit. Quædam tamen etiam alia, ut *les Anecdotes de Florence: la Politique de la maiſon d'Autriche* &c. Præ cæteris etiam vapulat hiſtoricum ejus opus; *Hiſtoire des revolutions arrivées dans l'Europe en matiere de Religion*; in quo demonſtrare nititur, quòd, quicunque à trecentis annis contra antiquam ſeu Romano-catholicam religionem aliquid docere aut innovare auſi ſint, ex meris reſpectibus humanis & conſiliis nonnunquam nefariis id fecerint. Sed ſicut in eo ſcripto ſive inſcitiam ſive malitiam ſuam infinitis in locis prodidit, ita cùm ab aliis, tum præſertim ab illuſtri *Pufendorffio* ſeveram cenſuram meruit, qui in *Appendice continuationis Introductionis ad Hiſtoriam*, errores ejus in hiſtoria duntaxat Suecica commiſſos producens, tandem concludit his verbis: Meines orts weiß ich nicht / wie man die Beſchaffenheit und Würde dieſes Buchs kürtzer und deutlicher außdrucken könne / als wann man es des Varillas Tauſend-Lugen nennete. Add. *Acta Erudit. Lipſiens.* 1686. *p.* 506. Plura de eo & Scriptis docebunt, *les Memoires Sçavantes*: item *Merville dans ſes mélanges, pag.* 394. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 114.

TABVLA. XXXIII.

Nunc reliqua hujus Seculi usque ad annum 1701. exponemus, hunc terminum enarrationis noſtræ ſtatuentes.

Sub REBVS IMPERII in hac Tabulâ notatur:

A. C. 1696. FRIDERICO AVGVSTO, *Electori Saxon.* FILIVS NASCITVR. Eſt is Princeps Patri cognominis, Electoratûs heres, qui ſub curâ Matris potiſſimùm in religione Evangelica educatus, hodie vivit floretque jam annum agens decimum ſeptimum, ingreſſus d. 17. Octobr.

Octobr. hujus anni ad finem currentis. De nativitate ejus *Theatri Europ. Tomus XV. Relat. Francoſ. Vernal.* 1697. *p.* 66.

A. C. 1697. CLADES TVRCARVM PROPE ZENTAM AD TIBISCVM. Gravis hæc clades fuit, quam Barbari ab exercitu Chriſtiano ſub Duce EVGENIO SABAVDO illatam acceperunt. Hos enim perfractis eorum munitionibus, Chriſtianus miles caſtris exuit, cæſis ac partim in amne ſuffocatis prope 30000 hoſtium, captâque ingenti prædâ. Prolixior prælii hujus hiſtoria extat in *Theatri Europ. Tomo XV. fol.* 119. *ſeqq.* & *Relat. Hiſtor. Francoſ. Vernal.* 1698. *p.* 17.

PAX RYSVICENSIS. Poſtquam ſuperiore anno Dux Sabaudus pace ſeorſim cum Rege Galliæ confectâ à partibus diſceſſit, fœderati quoque jam ad pacem proniores, tam funeſto bello finem imponere decreverunt. Nec Rex Galliarum abnuebat. Itaque ad tractandum hoc negotium deſtinatus locus congreſſibus Ryſvicum, arx in Hollandiæ finibus medio loco inter Delphos & Hagam Comitum ſita. Ibi non uno quidem eodemque tempore omnes confœderati cum Rege pacem concluſerunt. Prius enim cum Batavis & Hiſpanis jam menſe Septembri hujus anni negotium confectum eſt, non iniquis conditionibus. Sequuti ſunt Britanni: & denique etiam Imperator & Imperium in pacis leges qualescunque menſis demum Octobris die 30. St. N. poſt longam tergiverſationem conſenſit; easque poſt mediam noctem legati Cæſarei & Regii, nec non eorum Imperii Principum, qui propius potentiæ Gallicæ expoſiti ſunt, ſubſcripſerunt, cæteri unà cum Legatis Mediatorum ſubſcribere recuſantes diſceſſerunt. Hanc autem Mediationem ſuſceperat Rex Sueciæ Carolus XI. qui quidem ante concluſionem tractatuum mortuus, gloriam confecti operis filio ſuo Carolo XII. tum adhuc minorenni reliquit. *Batavi*, cùm nihil haberent, quod repeterent, in ſuis poſſeſſionibus juribusque confirmati, tantum Arvernorum Comiti occupatum à ſe per id bellum *Marchionatum Bergæ ſupra Somam* reddere juſſi. *Hiſpanis* reſtituta ſunt pleraque cùm in Cataloniâ tùm in Belgio; in illâ *Barcino*, *Rhoda*, &c. in hoc *Lucemburgum*, *Carologium*, *Mons Hannoniæ*, *Atha*, *Curtracum*, &c. urbes munitiſſimæ. *Wilhelmus M. Brittaniæ Rex* pro tali agnitus à Rege, etiam *Principatum Arauſionenſem* ab eo recepit. Imperii verò uti ſerior pactio, ita deteriores erant conditiones. Nam quanquam *Domui Auſtriacæ* Friburgum Brisgoviæ, Briſacum ad Rhenum, & *Imperio* Philippoburgum, caſtrum munitiſſimum, reddere pacti ſunt Galli, nec

non

non *Statibus quibusdam ſingularibus*, reſtitutionem in occupatas à ſeditiones atque oppida promiſerunt; peſſimè tamen proſpectum ſibi querebantur Germani, quòd Argentina Vrbs per hanc pacificationem in poteſtate Gallorum manſit, pleno jure in perpetuum illis ceſſa. Præterea Principes & Status Proteſtantes in Germaniâ malè habuit clauſula Articulo IV. pacificationis annexa, quâ cautum, ut in locis à Rege Galliæ reſtitutis deinceps religio Romano-Catholica, in eo quo tunc erat ſtatu, retineretur: in quam quidem clauſulam multi conſentire conſtanter recuſabant, & ad hunc diem querelis de ea & proteſtationibus non eſt finis. Plenior hujus Pacificationis Ryſvicenſis hiſtoria peti debet ex *Theatri Europ. Tomo XV.* item ex *Relat. Hiſtor. Continuatione Vernali* 1698. Cœperat etiam hiſtoriam Tractatuum pacis Ryſvicenſis ſeorſim illuſtrare *Dn. Du Mont*, inſigni opere, cui titulum fecit: *Memoires politiques pour ſervir à la parfaite intelligence de l'hiſtoire de la paix de Ryſvic*: in quo altius exorſus inde à temporibus Pacis Weſtphalicæ hiſtoriam deducit, & Acta publica præſertim exhibere ſtuduit. Et hujus operis ante hoc ſexennium jam 4. tomi publicam lucem aſpexerunt; quorum quidem ultimus nondum ad ipſum tempus pacificationis Ryſvicenſis pertingit; utrum autem interim abſolutum ſit illud ſcriptum, equidem compertum non habeo. Quodammodo etiam huc pertinent *Ahasveri Fritſchii Annotationes ad Pacem Novimagenſem & Ryſvicenſem*, 3. Voluminibus in 4°. editæ, in quibus itidem magnâ ex parte Acta publica producuntur. De hac verò Pace Ryſvicenſi jam tùm plerique malè ominabantur. Certè ea licèt tam operoſis tractatibus parta, tam jurata, vix tamen ultra biennium duravit, per occaſionem mortis Caroli II. & ſucceſſionis in Monarchiam Hiſpanicam, præcipuis Europæ Principibus denuo in arma excitis.

A. C. 1698. Ernestus Augustus *Dux Brunſ. & Lunæb. S. R. I. Elector, Epiſcopus Oſnabrugenſis, moritur die* 23. *Jan.* poſt diuturnum morbum, anno ætatis 69. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 442. ubi breviter vitæ ejus curriculum exhibetur. *Succedit in Electoratu filius* Georgius Ludovicus, in eundem inveſtitus à Cæſare, fruſtra id impedire conantibus Principum Correſpondentium, quos vocabant, legatis Ratisbonæ, & Villario, legato tum Gallico in Aulâ Cæſareâ. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 514.

A. C. 1699. Pax Carlovicensis *inter Imper. Rom. & fœderatos cum Turcâ.* Poſt 16. annorum bellum confecta eſt tandem hæc pax, mediantibus Anglico & Hollandico legatis, cujus tractatus jam menſe Novembri anni præcedentis cœpti propè Carlovicium in ædifi-

ædificio ad hoc ipſum exſtructo , & ad hos congreſſus idoneo , in patenti campo. Primi inter ſe de pace convenerunt *Imperatores , Chriſtianus & Turcicus*, in 25. annos pacti. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 388. & per hanc pacificationem Cæſar pleraque omnia retinuit, quæ in eo bello armis ſuis occupaverat, totiusq; ferè Hungariæ potitus eſt, deſignatis poſtea utrinque Imperii terminis. Ipſos articulos pacis hujus vide in *Theatri Europ. Tomo XV. fol.* 518. *ſeqq.* & in *Relat. Hiſtor. Francof. Vernal.* 1699. *p.* 33. *ſeqq.* Cum *Polonis* quoque eodem tempore pax coiit, & articuli ejus utrinque ſubſcripti exhibentur in *Theatr. Europ. fol.* 523. Præcipuum in illis eſt reſtitutio Caminieci in Podoliâ. *Veneti* aliquandiu tergiverſati , tamen & ipſi poſtea in eas pacis leges conſenſerunt , quæ leguntur in *Theatr. Europ. fol.* 526. & *Relat. Francof. Hiſtor. Autumnal.* 1699. *p.* 46. per quas & hæc Reſpubl. ditiones ſuas magnis acceſſionibus , præſertim totius Moreæ confirmatâ ſibi poſſeſſione, auxit. *Cum Moſchu* tum quidem tantùm armiſtitium in biennium concluſum ; cujus articuli *ibidem fol.* 528. & in *Relat. Francof. Autumnal. p.* 43. Sed & hæ induciæ poſtea in pacem 30. annorum mutatæ , non ultra decennium tamen duraturam.

JOSEPHVS REX ROM. *ducit* WILHELMINAM AMALIAM *è Domo Brunſuicenſi*, filiam nempe *Johannis Friderici Hannoverani*, & Sororem *Charlottæ Felicitatis*, Duci Mutinenſi nuptæ. Ceremoniæ cùm exceptionis Ejus in adventu Viennæ, tum ipſarum nuptiarum, Mutinæ prius celebratarum , ſolennia , prolixè deſcribuntur in *Theatr. Europ. Tomo XV. fol.* 451. *ſeqq.* & *Relat. Hiſtor. Francof. Vernal.* 1699. *cap.* I.

JOSEPHVS FERDINANDVS , *Electoris Bavariæ ex Auſtriacâ filius, moritur.* Dictum jam ſupra, ubi de morte Matris ejus , paulò poſt puerperium defunctæ. Erat autem Mater ejus *Maria Antonia* , Leopoldi Cæſaris & Margarethæ Thereſiæ Hiſpanæ filia , Philippi IV. Regis neptis : adeoque ipſe Princeps ejusdem Regis pronepos , & ſucceſſioni in Monarchiam Hiſpanicam poſt mortem Caroli II. deſtinatus. Sed cùm parùm ultra ſexennium vixiſſet, moriens ſpem hanc deſtituit ; cujus ut vita Europæ quieti potuiſſet conſulere, ita mors ad alia longè conſilia animos excitavit. De quâ morte ejus, in decimum ſextum Februarii incidente, *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 548.

A. C. 1700. BRISACVM REDDITVR. Hæc urbs in Briſgoiâ opportuno loco ad Rhenum ſita, cùm eſſet olim ditionis Auſtriacæ, in bello tricennali anno 1638. à Bernhardo Vinarienſi poſt longam obſidionem fame expugnata , & poſt mortem hujus Ducis præſidiariis Gallis firmata, per pacem Weſtphalicam Regi pleno jure conceſſa fuerat. Nunc autem ex formulâ pacis Ryſvicenſis Cæſari re-

Digitized by Google

ſtituenda, poſt aliquam moram à Gallis tandem evacuata, & Cæſareum præſidium immiſſum eſt die 5. Aprilis 1700. Sed validiſſimum hoc Rheni ſuperioris clauſtrum non diu in Cæſaris manibus fuit, in bello, quod ſecutum eſt, à Gallis receptum die 8 Sept. anno 1703. [poſt pacem verò Raſtadii & Badæ concluſam die 18. Januar. 1715. Cæſari redditum.]

Ad RES ECCLESIÆ hæc pertinent:

MOLINOSIVS QVIETISTARVM AVCTOR *obit.* De Quietiſtarum Secta jam ſupra dictum eſt ad annum 1685. & per eam occaſionem de Molinoſio. Mortuus autem ille eſt hoc anno 1696. die 18. Octobris, non, ut in prioribus Tabularum noſtrarum editionibus, 1692. quanquam etiam in *Theatri Europ. Tom. XIV. fol.* 430. & in *Caroli Memorab. Eccleſ. libr.* 10. *cap.* 18. *p.* 607. ad annum 1692. Molinoſii obitus refertur. Sed in *Relat. Hiſtor. Francof. Vernal. ad* 1696. annum memoratur; item à *Buddeo in Lexico.* Obiit autem in carcere S. Officii, ut vocant, in quo inde ab anno 1687. aſſervatus fuerat; ſententiæ ſuæ interim tenax, quam revocare conſtanter recuſavit. Plura de hoc Michaële Molinos videantur in *Theatri Europ. Tomo XIII. fol.* 206. *ſeqq.* Item, in *Buddei Lexico Hiſtor. Vniverſ. ſub voce Molinos.* Neque tamen poſt mortem quoque aſſeclas habere deſiit; quod apparuit in cauſâ *Franc. Fenelon de Salignac*, *Archiepiſcopi Cameracenſis.* Quò ſpectat etiam ſequens lemma in Tabulâ hac: QVIETISMVS IN GALLIA; & illud alterum: 1699. BVLLA PONTIFICIA *contra librum Archiepiſcopi Cameracenſis*: nam hæc cohærent. Ediderat Archiepiſcopus iſte librum cum titulo: *Explication des maximes des Saints ſur la vie interieure*: in quo quia doctrinam myſticam de amore puro vehementer urgebat, & ſtatum indifferentem ſeu quietem animæ, tanquam ejus perfectionem, magnopere prædicabat, Quietiſmi ſe ſuſpectum fecit. Cui proinde controverſiam ob hoc moverunt Archiepiſcopus Pariſienſis *Noaillius*; Epiſcopus Meldenſis *Boſſuetus*, & Epiſcopus Chartrenſis [Carnutenſis] *Gobetus*; editâ declaratione adverſus ipſum, quod Molinoſii dogmata amplecteretur & propagaret; ipſo ſe non minus ſtrenuè defendente: cùm & nonnulli ex Sorbonâ Doctores ab ejus partibus ſtarent. Quia verò Archiepiſcopi adverſarii in Aulâ regiâ prævalebant, factum eſt, ut ad Regem primò, & ab eo ad Pontificem controverſia deferretur. Hic verò diu dilatâ ejus deciſione, propter multas, quas inveniebat, difficultates, urgente interim per literas Rege, tandem die 12. Martii 1699. Breve Pontificium promulgavit, in quo 23. propoſitiones ex libro Archiepi-

Digitized by Google

chiepiſcopi Cameracenſis excerptæ, tanquam erroneæ & Quietiſmum ſapientes, condemnantur. Plenior hujus controverſiæ narratio videatur in *Theatri Europ. Tomo XV. fol.* 644. ubi etiam Breve illud Pontificium exhibetur, uti & in *Dan. Hartnacci Continuatione Hiſtor. Eccleſ. Micralii Part. 3. Sect. 1. Art. 3. pag.* 2053. ubi plura de hac controverſia Archiepiſcopi Cameracenſis. *Buddeus in Lexico Hiſtor. ſub voce:* Quietiſten. *Relat. Francof. Vernal. 1698. pag. 32. & Autumnal. de anno 1699. pag. 29. & 69.*

A. C. 1697. PERSECVTIO *contra recens converſos in Galliâ.* Speraverant quidem iſti homines, mitiùs ſe habitum iri poſt concluſam pacem, & remiſſum iri aliquantùm gravem illam coactionem, poſtquam & Arauſionenſes exules ex fœdere pacis reſtituti ſunt. Sed res ſecus accidit Quanquam enim ſupplicem libellum patheticis verbis conceptum, in ſubmiſſiſſimis terminis Regi obtulerunt; tantùm tamen abeſt, ut quicquam obtinerent, ut potius graviùs longè deinceps afflicti, præſertim ii, qui negotiorum cauſâ Arauſionem commeabant, omnem conſcientiæ libertatem prorſus amitterent, novis edictis Regiis ademtam. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 364. 487. 497. *ſeqq.* 813. *Relat. Francof. Vernal.* 1698. *pag.* 51. *ſeq. &c.*

A. C. 1700. ANNVS JVBILÆVS ROMÆ CELEBRATVS, *Cardinali Bullionio loco Pontificis ceremoniam peragente.* Optabat quidem Innocentius XII. Papa, ut ipſe poſſet hoc munere defungi, publicato prius ubique Jubilæo, paratusque ut ſtatuto tempore, i. e. 24. Decembr. portam Sacram, quam vocant, ipſe, pro more, aperiret, & cætera Solennia perageret; ſed ingraveſcente valetudine, 85. annorum Senex non potuit votum ſuum implere. Itaque poſt aliquam ea de re diſceptationem, Cardinali Bullionio, tanquam Decano S. Collegii id negotii demandatum eſt, novo exemplo, cum nunquam antehac niſi à Pontifice ipſo id factum eſſet. Cætera ut in aliis Jubilæis peracta. De quibus vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 661. *ſeqq. & Relat. Hiſtor. Francof. Vernal.* 1700. *pag.* 46. Clauſit tamen poſtea S. Portam & Jubilæum Succeſſor ejus Clemens XI. *Theatr. Europ. pag.* 860.

REFORMATIO CALENDARII PER EVANGELICOS. Poſtquam anno 1582. Gregorianum Calendarium, etiamſi revera correctius, tum non eſt receptum à Proteſtantibus, ideo quòd à Papâ obtrudebatur, cujus auctoritatem illi non agnoſcebant, retinentibus interim Calendarium vetus Julianum; propter multa tamen incommoda ex diverſorum faſtorum uſu emergentia, per hoc tempus exeunte Se-

 culo

vat, proclamatus fuit, Clementem XI. ſe dici voluit: & ab eo tempore usque huc S. Sedem occupat, Vir circumſpectus & Speculator occaſionum. Cum Cæſare interim Leopoldo & Succeſſoribus filiis negotium ſibi contraxit nondum finitum, ex controverſiâ de poſſeſſione Comachii: ſubinde etiam aliquos inſultus militum Imperialium in ſuis ditionibus pati coactus, denique tamen Carolum Auſtriacum pro Rege Hiſpaniæ agnovit, offenſionem Philippi V. inde meritus. Nunc intentus ad eventum rei, medium ſe gerere videtur. De morte Innocentii XII. & electione Clementis XI. vid. *Theatri Europæi Tomus XV. fol. 857. ſeqq. & Relat. Hiſt. Francoſ. Vernal.* 1701. *cap. 3. pag. 38. ſeqq.*

Quæ ſub Titulo VARIORVM habentur, ad finem usque Seculi XVII. hæc ſunt:

A. C. 1697. CAROLVS XI. REX SVECIÆ *obit. Succedit* CAROLVS XII. De geſtis Caroli XI. in præcedentibus aliqua diximus, quantum inſtitutum noſtrum patiebatur, & per compendium exponitur vitæ ejus curriculum in *Relat. Francoſ. Hiſtor. Auctumnal. ad hunc annum pag.* 74. ubi de morte ejus. Obiit autem die 5. (15. April. adeoque ante confectam Ryſvicenſem pacem, cujus ipſe Mediator, & filio hoc negotium reliquit. Mortem Regis præceſſit fames ingens in Sueciâ, & ſecuta eſt conflagratio arcis Regiæ Holmiæ. Succeſſit ergo filius ejus unicus ſuperſtes, ex Vlricâ Eleonorâ Danâ natus, tum 15. annorum puer, tutelam ejus interim & regimen ſuſcipientibus Aviâ & V. Conſiliariis regni, ex teſtamentariâ conſtitutione Patris. Hujus Regis hodie viventis hiſtoriam & varia fata exponere, integrorum librorum res eſt; quanquam ipſe hoc tempore non ultra 30. annos natus eſt. Is poſtquam in bello Saxo-Polonico, Moſcovitico, Danico arma circumtulit, victor diu, & ad hoc tempus per aliquot jam annos exul regni ſui, magnis interim rebus geſtis, victorias tamen ſuas unâ clade Pultavenſi corrupit, ex eâ in Turcicam ditionem fugere coactus, per triennium in barbara urbe Bender, quaſi ſub clientelâ Sultani Turcici agit; an unquam ſuum regnum reviſurus, dies docebit. Hæc ergo & cætera ampliſſimam Annalium Scriptoribus materiam ſuppeditant, & partim in *Relationibus Hiſtor Francof.* per hos annos deducta leguntur. De morte autem Caroli XI. & ſucceſſione Caroli XII. vid. *Theatr. Europ. Tom XV. fol.* 275. *ſeqq. & Relat. Hiſtor. Francof.* [Hoc ipſo anno, quo hic Commentarius beati Auctoris publicè editur, Rex Carolus XII. miro

providentiæ divinæ exemplo, è Turciâ in Pomeraniam ſuam rediit ſalvus & incolumis: cui ac regno ipſius propitius DEVS pacis Solem, diſcuſſis bellorum nebulis, quæ Arctoum Orbem adhuc turbarunt, pleno jubare propediem refulgere jubeat!]

FRIDERICVS AVGVSTVS *Elector Saxoniæ* REX POLONORVM *eligitur.* Poſt mortem ultimi Poloniæ Regis Johannis III. annuum ferè interregnum fuit. Menſe demum Majo hujus anni 1697. ad electionem novi Regis ventum eſt: quæ quidem turbulentiſſima fuit. Reliquerat quidem Rex Johannes filios 3. Sed illi mox lege latâ, ne Piaſtus eligeretur, excluſi ſunt. Inter plures Candidatos exteros prævaluerunt *Franciſcus Ludovicus Contius*, Regii Sanguinis in Galliâ Princeps; (qui poſtea die 21. Febr. 1709. obiit) & *Elector Saxoniæ Fridericus Auguſtus*, qui quidem poſtremus acceſſit competitor, & tamen tandem palmam abſtulit: poſtquam prius ejuratâ religione Evangelicâ, quam majores ejus conſtanter profeſſi ſunt, Pontificiæ Eccleſiæ membrum ſe legitimavit. Quanquam enim Contii factio potens erat, & ſuffulta auctoritate Cardinalis Radziowskii, regni Primatis, qui & eundem Contium Regem primò proclamavit; tamen multis ſubinde ab eo ad Saxonis partes transgreſſis, hic à majori numero Senatorum & ipſe Rex declaratus, copiis ex propinquo in fines Poloniæ immiſſis, jus ſuum ſtabilivit, profligato etiam Contio, qui cum claſſe appulſus jam ad Monaſterium Olivæ propè Dantiſcum venerat. Memorabilia circa hanc electionem acta, & cætera quæ conſecuta ſunt, prolixius leguntur in *Theatr. Europ. Tom. XV. fol. 285. ſeqq.* *Relat. Hiſtor. Francof. Autumnal. ad hunc annum Tit. IX.* Hic igitur, Auguſtus II. inter Reges Poloniæ dictus, hodie adhuc regnum id obtinet, ſed toto regiminis ſui tempore turbatum: quo quanquam aliquandiu, per pacificationem Altranſtadenſem abdicato, caruit, tamen receptâ denuo ejus poſſeſſione, hodie regnat. Geſta ejus multa ſunt, & fata varia, quæ hic breviter enarrari non poſſunt. Sunt autem recentis memoriæ res, &, ſi cui id placet, partim repeti poſſunt ex *Relationibus Francofurt.* inde ab eo tempore continuatis, &c.

DVX BVRGVNDIÆ *ducit* MARIAM ADELHEIDEM PRINCIPEM SABAVDAM, Victoris Amadei II. filiam, tunc 12. annorum virgunculam, cùm ipſe Sponſus, Regis Galliæ & Delphino Ludovico XV. nepos, eſſet 15. modò annos natus. Hoc matrimonium ſimul etiam pacis, inter Regem & Sabaudum ſeparatim concluſæ ante pacificationem generalem, quaſi pignus fuit; nec deinde infœcundum. Et idem Dux Burgundiæ poſt mortem Patris die 14. April. 1711. defuncti, Del-

Digitized by Google

phinus factus erat; ſed non integro anno ei ſupervixit, quatriduique intervallo ſecutus obitum uxoris, præmaturo fato deceſſit; conjuges hi nec in morte diremti, ſimul ſepulti ſunt. Quin etiam filius eorum primogenitus, Ducis Britanniæ titulo pridem inſignitus, puer tum 5. annorum, poſt Patris mortem Delphinus declaratus à Rege, paulò poſt & ipſe moriens die 8. menſis Martii, tertius intra annuum ſpatium Delphinus, Regiam Domum magis funeſtavit. Supereſt per Dei gratiam alter filius, Dux Andegavenſis dictus, nunc Delphinus, & viventi etiamnum feliciter Proavo, memorabili exemplo, Succeſſor deſtinatur. De nuptiis Parentum Lutetiæ ſolenniſſimè & magnâ pompâ celebratis, vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol. 365. ſeqq. & Relat. Francof. Vernal. 1698. pag. 56. ſeqq.*

A. C. 1698. PETRVS ALEXIOWITZ, MAGNVS DVX MOSCOVIÆ *per Germaniam, Belgium & Angliam peregrinatur.* Hic magnus Princeps hodie regnans, ut eſt exterorum amator, conſilium cepit hoc tempore illis gentibus rarum, peregrinandi ad exteros, & incognitò, quod ajunt, aulas quaſdam Europæ viſitandi. Legationem itaque ſolennem deſtinavit, cujus ipſe caput ſe profitebatur, & cum eâ egreſſus finibus ſuis, primùm Regiomontem in Boruſſiâ venit, ubi tunc Aula Brandeburgica erat: inde in Hollandiam profectus, transfretavit in Angliam; unde redux in Hollandiâ multos artifices, præſertim nauticæ rei peritos, ſtipendio ſibi adſcivit, in Moſcoviam ſecum abducendos: hinc continuato per Germaniam itinere, Dreſdam, viſisque paſſim memorabilibus Viennam ſe contulit ad Aulam Imperialem, ut paſſim alibi, ita præſertim à Cæſare honorificentiſſimè exceptus. Inde digreſſus, facto per Poloniam itinere, poſt colloquium cum Auguſto Rege habitum, in Moſcoviam ſuam & Sedem imperii Moſcuam rediit, poſt 18. ferè menſium peregrinationem. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XV.* inprimis *fol. 471.* & in *Relat. Hiſtor. Francoſ. ad hunc & ſeq. annum.* Exequitur etiam hujus peregrinationis hiſtoriam Auctor libri, qui ante hoc biennium prodiit, ſub titulo: Leben und Thaten Petri Alexiewitz, Czars von Moſcau / qui Francof. 1700. 2. Tomis in 8. impreſſus eſt.

CAROLVS JOSEPHUS LOTHARINGIÆ DVX, *Epiſcopus Olomucenſis, eligitur* EPISCOPVS OSNABRVGENSIS. Eſt hic Carolus Joſephus, frater Leopoldi Ducis Lotharingiæ regentis, & cùm, mortuo Erneſto Auguſto Lunæburgico, qui huc usque Oſnabrugenſem Epiſcopatum obtinuerat, ex lege alternationis in Inſtrumento pacis Weſtphaliæ ſancita, Pontificius Epiſcopus in hanc diœceſin ſuccedere deberet, in Epiſcopum ſingulari ratione electus eſt, cùm unum modò

ſuffra-

Digitized by Google

ſuffragium haberet. Nam cùm diviſa eſſent ſuffragia Canonicorum, 8. ex iis *Baronem de Metternich*, & totidem aliis *Baronem de Wachtendonck* nominantibus, unum duntaxat ſupererat Lotharingo datum. Neutro igitur ex illis prævalente, tum Metternichius ſuum ſuffragium, ſimulque 8. illa, quibus ipſe deſtinabatur, in Lotharingum contulit; quod ubi vidit Wachtendonckius, idem fecit: atque ita Lotharingus uno ſuffragio cætera omnia lucratus eſt. Quia verò nondum habebat canonicam ætatem, adminiſtratio interim Metternichio commiſſa eſt. Et hic Princeps ſuperiore anno 1711. etiam *Archiepiſcopus & Elector Trevirenſis* factus eſt, Olomucenſi tamen Epiſcopatui renuntiare juſſus, retento Oſnabrugenſi. Vid. de electione hac *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 442.

FRIDERICI DVCIS HOLSATIÆ *cum* HEDWIGE SOPHIA, REGIS SVECI FILIA, *nuptiæ*, celebratæ ſunt Carlsburgi in Sueciâ, principio Junii hujus anni, ſine magnâ pompâ, atratâ adhuc aula propter mortem Regis. Ex hoc matrimonio natus anno ſeq. filius, & in Sueciâ poſtea educatus, ſucceſſioni regni ejus deſtinatur, per cœlibatum Regis, & hodie Holmiæ commoratur. De nuptiis his vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 406. *& Relat. Hiſtor. Francof. Autumnal.* 1698. *p.* 67.

DVX LOTHARINGIÆ GALLIÆ REGIS FRATRIS FILIAM *domum ducit*, poſtquam paulò ante Ducatûs ſui poſſeſſionem ceperat, per pacem Ryſvicenſem reſtituti. Solennia nuptiarum deſcribuntur in *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 442. *& Relat. Hiſtor. Francof. Vernal.* 1698. *pag.* 56. *ſeqq.*

A. C. 1699. LINEA SAXO-COBVRGICA IN ALBERTO EXTINGVITVR. Erat hic Princeps Erneſti Pii Saxo-Gothani Filius, totius Erneſtinæ Lineæ Senior, ex cujus die 6. (16.) Aug. defuncti morte nata controverſia de Succeſſione inter reliquos Saxonicos Principes, quod ego ſciam, nondum finita eſt. Saxo-Gothanus quidem Dux Fridericus ſuperiore anno 1711. die 29. Januar. Coburgi urbis poſſeſſionem arripuit, immiſſo in eam præſidio. De morte Alberti vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 889.

MARIA SOPHIA ELISABETHA PALATINA REGINA PORTVGALLIÆ *obit*, die 4. Aug. anno ætatis 33. ex perforatione auriculæ, ut ajunt, cui annulum inſertura erat, nato tumore & febri extincta, ſuperſtites ſibi relinquens 4. filios & 2. filias. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 658. *Relat. Hiſtor. Francof. Vernal.* 1700. *p.* 60.

DVCI SABAVDIÆ *Filius naſcitur* PHILIPPVS JOSEPHVS. Dictus eſt hic recens natus Princeps, *Victor Amadeus Philippus Joſephus*, & miror

miror hic poſteriora duo nomina tantùm poni, cùm priora prævaleant, ita ut Patri cognominis ſit. Quoniam hactenus filio caruerat Dux Sabaudiæ, eò majore lætitiâ celebrata eſt hæc nativitas: & Pater propterea imaginem pueri, ejusdem, quo ille tunc erat, ponderis, i. e. 122. unciarum, fieri fecit, quam Vercellis in Capellâ S. Amadei de Sabaudià dedicavit. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol. 666.* Vivit hodie hic Princeps Pedemontanus, i. e. heres Ducatus Sabaudiæ. [menſe Martio anni 1715. fato defunctus eſt.]

CHRISTIANVS V. REX DANIÆ *obit. Succedit Filius* FRIDERICVS IV. Obitus Regis incidit in diem 4. Septembr. hujus anni, qui erat ætatis ejus 54. Filius Fridericus IV. hodie regnat, qui fœdere cum Móſchis & Auguſto Rege Poloniæ & Saxoniæ Electore implicitus, bellum grave adhuc adverſus Suecos gerit. De morte Chriſtiani V. & ſucceſſione Friderici IV. Vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol. 629. ſeqq.*

A. C. 1700. VALIERIVS DVX VENETVS *moritur. Eligitur in ejus locum* MARCVS ANTONIVS MOCENIGO. *Valierius* quidem, celebratis 6. ante hebdomadas ceremoniis deſponſationis cum mari Adriatico, apoplexiâ correptus obiit die 5. Julii, poſtquam 6. annos & 4. menſes Ducatum reip. geſſiſſet. *Mocenigus* verò (cui prænomen Marci Antonii in hac Tabulâ tribuitur, cùm tamen Aloyſius dictus ſit) paulò minus 9. annos præfuit; quippe mortuus eſt die 6. Maji 1709. Succeſſorem nactus JOHANNEM CORNARVM, hodiernum Venetorum Ducem. De Valierii morte & ſucceſſione Mocenigi vid. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol. 862. Relat. Hiſtor. Francof. Autumnal.* 1700. *pag.* 44.

WILHELMVS DVX GLOCESTRIÆ *moritur.* Erat hic Wilhelmus Gloceſtriæ Dux haud dubiè heres futurus regnorum M. Britanniæ; quippe Annæ, Jacobi II. filiæ, hodiernæ Reginæ, quæ Georgio Daniæ Principi nupta erat, filius, ſpes & delicium non Parentum modò, ſed totius populi Britannici. Sed ille, cùm paucis ante diebus duodecimum ætatis annum ingreſſus eſſet, ſpem de ſe conceptam ſubitâ morte deſtituit die 9. Aug. 1700. & ſucceſſionem in incerto tum reliquit. De ejus morte *Theatr. Europ. Tom. XV. fol. 806.*

CAROLVS II. R. HISP. *moritur*, die 1. Nov. 1700. poſtquam vixiſſet annos 39. minus 6. diebus, & Rex fuiſſet 35. annos. Mortis ejus, quæ novum Seculum initio ejus funeſtavit, circumſtantias narratas vide in *Theatr. Europ. Tom. XV. fol. 825.* Hic Rex ferè totâ vitâ valetudinarius fuit. Ideoque diu antè formidata mors ejus, ſed in hunc diem fatorum lege decreta, omnem ſtatim Europam con-

 cuſſit,

Digitized by Google

cuſſit, & infinita luctuoſiſſimi belli mala poſt ſe traxit, quæ adhuc ſenſimus. Nam controverſia de ſucceſſione in Monarchiâ Hiſpanicâ, ille nodus Gordius erat, quem jam diu prudentiores ominabantur, nonniſi gladio ſolutum iri. Nam cùm Rex eſſet improlis, neque maſculæ ſtirpis cognatum ſuperſtitem haberet, ad fœminas res rediit, Sorores nempe Caroli, quas habuit duas; *primogenitam Ludovico XIV. Galliarum Regi nuptam, Mariam Thereſiam*; unde natus *Delphinus Ludovicus XV.* Pater trium filiorum futurus: *alteram Margaretham Thereſiam, Leopoldi I. Imperatoris Conjugem*; ex quâ nata *filia Maria Antonia, Electori Bavariæ nupſit*, eique filium peperit *Joſephum Ferdinandum*, anno 1699. iterum defunctum. Itaque Gallicorum Principum potius erat Jus, quippe ex primogenitâ deſcendentium; niſi quòd hæc Regi Galliæ nubens ſolenniſſimè renunciaverat omni Juri in ſucceſſionem Hiſpanicam: & Auſtriaci inſuper allegabant pro ſe teſtamentum Philippi IV. Regis, quod Margarethæ poſteritati ſucceſſionem deſtinat, Gallicam ſtirpem ab eâ omnino excludens. Cauſam totam & monumenta ejus hic excutere noſtrum non eſt. Diſputatum de eâ integris Scriptis & gladiis ſtrictis. Quanquam enim vivo adhuc Rege Hiſpano, ut orituris ex tantâ lite malis in tempore occurreretur, tentata eſt conciliatio partium, per tractatum de Partitione Monarchiæ Hiſpanicæ, confectum & ſignatum à Regibus Galliæ & Angliæ & Fœderatis Batavis (cujus Receſſus exhibetur ad verbum in *Theatri Europ. Tomo XV. fol.* 818. *ſeqq.* & breviter ejus contenta in *Relat. Hiſtor. Francof. Vernal.* 1701 *p. 61.*) tamen poſtquam deinde defuncti Regis Caroli teſtamentum (cujus integra formula, ex verſione quidem Germanicâ, extat *ibid. fol.* 827. & argumentum ejus in *Relat. Hiſtor. Francof.* 1701. *p. 64.*) productum eſt, quo PHILIPPVS, Secundogenitus Delphini Filius, DVX ANDEGAVENSIS, omnium regnorum ejus & ditionum heres inſtituitur; tum REX LVDOVICVS pactis illis amplius ſtare recuſabat; quin potius Nepotem illum ſuum ſtatim in Hiſpaniam miſit, ad adeundam tam opimam hereditatem, & ad occupandum vacuum in Hiſpaniâ thronum, qui auxiliis Avi Regis fultus, & hoc regnum & cætera extra Hiſpaniam facilè occupavit. Cùm interim LEOPOLDVS CÆSAR pro ſuo filio natu minore ſolicitus, poſtquam eum Regem Hiſpaniæ Viennæ ſolenni proclamatione declaravit, CAROLVM III. dictum, eodem, ſed ſerius, miſit, opibus Anglorum & Batavorum inſtructum. Hi enim ſpretos à Gallo tractatus partitionis indignati, & regni Hiſpanici cum Gallicis viribus conjunctionem, tanquam ſuis rebus nimis periculoſam, impedire conantes, interim cum Cæſare

fœdus

fœdus inierant; cui poſtea Luſitaniæ Rex acceſſit. Inde ad arma ventum, & in partes tracti plerique Europæ Principes. Quantum hoc bello, jam in duodecimum, dum hæc ſcribimus, annum tracto, ſanguinis fuſum ſit, nec deplorari ſatis, nec dici hic poteſt. Illud quod adhuc in Tabulâ noſtrâ ad hunc annum Seculare 1700. refertur, LVDOVICI XIV. GALLIÆ REGIS EX DELPHINO NEPOS, REX HISPANIÆ CORONATVR, DICTVS PHILIPPVS V. non ſatis accuratè dictum eſt: non enim coronatus, ſed tantùm proclamatus eſt à Regentibus, ipſe tum adhuc abſens, die 24. Nov. Firmata interim Philippo V. poſſeſſio regni Hiſpaniæ & Indiarum Carolus verò Auſtriacus (poſt id Imperator) titulo quidem Regis Hiſpaniæ utitur; de totâ verò Monarchiâ Cataloniam duntaxat, & in Italiâ regnum Neapolitanum & Mediolanenſem Ducatum, partemque Belgii Hiſpanici ad hoc tempus ſibi vindicavit armis, quorum furor nondum deſæviit. Nos eventum Deo commendamus, eumque ſupplices rogamus, ut deſideratam populis pacem tandem aliquando reſtituat. [Quem in locum interim res duorum iſtorum Coronæ Hiſpanicæ Competitorum Pax Vltrajecti, Raſtadii ac Badæ Helvetiorum concluſa redegerit, ex ipſis Pacis illius tabulis diſcere licet.]

Nihil jam amplius ſupereſt,
quàm ut VIROS CELEBRES recenſeamus,
qui poſtremos Seculi hujus annos emortuales habuerunt.

Nominantur autem in hac Tabulâ,

A. C. 1697. JOH. BAPTISTA SANDOLIVS, (*Mr. de Santeuil*,) Canonicus Regularis Lutetiæ ad S. Victoris, Poëta Latinus inter Gallos celebris famæ; cujus hymni digni æſtimati ſunt, qui inter Sacra in Eccleſiâ canerentur. Mortuus eſt Menſe Auguſto hujus anni, Divione in Burgundiâ, quò comitatus erat Ducem Burbonium: cujus curâ etiam corpus defuncti Lutetiam deductum, in cœnobio Abbatiæ S. Victoris ſepultum eſt die 17. Octobris. Carmina ejus aliquoties, & Pariſiis ſemel edita ſunt 1697. ſub titulo: *Joh. Baptiſtæ Santolii Opera.* Vid. *Perrault Hommes Illuſtres Tom. II. p. 39. Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 380. *Buddei Lexicon Hiſtor. Vniverſale.*

A. C. 1698. JOH. HENR. HEIDEGGERVS, Doctor Theologus

Digitized by Google

ex Reformatis, & Profeſſor Tigurinus celeberrimus, plurimisque egregiis ſcriptis inclytus: inter quæ h. l. tantùm nominamus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinentia; Ejus *Hiſtoriam Patriarcharum*, & *Hiſtoriam Papatûs*. Cætera indicabit *Buddeus in Lexici Hiſtor. Univerſ. Append. p.* 14. Obiit vir doctiſſimus die 18. Januar. hujus anni, ætatis anno 65. Videatur pluribus *Hiſtoria Vitæ Joh. Henr. Heideggeri Ejusdem Exercitationibus Biblicis præmiſſa; & Hoffmeiſteri Hiſtoria Obitus Heideggeri.*

JOH. GEORG. KULPISIUS, Conſiliarius aulicus Cæſareus, nec non Duci Wirtembergico à Conſiliis Regiminis, olim etiam hic Argentorati Anteceſſor Juris fuit, non magis ſplendidiſſimis iſtis muneribus, quàm elimatiſſimis ſcriptis illuſtris, magnum in literato orbe nomen. Scripta ejus pleraque Jus civile & publicum, nonnulla & Hiſtoriam illuſtrantia, veris eruditionis æſtimatoribus in pretio habentur. Inter alia edidit etiam *Tomum Scriptorum Rerum Germanicarum*, qui impreſſus eſt hic Argentorati 1685. De quo vid. *Reimmann. Hiſtor. Liter. German. nova libr. 2. Sect. 3. Quæſt. 97.* [*Hiſtoria Rerum Friderici III. Imperatoris* ab Æneâ Sylvio, poſtea Papâ, Pii II. nomine inſignito, conſcripta, cujus editionem Illuſtris Boeclerus noſter jam molitus fuerat, in frontiſpicio iſtius Tomi occurrit.]

A. C. 1699. ERHARDUS WEIGELIUS, Conſiliarius Cæſareus & Palatino-Sultzbacenſis, Comes Palatinus Cæſareus, Solicitator Collegii Artis Conſultorum, Profeſſor Matheſeos & Senior Academiæ Jenenſis, in Mathematicis excellentiſſimus fuit: natus Weidæ in Nordgavia, mortuus hoc anno 1699. die 21. Martii, ætatis 74. Inter labores ejus decantatiſſimos ultimus ferè fuit emendatio & conciliatio Calendarii, in effectum demum deducta aliquot poſt mortem ejus menſibus. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol. 689.* Globus ejus miræ artis & magnitudinis, Regi Daniæ oblatus, quem vocavit Pancoſinon, prolixè deſcribitur in *eodem Tomo fol.* 108. Auctor fuit plurium novarum inventionum, nec non librorum, quos recenſet *Buddeus in Lexico Hiſtor. Univerſali.*

JOH. BENEDICTUS CARPZOVIUS, Doctor Theologus Lipſienſis celeberrimus, nec non Paſtor ad D. Thomæ ibidem, Scriptis Theologicis inclaruit, quæ indicat *Buddeus in Lexic. Hiſtor. Univ. ſub hoc nomine.* Mortuus eſt ſexagenarius, die 23. Martii. Eum poſt bimeſtre, nempe die 20. Maji ſecutus eſt frater FRIDERICUS BENEDICTUS CARPZOVIUS, Senator & Ædilis Lipſienſis, vir itidem in literaturâ celebris, qui ad edenda *Acta Eruditorum Lipſienſia* conſilium & operam contulit. De utroque vid. *Buddeus in Lexico d. l.* & *Theatr. Europ Tom. XV. fol. 689.*

P. ANT.

P. ANT. PAGVS ſeu *Pagi*, Ordinis Minorum Conventus S. Franciſci, Chronologus & Hiſtoricus famigeratiſſimus, & magni habitus ab eruditis, ſcripſit inter alia *Annales Eccleſiaſticos.* Mortuus eſt hoc anno Aquis Sextiis in Provinciâ octogenarius. *Theatr. Europ. Tom. XV. fol.* 690.

DANIEL NESSELIVS, ex Lunæburgicæ ditionis oppido Vltzen ortus, poſtea Doctor Juris creatus, vir in Jure publico præſertim & Hiſtoriâ non vulgariter doctus. Poſtea Viennam venit, factusque Legatorum quorundam Secretarius, in aulâ Cæſareâ innotuit, & anno 1679. in locum Lambecii vocatus ad munus Bibliothecarii Cæſarei, mutatâ hinc religione ad caſtra Pontificiorum tranſiit, quem porrò Leopoldus Imp. Conſiliarii titulo & Nobilitatis inſignibus ornavit. Hujus etiam Cæſaris juſſu *Lambecii Commentarios de Bibliotheca Vindobonenſi* in Epitomen contraxit. Vid. *Lexicon Buddei*, ubi mortuus eſſe dicitur anno 1700.

A. C. 1700. RAPHAEL FABRETTI, Vrbinas, vir doctiſſimus, & in antiquitatibus præſertim Romanis verſatiſſimus; cujus rei documenta dedit ſcriptis in publicum editis: cujusmodi eſt liber *de Agris & Aquæductibus veteris Romæ*, in 4to. Romæ 1680. Item, *de Columnâ Trajanâ Syntagma,* ibidem anno 1683. fol. *Apologema adverſus Jac. Gronovium*, Neapoli 1686. 4to. *Inſcriptionum antiquarum Explicatio*, fol. Romæ 1699. Mortuus eſt Romæ octogenarius, die 7. Febr. 1701. (Itaque malè in Tab. noſtra ſub anno 1700. ponitur tanquam ejus emortuali.) Elogia ejus vid. in libro, cui titulus: *Monumenta Veteris Antii.*

HENR. MEIBOMIVS, Junior, Ducis Brunſuicenſis Wolffenbuttelani Archiater, & Medicinæ Practicæ, Hiſtoriarum & Poëſeos Profeſſor in Academiâ Helmſtadienſi fuit, ipſe Lubecenſis. Libri, quos edidit, ſunt: *Scriptores Rerum Germanicarum* in 3. Tomis fol. Item, *Introductio ad Saxoniæ Inferioris hiſtoriam ab ultimis temporibus usque ad annum* 1701. *Notæ in Vogleri Introductionem univerſalem in Notitiam cujuscunque generis Scriptorum.* Mortuus eſt Helmſtadii 1700. die 26. Martii. *Buddeus in Lexico.* De diſtinctione inter Meibomios, iisdem ferè cognominibus ornatos, & iisdem muneribus functos, vid. ſupra p. 582. ad annum 1625.

CASP. COERBERVS. Hic inter Tabularum Chronolog. Schraderi Interpolatores & Continuatores unus, Helmſtadienſis itidem fuit, & vel eo nomine hic loci recenſeri meruit, cujus alia in rempubl. literariam merita mihi ſunt incognita. Hic ergo agmen claudet Virorum celebrium, qui usque ad finem ſuperioris Seculi floruerunt,

Digitized by Google

runt, & in his Tabulis recenſiti ſunt. Nam quin plures alii fuerint memoratu digni, quos Tabb. noſtræ omiſerunt, nemo inficias iverit. Sane hoc ipſo anno Jubilæo ex mortalium conſortio ſublati ſunt Viri celeberrimi, Vincentivs Placcivs, inſignis Operis *de Anonymis & Pſeudonymis* Auctor; Joh. Bapt. Helmontivs, Medicus famigeratiſſimus; item, Pater Aviano, miraculorum & Sanctitatis opinione longè lateque celebratus, cujus epitaphium ſcribere ipſe Imperator Leopoldus dignatus eſt; nec non Stillingfleet, Anglus, de erudito orbe ſcriptis egregiis optimè meritus; & eodem elogio ornandus Joh. Rancine, Chriſtianiſſimi Regis Hiſtoriographus: qui omnes majori jure in hunc cenſum Virorum celebrium referendi erant. Sed nos contenti ſimus hoc Catone!

CLAVSVLA,

quâ ad finem perductis hiſce Commentationibus Auditores ſuos beatus Auctor dimiſit.

Atque hic jam enarrationum hiſtoricarum terminus eſto, quem ſtatuimus in Seculi XVIII. initio. Equidem mihi gratulor, quòd hactenus continuatum collegium noſtrum, verè dicam, præter ſpem & opinionem meam in tam tenui valetudine, nunc denique in hoc fine ſubſtitit. Et his quidem ego Lectionibus, Deum teſtor, laboris & induſtriæ impendi plurimum. Veſtram autem laudo conſtantiam, Domini Auditores, quòd, cùm major numerus eorum, qui ab initio huic collegio nomen dederunt, ab illo ſubinde deſciverint, (quanquam & unus ex his infelici caſu & lamentabili prorſus fato abreptus eſt) vos tamen adhuc perduraviſtis, & curriculum hoc mecum abſolviſtis. Neque vereor ne id vos pœniteat; quin imò fructum hinc veſtrum non exiguum fore, confidenter ſpondeo. Vos modò Vobis ſervate, quod Vobis collegiſtis, & ſtudiis Veſtris hinc conſulite. Nunc ad DEVM O. M. revertimur, cujus id eſt beneficium, quòd licuit ad finem perducere, quod in Ejus Nomine & ſub Ejus Numine primitus inſtitutum eſt Collegium: Eique meritiſſimas agimus gratias. Ejusdem etiam gloriæ conſecratum ſit, quicquid hactenus vel docuimus vel didicimus, eoque id promtius à nobis fiet, quò verius illud eſt, quod non aliunde magis, quam ex hiſtoriarum tractatione admirabilis Ejus providentia, ineffabilis bonitas & juſtitia, ſub exemplis elucet agnoſcique poteſt. Ipſi E. benigniſſimo DEO ſit Laus, Honor & Gloria in ſempiterna Secula!

Ad-

Admonitio Correctoris ad benevolum Lectorem.

IN iis , quæ pag. 536. circa originem Academiæ Gieſſenſis beatus Auctor commentatus eſt, juvabit ultimum paragraphum hoc maximè modo immutare : *Hic autem anno Seculi ſeptimo , Academiam Gieſſæ* LUDOVICUS DARMSTATTINUS , *ad quem civitas tunc pertinebat , inſtituit , ut in eâ Auguſtanæ Confeſſionis doctrina propagaretur.* Aliàs enim videri poſſet origo iſtius Academiæ *Mauritio Caſſellano* attribui ; cùm tamen *Ludovicum Darmſtattinum* , Principem invariatæ Auguſtanæ Confeſſioni addictiſſimum , illa auctorem & fundatorem habeat : unde etiam vulgò LUDOVICIANA appellari ſolet Fortè beato Auctori inter ſcribendum una & altera vocula hic loci excidit : cujus quidem facti veniam à benevolo Lectore facilè, ſpero , impetrabit. Ceterùm & alia quædam in hiſce Commentationibus tradita reliquimus , etiamſi diverſas circa illa foveamus ſententias : noſtri enim officii erat , labores typothetarum κατὰ δύναμιν corrigere , non aliena placita contra mentem Auctoris invertere. Quæ autem remanſere in hoc opuſculo ſphalmata typographica , benevolus Lector itidem æquo animo feret , ipſemetque emendabit ; omnium autem minimè culpam eorum in Editorem conjiciet , quippe qui , dum maxima pars Operis prælum fatigavit , Argentorato abſens manum correctricem mendis adhibere non potuit. Denique , quæ ejusmodi [ ] uncis incluſa hinc inde occurrunt, ea à nobis inſerta fuiſſe ingenuè profitemur.

FINIS.

MAG 2013635

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google